BRITANNICARUM ECCLESIARUM ANTIQUITATES. QUIBUS INSERTA EST PESTIFERAE...

James Ussher

Digitized by Google

7
2-b
31

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

7
7 B
36

7. - 2. b. 31.

X 10-2-21.
60
E
20

Britannicarum

ECCLESIARVM ANTIQVITATES.

Quibus inſerta eſt peſtiferæ adverſùs DEI gratiam à *Pelagio* Britanno in Eccleſiam inductæ Hæreſeos HISTORIA.

Collectore

JACOBO USSERIO

Archiepiſcopo ARMACHANO, totius Hiberniæ Primate.

Bibliothecæ Colli Rom

Secr. Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DUBLINII,

Ex Officinâ Typographicâ Societatis Bibliopolarum.

Anno CIↃ IↃC XXXIX.

CLEMENTISSIMO
ET
AVGVSTISSIMO
PRINCIPI
CAROLO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DEI Gratiâ, Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ REGI, Fidei Defensori, &c.



Æpiùs animo meo, Sereniſsime Princeps, *Oratoris obverſabatur illud.* Neſcire quid antea quàm natus ſis ccciderit, id eſt ſemper eſſe pueum. *Indeq; mihi inſitum fuiſſe diſeri non poſſum rerum geſtarum &* Cic in *Oratore.*

memoriæ veteris ordinem cognoscendi singulare quoddam & propè incredibile desiderium. Quo in studio, quum exterarum gentium ἀρχαιολογιῶν *mediocrem aliquam assecutus mihi visus fuissem intelligentiam : etiam illa cogitatio mentem meam identidem subijt ; magnæ & inconsiderantiæ & imprudentiæ notam non potuisse me effugere, si in alienis tantopere occupatus domestica negligerem, atq; in ipsâ patriâ peregrinus & hospes existerem. Sed obstitit rei summa obscuritas, ex antiquariæ, ut ita dicam, supellectilis defectu nata : qui hîc tantus, ut Britannicorum Historicorum antiquissimus Gildas ante annos mille, & quod excurrit, profiteri non dubitaverit ; hausisse se quæ tradiderat*, non tam ex scriptis patriæ, scriptorúmve monumentis

mentis (quippe quæ, si qua fuerint, aut ignibus hostium exusta, aut civium exulum classe longiùs deportata, non compareant) quàm transmarinâ relatione quæ, crebris irrupta intercapedinibus, non satis claret.

Neq́ damnum hoc resarcire potuerunt vel Ninij (*specioso* Gildæ *ipsius nomine fucata*) *Collectanea; vel liber ille Britannicus quem à* Gualtero *Oxoniensi archidiacono ex Armoricâ advectum* Galfridus *Monemuthensis Latinè transtulit; vel posteriorum etiam monachorum de veterum Sanctorum Actis commenta recentia, quorum lectoribꝰ crebro illam* Epicharmi *insusurrare opus fuerit* * *cantilenam:*

Νῆφε, καὶ μέμνασ' † ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

At quum in fæcibus etiam istis aliquam

* Cic. ad Attic. lib. 1. epist. 17. Vid. Polyb. lib. 17. pag. 768. & 945. edit. Græcolatin. Casauboni.

† *Nervos atq; artus esse sapientiæ, non temerè credere.* Qu. Cicero; de Petit. Consulat.

quampiam demersam animadverterem veritatem, & in ipso sterquilinio gemmam offendi potuisse non desperarem: purioris antiquitatis monumentis cum sequioris ævi illis alteris diligenter comparatis, è fodinâ istâ præstantioris metalli ramenta aut strictûras aliquas eruere conatus sum. Sic tamen, ut sagenæ *Euangelicę operam istam certo quodam consilio non absimilem esse voluerim, quæ* jacta in mare res cujusvis generis coëgit: impletam verò subduxerunt in litus, & sedentes quæ bona erant in vasa collegerunt, quæ autem putria foràs projecerunt. *ab æquo Lectore nihil expectans aliud, quàm quod suo jure sibi deposcebat nostrorum Historicorum post Bedam prȩcipuus, Guilielmus Malmesburiensis Bibliothecarius.*

Matth. 13. 47, 48.

carius. Si quis post me scribendi de talibus munus attentaverit; mihi debeat collectionis gratiam, sibi habeat electionis materiam. *Guil. Malmesbur. de gest. Reg. Anglor. lib. 5.*

Hoc autem crasso licèt filo contextum opus Tantæ Majestatis patrocinio ut dicare auderem, incitamenta habui neq; pauca neq; levia. Primùm, argumenti genus ipsum, in Ecclesiarum magnæ Britanniæ *&* Hiberniæ *rebus explicandis occupatum, cujus clientelæ cõmittendum potiùs fuerat, quàm florentissimarum harum Insularum summi Domini atq; Monarchæ? Scriptum deinde, felicissimæ memoriæ* IACOBI *Regis jussu & auspicijs susceptum, eo ad meliorem vitam recepto, cui meliore jure debebatur quàm præstantissimi parentis optimo hæredi? Accedit & Regiæ tuæ*

Benig-

Benignitatis recordatio, cujus fructus sæpè tuli lætos atq; uberes: quæ cùm me nexu & mancipio totum tuum effecerit, peculium etiam omne, & quicquid mei est, in Tuam pariter traduxit potestatem. DEUS OPTIMUS MAXIMUS, *Regum suorum custos & vindex,* Vitam *TIBI* det prolixam, Imperium securum, Domum tutam, Exercitus fortes, Senatum fidelem, Populum probum. *Veteris Ecclesiæ pro Imperatoribus suis vota hæc solennia, pro Tuâ & Tuorum salute redintegrat, & toto animi affectu Numini divino nuncupat*

Tertullian. Apologetic.

Serenissimæ Tuæ Majestatis

Servus humillimus,

Jacobus Armachanus.

LECTORI.

QUod de Gallicanâ, nobis proximâ, Ecclesiâ notavit nuper Prætor Narbonensis Franciscus Bosquetus; *incertam longâ antiquitate, & posterorum commentis, originem* illius extitisse: idem in nostris quoq; Britannicis verissimum fuisse comperimus. In quibus illud etiam locum habere negari non potest, quod de primis hujusmodi commentorum authoribus idem addidit. *Primos, si verum amamus, hujusmodi zelotas Monachos in Gallijs habuimus. Illi simplici ac fervidâ, ideoq; minùs cautâ & sæpe inconsulti religione perculsi, ad illiciendas hominũ mentes & auguj ori Sanctorum nomine ad eorum cultum revocandas, i stres eorum titulos, primùm sibi dein credula plebi persuasos proposuerunt. Ex horum officinâ Martialis Lemovicensis Apostolatus, Vrsini Bituricensis Discipulatus, Dionysij Parisiensis Areopagitica Pauli Narbonensis Proconsularis dignitas, amborum Apostoli Pauli magisterium, & in alijs Ecclesijs similia, prodiere. Quibus quidem, sano judicio & constanti animo, Galli primùm Episcopi restitere. At ubi Ecclesiæ Gallicanæ parentibus, sanctissimus fidei præconibus, detractis his spolijs injuriam fieri, mentibus ingenuis & probis persuasum est: paulatim error communi consensu consurgere, & tandem antiquitate suâ contra veritatem præscribere.* Hæc in primi Ecclesiæ Gallicanæ Historiarum libri editione primâ (secunda enim tantam παῤῥησίαν ferre non poterat) eruditissimus *Bosquetus.*

Et in *Britanniâ* quidem ipsis Apostolorum temporibus annunciatum fuisse Christi Euangelium, authores habemus locupletissimos, *Eusebium, Theodoretum, Arnobium*

bium juniorem & *Gildam* Britannum : à *Josepho* verò *Arimathaensi* id fuisse præstitum, Glastonienſium monachorum traditio est ; nec ita tamen antiqua, ut ante Normannica tempora certum aliquod in probatæ fidei ſcriptore quoquam deprehendi possit illius vestigium. De primo ſimiliter Christiano Britannorum Rege, in Bedâ & libro Pontificali (B. *Hieronymo* & *Damaso* perperam attributo) primùm legimus : *Lucium* regem Britannicum, missâ ad *Eleutherum* Romanum Epiſcopum epistolâ, illius operâ Christianum effectum fuisse. Britannicæ conſarcinator Historiæ, id ſatis esse non existimans, Regulo hoc in *Romana Insula* Monarcham transformato, in urbibus illius XXVIII. totidem ab eo conſtitutos Epiſcopos ſomniavit : cui & ſuum de *Flaminibus* & *Archiflaminibus* centonem Galfridus Monemuthenſis deinde aſſuit. Neq; quiſquam ferè locus repertus est illuſtrior, qui non à *Lucio* inſtitutorum ſuorum vel originem vel amplificationem deinceps arceſſeret.

Harum verò antiquitatum, ſive verarum ſive falſarum, reliquias ut undique diſperſas ſub uno aſpectu ponerem ; omnibus unum in locum coactis ſcriptoribus, ex ingenti immenſoq; iſto campo quæ ad rem noſtram ſpectare videbantur ſtudioſè excerpſi : uſu continuo ad laborem iſtum obdureſcente & percalleſcente noſtrâ patientiâ. Ac primùm, ne quid hîc me fugeret, editorum noſtrorum Hiſtoricorum antiquiores quidem (*Gildam*, *Adamnanum*, *Bedam*, *Aſſerium Menevenſem* & *Marianum Scotum*) integros, poſteriores verò ubi videbatur opus, cum MSS. codicibus diligenter, nec ſine fructu, contuli. In ſcriptorum deinde nondùm luci redditorum ſylvam me abſtruſi denſam atq; aſperam : quorum, præ *alijs*, maximam mihi ſuppeditavit copiam Bibliotheca illa *Cottoniana* nobilis ; quæ una ad Britannicæ gentis hiſtoriam perficiendam plura confert adminicula, quàm omnes omnium aliæ junctæ ſimul. Ea verò amiciſſimi D. *Roberti Cottonij* quem ut antiquitatum ſuarum promum

condum

condum ſemper celebrabit Britannia) ſummâ humanitate, non minùs quàm mea ipſius, & olim patuit, & continuatâ D. *Thomæ* filij ipſius (tum in equeſtri ordine atq; Baronetti dignitate, tum in Bibliothecæ conſervandæ & augendæ curâ ſucceſſoris unici) benevolentiâ adhuc patet; Iſocraticæ illius monitionis hîc certè non immemoris. * Γρέπει τοὺς παῖδας, ὥσπερ τῆς οὐσίας, οὕτω καὶ τῆς φιλίας πατρικῆς κληρονομεῖν.

In noſtrâ autem hâc ex omni ſcriptorum genere promiſcuè congeſtâ farragine, ſi quis obſcuriorum aut minùs ſpectatæ fidei authorum ſubinde hîc citata mirabitur teſtimonia: cogitare illum velim, aliud eſſe Hiſtoriam ſcribere, aliud materiam hinc inde convehere, unde delectu adhibito ſylvam dicendi Hiſtoricus poſſit ducere; & ut de fide narrationis rectiùs judicare quis poſſit, intereſſe ſæpenumero, ut quàm obſcuris & novitijs illa nitatur authoribus, clarè intelligat. Alioqui non ita nos judicij inopes exiſtimare quis debet, ut *Galfridum Monemuthenſem*, aut *Hectorem Boëthium*, aut ex infimi ſubſellijs teſtem aliquem alium advocaremus; ſi in antiquiore aut melioris notæ aliquo quod ab ipſis traditum eſt reperiri potuiſſet Chronographo.

Quód ſi *frivola* etiam nonnulla, *dubia* multa, & *falſa* quoque non pauca, commemorata hîc objectet alius: de *frivolis* reſponſum hoc à Flavio Vopiſco accipiat, in Aureliano ſuo. *Frivola hæc fortaſſe cuipiam & nimis levia eſſe videantur: ſed curioſitas nihil recuſat.* de *dubijs*, ex clariſſimi Iunij Manilianis, hoc habeat alterum: *me nec multis rebus ejuſmodi credere, nec credendas obtrudere cuiquam, ſed legendas probandaſq; judicio certo.* valdeque mihi placere ſciat *Euripidis* illam ſententiam:

* Σώφρονος δ' ἀπιστίας
Οὐκ ἔστιν οὐδὲν χρησιμώτερον βροτοῖς.

Nam ad apertè *falſa* quod attinet: non parùm etiam Lectoris intereſſe putabam, ex iſto ut cognoſceret ſpecimine, quàm fœdis ineptijs Sanctorum Vitas totamque

* *Ut rei familiaris, ſic & amicitiæ paternæ liberis capienda eſt hæreditas.* Iſocrat. ad Demonic.

* *Prudenti incredulitate nihil eſt mortalibus utilius.* Euripid. in *Helenâ*, Act. 5.

Ecclesiæ Historiam ætas superior contaminaverit; atque novorum miraculorum & visionum obtentu, hominum simplicitati illuserit. Ita, de S. *Albani* corpore inter Verolamienses & Colonienses cœnobitas lite ortâ, miracula miraculis opposita; & in consimili de B. *Patricij* reliquijs inter *Glastonienses* & *Dunenses* monachos controversiâ, ab utrâque parte visiones productas hîc videbit visionibus contrarias. In ijs enim percensendis quæ ex Elizabethæ Schonaugiensis & Richardi Præmonstratensis Revelationibus de *Ursulanis* virginibus retulimus, quis tam patientis fuerit stomachi, ut Apuleianum illud sæpiùs usurpare non cogatur? *Nihil hâc fabulâ fabulosius, nihil isto mendacio absurdius.*

L. Apulei. Metamorphos. lib. 1.

Et tamen, ne nullam solidioris materiæ partem comparere hîc uspiam morosulus quispiam criminaretur; Hæreseos Dei gratiam impugnantis, à *Pelagio* Britanno ab inferis primùm excitatæ & *Fausti* Britanni novo mangonio denuò Christiano Orbi venditatæ, Historiam secundùm ordinem temporum digestam placuit interjicere. Nam *licèt hæc ficus fatua toties sit præcisa, toties eradicata, toties combusta, incinerata & usque ad nihilum conculcata; quàm latè tamen & densè adhuc non desinit germinare, & sua vitulamina vitiosa, quanto subtiliùs solito, tanto periculosiùs propagare*, & Thomas Bradwardinus conquestus est olim, & nos hodie non sine causâ conquerimur. Sicubi verò, vel in hoc vel in argumento illo altero, aliorum expectationi minùs satisfecerim: occupationes quibus in dies distineor maximæ, aliquid excusationis ab æquis, ut spero, rerum æstimatoribus impetrabunt. *Dublinij*, anno CIↃ IↃC XXXIX. IV. Non. August.

Bradwardin. Præfat. in libros de causâ Dei contra Pelag.

Conspectus

Conſpectus Capitum totius Operis.

Cap. I.

B*Ritanni* ante acceptam fidem Chriſtianam idololatræ. De *Apoſtolis*, qui in Britannicis Inſulis Euangelium primi prædicâſſe dicuntur: *Iacobo Zebedæi*, *Simone Zelotâ*, *Simone Petro*, & B. *Paulo*. De *Ariſtobulo* item, & *Claudiâ* Britannâ. *pag.* 1.

Cap. II.

De duodecim *Philippi* diſcipulis, & *Ioſepho Arimatheenſi*, Glaſtonienſium monachorum traditiones; veterum nominibus fucatæ, & in Europæorum generalibus Concilijs venditatæ. *pag.* 12.

Cap. III.

De *Taurino*, *Eutropio*, *Timotheo*, *Novato*, *Praxede*, *Pudentianâ*, *Marcello*, & *Lucio* primo Bavarorum ac Rhætorum doctore. De tempore quo *Lucius* in Britanniâ regnaviſſe dicitur, variantes authorum ſententiæ; & in quâ inſulæ parte imperium ille obtinuerit. *pag.* 30.

Cap. IIII.

De literis, quæ à rege *Lucio*, per legatos *Eluanum* & *Medwinum*, ad *Eleutherum* Romanum Epiſcopum miſſæ fuiſſe dicuntur. De Doctoribus Cantabrigienſibus, nec non *Timotheo*, *Fagano*, *Duuiano* & *Aarone*, qui fidem tùm Britannis ferunt prædicaviſſe. *pag.* 44.

Cap. V.

De XXV. Epiſcopatibus & Archiepiſcopatibus III. qui *Lucij* temporibus, Flaminum & Archiflaminum loco, inſtituti fuiſſe dicuntur. De *Londinenſi* ſede Metropo-

tropolicâ, & ejus translatione ad *Cantuarienſem*. De *Eboracenſi*, & Pallio inde translato ad *Dolenſem* in Britanniâ Armoricâ. De *Legionenſi*, & ejus translatione ad ſedem *Menevenſem* ac *Landavenſem*. De tomo *Anacleti*; & Provinciarum numero, in quas à Romanis diviſa eſt *Britannia*. pag. 56.

Cap. VI.

Fagani & *Duuiani* iter Romanum, & reditus in Britanniam. *Eleutheri* P. Epiſtola ad Lucium. *Fagani* & *Duuiani* res geſtæ in inſulâ *Avalonia*. Antiquitatis Eccleſiæ *Glaſtonienſis* aſſertio: & nova ab *Inâ* & *Dunſtano* facta reſtauratio. Privilegia varia à Saxonicis regibus eidem conceſſa. *Arthuri* Donatio, & ſepulchri inventio. *Henrici* II. & *Edvardi* III. Diplomata. Poſſeſſiones & libertates Eccleſijs à *Lucio* tributæ. *Wintonienſis* eccleſiæ Antiquitates. Fundatio Eccleſiæ S. *Petri* Weſtmonaſterienſis, B. *Mariæ* Doverenſis, & S. *Martini* Cantuarienſis. De *Cantabrigienſi* & *Bannocborenſi* gymnaſio: & *Lucij* regis exitu. *pag.* 100.

Cap. VII.

De fide à *Britannis* uſq; ad *Diocletiani* tempora conſervatâ: cum *Origenis* & *Tertulliani* eâ de re teſtimonio. De *Mellone* Britanno, Rothomagenſium præſule. De ſæviſſimâ hîc à *Maximiano Herculio* excitatâ perſecutione; & paſſis in eâ *Albano*, *Amphibalo*, *Julio*, *Aarone*, *Socrate*, *Stephano*, *Augulio*, & alijs innumeris. De pacè Britannicis Eccleſijs, altero poſt cœptam perſecutionem anno, à *Conſtantio Chloro* Aug. *Conſtantini Magni* patre reſtitutâ. *pag.* 143.

Cap. VIII.

De patriâ *Conſtantini Magni*, & matris ejus *Helenæ*, variæ & diſcrepantes authorum ſententiæ: quam alij *Britanniam*, alij *Galliam*, alij *Bithyniam*, nonnulli etiam *Daciam*

Daciam fuisse volunt. *Guil. Camdeni & Iusti Lipsij* de Britannicâ *Constantini* origine amica concertatio. De pace Ecclesiæ redditâ: deq; Basilicâ S. *Albani* quam Verolamij, & S. *Amphibali* quam Wintoniæ tunc constructam aiunt. De Britannicis episcopis qui Concilio *Arelatensi* interfuerunt; & Britannorum cum patribus Nicænis in Paschatis observatione & Arianæ hæreseos condemnatione consensu. De Britannicis episcopis qui in Synodo *Sardicensi* & *Ariminensi* adfuerunt. Quamdiu ab Arianâ perfidiâ immunis manserit Britannia, & quando eâ contaminari cœpta. De *Maximo* in Britanniâ tyrannidem arripiente; Britannicâ coloniâ in *Armoricam* deductâ, & LXXI. fœminarum millibus quibus eâ occasione insula hæc exhausta fuisse fingitur. Peregrinatio Hierosolymitana & Romana, ut ab alijs ita etiam à Britannis, frequentata. Inde *Origenis* prava doctrina, atq; ex illâ enata nova *Pelagiana* & *Celestiana* hæresis, in Orbem diffusa. *Pelagius* Britannus, *Celestius* Scotus, uterq; Monachus fuit. Quando, & quo in loco, venenum hoc ab illis spargi cœptum est. *pag.* 172. 173.

Cap. IX.

Rerum adversus *Pelagium* Britannum & *Celestium* Scotum, *Innocentij* Romani Episcopi temporibus, gestarum Historia. Quantum creverit pernicioſa istorum hæresis; quibus potissimùm in locis propagata, quibus scriptis & artibus ab eis propugnata fuerit. Conventus *Carthaginienſis* in Celestij, *Hierosolymitanus* & *Diospolitanus* in Pelagij examine quid egerit. Scripta ab *Augustino*, *Hieronymo* & *Orosio* illis opposita: & damnationis ab utrâq; Synodo Africanâ (*Carthaginiensi* & *Milevitanâ*) atq; *Innocentio* Pontifice lata in eos sententia. *pag.* 216.

Cap. X.

Rerum contra *Pelagium* & *Celestium*, *Zosimi* & *Bonifacij*, proximorum *Innocentij*, successorum temporibus,

gestarum Historia. Quomodo *Zosimus* eorum causam primò vehementer egerit, nec minùs vehementer posteà condemnaverit. Africanorum contra eos Episcoporum zelus; & frequentibus ad *Zosimum* missis literis, & anathematismis in duabus plenarijs Synodis adversùs nefariam hæresim promulgatis, luculenter expressius Quibus legibus & ipsos hæresiarchas & eorum sectatores Romani Imperatores coërcuerint: & quomodo funesta hæc Ecclesiæ pestis profligata tandem fuerit, atq; in toto Orbe condemnata. *pag.* 260.

Cap. XI.

De *Celestij* & *Juliani* novis conatibus: & Pelagianæ partis antistitibus, ex Italiâ *Celestini* Pontificis, ex Galliâ *Valentiniani* III. Cæsaris operâ fugatis. De Semipelagianismi seminibus à *Iohanne Cassiano* inter Massilienses primùm jactis. De *Fastidio* Britannorum Episcopo, *Timotheo* hæresiarchâ, *Agricolâ* Pelagiano, *Severo Sulpicio*, & *Leporio* Pelagij discipulo. De *Germani* & *Lupi* in Britanniam adventu, & rebus ab eis ibidem gestis: eâq; occasione de *Albani* reliquijs nonnulla interjecta. De Semipelagianismo inter *Massilienses* & *Lirinenses* caput attollente; & à B. *Augustino* atq; *Prospero* editis scriptis refutato. Ut Nestoriani cum Pelagianis conspiraverint; & utriq;, tùm à Concilio Universali *Ephesino*, tùm à *Celestino* Romano Pontifice, damnati fuerint. *pag.* 308.

Cap. XII.

Semipelagiani à *Prospero* scriptis refutati: Pelagiani à *Xysto* III. & *Leone* I. repressi. Britanni, a Scotis & Pictis conculcati, ab *Aetio* Romanæ militiæ Magistro auxilium frustrà implorant. Iidem fame confecti, recuperatis posteà viribus hostes repellunt. De regibus eorum *Constantino*, & filio *Constante* Wintonienſi monacho, quid Britannica Historia: de pace & rerum abundantiâ illis restitutâ, novâq; vitiorum segete simul accrescente, quid

quid *Gildas* tradat. Pelagiana hæresis emergens in *Istriâ* à *Leone* Magno, in urbe Romanâ à B. *Prosspero*, in Britanniâ à S. *Germano* & *Severo* prosternitur. De S. *Germani* & *Vortigerni* Britannorum regis congressu fabulæ. Angloſaxones à Britannis invitati, *Hengisto* & *Horsâ* ducibus, in Insulam adveniunt. Ex quibus Germaniæ provincijs novi coloni ducti fuerint, & in quibus Britanniæ locis consederint. Tempus eorum adventus explicatum, & cum vicinorum Francorum in Gallias migratione comparatum. Quomodo, auctis viribus, ex amicis hostes effecti, Britannicam Rempublicam & Ecclesiam oppressserint. De miserorum Britannorum reliquijs solum vertere coactis: eaq; occasione, de eorum in Batavia & Britanniâ Armoricâ collocatis sedibus. *pag.* 363. 364.

Cap. XIII.

De *Fausto* Britanno Semipelagianorum coryphæo, & Concilijs *Arelatensi* atq; *Lugdunensi* quibus ille interfuit: de *Gennady* quoq; Ecclesiasticorum dogmatum libello, & *Lucidi* Palinodiâ. De *Gildâ Albanio*, *Davide Menevensi*, & *Dubricio* archiepiscopo. De *Ambrosij Aureliani* regno, & rebus gestis. De *Gelasij* Romani & *Johannis* Alexandrini scriptis contra Pelagianos editis: & *Romana* LXX. Episcoporum Synodi decreto. De *Godelberto* presbytero, *Paulino*, *Gundleo*, *Cadoco* & *Winwaloco*. De *Nazaleodo* & *Arthuro* Britannorum regibus; persecutione Saxonicâ, *Gildæ Albanij*, & *Cadoci Lancarvanensis* exitu. De *Iltuto*, & ejus discipulis. De Synodis *Brevienſi* & *Victorianâ* in Britanniâ habitis. De *Badonico* prælio, & nativitate *Gildæ Badonici*. pag. 423.

Cap. XIIII.

De *Fausti* & Semipelagianorum doctrinâ, *Possessorij*, *Hormisdæ* P. *Johannis Maxentij*, *Petri Diaconi*, Africanorum episcoporum in *Sardiniâ* exulantium, *Fulgentij Ruspensis*, *Cæsarij Arelatensis*, *Felicis* IIII. Papæ, *Arausicana*

ſcane & Valentinæ Synodi, atq; *Bonifacij* II. Pontificis, judicia. Diploma quod *Cantabrigienſi* Academiæ ab *Arthuro* conceſſum fuiſſe fingitur. De *Arthuri, Ituti & Davidis Menevenſis* exitu. De *Paterno, Thelixo, Samſone*, & alijs Doctoribus Britannorum. De *Gildâ Badonico*; & ab eo, tum de Regibus (*Conſtantino, Aurelio, Vortiporio, Cuneglaſo, Maglocuno*) tum de Clero Britannico, editâ Querelâ. De *Gurmundo & Ceretico*, & regni Britannici excidio. *pag.* 477. 478.

CAP. XV.

De *Pictorum* ex *Scythiâ & Scotorum* ex Hiberniâ in Britanniam ductis colonijs. De *Pictorum* colonijs tribus; quas ſub *Mario, Caraſio & Graciano* hîc conſtitutas Britannica refert Hiſtoria. De *Scotis* & coloniâ ex *Dalriedâ* Hiberniæ in *Dalriedam* Albaniæ ab eis miſſâ: deq; *Reudâ & Fergſio* colonorum Ducibus. De converſione Scotorum, quæ ſub *Victore* I. Romano Epiſcopo facta fuiſſe dicitur. De *Vrſulâ*, quæ regis Scotiæ filia fuiſſe fingitur, novæ fabulæ. De his, qui ſæviente perſecutione *Conſtantij*, vel *Maximiani* potiùs, in Albaniam & Monam ſeceſſiſſe dicuntur. De adventu *Reguli* & ſociorum; atq; Eccleſiæ *Andreapolitanæ* fundatione. De Pictorum & Scotorum Doctoribus, *Niniano, Palladio, Servano, Tervano, Gildâ, Kentigerno, Columbâ*, cum duodecim ejus ſocijs; & alijs ad res Picticas atq; Scoticas ſpectantibus. *pag.* 577.

CAP. XVI.

De *Hiberniâ*, Britannicarum inſularum alterâ; quæ *Britannia minor*, & *Scotia major* aliquando dicta. *Scotorum* nomen ante tertium poſt ortum Servatoris ſeculum ſcriptoribus incognitum, deinceps Hibernis & eorum in *Dalriedâ* Britannicâ colonis commune fuit; *Scotia* tamen appellationem ſolâ *Hiberniâ* retinente ad ſeculum uſq; decimum: poſt quod, novo ab exteris *Irlandia*

dia introducto vocabulo, vetus *Scotiæ* nomen in desuetudinem abijt. De mortis Christi recente nuncio ad Ultonienſem regem *Conchurium* perlato noſtratium traditio. Ab Apoſtolis in Britannicis inſulis annunciatum eſſe Euangelium ex *Euſebio* & alijs oſtenditur: ubi de *Simone Zelotâ* & *Petro*, *Jacobo majore* cum matre *Salome*, parte *Zebedæo* ſive *Ariſtobulo* & fratre *Barnabâ*; qui ad partes haſce dicuntur appuliſſe. De S. *Beato* & ejus Achate qui Helvetijs, & S. *Manſueto* qui Lotharingis fidem primus prædicaviſſe memoratur: *Eugenio* item primo Toletanorum Epiſcopo, & *Joſepho Arimatheenſi* qui ab animalibus venenatis Hiberniam liberaviſſe fingitur. De *Dicho*, *Encho* & *Achlenâ* horumq; filijs *Cataldo* Tarentinorum & *Donato* Lupienſium in Italiâ epiſcopo. De *Florentino*, *Honeſto*, *Firmino*, *Macrâ*, *Guthagono* & *Ghilone*. De converſione Hiberniæ, quam *Conſtantini Magni* temporibus ancillæ cujuſdam operâ factam fuiſſe fabulantur. De *Hildeberto* Scotorum archiepiſcopo, & ejus diſcipulo *Sedulio* Scoto Hibernienſi. De S. *Colmano* & *Dymmâ* & alijs religionis Chriſtianæ ſub annum Domini. CCCL. in Hiberniâ profeſſoribus. De *Eliphio* & *Eutharie* fratribus, eorumq; ſororibus *Mennâ*, *Liburiâ* & *Suſannâ*. De S. *Kebio* Cornubienſis adventu in Hiberniam: deq; *Celeſtij* Scoti adoleſcentiâ & Chriſtianis parentibus. *Johannis Chryſoſtomi* de fidei Chriſtianæ profeſſione in Britannicis inſulis conſervatâ teſtimonia. De S. *Albeo* (cum quinquaginta ſuis comitibus) S. *Kiarano* & S. *Declano* Romam viſitantibus; & poſt reditum, unâ cum S. *Ibaro* religionem Chriſtianam in patriâ propagantibus. De *Guniforti* & *Gunibaldo*, & *Roſino Florido* Dempſteri. De *Palladio*, & ejus ad Scotos legatione. *pag.* 721. 722.

Cap. XVII.

Varij Actorum B. *Patricij* ſcriptores. Ejus parentes, patria, ſorores, nepotes, ſervitutes, ſtudia in Galliâ & Italiâ,

Italiâ, Episcopatus & legationis Hibernicæ susceptio. Primi ejus in Gentilitiâ superstitione debellandâ conatus, & primum Pascha in Hiberniâ celebratum. *Trimmensis, Louthianæ, Clocherensis, Armachanæ, Dublinensis & Slebhtiensis* Ecclesiæ fundatio. *Almoğith* regis Connaciæ septem filij & *Ængus* rex Momoniæ, cum suis, ad fidem conversi. Postremum *Patricij* iter Romanum: & quid per triginta reliquos vitæ suæ annos ille egerit. De successoribus ejusdem, recessu ejus *Avalonico*, mortis tempore & sepulturæ loco. Tres Sanctorum Hiberniæ ordines & eorum in Liturgiâ Ecclesiasticâ, Regulis monasticis, tonsurâ, observatione Paschali, & mulierum contubernio consuetudines variæ. Regum Hibernicorum, sub quibus illi claruerunt, tempora; & alia ad eosdem speciatim pertinentia. *pag.* 815.816.

DE

DE BRITANNICARVM ECCLESIARVM PRIMORDIIS.

CAP. I.

Britanni ante acceptam fidem Christianam idololatræ. De Apostolis, qui in Britannicis Insulis Euangelium primi prædicâsse dicuntur: Iacobo Zebedæi, Simone Zelotâ, Simone Petro, & B. Paulo. De Aristobulo item, & Claudiâ Britannâ.

PRiscæ illius [a] *ignorantiæ* temporibus, quæ salutarem Christi adventum præcesserunt, Britannos & Hibernos nostros communem reliquarum gentium sortem subijsse, id est, [b] *fuisse absq; Christo, alienos à Republicâ Israelis, & extraneos quod ad fœdera promissionis attinet, spem non habentes & sine Deo in mundo*: non est quod quisquam dubi[illegible] *q; enim Britannia fertilis provincia tyrannorum*, (inqu[illegible]bat olim impius [c] Porphyrius) *& Scoticæ gentes, omnesq; usq; ad Oceanum per circuitum barbaræ nationes, Moysen Prophetasq; cognoverant.* Neq; minùs falluntur [d] viri docti, qui Britannos à Druydibus suis in unius Dei cultu semper institutos fuisse tradunt, quàm nugatus est Postellus, quum ab [e] *Hebræis* Hibernorum originem conatus est arcessere. Nam & [f] Origenes (quem illi authorem citant)

[a] Act. 17. 30.
[b] Ephes. 2. 21.
[c] Apud Hieronymum ad Ctesiphontem advers. Pelag.
[d] Camden Britann. pag. 47. 48. (edit. Londiniann. 1607) Fr. Godwin de convers. Britan. cap. 3. pag. 23. apud quem *Origenes* pro *Tertulliano* est reponendus.
[e] Hibern. pag. 726.
[f] Orig. in Ezechiel. homil 4.

 planè

planè contrarium indicat, *terram Britanniæ ante adventum Christi in unius dei religionem* minimè consensisse: nominatim verò *Andrasten* sive *Andaten* (Victoriæ deam) g Dio Cassius, *Apollinem* & *Dianam* alij à Britannis coli consueviſſe prodiderunt: & de eorum idolomaniâ gentilis ipsorum Gildas tam clarum perhibet testimonium, ut res in quæstionem vocari non debeat. Sic enim ille: *Igitur omittens priscos illos communesq; cum omnibus gentibus errores, quibus ante adventum Christi in carne omne humanum genus obligabatur adstrictum; nec enumerans patria portenta ipsa Diabolica, penè numero Ægyptiaca vincentia, (quorum nonnulla lineamentis adhuc deformibus intra vel extra deserta mœnia, solito more rigentia, vix vultibus intuemur,) neque nominatim inclamitans montes ipsos, aut colles, vel fluvios (olim exitiales, nunc verò humanis usibus utiles) quibus divinus honor à cæco tunc populo cumulabatur;* &c. Ut de illorum temporum miserrimâ, & subsequentium felicissimâ conditione, in Epitaphio Nepotiani B. Hieronymus pronuntiare non dubitaverit. h *Vbi tunc totius orbis homines, ab Indiâ usq; ad Britanniam, à rigidâ Septentrionis plagâ usque ad fervores Atlantici Oceani tam innumerabiles populi, & tantarum gentium multitudines;*

Quàm variæ linguis, habitu tam vestis & armis?
Piscium ritu ac locustarum, & velut muscæ & culices conterebantur. absq; notitiâ enim sui creatoris, omnis homo pecus est. Nunc verò passionem Christi, & resurrectionem ejus, cunctarum gentium & voces & litteræ sonant.

Nam quum temporum plenitudo advenisset, i *mysterium quod à temporibus seculorum tacitum fuit, factum est manifestum, & per Scripturas Propheticas ex imperio æterni Dei ad obedientiam fidei omnibus gentibus declaratum.* Indeq; ijs qui in tenebris & umbrâ mortis erant positi, lumen illud gentibus patefaciendum affulsit: de quo apud Prophetam Deus

g Xiphilin. Epitom. in *Nerone.*

h Hieron. ad Heliodor. epist. 3.

Æneid. 8.

i Rom. 16. 25, 26.

Deus; [k] *Constitui te ut sis lux gentium, ut sis saluti usque ad fines terræ.* Christo enim Apostolis suis imperante, ut [l] profecti in mundum universum, prædicarent Euangelium omni creaturæ; egressi illi prædicârunt ubiq,: ita ut nullum locum cœlesti doctrinæ occultum esse sinerent; μὴ νήσους, ἤπειρον, μηδ' ἔτινα τρίτην ἀνθρώποις κατοικίαν ἡ φύσις ἐδίδου, *non insulas, non continentem, non si quam tertiam habitationem hominibus natura concessit*: quemadmodum [m] Gregorius Nyssenus loquitur. Atq; ita completum est quod per [n] Esaiam olim Deus prædixerat: *Mittam ex eis ad gentes in Oceano, insulasq; remotissimas, quæ non audiverant famam meam, neq; viderant gloriam meam, ut indicent gloriam meam in Gentibus.* Nam *verbum Dei* (Augustini in expositione Psalmi 96. verba hæc sunt) *non in solâ continenti terrâ prædicatum est; sed etiam in insulis, quæ constitutæ sunt in medio mari: & ipsæ plenæ Christianis, plenæ sunt servis Dei. Non enim separat mare eum, qui fecerat mare. Quò naves possunt accedere, verba Dei non possunt?*

[k] Esai 49. 6. Act. 13. 47.
[l] Marc. 16. 15, 20.
[m] Orat. in Petrum & Paulum. edit. Ingolstad. an. 1620.
[n] Esai 66. 19.

Et quidem à primo exortu Euangelij suscepisse Britannos Christi fidem, illa Gildæ satis indicant. *Intereà glaciali frigore rigenti insulæ, & velut longiore terrarum secessu Soli visibili non proximæ verus ille non de firmamento * solùm temporali, sed de summâ etiam cœlorum arce tempora cuncta excedente, universo orbi præfulgidum sui coruscum ostendens tempore, ut scimus, summo Tiberij Cæsaris (quo absque ullo impedimento ejus propagabatur religio comminatâ, Senatu nolente, [illegible] Principe morte * delatoribus militum ejusdem) radios [illegible]os primùm indulget, id est, sua præcepta Christus. Quæ licèt ab incolis tepidè suscepta sunt; apud quosdam tamen integrè, & alios minùs, usque ad persecutionem Diocletiani permansêre.* Hæc Gildas. ubi quod de *tempore summo Tiberij* dicit, ex Eusebij Chronico exponendum est: in quo ad annum vel ultimum, vel penultimum Tiberij annotatum est. *Pilato de Christianorum*

* al. Sol
† Tiberio scil.
* i. accusatoribus Christianorum.

dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad Senatum, ut inter cætera sacra reciperetur. Verùm quum ex consulto Patrum, Christianos eliminari Urbe placuisset; Tiberius per edictum accusatoribus Christianorum comminatus est mortem. Scribit Tertullianus in *Apologetico.*

[o] Tertul. Apol. cap 5.

Verba [o] Tertulliani hæc sunt. *Tiberius, cujus tempore nomen Christianum in sæculum introivit, annunciatum sibi ex Syriâ Palæstinâ, quod illic veritatem illius divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum cum prærogativâ suffragij sui. Senatus, quia non in se probaverat, respuit. Cæsar in sententiâ mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.* Subdit Eusebius libro 2. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 3. (Rufino interprete.) *Quod profectò divina providentia ita tunc Cæsaris sensibus ingessit, ut absq; ullo obstaculo, in ipsis duntaxàt initijs, Euangelij sermo usquequaq; percurreret. Unde & factum est, ut repentè quasi cœlitùs lumen ostensum, aut radius quidam Solis erumpens, totum orbem claritate superni luminis illustraret: ut compleretur illa prophetia quæ dixerat,* [p] *In omnem terram exivit sonus eorum, (Euangelistarum scilicet & Apostolorum,) & in fines orbis terræ verba eorum. Ex quo & per omnes civitates ac vicos, immensæ multitudines, velut messium tempore frumenta ad areas, ita ad Ecclesias populi congregabantur.*

[p] Psal 19 4. Rom. 10 18.

Hinc Theodoretus libro 9. Ἑλλήνων παθημάτων θεραπευτικῆς. Οἱ δὲ ἡμέτεροι ἁλιεῖς, inquit, καὶ οἱ τελῶναι, καὶ ὁ σκυτοτόμος, ἅπασιν ἀνθρώποις τοὺς εὐαγγελικοὺς προσενηνόχασι νόμους. καὶ οὐ μόνον Ῥωμαίους καὶ ὑπὸ τούτοις τελοῦντας, ἀλλὰ καὶ τὰ Σκυθικὰ καὶ τὰ Σαυροματικὰ ἔθνη, καὶ Ἰνδοὺς καὶ Αἰθίοπας, καὶ Πέρσας καὶ Σῆρας, καὶ Ὑρκανοὺς καὶ Βακτριανοὺς, καὶ Βρεττανοὺς καὶ Κίμβρους, καὶ Γερμανοὺς, καὶ ἁπαξαπλῶς πᾶν ἔθνος καὶ γένος ἀνθρώπων, δέξασθαι τοῦ σταυρωθέντος τοὺς νόμους ἀνέπεισαν. *Nostri illi piscatores ac publicani, sutorq; ille noster, cunctis nationibus legem Euangelicam detulerunt. Neq; solùm Romanos,*

nos, quiq; sub Romano vivunt imperio, sed Scythas quoq; ac Sauromatas, Indos præterea, Æthiopas, Persas, Seras, Hyrcanos, BRITANNOS, Cimmerios & Germanos, utq; semel dicatur omne hominum genus, nationesq; omnes induxerunt Crucis leges accipere. Sed quisnam ex illo Apostolorum choro ad Britannicas nostras Insulas accesserit; non eadem est omnium authorum sententia.

S. IACOBUM Zebedæi filium, fratrem Iohannis, abijsse in Occidentem, multaq; ijs locis fecisse miracula; ex Anastasij Patriarchæ Antiocheni libro de Passionibus Martyrum, Arabicè scripto, quidam referunt. Eundem *Hispaniæ & Occidentalium locorum populis Euangelium prædicavisse, & in occasum mundi lucem prædicationis infudisse*; tradit etiam Isidorus in libro de Patribus utriusq; Testamenti, cap. 72. & eum secutus Freculphus Lexovien sis, Chronicorum tomo 2. libro 2. cap. 4. [r] *Primum omnium Apostolorum prædicavisse in oris Occidentalibus*, asserit quoq; author Chronici, quod Maximi Cæsaraugustani Episcopi circumfertur nomine. *Britannis*, ille qui Flavii Lucij Dextri larvam induit, *Hibernis* Vincentius Bellovcensis prædicavisse illum affirmat. Sic enim prior in Chronico, ad annum Christi XLI. *Rediens Iacobus Gallias invisit, ac Britannias, ac Venetiarum oppida, ubi prædicat; ac Hierosolymam revertitur, de rebus gravissimis consulturus Beatam Virginem & Petrum.* Posterior, in Speculo Historiali, libro 8. cap. 7. (in Basileensi etiam Concilio, ab Alphonso Garsiâ de sanctâ Mariâ, Castellani Regis Oratore, productus:) ita. *Apostolis diversa Cosmi climata adeuntibus, nutu Dei Iacobus Hibernia oris appulsus, verbum Dei prædicavit intrepidus, ubi septem discipulos elegisse fertur: scilicèt, Torquatum, Secundum, Indalecium, Tisephontem, Enfrasium, Cecilium, Isichium, quorum collegio lolium extirparet, ac telluri aridæ & diu sterili semina verbi Dei committeret. Cumq; dies immineret supremus, Hierosolymam cum eis perrexit, ibiq; martyrium subijt.*

[r] Iohan. Mariana, de adventu Iacobi in Hispaniam, cap. 7.

[r] Maxim. Chronic. ad annum Christi 621.

Verùm Iacobum ab Herode occisum, priusquàm Apostoli divisi essent in *diversa Cosmi climata* (ut cum [c] Turpino loquitur Vincentius) ostendunt * alij : & quos ipse Vincentius secutus est authores , Turpinus in vitâ Caroli Magni,& Calixtus I I. in libro *de miraculis S. Iacobi Apostoli, & translatione corporis ejus* (si tamen idem utriusque operis author non fuerit) non in Hiberniâ, sed in Galæciâ ista facta referunt. *Novem discipulos in Galæciâ* (ait in præfatione suâ [c] Calixtus) *dum adhuc viveret, Apostolus elegisse dicitur: quorum septem (alijs duobus in Galæciâ prædicandi causâ remanentibus) cum eo Hierosolymis perrexerunt, ejusq; corpus post passionem per mare ad Galæciam deportaverunt. De quibus beatus Hieronymus in suo Martyrologio sic dixit,ac beato Chromatio scripsit : quòd sepulto in Galæciâ beati Iacobi corpore , ab Apostolis Petro & Paulo infulis Episcopalibus apud Romam ordinantur, & ad prædicandum Dei verbum ad Hispanias, adhuc gentili errore implicatas,diriguntur.Tandem verò prædicatione suâ innumeris gentibus illustratis,Torquatus Acci,[u] Tisephon Vergi, Secundus Abulæ,Indalecius Ursi,Cæcilius Eliberri,[x] Esicius Carsecæ,Eufrasius Eliturgi,scilicèt Idibus Maij quieverunt.*

[c] Turpini de gestis Caroli Magni cap. 1.

* Vid. Baronium, Annal. tom. 1. an. 44. §. 1. 14.

[c] MS. in Bibliothecâ Collegij Benedicti Cantabrig. & Coll. Balliol. Oxon. & D. Roberti Cotton.

[u] al. Ctesiphon.

[x] al. Hesychius.

Et ita sanè in Martyrologio Romano (quod [y] Hieronymi nomine olim editum, [z] suppositâ quoque ejusdem ad Chromatium & Heliodorum epistolâ, confirmat Baronius) ut & in Bedæ,Usuardi, Notkeri & Adonis martyrologijs, *ad Idus Maij*, legimus; *Romæ hos à sanctis Apostolis Episcopos ordinatos, & ad prædicandum verbum Dei in Hispanias directos esse : cumq; diversis urbibus evangelizâssent, & innumeras multitudines Christi fidei subjugâssent*; tandem in dictis Hispaniæ locis quievisse. In vetere Romanæ Ecclesiæ Martyrologio (quod suo præfixit Ado) non aliud de illis dicitur, quàm quòd *Romæ ab * Apostolis ordinati sunt.* In Britannico verò,[a] quod describendum curavit Ricemarchus Sulgem Menevensis Episcopi filius, ne nominantur quidem. In Apostolorum tamen Catalogo, qui

[y] Baron. de Martyrolog. Rom. cap. 9.

[z] Ibid. cap. 5. 6. 7.

* Petro. sc. & Paulo sit habet Gregorius v i. lib. 1. Regist. epist. 64.

[a] Habetur MS. in bibliothecâ D. Guil. Bedelli Kilmorensis apud nos Episcopi.

qui epistolæ ad Chromatium & Heliodorum ibi subjicitur, de Iacobo legitur. *Hic Hispaniæ, & in occidentalia loca prædicavit: & sub Herode gladio casus occubuit.* Addit Ordericus Vitalis Uticensis Monachus, libro 2. Ecclesiasticæ Historiæ, septem ipsius Discipulos cadaver ejus in Hispaniam detulisse, *& à Rege Gallicia susceptos, primùm fidem & religionem Hiberis prædicavisse.* An pro *Hiberis* Vincentius alicubi *Hibernis* exaratum repererit, alijs conjiciendum relinquo: certè hujusmodi aliquo errore dictos Iacobi discipulos ad Hiberniam translatos esse, à vero non est absimile.

SIMONEM ZELOTEM Euangelij doctrinam *ad Occidentalem Oceanum, Britannicasq; insulas* pertulisse, author est [b] Nicephorus Callisti. Eundem *in Britanniâ crucifixum, occisum & sepultum esse*, tradit in Synopsi Dorotheus: astipulantibus etiam Græcorum [c] Menologijs. in quibus ad Maij diem 10um, de Simone ita scriptum legimus: Ὑστερον δὲ ἐν Βριτανίᾳ γενόμενος, καὶ πολλὰς τῷ τῆς εὐαγγελίου φωτίσας, ὑπὸ τῶν ἀπίστων σταυρωθεὶς καὶ τεθεὶς κάτωθεν ἐκεῖ. *Postremò in Britanniam profectus, cùm multos Euangelij verbo illustrâsset, ab infidelibus crucifixus illic sepultus est.* In Martyrologio tamen & Breviario Romano, ut & in Bedæ, Usuardi, atq; Adonis Martyrologijs, ad Octobris diem 28. in Perside martyrium subijsse legitur.

[b] Niceph. hist. Ecclesiast lib. 2 cap. 40.

[c] Menolog. tom. 2. Antiq. lect. Henr. Canisij. Antholog. Græc. edit. Rom. an. 1598. pag. 406.

MONEM PETRUM, *duodecim quidem annos esse passum in Oriente, viginti autem & tres annos transegisse Romæ, & in Britanniâ, & in civitatibus quæ sunt in Occidente*, retulit alicubi Eusebius Pamphili; siquidem Symeoni Metaphrastæ credimus. [d] Apud quem etiam legimus, Petrum in Britanniâ *longo tempore fuisse moratum, & multas gentes non nominatas attraxisse ad fidem Christi*; ad extremum verò, cùm *verbo gratiæ multos illuminâsset, & Ecclesias constituisset, Episcopos & presbyteros & diaconos ordinâsset, XII. anno Cæsaris Neronis rursùs Romam reversum esse.*

[d] Metaphrast. Commentar. de Petro & Paulo, ad diem 29. Iunij, de quo vid Baron. Annal. tom. 1. an. 61. §. 41.

S. PAU-

S. PAULUM Doctorem Gentium * τὸν τὴν οἰκουμένην σταδιεύσαντα, καὶ τῷ δρόμῳ τῆς πίστεως τὸν κόσμον μικρὸν ἀποφήναντα, (ut de eo loquitur Basilius Seleuciensis) *ab Oceano usq; ad Oceanum cucurrisse*, affirmat [e] Hieronymus: *imitantem Dominum suum & solem justitiæ (de quo legimus; [f] A summo cœlo egressio ejus, & occursus ejus usq; ad summum ejus) ut antè eum terra deficeret quàm studium prædicandi:* & post primam apologiam, cujus ipse in posteriore ad Timotheum epistolâ meminit, à Nerone dimissum, [g] *Euangelium Christi in Occidentis quoq; partibus prædicavisse.* Verba Apostoli. 2. Timoth. IV. 16,17. sunt. *In primâ meâ defensione nemo mihi adfuit; sed omnes me dereliquerunt. Non illis imputetur. Dominus autem mihi adstitit, & confortavit, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes.* In quem locum Theodoretus: *Quando*, inquit, *appellatione usus, Romam à Festo missus est, defensione auditâ fuit absolutus, & in Hispaniam profectus est, & ad alias gentes excurrens, eis doctrinæ lucem attulit*; atq; (ut alibi addit [h] idem) *Insulis quæ in mari jacent, utilitatem attulit.* Unde de eo Venantius Fortunatus (libro 3. de vitâ Martini:)

Transijt Oceanum, vel quà facit insula portum,
Quasq; Britannus habet terras, quasq; ultima Thule.

& Sophronias Patriarcha Hierosolymitanus (in sermone de Natali Apostolorum) Paulum Hispanis & Britannis Euangelium prædicâsse significat. quod tamen ex [i] aliorum fide refero: mihi enim ipsi authorem videre nondum contigit. Vetus quoq; interpres sermonis [k] Chrysostomi de Pentecoste, ab Hispanijs *in ultimas partes* terræ eum cucurrisse innuit. Deniq; [l] *tanquam cœlestis quædam volucris orbem habitabilem circumcirca peragrans;* [m] *triginta & quinq;*

* *terra habitabilis stadia percurrentem, & cursu pro fide suscepto mundi angustias demonstrantem.* Basil. Seleuc. orat. 2. (sive de Adamo I.)

[e] Hieron. comment. in Amos. cap. 5.

[f] Psal. 19. 6.

[g] Hieron. in Catalogo Scriptor. Ecclesiast. in *Paulo*. & Hilduinus in Areopagiticis. & Ado in libello de festivitatibus Apostolorum.

[h] Theodoret. in Psal. 116.

[i] Magdeburgens. centur. I, lib. 2. cap. 2, Rob. Person de 3. convers. Angliæ, part. I. cap. I. § 21. Io. Pits. tom. I. relat. Anglic. pag. II.

[k] tom. 3. Latin edit. Paris. an. 1546. & 1556. & Basil. an. 1558.

[l] ὥσπερ τις ὑπόπτερος ὁ Παῦλος ἀνέδει, καὶ κύκλῳ διεπέτασεν τὴν οἰκουμένην. Niceph. Callist. Ecclesiast. histor. lib. 3. cap. I. καθάπερ ὑπόπτερος τις πᾶσαν διαδραμὼν τὴν οἰκουμένην ... Menæa Græc. Iun. 29.

[m] Πέντε γὰρ καὶ τριάκοντα ἔτη ... Niceph. hist. Eccles. lib. 2. cap. 34.

annis Euangelico pro Christo certamine peracto, (ut scribit Nicephorus) Romæ demùm sub Nerone martyrio cursum consummavit.

Aristobulum quoq; cujus ipse in epistolâ ad [n] Romanos meminit, Britannorum Episcopum à Paulo ordinatum, in Menæis Græcorum invenio: ubi Aristobuli ad 15um diem Martij, hujusmodi fit commemoratio. Οὗτος ἦν τῶν ἑβδομήκοντα μαθητῶν, ἠκολούθησε δὲ τῷ ἁγίῳ ἀποστόλῳ Παύλῳ, κηρύττων τὸ εὐαγγέλιον, εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην διακονῶν αὐτῷ: ὑφ' ὃν καὶ χειροτονεῖται ἐπίσκοπος εἰς τὴν τῶν Βρεττανῶν χώραν, ἀγρίων ἀνδρῶν καὶ ἀμοίρων. παρ' ὧν πολλὰ μὲν τυπτόμενος, πολλὰ δὲ καὶ τῇ ἁγορᾷ συρόμενος, πολλοὺς ἔπεισε τῷ χριστῷ προσελθεῖν. ὅθεν καὶ ἐκκλησίας συστήσας, καὶ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους ἐν αὐτῇ καταστήσας, ἐτελεύτησεν. *E septuaginta discipulis erat hic unus, sequutus est autem S. Paulum, prædicans Euangelium, & ubique tertarum ministrans illi. A quo & Episcopus ordinatus est in Britannorum regionem, ferorum & sæviſſimorum hominum. A quibus aliquando quidem verberibus affectus, aliquando etiam per forum tractus, multis persuasit ut Christo se adjungerent. Unde & Ecclesijs constitutis, & Presbyteris & Diaconis in eâ ordinatis, vitam consummavit.*

[n] Rom. 16.10.

Similiter & apud Dorotheum in Synopsi, Aristobulum *Episcopum Britanniæ* factum fuisse legimus: & in fragmento, quod Helecæ Cæsaraugustani episcopi nomine habetur editum. *Britannis celebris est memoria multorum Martyrum, præcipuè S. Aristobuli unius de LXXII. discipulis, qui dictus est etiam Zebedæus,* (*Pater Iacobi, & Ioannis martyris, Mariæ Salomæ*) *qui cum Petro Romam petivit. Inde relictis domesticis suis, missus in Angliam Episcopus, occubuit martyr in secundo anno Imperatoris Neronis sæviſſimi.* ita enim paginâ 108. editionis Cæsaraugustanæ habetur. Verùm quæ parenthesi inclusimus, sic sunt corrigenda: *Pater Iacobi & Ioannis, maritus Mariæ Salomes.* In sequente

enim paginâ, Concordia Petri Apostoli uxor, Aristobuli & Salomes filia fuisse perhibetur. *S. Petrus*, inquit author, *in honore habetur in Hispaniis, & ejus uxor Concordia passa Romæ sub Nerone, non multo priùs quàm ipse pateretur. Fuit hæc (ut docet M. Maximus in Commentarijs ad Epistolam S. Petri) filia Aristobuli vel Zebedæi, & Salomes; sororis etiam Andreæ, qui duxit alterum sororem Concordiæ, & Iacobi & Ioannis. Fuit autem Aristobulus cognomento Zebedæus, frater Barnabæ Apostoli Domini.* Hæc ille: cui de Petro, ducente in uxorem filiam Aristobuli, fratris Barnabæ Apostoli, astipulantur etiam Græci apud Metaphrastam in Commentario de Petro & Paulo, & in Menæis, ad XXIX. Iunij diem.

o 2. Tim. 4. 21. In fine o posterioris ad Timotheum epistolæ, commemorantur simul ab Apostolo *Pudens*, & *Linus*, & *Claudia*. Linum, primum Ecclesiæ Romanæ Episcopum à Paulo ordinatum, Claudiæ filium fuisse innuit Pseudo-Clemens, libro 7. Constitutionum Apostolicarum, cap. 47. Nostri Claudiam natione Britannam, & Pudentis uxorem fuisse, ex Martiale Poetâ colligunt: qui p de Claudiâ ita cecinit.

p Martial. lib. 11, epigram. 54.

Claudia cæruleis cùm sit Rufina Britannis
Edita, cur Latia pectora plebis habet?
Quale decus formæ? Romanam credere matres,
Italides possunt, Attbides esse suam.
Dij benè, quòd sancto peperit fecunda marito
Quot sperat generos, quot q, puella nurus.
Sic placeat superis, ut conjuge gaudeat uno,
Et semper natis gaudeat illa tribus.

q Id. lib 4. epigram. 13. atque iterùm q de nuptijs Pudentis & Claudiæ:

Claudia, Rufe, meo nubit peregrina Pudenti;
Mallè esto tadis, ô Hymenæe, tuis.
Tam benè rara suo miscentur cinnama nardo,
Massica Theseis tam benè vina favis.
Nec melius teneris junguntur vitibus ulmi,
Nec plus lotos aquas, littora myrtus amat.
Candida perpetuo reside Concordia lecto,

Tamq

Tam q; pari semper sit Venus aqua jugo.
Diligat ipsa senem quondam: sed & illa marito
Tunc quoq; cùm fuerit, non videatur anus.

Quod epigramma cùm ad *Rufum* de *Pudente* scriptum fuerit: [r] Thomas Dempsterus (homo multæ lectionis, sed nullius planè judicij) ipsi *Pudenti* nomen etiam *Rufi* apposuit; ut inde fortasse disceremus, quare uxor illius *Claudia Romano cognomento assumpto Rufina dicta* fuerit. pari nempè acumine, quo eandem Claudiam *inter matronas laude continentiæ clarissimas numerare Plutarchum (lib. de conjug. præcept. ad finem)* idem asserit: cùm is Κλαυδίας τῆς παλαιᾶς *Claudiæ illius priscæ*, (Vestalis utiq; illius nominatissimæ) non hujus, quæ eodem cum illo vixit seculo, mentionem faciat. & quo *Pudentem* maritum, centurionem aut primipilarem in Britanniâ vel Germaniâ militantem, exulem in Scotiam (ob Christianæ pietatis professionem) extra Romani imperij fines, relegatum fuisse colligit, ex illo Martialis carmine:

[r] Dempster. Historiæ Ecclesiasticæ (quam vocat) libro 3. num. 301.

[s] *Cernere Parrhasios dum te juvat Aule, triones*
Cominùs & Scythici sidera ferre poli.

[s] Martial. lib. 6. epigram 58.

ubi argutissimus Criticus *Scotici* vocabulum, pro *Scythici*, reponendum esse conjicit: oblitus, apud Claudianum, Apollinarem Sidonium ac veteres illos, primam *Scotici* nominis syllabam semper productam legi; & in antiquis Manuscriptis *Scottos* geminatâ literâ passim exarari consuevisse. Neq; sui dissimilis est, quum addit, [t] Personium *probate in Conversione Anglicanâ* Claudiam *non potuisse esse Anglam.* quasi quisquam eam Dempsteri insaniret insaniam, ut Claudiæ temporibus *Angliam* quæreret in *Britanniâ*: aut id argumentatione suâ conficere non conaretur Personius, B. Claudiam cujus Paulus meminit, non fuisse *Britannam* illam, cujus formæ decus Trajano imperante Martialis laudaverit; & consequenter, absq; ullo fundamento vel *Scotam* constitui vel *Anglam.* quanquam argumentâ illud, quo potissimùm ille nititur, à temporis ratione deducta, non multùm urgeat. Neq; enim si in undecimo quem

[t] Rob. Person. de convers. Angl. part. 1. cap. 1. §. 18.

citavimus epigrammatum libello occurrunt aliqua [u] sub tertio vel Nervæ vel Trajani Consulatu conscripta carmina; sequetur, & reliqua omnia eodem tempore fuisse composita. Et licèt sub Trajano mortem pöeta obierit: senem tamen decessisse cogitandum est, & priùs familiariter usum esse Silio Italico, secundi belli Punici scriptore: quo consulatum gerente, Neronem interijsse, & alij authores confirmant, & ipse [x] Martialis significat illis de Silio versiculis.

Postquàm bis senis ingentem fascibus annum
Rexerat, asserto qui sacer orbe fuit:
Emeritos Musis & Phœbo tradidit annos,
Próq; suo celebrat nunc Helicona foro.

Nerone verò summam rerum obtinente (& quidem, ut pluribus placet, sub finem imperij illius) à Paulo illa scripta est epistola, in quâ Timotheum salutant *Pudens* & *Linus* & *Claudia*. Sed de his in capite III. iterùm etiam erit dicendi locus.

[u] Martial. lib. 11. epigram. 5. *Et qui purpureis jam tertia nomina Fastis, Iant refers Nervæ.* Trajanus verò post adoptionem, Nerva etiam dictus est: ut apud Ælianum, in Tacticorum Proœmio ad Hadrianum Imp. Ἐπεὶ εἰς τῷ Θεῷ πατρὶ σου Νέρυᾳ συμβαλών, &c.

[x] Martial lib. 7 epigram. 62.

CAP. II.

De duodecim Philippi discipulis, & Iosepho Arimathæensi, Glastoniensium monachorum traditiones; veterum nominibus fucatæ, & in Europæorum generalibus Concilijs venditatæ.

AD Glastoniensium monachorum, de Iosepho Arimathæensi & ejus socijs, traditiones nunc venio: quas etsi Normannorum adventu antiquiores non existimem, & posteriorum temporum superstitionem planè redoleant; tamen qualescunque sunt, ex Guilielmi Malmesburiensis de antiquitate Glastoniensis ecclesiæ libello exhibere visum est. Sic igitur ille, (præmissâ Præfatione ad Henricum Blesensem, Henrici 1. regis ex Adelâ sorore nepotem, Wintoniensem tum Episcopum & Glastoniensem Abbatem) Archæologiam suam

atin ab Apostolicis exorditur temporibus.

*Post Dominicæ resurrectionis gloriam, ascensionisq; triumphum, ac Spiritus paracliti de supernis missionem (qui discipulorum corda temporalis pœnæ adhuc formidine trepidantia replevit, scientiam omnium linguarum tribuendo) erant omnes credentes simul cum mulieribus, & Mariâ matre Iesu, ut Lucas narrat Euangelista: & verbum Dei disseminabatur, crescebatq; numerus credentium quotidiè; eratq; omnibus cor unum & anima una. Invidiæ ergo facibus accensi Sacerdotes Iudæorum cum Pharisæis & Scribis, concitaverunt persecutionem in Ecclesiâ, interficiendo protomartyrem Stephanum, & ferè à finibus suis omnes procul pellentes. Hâc igitur persecutionis procellâ sæviente, dispersi credentes petierunt diversa regna terrarum à Domino sibi delegata, verbum salutis gentibus propinando. Sanctus autem Philippus, ut testatur Freculphus libro 2. capitulo 4. regionem Francorum adiens gratiâ prædicandi, plures ad fidem convertit & baptizavit. Volens igitur verbum Christi dilatari, duodecim ex suis discipulis elegit, & ad euangelizandum verbum vitæ misit in Britanniam: quibus, ut ferunt, charissimum amicum suum Ioseph ab Arimathiâ, qui & Dominum sepelivit, præfecit. Venientes igitur in Britanniam anno ab incarnatione Domini sexagesimo tertio, ab assumptione beatæ Mariæ decimoquinto, fidem Christi fiducialiter prædicabant. Rex autem barbarus cum suâ gente, tàm nova audiens & inconsueta, omninò prædicationi eorum consentire renuebat, nec paternas traditiones commutare volebat: quia tamen de longè venerant, vitæq; eorum exigebat modestia, quandam insulam sylvis, rubis atq; paludibus circundatam, ab incolis Tuswitrin nuncupatam, in lateribus suæ regionis ad habitandum concessit. Postea etiam alij duo Reges Papani successivè compertâ vitæ eorum sanctimoniâ, unicuiq; eorum unam portionem terræ concesserunt; ac ad petitionem ipsorum, secundùm morem gentis, * Brevi dictas duodecim hidas confirmaverunt. Unde & duodecim hida per eos adhuc, ut creditur, nomen sortiuntur.* Uterio.

Prædicti itaq; sancti in eodem deserto conversantes, post

pusillum temporis visione Archangeli Gabrielis admoniti sunt ecclesiam in honore sanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ, in loco celsiùs eis demonstrato construere. Qui divinis præceptis non segniter obedientes, secundùm quod eis fuerat ostensum, quandam capellam, inferiùs per circuitum virgis torquatis muros persicientes, consummaverunt in anno post passionem Domini trigesimo primo, post assumptionem gloriosæ Virginis decimo quinto, ex deformi quidem fabricatæ, sed Dei multipliciter adornatam virtute. Et cùm hæc in hâc regione prima fuerit, ampliari eam dignitate Dei filius insignivit, ipsam videlicèt in honore suæ matris dedicando. Duodecim igitur sancti sæpiùs memorati, in eodem loco Deo & beatæ Virgini devota exhibentes obsequia, vigiliis, jejuniis & orationibus vacantes, ejusdem Virginis auxilio ac visione (ut credi pium est) in omnibus necessitatibus refacillabantur. Hæc autem ita se habere, tùm ex Chartâ beati Patricij, tùm ex scriptis seniorum cognoscimus.

Addit præterea Malmesburiensis, ad Glastonienses ecclesiæ antiquitatem comprobandam, & sequens testimonium. *Monachus quidam Glastoniæ, Godefridus nomine, (de cujus epistolâ hoc capitulum assumpsimus) tempore Henrici Blesensis, abbatis Glastonienses, cùm in pago Parisiacensi apud sanctam Dionysium moraretur; senior quidam ex monachis interrogavit eum; Quo genus, unde domo? Respondit, Normannum, è Britannia monasterio quod Glastingeia dicitur, monachum. Papa, inquit, an adhuc stat illa perpetua Virginis & misericordia matris vetustæ ecclesiæ? Stat, inquit. Tum ille lapido attactu caput G. Glastonienses demulcens, diu silentio suspensum tenuit, ac sic demum exoravit. Hæc gloriosissimi martyris Dionysij ecclesia, & illa de quâ te asseris, eandem privilegij dignitatem habent: ista in Galliâ, illa in Britanniâ uno eodem tempore exorta, à summo & magno Pontifice consecrata. Uno tamen gradu illa supereminet: Roma etenim secunda vocatur.*

7 Baron. Annal. tom. 1. ann. 35. §. 3.

Refert Cæsar Baronius 7 ex Actis Mariæ Magdalenæ & sociorum, dispersionem factâ post mortem Stephani, *Lazarum,*

rum, Mariam Magdalenam, Martham, & Marcellam pedissequam, in quos Iudæi majori odio exardescebant, non tantùm Hierosolymis pulsos esse, sed unà cum Maximino discipulo, navi absq; remigio impositos, an certum periculum mari fuisse creditos: quos divinâ providentiâ Massiliam tradunt appulisse. Additq; ex historiâ Anglorum, quæ manuscripta habetur in Bibliothecâ Vaticanâ, sed (quod ille tacet, & nos suo loco patefaciemus) nostris temporibus scriptâ, *comitem ejusdem discriminis Iosephum ab Arimathæâ nobilem Decurionem, quem tradunt* (inquit) *ex Galliâ in Britanniam navigâsse, illicq; post prædicatum Euangelium diem clausisse extremum.* Quod autem de Philippi in Gallijs apostolatu habet Freculphus à Malmesburiensi citatus; ex Isidori libro de Patribus utriusque testamenti cap. 14. ad verbum expressit. Apud utrumq; enim legimus, Philippum Gallis prædicâsse Christum, *barbarasq; gentes, vicinasq; tenebris, & tumenti Oceano conjunctas, ad scientiæ lucem, fideiq; portum deduxisse.* Neque hic mihi [a] Baronij conjectura placet, Isidori ista à Gallis nostris ad Galatas Asiaticos traducentis: multoq; minùs, imperi operum Isidori editoris, Iacobi Breulij temeritas, *Galatis* pro *Gallis* in ipso textu (sine uldâ veteris lectionis commemoratione) reponentis. Nam præterquàm quòd Isidorus in hoc ipso opere cap. 82. & in officio Toletano [a] (quod Gothicum & Mozarabum vulgò appellatur:) itemq; Iulianus Toletanus archiepiscopus in [b] Nahum prophetam scribens, & Beda (vel quicunq; author fuit *Collectaneorum & Florum* ad calcem tertij tomi operum ipsius adjectorum) Philippo *Gallias* assignant: idemque *Gallis prædicavisse Christum* legitur, in libello de festis Apostolorum, qui in Hieronymiano Martyrologio MS. habetur (ex quo pleraq; omnia in librum suum de Patribus novi Testamenti transcripsit Isidorus:) illa Barbararum gentium *Oceano* conjunctarum mentio, Europæos Gallos, non Gallo-Græcos ab Isidoro intellectos esse satis evincit.

[a] Baron. tom. 1. an. 44. §. 32. et cum eo Iacobus Valdesius, de dignitate reg. Hispan. cap. 6. § 56.

[a] Offic. Mozarab. in festo S. Iacobi. tomo 2. Auctarij Bibliothecæ Patrum, edit. Parisi. an. 1610. col. 1659.

[b] ibid. col. 1053

Quòd verò Iosephi Arimathæensis operâ in gentibus Britan-

Britannicis ad fidem perducendis Philippus usus fuerit, id totum ex Glastonienſium monachorum lacunis haustum est: à quibus & barbari illi manârunt versiculi, ex Chronicis quibusdam, de rege Arvirago agentibus [c] citati.

[c] Ioh. Capgrau. in vitâ Iosephi. Tabula magna Glastonienſis.

Intrat Avalloniam duodena caterva virorum;
Flos Arimathææ Ioseph est primus eorum.
Iosephes ex Ioseph genitus patrem comitatur;
His aliisq; decem jus Glastoniæ propriatur.

atq; [d] ex alijs, paris elegantiæ, isti:

[d] Ex Appendice Chronici Glastonienſis, MS. in Bibliothecâ Cottonianâ.

Ioseph cum socijs jussit transire Philippus
Ad terram Britonum divinum promere verbum.
* *Fert hos camisia qui promissum tenuerunt:*
Navigio cateri terra mox applicuerunt.
Regi consulnit Ioseph tunc credere Christum:
Arviragus recuit rex hoc, nec credit in ipsum.
Glastoniæ bis sex hidas dedit Arviragus rex;
Ioseph cum socijs jura reliquit eis.
Anno trigeno primo post vulnera Christi,
Ecclesiam virgis faciunt cum laudibus isti.

* Habetur inceptissima hæc fabella in magnâ Glastonienſis Ecclesiæ Tabulâ, & apud Capgravium in vitâ Iosephi.

Habetur & hodiè Welliæ in ædibus D. Thomæ Hugonis equitis aurati, Tabula ænea, columnæ Glastonienſis ecclesiæ olim affixa: cui inciſum legitur. *Anno post passionem Domini XXX. duodecim sancti (ex quibus Iosephus ab Arimathæâ primus erat) huc venerunt, qui Ecclesiam hujus regni primam in hoc loco construxerunt, quam Christus in honorem suæ matris & locum pro eorum sepulturâ præsentialiter dedicavit.* Bit etiam penes nobiliſſimum virum, D. Guilielmum Howardum (Thomæ Norfolciæ Ducis filium) ingens Tabula, Glastonienſes antiquitates undiq; conquisitas complectens: in quâ, inter alia fabuloſiſſima, & iſta legimus. *Ioseph ab Arimathia beati Philippi apoſtoli discipulatui se contulit, atq; ejus salubri doctrinâ affluenter refertus & ab ipso cum filio suo Iosephe baptizatus est. Posteà verò à beato Iohanne Apoſtolo ipsi prædicationi Ephesiorum insudante, beatæ perpetuæq; Virginis Mariæ paranymphus delegatus est: ejusdem quoq; gloriosæ Virginis venerandæ assumptioni cum*

beato

beato Philippo cæteriſq; diſcipulis interfuit, atq; ea quæ de Domino Ieſu Chriſto atq; ejus glorioſâ genitrice Mariâ audierat & viderat inſtanter per diverſas regiones prædicans, ac multos convertens & baptizans; tandem decimo quinto poſt eandem glorioſam aſſumptionem anno, cum memorato filio ſuo Ioſephe ad ſanctum Philippum in Gallias venit. Ac deinde ſecundùm quod legitur in libro qui dicitur Graal, Ioſeph ab Arimathiâ, qui Dominum ſepelivit, baptizatus à beato Philippo Apoſtolo venit in majorem Britanniam, ſibi & ſemini ejus promiſſam, cum uxore, & filio Ioſephe nomine, quem ipſe Salvator noſter in civitate Saraz priùs in Epiſcopum conſecraverat.

Sequuntur deinde portenta illa, quæ in vitâ Ioſephi refert Capgravius ex eodem nugaciſſimo libro, *qui ſanctum Graal appellatur*, cujus author Guilielmo Malmisburienſi paulo videtur fuiſſe poſterior; licèt ab Helinando Cluniacenſi, Frigidi montis in Galliâ monacho, ad annum Salutis DCCXX. referatur. Sic enim ille in Chronico; à [c] Vincentio Bellouacenſi citato. *Hoc*, inquit, *tempore in Britanniâ cuidam eremitæ monſtrata eſt mirabilis quædam viſio per Angelum, de ſancto Ioſeph Decurione nobili, qui corpus Domini depoſuit de Cruce, & de catino illo vel de paropſide, in quo Dominus cœnavit cum diſcipulis ſuis, de quo ab eodem eremitâ deſcripta eſt hiſtoria, quæ dicitur de Gradali. Gradalis autem vel Gradale Gallicè dicitur ſcutella lata, & aliquantulùm profunda, in quâ pretioſæ dapes cum ſuo jure divitibus ſolent apponi, gradatim unus morſellus poſt alium in diverſis ordinibus; & dicitur vulgari nomine Graal, quia grata & acceptabilis eſt, in eâ comedenti; tùm propter continens, quia ſertè argentea eſt, vel de aliâ pretioſâ materiâ; tùm propter contentum, id eſt, ordinem multiplicem dapum pretioſarum. Hanc hiſtoriam Latinè ſcriptam invenire non potui: ſed tantùm Gallicè ſcripta habetur à quibuſdam proceribus, nec facilè (ut aiunt) inveniri poteſt.*

[c] Vincent. Specul. Hiſtorial. lib. 23. cap. 147.

Multa verò inde in fabuloſa regis Arthuri Acta, linguâ Anglicanâ à te edita, tranſtulit Thomas Mailorius: qui

Sangreal vocem hîc usurpat, ad *sanguinis realis* notionem proximè accedentem. Pretiosissimum enim illum sanguinem, quem in Cruce effudit Servator noster, nescio ubi repositum, Arthurem invenisse fingit; additis alijs non minùs prodigiosis narrationibus, quarum meminisse piget pudetq:.

[f] MS. in Bibliothecâ Cottonianâ.

In [f] Chronico Glastoniensi anno 1259. exarato, scriptum legimus. *Anno ab Incarnatione LXIII. discipuli sanctorum Philippi & Iacobi apostolorum venerunt in Britanniam: à quibus primum Oratorium in insulâ Avalloniæ, in honore S. Mariæ fuit constructum, in anno post assumptionem ejusdem quinto decimo.* & in [g] alio, à monacho cœnobij S. Augustini Cantuariensis anno 1406. conscripto. *Rex Yna fuit primus fundator monasterij Glastoniensis. Monachi tamen ibidem aliam prætendunt fundationem à Rege Arvirago filio Kimbelini Regis Britonum, in cujus tempore Christus Iesus de Mariâ Virgine natus fuit. Et quod ab Arthuro Rege dotatum fuit pluribus possessionibus.* Item in *libro de prærogativis & dignitatibus ordinem monasticum concernentibus*, qui a Thomâ Walsinghamio scriptus putatur. *S. Philippus apostolus Iesu Christi misit in Britanniam duodecim prædicatores, quorum primus & præcipuus fuit Ioseph ab Arimathiâ, qui Christum sepelivit. Qui Glasconiam venientes, acceperunt possessionem hidarum duodecim, ab Arvirago nobili rege Britanniæ, adhuc Paganicis erroribus involuto. Hi per Gabrielis Archangeli admonitionem, ecclesiam in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ construxerunt anno post passionem Domini tricesimo primo.*

[g] MS. M. Roberti Harzei.

Iohannes Tinmuthensis, ex Glastoniensis monasterij libris, ita rem narrat. *Ex quo Apostoli in regiones diversas erant divisi ad prædicandum verbum vitæ, sanctus Philippus Apostolus regionem Franciæ cum suis discipulis sortitus est: de quibus misit in Britanniam duodecim (quorum primus erat Ioseph ab Arimathiâ, qui & Dominum sepelivit) anno ab incarnatione Domini sexagesimo tertio, & ab assumptione sanctæ Mariæ quintodecimo: quibus duodecim hidæ ab Arvirago paganicis*

vicin erroribus decepto concesse erant. Qui ibidem Deo servientes, per Gabrielis archangeli admonitionem, Ecclesiam in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ construxerant. Cumq; fidem Christi constanter prædicarent, rex barbarus cum gente suâ tam nova audiens & inconsueta, omninò prædicationi eorum consentire renuebat, nec paternas traditiones commutare volebat: quia tamen de longè venerant, ad petitionem eorum quandam insulam sylvis paludibusq; circumdatam ad inhabitandum concessit. Erat enim portio illa duodecim hidarum: & quandam capellam (ut præmittitur) ex virgis torquatis construxerunt anno post passionem Domini XXXI.

Hæc [h] Iohannes Tinmuthensis in Sanctilogio Britanniæ, & ejus exscriptor Iohannes Capgravius in Novâ Legenda Angliæ, sed prudenter præmisso hoc prologo. *Quæ inferiùs digesta sunt, apud Glastoniam ex libris monasterij illius excerpsi: quæ si veritatem sapiant, lectoris arbitrio relinquo.* & hoc ad extremũ subjecto epilogo. *Ego verò in præscriptis & dubijs, & in sequentibus nonnullis, auctoritatem discutiendi & definiendi mihi non præsumo: sed tanquam relator simplex, quæ in diversis libris & locis cum laboribus & difficultate sedulus indagator reperire potui, ardua peritis ventilanda relinquens, sine invidiâ communico.*

[h] Io. de Tinmouth. & Io. Capgrav. in vitâ S. Patricij.

Polydorus Vergilius, vir naris emunctioris, sublatis crassioribus illis monachorum fabulamentis, historiam hanc ita proponit. [i] *Ioseph ille, qui, teste Matthæo Euangelistâ, ab Arimathæâ civitate erat oriundus, Christi corpus sepelierat, sive casu, sive consilio, ita volente Deo, cum non parvo comitatu, in Britanniam venit: ubi tam ipse, quàm ejus socij, cùm de euangelio prædicarent, atq; dogma Christi sedulò docerent, multi per hæc ad veram pietatem traducti, salutiferaq; fruge imbuti, baptizati sunt. Isti viri certè divino spiritu afflati, cùm à Regè parùm terræ ad inhabitandum (proximè Wellam oppidum, circiter millia passuum quatuor) dono accepissent, ibi novæ religionis prima jecerunt fundamenta, ubi hodiè est templum magnificum cœnobiumq; monastica familiæ D. Benedicti ordinis nobile. loco nomen est Glascenia. Hæc omnia*

[i] Polyd. Angl. hist. lib. 2.

ninò Christianæ pietatis in Britanniâ extitere primordia; quam deinde Lucius rex, sicut paulò post dicemus, prope extinctam baptismi fonte sublatus mirabiliter accendit, pieq; adauxit. nam Gildas testis est, Britannos jam inde ab initio orti Euangelij, Christianam recepisse religionem. Hæc Polydorus. Et ante eum [k]Richardus Lepidus Bartholinus. *Nec me præterit* (inquit) *Iosephum ab Arimathæâ, cùm à Iudæis nequiter in carcerem ductus fuisset, & à Deo Optimo Maximo miraculosè liberatum taliter ut nusquam posteà in Iudeâ visum fuisse. Nam, ut Annalium scriptores prodiderunt, in Britanniam transmigravit; ibiq; & cultum Christi docuit, & multa sui monumenta in valle Avalonis, quæ adhuc visuntur, reliquit.*

[k] Lepid. epist. ad D. Robertum Wingfeld. edit. Lovan. an. 1517.

Eadem etiam de Iosephi adventu refert Thomas Scropus, Dromorensis quondam in Hiberniâ episcopus, capite septimo libri quem de Carmelitani ordinis antiquitate scripsit. & Thomas Harfeldius, in Breviario regum Anglorum: ubi Faganum & Duvianum (sive Diruvianum) Lucij regis temporibus in insulâ Avalloniæ *antiquam Ecclesiam à discipulis Christi fabricatam reperisse* dicit, *cum antiquis scriptis, qualiter sanctis Apostolis ad prædicandum dispersis, sanctus Philippus in Franciam veniens duodecim ex suis discipulis in Britanniam misit; quibus & Ioseph ab Arimathiâ præfecit.* Et extat sanè adhuc magni nostri Patricij nomine, à Glastonienſibus monachis conficta Epistola (Charta ea est B. Patricij, à Malmesburiensi superiùs citata) in quâ de origine ecclesiæ quæ Anglo-Saxonibus Ealdcirc. i. *vetusta ecclesia* dicta est, ita ille differens introducitur. *Ostenderunt mihi fratres scripta sanctorum Phagani & Diruviani: in quibus continebatur, quòd duodecim discipuli sanctorum Philippi & Iacobi ipsam vetustam Ecclesiam construxerant in honore prælibatæ advocatricis nostræ* (B. Mariæ virginis) *per doctrinamentum beati Archangeli Gabrielis. Insuper & quòd Dominus eandem Ecclesiam cœlitùs in honore suæ matris dedicaverat: & quòd tres Reges pagani ipsis duodecim ad eorum sustentamentum, duodecim portiones terræ dederunt.* indeq; Malmesburiensis: *Duodecim discipulis sanctorum Philippi & Iacobi anno Dominicæ Incarnationis*

tionis LXIII. in Britanniam venientibus, tres Reges licèt pagani XII. portiones terræ contulerunt: unde adhuc nomen XII. hidarum perseverat. Hæc ille in libro de Antiquitate Glastoniensis ecclesiæ: ubi XII. harum hidarum metas cum locis præcipuis quæ intra earum limites continentur, diligenter describit. Earundem etiam in libro Censuali Guilielmi I. Anglorum regis, qui Domes-day [l] appellatur, ejusmodi fit mentio. *Ecclesia Glastingebury habet in ipsâ villâ XII. hydas quæ nunquam gel laverunt.*

Dicitur autem hida tanta terræ portio, quanta ad familiam alendam sufficiat (unde quod Beda in Ecclesiasticâ historiâ *familiam* vocat, Saxonicus illius interpres Hÿdelandeꝝ vertit) vel quanta unico per annum coli possit aratro; quemadmodum tùm ex Dunstani Chartâ anno 963. datâ (in quâ terræ partem concedit *septem* * *Aratrorum, quod Anglicè dicitur septem Hidas:*) tùm ex Matthæo Parisiensi, Henrico Huntindoniensi, Iohanne Londinensi, Thomâ Walsinghamo, & alijs nostri observant [m] Antiquarij. Tres verò istos reges paganos, *Arviragum, Marium* & *Coillum* fuisse; ad marginem libri Malmesburiensis, qui MS. habetur in Bibliothecâ Collegij S. Trinitatis Cantabrigiæ, annotatum invenio: quod ipsum etiam innuit Iohannes Capgravius; quanquam parùm hic sibi constans. In vitâ enim *Patricij* (Iohannem Tinmuthensem secutus, & Hardingum in Chronic. cap. 47.) duodecim istas hidas ab *Arvirago* concessas fuisse scribit; in Iosephi verò vitâ, à duobus illius successoribus, *Mario* Arviragi, & *Coillo* Marij filio. quos tamen reges Iohannes Hardingus paganos extitisse vix admittit. [n] *Arviragum* enim à Iosepho Arimathæensi ad fidem conversum & salutari baptismo ablutum fuisse narrat: [o] *Marium* verò & *Coillum* religione Christianâ aliquantùm imbutos, licèt ad eam quæ par erat perfectionem non pertigerint. quomodo & [p] Richardus Vitus Basinstochius, Arviragum *erga religionem Christianam bene affectum* fuisse ait: Cöelum quoq;, illius ex filio Mario nepotem, *instructum religione Christianâ parumper dum viveret, non tamen ut ad publicè præ se ferret.*

[l] *Domus Dei.* in magno Glastoniensis monasterij Registro, quod *Secretum Domini* vocatur, fol. 249. b.

* Ploughlands.

[m] Guil. Lambard in Ἀρχαιονομ. Io. Selden, in Polyolb. Cant. 11. & D. Henr. Spelman, in Glossario. verb. *Hida.*

[n] Harding. Chronic. cap. 48.

[o] Ibid. cap. 50.

[p] Vit. histor. Britann. lib. 4.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

citavimus epigrammatum libello occurrunt aliqua [u] sub tertio vel Nervæ vel Trajani Consulatu conscripta carmina; sequetur, & reliqua omnia eodem tempore fuisse composita. Et licèt sub Trajano mortem pöeta obierit: senem tamen decessisse cogitandum est, & priùs familiariter usum esse Silio Italico, secundi belli Punici scriptore: quo consulatum gerente, Neronem interijsse, & alij authores confirmant, & ipse [x] Martialis significat illis de Silio versiculis.

Postquàm bis senis ingentem fascibus annum
Rexerat, asserto qui sacer orbe fuit:
Emeritos Musis & Phœbo tradidit annos,
Próq; suo celebrat nunc Helicona foro.

Nerone verò summam rerum obtinente (& quidem, ut pluribus placet, sub finem imperij illius) à Paulo illa scripta est epistola, in quâ Timotheum salutant *Pudens* & *Linus* & *Claudia*. Sed de his in capite III. iterùm etiam erit dicendi locus.

[u] Martial. lib. 11. epigram. 5. *Et qui purpureis jam tertia nomina Fastis, Iane refers Nervæ.*
Trajanus verò post adoptionem, Nerva etiam dictus est: ut apud Ælianum, in Tacticorum Proœmio ad Hadrianum Imp. Ἐπεὶ δὲ τῷ Θεῷ πατρί σου Νέρβᾳ συμβαλεῖν, &c.
[x] Martial lib. 7 epigram. 62.

CAP. II.

De duodecim Philippi discipulis, & Iosepho Arimathæensi, Glastoniensium monachorum traditiones; veterum nominibus fucatæ, & in Europæorum generalibus Concilijs venditatæ.

AD Glastoniensium monachorum, de Iosepho Arimathæensi & ejus socijs, traditiones nunc venio: quas etsi Normannorum adventu antiquiores non existimem, & posteriorum temporum superstitionem planè redoleant; tamen qualescunque sunt, ex Guilielmi Malmesburiensis de antiquitate Glastoniensis ecclesiæ libello exhibere visum est. Sic igitur ille, (præmissâ Præfatione ad Henricum Blesensem, Henrici 1. regis ex Adelâ sorore nepotem, Wintoniensem tum Episcopum & Glastoniensem Abbatem) Archæologiam suam

am ab Apostolicis exorditur temporibus.

*Post Dominicæ resurrectionis gloriam, ascensionisq; triumphum, ac Spiritus paracliti de supernis missionem (qui discipulorum corda temporalis pœna adhuc formidine trepidantia replevit, scientiam omnium linguarum tribuendo) erant omnes credentes simul cum mulieribus, & Mariâ matre Iesu, ut Lucas narrat Euangelista: & verbum Dei disseminabatur, crescebatq; numerus credentium quotidiè; eratq; omnibus cor unum & anima una. Invidiæ ergo facibus accensi Sacerdotes Iudæorum cum Pharisæis & Scribis, concitaverunt persecutionem in Ecclesiâ, interficiendo protomartyrem Stephanum, & ferè à finibus suis omnes procul pellentes. Hâc igitur persecutionis procellâ sæviente, dispersi credentes petierunt diversa regna terrarum à Domino sibi delegata, verbum salutis gentibus propinando. Sanctus autem Philippus, ut testatur Freculphus libro 2. capitulo 4. regionem Francorum adiens gratiâ prædicandi, plures ad fidem convertit & baptizavit. Volens igitur verbum Christi dilatari, duodecim ex suis discipulis elegit, & ad euangelizandum verbum vitæ misit in Britanniam: quibus, ut ferunt, charissimum amicum suum Ioseph ab Arimathiâ, qui & Dominum sepelivit, præfecit. Venientes igitur in Britanniam anno ab incarnatione Domini sexagesimo tertio, ab assumptione beatæ Mariæ decimoquinto, fidem Christi fiducialiter prædicabant. Rex autem barbarus cum suâ gente, tàm nova audiens & inconsueta, omninò prædicationi eorum consentire renuebat, nec paternas traditiones commutare volebat: quia tamen de longè venerant, vitæq; eorum exigebat modestia; quandam insulam sylvis, rubis atq; paludibus circundatam, ab incolis Ynswitrin nuncupatam, in lateribus suæ regionis ad habitandum concessit. Posteà etiam alij duo Reges Papani successivè compertâ vitæ eorum sanctimoniâ, unicuiq; eorum unam portionem terræ concesserunt; ac ad petitionem ipsorum, secundùm morem gentis, * Brevi dictas duodecim hidas confirmaverunt. Unde & duodecim hida per eos adhuc, ut creditur, nomen sortiuntur.*

* literis.

Prædicti itaq; sancti in eodem deserto conversantes, post

 pusillum

pusillum temporis visione Archangeli Gabrielis admoniti sunt ecclesiam in honore sanctæ Dei genitricis & virginis Mariæ, in loco cælitùs eis demonstrato construere. Qui divinis præceptis non segniter obedientes, secundùm quod eis fuerat ostensum, quandam capellam, inferiùs per circuitum virgis torquatis muros perficientes, consummaverunt in anno post passionem Domini tricesimo primo, post assumptionem gloriosæ Virginis decimo quinto, ex deformi quidem schemate, sed Dei multipliciter adornatam virtute. Et cùm hæc in hâc regione prima fuerit; ampliori eam dignitate Dei filius insignivit, ipsam videlicèt in honore suæ matris dedicando. Duodecim igitur sancti sæpiùs memorati, in eodem loco Deo & beatæ Virgini devota exhibentes obsequia; vigiliis, jejuniis & orationibus vacantes, ejusdem Virginis auxilio ac visione (ut credi pium est) in omnibus necessitatibus refocillabantur. Hæc autem ita se habere, tùm ex Chartâ beati Patricij, tùm ex scriptis seniorum cognoscimus.

Addit præterea Malmesburiensis, ad Glastoniensis ecclesiæ antiquitatem comprobandam, & sequens testimonium. *Monachus quidam Glastoniæ, Godefridus nomine, (de cujus epistolâ hoc capitulum assumpsimus) tempore Henrici Blesensis, abbatis Glastoniensis, cùm in pago Parisiacensi apud sanctum Dionysium moraretur; senior quidam ex monachis interrogavit eum; Quo genus, unde domo? Respondit, Normannum, è Britanniæ monasterio quod Glastingeia dicitur, monachum. Papæ, inquit, an adhuc stat illa perpetua Virginis & misericordiæ matris vetusta ecclesia? Stat, inquit. Tùm ille lepido attactu caput G. Glastoniensis demulcens, diu silentio suspensum tenuit; ac sic demum ora resolvit. Hæc gloriosissimi martyris Dionysij ecclesia, & illa de quâ te asseris, eandem privilegij dignitatem habent: ista in Galliâ, illa in Britanniâ uno eodem tempore exorta, à summo & magno Pontifice consecrata. Uno tamen gradu illa supereminet: Roma etenim secunda vocatur.*

Refert Cæsar Baronius y ex Actis Mariæ Magdalenæ & sociorum, dispersione factâ post mortem Stephani, *Lazarum,*

y Baron. Annal. tom. 1. an. 35. §. 5.

rum, Mariam Magdalenam, Martham, & Marcellam pedisequam, in quos Iudæi majori odio exardescebant, non tantùm Hierosolymis pulsos esse, sed unà cum Maximino discipulo, navi absq; remigio impositos, in certum periculum maris fuisse creditos: quos divinâ providentiâ Massiliam tradunt appulisse. Additq; ex historiâ Anglorum, quæ manuscripta habetur in Bibliothecâ Vaticanâ, sed (quod ille tacet, & nos suo loco patefaciemus) nostris temporibus scriptâ, *comitem ejusdem discriminis Iosephum ab Arimathâ nobilem Decurionem, quem tradunt (inquit) ex Galliâ in Britanniam navigâsse, illicq; post prædicatum Euangelium diem clausisse extremum.* Quod autem de Philippi in Gallijs apostolatu habet Freculphus à Malmesburiensi citatus; ex Isidori libro de Patribus utriusque testamenti cap. 14. ad verbum expressit. Apud utrumq; enim legimus, Philippum Gallis prædicâsse Christum, *barbarasq; gentes vicinasq; tenebris, & tumenti Oceano conjunctas, ad scientiæ lucem, fideiq; portum deduxisse.* Neque hic mihi [a] Baronij conjectura placet, Isidori ista à Gallis nostris ad Galatas Asiaticos traducentis: multoq; minùs, imperi operum Isidori editoris, Iacobi Breulij temeritas, *Galatis* pro *Gallis* in ipso textu (sine ullâ veteris lectionis commemoratione) reponentis. Nam præterquàm quòd Isidorus in hoc ipso opere cap. 82. & in officio Toletano [a] (quod Gothicum & Mozarabum vulgò appellatur:) itemq; Iulianus Toletanus archiepiscopus in [b] Nahum prophetam scribens, & Beda (vel quicunq; author sint *Collectaneorum & Florum* ad calcem tertij tomi operum ipsius adjectorum) Philippo *Gallias* assignant: idemque *Gallis prædicavisse Christum* legitur, in libello de festis Apostolorum, qui in Hieronymiano Martyrologio MS. habetur (ex quo pleraq; omnia in librum suum de Patribus novi Testamenti transcripsit Isidorus:) illa Barbarorum gentium *Oceano* conjunctarum mentio, Europæos Gallos, non Gallo-Græcos ab Isidoro intellectos esse satis evincit.

[a] Baron. tom. 1. an. 44. §. 32. et cum secundis Iacobus Valdesius, de dignitate reg. Hispan. cap. 6. § 56.

[a] Offic. Mozarab. in festo S. Iacobi tomo 21 Auctarij Bibliothecæ Patrum, edit. Parisian. 1610. col. 1659.

[b] ibid col 1057

Quòd verò Iosephi Arimathæensis operâ in gentibus Britan-

Britannicis ad fidem perducendis Philippus usus fuerit, id totum ex Glastonienſium monachorum lacunis hauſtum eſt: à quibus & barbari illi manârunt verſiculi, ex Chronicis quibuſdam, de rege Arvirago agentibus [c] citati.

[c] Ioh. Capgrau. in vitâ Ioſephi. Tabula magna Glaſtonienſis.

Intrat Avalloniam duodena caterva virorum;
Flos Arimatheæ Ioſeph eſt primus eorum.
Ioſephes ex Ioſeph genitus patrem comitatur;
His aliiſq; decem jus Glaſtoniæ propriatur.

atq; [d] ex alijs, paris elegantiæ, iſti:

[d] Ex Appendice Chronici Glaſtonienſis, MS. in Bibliothecâ Cottonianâ.

Ioſeph cum ſocijs juſſit tranſire Philippus
Ad terram Britonum divinum promere verbum.
* *Fert hos camiſia qui promiſſum tenuerunt:*
Navigio cateri terræ mox applicuerunt.
Regi conſuluit Ioſeph tunc credere Chriſtum:
Arviragus renuit rex hoc, nec credit in ipſum.
Glaſtonia bis ſex hidas dedit Arviragus rex;
Ioſeph cum ſocijs jura reliquit eis.
Anno trigeno primo poſt vulnera Chriſti,
Eccleſiam virgis faciunt cum laudibus iſti.

* Habetur inepriſſima hæc fabella in magnâ Glaſtonienſis Eccleſiæ Tabulâ, & apud Capgravium in vitâ Ioſephi.

Habetur & hodiè Welliæ in ædibus D. Thomæ Hugonis equitis aurati, Tabula ænea, columnæ Glaſtonienſis eccleſiæ olim affixa: cui inciſum legitur. *Anno poſt paſſionem Domini XXX. duodecim ſancti (ex quibus Ioſephus ab Arimatheâ primus erat) huc venerunt, qui Eccleſiam hujus regni primam in hoc loco conſtruxerunt, quam Chriſtus in honorem ſuæ matris & locum pro eorum ſepulturâ præſentialiter dedicavit.* Eſt etiam penes nobiliſſimum virum, D. Guilielmum Howardum (Thomæ Norfolciæ Ducis filium) ingens Tabula, Glaſtonienſes antiquitates undiq; conquiſitas complectens: in quâ, inter alia fabuloſiſſima, & iſta legimus. *Ioſeph ab Arimathia beati Philippi apoſtoli diſcipulatui ſe contulit, atq; ejus ſalubri doctrinâ affluenter refertus & ab ipſo cum filio ſuo Ioſephe baptizatus eſt. Poſteà verò à beato Iohanne Apoſtolo ipſi prædicationi Epheſiorum inſudante, beatæ perpetuæq; Virginis Mariæ paranymphus delegatus eſt; ejuſdem quoq; gloriosæ Virginis venerandæ aſſumptioni cum*

beato

beato Philippo cæteriſq; diſcipulis interfuit, atq; ea quæ de Domino Ieſu Chriſto atq; ejus glorioſâ genitrice Mariâ audierat & viderat inſtanter per diverſas regiones prædicans, ac multos convertens & baptizans; tandem decimo quinto poſt eandem glorioſam aſſumptionem anno, cum memorato filio ſuo Ioſephe ad ſanctum Philippum in Gallias venit. Ac deinde ſecundùm quod legitur in libro qui dicitur Graal, Ioſeph ab Arimathiâ, qui Dominum ſepelivit, baptizatus à beato Philippo Apoſtolo venit in majorem Britanniam, ſibi & ſemini ejus promiſſam, cum uxore, & filio Ioſephe nomine, quem ipſe Salvator noſter in civitate Saraz priùs in Epiſcopum conſecraverat.

Sequuntur deinde portenta illa, quæ in vitâ Ioſephi refert Capgravius ex eodem nugaciſſimo libro, *qui ſanctum Graal appellatur*, cujus author Guillelmo Malmisburienſi paulo videtur fuiſſe poſterior; licèt ab Helinando Cluniacenſi, Frigidi montis in Galliâ monacho, ad annum Salutis DCCXX. referatur. Sic enim ille in Chronico; à [e] Vincentio Bellouacenſi citato. *Hoc*, inquit, *tempore in Britanniâ cuidam eremitæ monſtrata eſt mirabilis quædam viſio per Angelum, de ſancto Ioſeph Decurione nobili, qui corpus Domini depoſuit de Cruce, & de catino illo vel de paropſide, in quo Dominus cœnavit cum diſcipulis ſuis, de quo ab eodem eremitâ deſcripta eſt hiſtoria, quæ dicitur de Gradali. Gradalis autem vel Gradale Gallicè dicitur ſcutella lata, & aliquantulùm profunda, in quâ pretioſæ dapes cum ſuo jure divitibus ſolent apponi, gradatim unus morſellus poſt alium in diverſis ordinibus; & dicitur vulgari nomine Graal, quia grata & acceptabilis eſt, in eâ comedenti; tùm propter continens, quia fortè argentea eſt, vel de aliâ pretioſâ materiâ; tùm propter contentum, id eſt, ordinem multiplicem dapum pretioſarum. Hanc hiſtoriam Latinè ſcriptam invenire non potui: ſed tantùm Gallicè ſcripta habetur à quibuſdam proceribus, nec facilè (ut aiunt) inveniri poteſt.*

[e] Vincent. Specul. Hiſtorial. lib. 23. cap. 147.

Multa verò inde in fabuloſa regis Arthuri Acta, linguâ Anglicanâ à le edita, tranſtulit Thomas Maiſorius: qui

Sangreal vocem hîc usurpat, ad *sanguinis realis* notionem proximè accedentem. Pretiosissimum enim illum sanguinem, quem in Cruce effudit Servator noster, nescio ubi repositum, Arthurem invenisse fingit; additis alijs non minùs prodigiosis narrationibus, quarum meminisse piget pudetq;.

[f] MS. in Bibliothecâ Cottonianâ.

In [f] Chronico Glastonienſi anno 1259. exarato, ſcriptum legimus. *Anno ab Incarnatione LXIII. diſcipuli ſanctorum Philippi & Iacobi apoſtolorum venerunt in Britanniam: à quibus primum Oratorium in inſulâ Avalloniæ, in honore S. Mariæ fuit conſtructum, in anno poſt aſſumptionem ejuſdem quinto decimo.* & in [g] alio, à monacho cœnobij S. Auguſtini Cantuarienſis anno 1406. conſcripto. *Rex Ina fuit primus fundator monaſterij Glaſtonienſis. Monachi tamen ibidem aliam prætendunt fundationem à Rege Arvirago filio Kimbelini Regis Britonum, in cujus tempore Chriſtus Ieſus de Mariâ Virgine natus fuit. Et quod ab Arthuro Rege dotatum fuit pluribus poſſeſſionibus.* Item in *libro de prærogativis & dignitatibus ordinem monaſticum concernentibus*, qui a Thomâ Walſinghamio ſcriptus putatur. *S. Philippus apoſtolus Ieſu Chriſti miſit in Britanniam duodecim prædicatores, quorum primus & præcipuus fuit Ioſeph ab Arimathiâ, qui Chriſtum ſepelivit. Qui Glaſconiam venientes, acceperunt poſſeſſionem hidarum duodecim, ab Arvirago nobili rege Britanniæ, adhuc Paganiis erroribus involuto. Hi per Gabrielis Archangeli admonitionem, eccleſiam in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ conſtruxerunt anno poſt paſſionem Domini triceſimo primo.*

[g] MS. M. Roberti Harzei.

Iohannes Tinmuthenſis, ex Glaſtonienſis monaſterij libris, ita rem narrat. *Ex quo Apoſtoli in regiones diverſas erant diviſi ad prædicandum verbum vitæ, ſanctus Philippus Apoſtolus regionem Franciæ cum ſuis diſcipulis ſortitus eſt: de quibus miſit in Britanniam duodecim (quorum primus erat Ioſeph ab Arimathiâ, qui & Dominum ſepelivit) anno ab incarnatione Domini ſexageſimo tertio, & ab aſſumptione ſanctæ Mariæ quintodecimo: quibus duodecim hida ab Arvirago paga-*

vicis erroribus decepto concesse erant. Qui ibidem Deo servientes, per Gabrielis archangeli admonitionem, Ecclesiam in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ construxerunt. Cumq; fidem Christi constanter prædicarent, rex barbarus cum gente suâ tam novæ audiens & inconsuetæ, omninò prædicationi eorum consentire venuebat, nec paternas traditiones commutare volebat: quia tamen de longè venerant, ad petitionem eorum quandam insulam sylvis paludibusq; circumdatam ad inhabitandum concessit. Erat enim portio illa duodecim hidarum: & quandam capellam (ut præmittitur) ex virgis torquatis construxerunt anno post passionem Domini XXXI.

Hæc [h] Iohannes Tinmuthensis in Sanctilogio Britanniæ, & ejus exscriptor Iohannes Capgravius in Novâ Legenda Angliæ, sed prudenter præmisso hoc prologo. *Quæ inferiùs digesta sunt, apud Glastoniam ex libris monasterij illius excerpsi: quæ si veritatem sapiant, lectoris arbitrio relinquo.* & hoc ad extremũ subjecto epilogo. *Ego verò in præscriptis & dubijs, & in sequentibus nonnullis, auctoritatem discutiendi & definiendi mihi non præsumo: sed tanquam relator simplex, quæ in diversis libris & locis cum laboribus & difficultate sedulus indagator reperire potui, ardua peritis ventilanda relinquens, sine invidiâ communico.*

[h] Io. de Tinmouth. & Io. Capgrav. in vitâ S. Patricij.

Polydorus Vergilius, vir naris emunctioris, sublatis crassioribus illis monachorum fabulamentis, historiam hanc ita proponit. [i] *Ioseph ille, qui, teste Matthæo Euangelistâ, ab Arimathæâ civitate oriundus, Christi corpus sepelierat, sive casu, sive consilio, ita volente Deo, cum non parvo comitatu, in Britanniam venit: ubi tam ipse, quàm ejus socij, cùm de euangelio prædicarent, atq; dogma Christi sedulò docerent, multi per hæc ad veram pietatem traducti, salutiferaq; fruge imbuti, baptizati sunt. Isti viri certè divino spiritu afflati, cùm à Rege parùm terræ ad inhabitandum (proximè Welliam oppidum, circiter millia passuum quatuor) dono accepissent, ibi novæ religionis prima jecerunt fundamenta, ubi hodiè est templum magnificum cœnobiumq; monastica familiæ D. Benedicti ordinis nobile. loco nomen est Glastonia. Hæc omnino*

[i] Polyd. Angl. hist. libr. 2.

nimò Christianæ pietatis in Britanniâ extitere primordia; quam deinde Lucius rex, sicut paulò post dicemus, prope extinctam baptismi fonte sublatus mirabiliter accendit, pieq; adauxit. nam Gildas testis est, Britannos jam inde ab initio orti Euangelij, Christianam recepisse religionem. Hæc Polydorus. Et ante eum [k]Richardus Lepidus Bartholinus. *Nec me præterit* (inquit) *Iosephum ab Arimathæâ, cùm à Iudæis nequiter in carcerem ductus fuisset, & à Deo Optimo Maximo miraculosè liberatum taliter ut nusquam postea in Iudæâ visum fuisse. Nam, ut Annalium scriptores prodiderunt, in Britanniam transmigravit; ibiq; & cultum Christi docuit, & multa sui monumenta in valle Avalonis, quæ adhuc visuntur, reliquit.*

[k] Lepid. epist. ad D. Robertum Wingfeld, edit. Lovanian. 1517.

Eadem etiam de Iosephi adventu refert Thomas Scropus, Dromorensis quondam in Hiberniâ episcopus, capite septimo libri quem de Carmelitani ordinis antiquitate scripsit. & Thomas Harfeldius, in Breviario regum Anglorum: ubi Faganum & Duvianum (sive Diruvianum) Lucij regis temporibus in insulâ Avalloniæ *antiquam Ecclesiam à discipulis Christi fabricatam reperisse* dicit, *cum antiquis scriptis, qualiter sanctis Apostolis ad prædicandum dispersis, sanctus Philippus in Franciam veniens duodecim ex suis discipulis in Britanniam misit; quibus & Ioseph ab Arimathiâ præfecit.* Et extat sanè adhuc magni nostri Patricij nomine, à Glastonienſibus monachis conficta Epistola (Charta ea est B. Patricij, à Malmesburiensi superiùs citata) in quâ de origine ecclesiæ quæ Anglo-Saxonibus Ealdcirc. i. *vetusta ecclesia* dicta est, ita ille differens introducitur. *Obtulerunt mihi fratres scripta sanctorum Phagani & Diruviani: in quibus continebatur, quòd duodecim discipuli sanctorum Philippi & Iacobi ipsam vetustam Ecclesiam construxerant in honore prælibatæ advocatricis nostræ* (B. Mariæ virginis) *per doctrinamentum beati Archangeli Gabrielis. Insuper & quòd Dominus eandem Ecclesiam cœlitùs in honore suæ matris dedicaverat: & quòd tres Reges pagani ipsis duodecim ad eorum sustentamentum, duodecim portiones terræ dederunt.* indeq; Malmesburiensis: *Duodecim discipulis sanctorum Philippi & Iacobi anno Dominicæ Incarnationis*

is LXIII. in Britanniam venientibus, tres Reges licèt pa-
XII. portiones terræ contulerunt: unde adhuc nomen
. hidarum perseverat. Hæc ille in libro de Antiqui-
Glastoniensis ecclesiæ: ubi XII. harum hidarum me-
cum locis præcipuis quæ intra earum limites conti-
tur, diligenter describit. Earundem etiam in libro Cen-
i Guilielmi 1. Anglorum regis, qui Domesday [l] appel-
r, ejusmodi fit mentio. *Ecclesia Glastingebury habet in ip-*
illâ XII. hydas quæ nunquam gel laverunt.

Dicitur autem hida tanta terræ portio, quanta ad fami-
n alendam sufficiat (unde quod Beda in Ecclesiasti-
historiâ *familiam* vocat, Saxonicus illius interpres
oelandeꝝ vertit) vel quanta unico per annum coli pos-
aratro; quemadmodum tùm ex Dunstani Chartâ anno
3. datâ (in quâ terræ partem concedit *septem* * *Aratro-*
,quod Anglicè dicitur septem Hidas:) tùm ex Matthæo Pa-
ensi, Henrico Huntindoniensi, Iohanne Londinensi, Tho-
Walsinghamo, & alijs nostri observant [m] Antiquarij.
es verò istos reges paganos, *Arviragum, Marium* & *Coil-*
fuisse; ad marginem libri Malmesburiensis, qui MS. ha-
tur in Bibliothecâ Collegij S. Trinitatis Cantabrigiæ,
notatum invenio: quod ipsum etiam innuit Iohannes
pgravius; quanquam parùm hic sibi constans. In vitâ e-
m *Patricij* (Iohannem Tinmuthensem secutus, & Hardin-
m in Chronic. cap. 47.) duodecim istas hidas ab *Arvirago*
ncessas fuisse scribit; in Iosephi verò vitâ, à duobus illi-
successoribus, *Mario* Arviragi, & *Coillo* Marij filio. quos
men reges Iohannes Hardingus paganos extitisse vix
lmittit. [n] *Arviragum* enim à Iosepho Arimathæensi ad fi-
em conversum & salutari baptismo ablutum fuisse nar-
t: [o] *Marium* verò & *Coillum* religione Christianâ aliquan-
m imbutos, licèt ad eam quæ par erat perfectionem non
ertigerint. quomodo & [p] Richardus Vitus Basinstochi-
s, Arviragum *erga religionem Christianam bene affectum* fu-
se ait: Cöelum quoq;, illius ex filio Mario nepotem, *instru-*
um religione Christianâ parumper dum viveret, non tamen ut
l publicè præ se ferret.

[l] *Domus Dei.* in magno Glastoniensis monasterij Registro, quod *Secretum Domini* vocatur, fol. 249. b.

* Ploughlands.

[m] Guil. Lambard in Ἀρχαιονομ. Io. Selden, in Polyolb. Cant. 11. & D. Henr. Spelman, in Glossario, verb. *Hida.*

[n] Harding. Chronic. cap. 48.

[o] Ibid. cap. 50.

[p] Vit. histor. Britann. lib. 4.

Patricij discipulus Gildas Albanius, *de victoriâ Aurelij Ambrosij* librum scripsisse dicitur: quem de rebus à Ioseph & socijs apud Glastonienses gestis authorem citat Foxus noster. Iohannes Capgravius, in vitâ Ioseph, *Melkinum* addit; quem *ante Merlinum* fuisse ait. Ejus hæc producuntur verba, quæ ex varijs exemplaribus descripta hîc exhibemus, licèt quæ legantur prorsùs indigna. *Insula Avallonis avida funeris paganorum præ ceteris in orbe ad sepulturam eorum omnium sperulis prophetiæ vaticinantibus decorata, & in futurum ornata, erit altissimum laudantibus. Abbadare potens in* * *Saphat, paganorum nobilissimus, cum centum & quatuor millibus, dormitionem ibi accepit. inter quos Ioseph de* † *Mærmore (ab Arimathiâ nomine) cepit somnum perpetuum. Et jacet in lineâ bifurcatâ juxta meridianum angulum Oratorij cratibus præparatæ super potentem adorandam Virginem, supradictis sperulatis locum habentibus tredecim. Habet enim secum Ioseph in sarcophago duo fassula alba & argentea, cruore Prophetæ Iesu & sudore perimplata. Cùm reperietur ejus sarcophagum integrum, illibatum, in futuris temporibus videbitur; & erit apertum toti orbi terrarum. Ex tunc nec aqua nec ros cœli insulam nobilissimam habitantibus poterit deficere. Per multum tempus ante diem judicialem in Iosaphat erunt aperta hæc & viventibus declarata.* Hunc *Mevinum* Britannum Chronographum appellat Iohannes Hardingus in Chronico suo Pœmate, cap. 50, & 51. pro quo *Nenij* nomen, cap. 48. irrepsit: ubi bellam istam ex eo recitat fabellam, quòd Iosephus Arvirago regi pro gentis Britannicæ insignibus Crucem, quæ Georgiana postea dicta est, in clypeo argenteo depictam tradiderit.

¶ Io. Fox. Act. & monum. lib. 1. & 2.

* al. *Masphat*

† al. *Marmaria*

Verùm & otio meo & Lectoris parientiâ abutar, si nugacissima cómenta, quæ ex stramenticijs ejusmodi scriptis tùm ab Hardingo & Capgravio, tùm in magnâ Glastonienſium tabulâ de Iosepho referuntur, commemorem. Illud minimè prætercundum, quòd in Europæorum nostrorum Synodis generalibus, quando de Britannici regni dignitate cum Gallis & Hispanis habita est controversia;

ad

anc de Iosepho traditionem provocare subinde soliti
Anglicanæ gentis oratores. Agitata est hæc quæstio
o 1409. in Pisano primùm, deinde anno 1417. in Con-
rienſi Concilio: ex quo excerpta est *Nobilissima disce-
io super dignitate & magnitudine Regnorum Britannici &
lici, habita ab utriusq; oratoribus & legatis in Concilio
ſtantienſi*; Lovanij anno 1517. typis excusa. Eam ex A-
Concilij in ipsâ urbe Constantienſi asservatis edendam
avit D. Robertus Wingfeldius eques auratus, Henrici
II. Anglorum regis ad Maximilianum Imperatorem o-
or: quam etiam in duobus *MSS. ejusdem Concilij ex-
plaribus invenimus. Hîc verò quum in 30ma Sessione
ta esset hæc quæstio: *an juri & rationi consonum sit, æqui-
are regnum Angliæ regno Franciæ in Concilio generali:*
dignitate Ecclesiæ Anglicanæ, inter alia allegatum est,
ò *statim post passionem Christi Ioseph ab Arimathiâ, no-
is decurio, qui Christum de cruce deposuit, cum XII. sociis vi-
um Domini de manè colendam, Angliam videlicèt ingressus
& populos ad fidem convertit. Quibus rex XII. hidas terræ
dioceſi Bathonienſi pro victu, assignavit: qui in monasterio
aſtonienſi Bathonienſis dioceſis, ut scribitur, tumulantur. Su-
r quibus XII. bidis prædictis dictum monasterium antiquitùs
tatum dignoscitur. Sed regnum Franciæ tempore sancti Di-
yſij & ejus ministerio fidem Christi recepit.*

Idem etiam in Senenſi Concilio anno 1424. à Richardo
emmingo Lincolnienſi episcopo (& Lincolnienſis Col-
gij apud Oxonienſes conditore) propositum est; quum
verſus Hiſpanos, Scotos & Gallos coram Martino V. ab
nglis renovata esset hæc controverſia. Sed in Basileenſi
ræcipuè Concilio, anno 1434. inter Oratores regis An-
liæ & Castellæ efferbuit hæc contentio: ubi quæ noſtris
âc in parte ab Alphonſo Garsiâ de sanctâ Mariâ (Legum
octore, ac Compoſtellanæ & Segobienſis eccleſiarũ deca-
o) objecta sunt, ex schedis Cottonianis visum est propo-
ere, & examinare. *Oratores Regis Angliæ* (ait ille) *tamin
reſentiâ veſtratum reverendiſsimarum Paternitatum, quàm
in*

* Eorum alterum habetur in Bibliothecâ Regiâ: alterum (quod Petri Bembi Cardinalis aliquando fuerat) in privatâ D. Henrici Wottonij V. Cl.

in sacrâ deputatione Reformatorij, dixerunt præferendos se propter antiquiorem susceptionem fidei Christianæ. Nam dicunt, quòd ille nobilis decurio Ioseph ab Arimathiâ unâ cum aliis, anno XV. post assumptionem gloriosæ virginis Mariæ venit in Angliam, & magnam ejus partem ad fidem Christi convertit. & pòst non longo tempore à passione Christi, Eleutherius Papa regnum Angliæ totaliter convertit ad fidem.

Ad primum verò illud de Iosepho respondet. *Iò. per interemptionem. Nego enim* (inquit) *Ioseph illum venisse in Angliam. Ille ergo qui dicit, probat: juxta* l. Ei qui ff. de proba. *Producatur ergo in medium aliqua historia vel scriptura authentica.* IIò. *per probabilitatem contrariam. Nam licèt ei qui negat non incumbat probatio:* (ut l. actor. C. de proba.) *tamen interdum probatur negativa per judicium; quando habet comitantiam temporum.* (at l. optimam C. contrahentium & com. stipu.) *In hoc ergo casu bene potest probari hæc negativa per scripturam contrariam. Continetur enim in Floribus Sanctorum, sub Legendâ Iacobi minoris, contrarium. Hoc legitur quoq; quod Titus intrans Hierusalem, quemdam murum densissimum vidit, ipsumq; perforari jussit: & intùs quendam senem repererunt, qui dixit se esse Ioseph ab Arimathiâ, & se ibidem esse inclusum à Iudæis quia Christum sepelìsset, & quod usq; ad tempus istud cœlesti cibo sit pastus. In Euangelio tamen* Nicodemi *dicitur, quòd Christus eum liberavit post resurrectionem suam, & in Arimathiam duxit. Potest autem dici quòd eductus cùm à prædicatione non cessaret, iterùm sit ab ipsis Iudæis inclusus. Hæc ubi suprà. Cùm ergo Ioseph fuerit incarceratus tanto tempore apud Ierusalem, impossibile est eum fuisse in Angliâ, cùm sit magna distantia. IIIò. potest dici, quòd licèt hoc fuisset verum, (quod tamen non fuit) non sequitur ergo quòd totum ollum illud susceperit fidem. IIIIò. dicitur, dato illo quod negatur, adhuc tamen Hispani primò susceperunt fidem quod probatur: quia Iacobus martyrium subijt vivente Petro. Scriptum est enim de Herode, quòd occidit Iacobum gladio, & apposuit ut apprehenderet Petrum, Actuum 12. Sed constat, quòd Petrus passus est sub Nerone. Nero autem*

fuit

prope annum Domini 54. *& Titus fuit prope annum*
nini 80. *Iam certum est quòd si Ioseph fuisset in Angliâ,*
fuisset postquàm de carcere fuisset liberatus per Titum, &
st 80*um annum à Nativitate Domini: & Iacobus mor-*
est ante Neronem pluribus annis, quasi prope quadrage-
m annum à Nativitate Domini. & Hispania suscepit
à Iacobo, vivente eo, vel statim in sepultur â ejus; ut su-
dixi. Ergo Hispania est in fide antiquior. Hæc ad pa-
Basileensis Concilij Alphonsus Garsias: in quibus
dam sunt levia admodùm, nonnulla etiam oppidò ri-
ula.

d primam ejus responsionem quod attinet: historias
cripta antiqua Iosephi ad Britannos legationem confir-
ntia, quantâ potuimus diligentiâ superiùs collegimus,
in medium produximus. Quibus jam addimus ora-
um & legatorum Regis Angliæ, in hâc ipsâ Synodo
positam assertionem. *Certum est in Angliâ reperiri in*
is antiquissimis & archivis, præcipuè in archivis abbatiæ
bilis Glastonensis, diocesis Bathonensis; quòd Ioseph ab
imathiâ cum duodecim sociis, (aut ex persecutione Hero-
â, vel præsidum Romanorum in Iudeâ) ad Angliam ve-
est. Ibidem, quæ de Christo viderat & audierat prædi-
t, & prædicando plures convertit; convertendo, multa &
ita sibi, ab illis quos converterat ad fidem collata, conquæsi-
conquæsitâ postea templo Christo per eum erecto reliquit:
hoc, tempore quo Petrus in Antiochiâ prædicavit fidem:)
d templum à Ioseph erectum, in locum religiosum & abba-
em dignitatem translatum est, & laus Christi per notabile
nasterium preservatur ad præsens.

Probabilitatem contrariam, quam secundo loco urget,
gamus omnino esse probabilem. Neque enim aliquem
die tam stultè credulum esse existimamus, cui absurdis-
um illud commentum, de Iosepho muro incluso, *proba-*
videri possit. *& de Legende aureâ* au hore (Iacobo de
oragine, [t] ex cujus arcolis fætidi isti *Sanctorum flores*
t decerpti:) in ipsâ Hispaniâ à [u] Ludovico Vive &

[t] Iacob. Ianuens. in legendâ S. Iacobi minoris.

[u] Vives, de causis corrupt. artium, lib. 2.

[t] Melchiore Cano jamdudum lata est sententia; *ferrei oris* eum virum fuisse, atq; *plumbei cordis*.

[t] Can. de locis Theolog. lib. 11. cap. 6.

Tertium illud, quòd *totum* Britanniæ regnum Iosephi ministerio fidem non susceperit, verum quidem est, sed ad rem non pertinet. Nam nec totum regnum Hispaniæ à Iacobo conversum fuisse ipsi Hispani dicent; nec integra regna ab ullo Apostolorum Christiana facta esse constat: & de *antiquitate* non de *universalitate* susceptionis fidei instituta est quæstio.

Quartum verò & postremum, partim incertis partim falsis nititur fundamentis. Iacobi prædicationem in Hispaniâ, inter incerta posuit Rodericus Ximenius Toletanus archiepiscopus, in Concertatione quam anno 1215. in Lateranensi Concilio cum præsule Compostellano de Primatu habuit. Ejus verba (à Garsiâ Loaisâ è libro MS. bibliothecæ Toletanæ edita) hæc sunt. [u] *Si inducat* (Compostellanus) *primam divini verbi promulgationem, & plurimorum conversionem ad fidem Christi in Hispaniâ* (per Iacobum factam:) *qui divinam paginam noverunt, testimonium perhibeant. Ego tantùm legi, datam ei fuisse potestatem prædicandi in Hispaniâ; sed interim, cùm per Iudæam & Samariam divinam legem seminaret, sub Herode Hierosolymitis truncato capite exhalavit animam, & Domino reddidit. Quomodo ergo ibi prædicavit, quò nondum ingressus est? aut sine prædicatione, quos, obsecro, convertit ad Dominum?* Nec ex parte alterâ certum est, (quantumvis id ita esse affirmet Alphonsus) *quòd si Ioseph fuisset in Angliâ, hòc fuisset postquàm de exercere libertatem fuisset per Titum, & sic post octuagesimum annum à nativitate Domini*. A Tito enim, anno æræ Christianæ (non octogesimo sed) septuagesimo eversam esse Hierosolymam certum est: quæ verò de Iosepho Arimathæensi tunc per eum liberato pro certis assumuntur, nugæ sunt nugerrimæ.

[u] Collect. Concil. Hispan. à Loaisâ edit. pag. 281. & Concil. edit. Colon. an. 1618 tom. 2. part 2. pag. 317. 318. Vide Baron. Annal. tom. 9. an 816 §. 49. 50, 51, 52. & Bibliothec. Floriacensi Ioannis à Bosco, part. 2. pag. 284.

Antiquitates Glastonienses Iosephi adventum ad annum Christi LXIII. referunt: quem ab assumptione beatæ Virginis XV. fuisse tradunt. Oratores Angli (ut diximus)

s) in Basileensi hoc Concilio, templum à Iosepho in
tanniâ erectum asserunt, *tempore quo Petrus in Antio-*
prædicavit fidem: & in Constantiensi, *statim post passio-*
Christi eundem Britanniam ingressum esse, & populos
idem convertisse defendunt. Quod & cum ipsius Io-
ni ætate (qui Domino passionem adeunte inter Iudæos
nator honoratus fuerat) & cum ijs quæ initio ex Gildâ
empore summo Tiberij Cæsaris produximus, bene qua-
t. Iohannes enim Hardingus indignus est, cujus hîc ul-
abeatur ratio: [y] qui Iosephum per ipsos quadraginta
s à Christi morte annos, non quidem in muro, sed in
phæ carcere detentum, sine omni cibo & potu vixisse;
nde à Vespasiano liberatum, & in Britanniam anno
risti LXXVI. perductum, ibiq; regi Arvirago & conjugi
us Genissæ (quæ Claudij Imperatoris filia fuisse fingi-
) commendatum fuisse fabulatur. Iohannes Balæus (Os-
iensis aliquando apud Hibernos episcopus) eodem illo
o ex vitâ hâc migrâsse eum scribit. *In sanctâ senectute*
nquit) *Iosephus inter discipulos tandem quietam morte car-*
dormitionem accepit, in Avalonicâ solitudine sepultus,
o à Christi incarnatione LXXVI. Mario regnante in Bri-
niâ. Posteà translatum est ejus corpus ad Glasconiense mo-
horum collegium, & in pretiosâ thecâ repositum.

Extat vetustus Catalogus Sanctorum in Angliâ sepulto-
n Saxonicè scriptus, ac Latine, à Gotcelino Bertiniano
nachò Cantuariensi, Anselmi archiepiscopi diebus edi-
: & de reliquijs in Glastoniensi monasterio repositis li-
lus alter, Henrici III. Anglorum regis temporibus exa-
us. In neutro verò Iosephi ulla occurrit mentio. Anno
mùm 1345. à Iohanne Blomæo Londinensi, cujusdam
elationis sibi factæ prætextu, ab Edvardo III. *Licentia*
eram licorpus Iosephi ab Arimathiâ impetrata est: quam,
Archivis Regijs [a] in arce Londinensi asservatis à me
scriptam, Lectori communicare non gravabor.

Rex omnibus ad quos &c. Salutem. Supplicavit nobis Io-
nnes Blome de London, ut cùm sibi (sicut asserit) divinitùs

[x] Marc. 15. 43. ἐνδοξὸς βουλευτὴς: quod à vulgato interprete, *nobilis decurio*, redditur. de quo videndus commentarius B. Hieronymi in Matth. cap. 27. & Ludovici de Dieu V. C. in Marc. 15.

[y] Io. Harding. Chronic. cap. 47.

[z] Bal. script. Britan. Centur. 1. cap. 22.

[a] Patent. an. 19 Eduard. III. part. 1. membran. 8.

sit injunctum, ut venerandum corpus decurionis nobilis Ioſephi ab Arimathiâ, quod infra ſepta monaſterij Glaſtonienſis in Chriſto quieſcit humatum, & eſt ad honorem & multorum ædificationem his temporibus revelandum, quæras donec inveniat diligenter. Et quia in quibuſdam antiquis ſcripturis dicitur contineri corpus ejus ibidem fuiſſe ſepultum. Nos ſi ſit ita deſiderantes monumentum ejus, & venerandas ipſius reliquias, qui redemptori noſtro morienti tantum exhibebat pietatis & humanitatis obſequium, corpus ejus de cruce deponendo, & illud in monumento ſuo novo ponendo, devotis honoribus prævenire; et ſperantes nobis et toti regno noſtro ex revelatione prædictâ gratiam uberiorẽ provenire: conceſſimus et licentiã dedimus (quantum in nobis eſt) eidem Iohanni quòd ipſe infra præcinctũ dicti Monaſterij fodere, & illas pretioſas reliquias juxta injunctionem & revelationem ſibi factam quærere valeat in locis ubi melius viderit expedire: dum tamen abſq; damno dilectorum nobis in Chriſto, Abbatis & Conventus dicti Monaſterij, & ruinâ Eccleſiæ & domorum ſuarum ibidem id fieri valeat; & quòd ad idipſorum Abbatis & Conventus licentiam habeat & aſſenſum. In cujus &c. Teſte Rege apud Weſtmonaſter. VIII. die Junij. Per ipſum Regem.

Quem habuerit eventum iſta inquiſitio, non invenio: ab his tamen qui Glaſtonienſe monaſterium viderunt eſt proditum, & ſacellum ibi Ioſephi nomini dicatum, & tumulum etiam poſitum fuiſſe, hoc inſcriptum Epitaphio.

Ad Britones veni, poſtquàm Chriſtum ſepelivi;
docui, requievi.

Quibus adde, ſi libet, & Guilielmi Goodi Ieſuitæ narrationem, qui Henrico VIII. regnante Glaſtoniæ natus & puer educatus eſt. [b] *Glaſconia extabant* (inquit) *lamina aneæ ſculpta ad perpetuandam memoriam, ſacella, cryptæ, cruces, arma, obſervatio feſti S. Ioſephi ad VI. Kalendas Auguſti, quamdiu Monachi Regum chartis munitiſſimè gaudebant: nunc omnia cum ruinis confuſa perierunt. Nemo tamen Monachorum unquam ſcivit certum locum ſepulchri hujus Sancti, vel deſignavit. Reconditum abditiſſimè dixerunt, vel ibi,*

[b] Eduard. Maihew Congregat. Anglican. ordinis Benedicti, Tabul. 2. pag. 1118. 1119

vel in monte, qui monti acuto vicinus, & cui nomen Dam-
hill: *& futurum, ut quando reperietur corpus ejus, uni-*
us eò mundus confluat p. a magnitudine & numero mira-
rum quæ fient.

t inter cætera memini me vidisse Glasconiæ in cruce lapideâ
e sub Reginâ Elizabeth â subversâ fuit) laminam æneam
uâ scribebatur, Ioſephum ab Arimathæâ trigesimo anno
passionem Christi venisse in Britanniam cum undecim vel
decim sociis, permissumq, ei ab Arviragio Rege, Glasconiæ
tunc erat in insula dicta Avalonia, habitare, tanquam soli-
viros & simplices: & quòd attulerit secum duo vasa ar-
tea non grandia, in quibus erat de sanguine & aquâ sacra-
mâ, quæ profluxerat de latere Christi mortui. Crux au-
ista erecta est ante multos annos ad denotandam longitu-
em sacelli ab eodem Sancto Ioſepho ex vimineis cratibus
tructi in honorem Beatissimæ Virginis; deductâ scilicèt li-
rectâ à medio illius crucis ad latus sacelli postea lapidibus
dratis exædificati: sub quâ item erat olim illud sacellum
cti Ioſephi in cryptâ subterraneâ. Foris autem in muro
us sacelli B. Virginis erant in lapide sculpta vetustissimis li-
is hæc duo verba, IESVS, MARIA. Et confir-
nt antiqua arma Glasconiensis Monasterij, quæ sunt hujus-
di. Scutum album in quo per longum erigitur stipes crucis
idis & nodosæ, & de latere ad latus extenduntur brachia seu
ni crucis stipiti consimilia. Spærguntur guttæ sanguinis per
nem aream scuti. Utrinq, ad latera stipitis, & sub alis cru-
ponitur ampulla inaurata. Et hæc semper denominabantur
ignia Sancti Ioſephi: qui ibi habitâsse piè credebatur, & for-
sè sepultus esse.

Eundem cum socijs ibi fuisse sepultum, in magnâ Gla-
onienſium Tabulâ ita traditum invenio. *Ibi requiescunt*
II. discipuli: quorum primus & custos fuit Ioſeph ab Arima-
â, qui Dominum sepelivit. Multi ex paganis per eos ad fidem
hristi conversi ac baptizati ibidem requiescunt, quorum, præ-
er eorum multitudinem, non est numerus. Quis verò inde usq;
d Lucij regis tempora loci illius status fuerit, Malmesbu-

[c] Guil. Malmesbur. de antiquitat. Glaston. & eum secutus Iohannes de Tinmouth, & Capgravius in vitâ Patricij.

rienſis his verbis edocet. [c] *Sancti igitur memorati in eâdem eremo ſic degentes, effluentibus multis annorum curriculis carnis e gaſtulo ſunt educti: idemq; locus cœpit eſſe ferarum latibulum, qui priùs fuerat habitatio ſanctorum.*

CAP. III.

De Taurino, Eutropio, Timotheo, Novato, Praxede, Pudentianâ, Marcello, & Lucio primo Bavarorum et Rhetorum doctore. De tempore quo Lucius in Britanniâ regnaviſſe dicitur, variantes authorum ſententiæ, & in quâ inſulæ parte imperium ille obtinuerit.

[a] Guil. Harriſon. in Deſcrip. Britan. lib. 1. cap. 7. ex Vincent. Speculhiſtorial. lib. 10 cap. 17. vel potius 76. Vid. Magdeburgenſ. Centur 2. cap. 10. col. 228.

SUnt qui [a] Taurinum Eboracenſem epiſcopum primis hiſce Chriſtianiſmi temporibus martyrium pertuliſſe putent: Vincentij Bellouacenſis eam in rem producto teſtimonio. Verùm ex ipſo Vincentio apparet, non *Eboracenſium* in Britanniâ, ſed *Ebroicenſium* in Galliâ, Taurinum fuiſſe epiſcopum: ut [b] tabularum Ebroicenſium, [c] Martyrologij Romani, [d] Orderici Vitalis, [e] Radulphi de Diceto, [f] Antonini, & aliorum teſtimonia huc advocare neceſſe non ſit. quanquam etiam in [g] Werneri Laërij Faſciculo *Eboracenſis* ille epiſcopus appelletur; & in [h] Hartmanni Schedelij Chronico, inter eos qui ſub Trajano floruerunt, non ſolùm *Thaurinus epiſcopus Eboracenſis* recenſeatur, ſed etiam *Eutropius epiſcopus Cantu.* qui tamen non alius accipiendus videtur, quàm ille Santonicæ urbis in Galliâ epiſcopus; cujus (præter alios) in 1. libro de gloriâ Martyrum, cap. 56. Gregorius Turonenſis meminit.

[b] Demochar. de Miſſâ, lib. 2. cap. 21.

[c] Martyrolog. di. 11. Auguſt.

[d] Orderic. Eccleſiaſtic. hiſtor. lib. 3. pag. 555.

[e] Dicet. Chronic. MS. ad an. Dom. 90.

Rhetis & Bavaris Euangelium *Lucius* quidam primus annuntiaſſe dicitur: quem [i] alij Britannicum regem fuiſſe

[f] Antonin. hiſtor. part. 1. titul 6. cap. 28. §. 4.

[g] Wern. Faſcic. tempor. ad ann. Chriſti 94.

[h] Schedel. Chronic. in 6. ætate mundi, fol. 112. edit. Norimberg. ann. 1493. Vid. M. Velſerum, rer. Auguſt. Vindelic. lib. 6. ad ann. Dom. 179. Gaſp. Bruſchium de Germaniæ epiſcopat. cap. 1. Sebaſt. Munſter. Coſmograph. lib. 2. pag. 510. Achillem Gaſſarum, in Auguſtanæ urbis deſcript. ibid. pag. 600. Guil. Eiſengrenium Centenar. 2. part. 4. diſtinct. 7. & Petrum Meyerum Cratepolinum, in Trevirenſi archiepiſcoporu Catalogo, num. 10. aſſerunt,

fferunt, alij negant; alij Lucium Cyrenæum fuisse pronun-
iant, cujus apud Lucam in [k] Actis fit mentio. Eundemque
ofum Lucium Cyrenæum alij Simonis illius [l] qui Christo
rucem portavit, filium, alij (in quibus est [m] Aventinus)
auli commilitonem & cognatum (cujus ipse in epistolâ
d [n] Romanos meminit) fuisse censent: alij etiam eum rege
ritannico confundunt. Nec desunt, qui Lucium hunc
ritannicum à Timotheo S. Pauli discipulo baptizatum fu-
le tradant. Ita Petrus Equilinus: [o] *Lucius beatus confes-
r fuit rex Britanniæ, baptizatus à Timotheo discipulo sancti
auli. Qui regno composito & bene ordinato, relictis omnibus
ecularibus pompis, multisq; ad Deum conversis; veniens per
lugustam in civitatem Curiæ, multis ad vitæ perfectionem exem-
plo & doctrinis inductis, die 11° Decembris in pace quievit:*
t dicit frater [p] *Bartholomæus.* Et Iohannes Nauclerus: [q] *In-
enio* (inquit) *in Legendâ sancti Timothei apostoli, quòd ve-
erit in Britanniam, & Lucium ejus gentis regem cum totâ in-
ilâ ad fidem Christi converterit. Et illud magis concordat
Legendæ sancti Lucij, quæ habetur in ecclesiâ Curiensi, ubi fuit
piscopus & martyrio coronatus.* [r] Henricus Pantaleon simi-
iter ex Ecclesiæ Curiensis Annalibus. *Quoniam Apostolo-
um discipuli passim per terrarum orbem Christo Ecclesiam col-
gerent, factum est ut etiam Britannia à S. Pauli auditoribus
b idolorum cultu ad Christum converteretur. Itaq; factum est
S. Lucius Timothei discipulus, & ex regio Britannorum
anguine prognatus, sibi proposuerit plures homines in errore
erseverantes Christo lucrificare. Propterea Rhenum ascen-
ens ubiq; Euangelium prædicavit, atq; demùm in Boiuariam
erveuit.* &c.

Hîc verò notandum est, præter Timotheum illum, ad
utem à B. Paulo binæ scriptæ sunt Epistolæ, alium etiam à
riptoribus commemorari ejusdem Pauli discipulum, qui
d Antonini Pij Imperatoris, & Pij Episcopi Romani
mpora vitam produxisse dicitur. Quâ ratione ejusdem
rè cum Polycarpo fuisset ætatis, qui (testante [s] Irenæo)
Apostolis edoctus, & conversatus cum multis ex iis qui Do-
minum

[k] Act. 13. 1.
[l] Marc. 15. 21.
[m] Io. Aventin. Annal Boior. lib 2.
[n] Rom. 16. 21.
[o] Petr. de Natalib. lib. 1 cap. 24.
[p] Bartholomæus Anglicus (ut videtur) in Chronico de Sanctis.
[q] Naucler. Chronographi. volum. 1 generat. 6.
[r] Pantal de viris illustr. German part. 1.
[s] Irenæ. lib. 3. cap. 3. Euseb. lib. 3. cap. 30. (Græc. 35) lib. 4. cap. 13. (Græc. 14.) & lib. 5. cap. 24. (Græc. 26.)

minum nostrum viderunt, Romam tamen sub Aniceto Pij successore venit, & [c] septimo demùm anno Marci Aurelij Veri (successoris Antonini Pij) nobili martyrio vitam consummavit. De Timothei hujus exitu in epistolâ [d] Pio I. Romano episcopo inscriptâ ita legimus. *Presbyteri illi qui ab Apostolis educati usq; ad nos pervenerunt, cum quibus simul verbum fidei partiti sumus, à Domino vocati, in tabulis aternis clausi tenentur. Sanctus Timotheus & Marcus per bonum certamen transierunt.* Utrumq; sub Antonino Imperatore martyrio coronatum esse, ex antiquis [e] Ecclesiasticis tabulis refert Baronius: qui tamen non Antoninum Pium (c intra cujus imperium omnes Pij episcopi annos comprehensos esse ex Eusebio intelligimus) sed Marcum Aurelium, qui vulgo Antoninus Philosophus appellatur, hîc intelligendum esse statuit; ut suas ipsius hypotheses, quibus primorum urbis Romæ episcoporum tempora mirè turbavit, tueatur.

[c] Euseb. lib. 4. histor. cap. 14. (Græc. 15.) & in Chronico.
[d] Pij epist. 1. ad Iustum Vicanens. episc. in Orthodoxograph. & tom. 1. Concil. edit. Binij, an. 166. pag. 70.
[e] Martyrolog. Roman. die 24. Mart. Baron Annal. tom. 2. an. 166 § 3.

In vetere Romanæ Ecclesiæ Martyrologio quod suo præmittendum curavit Ado, ad XII. Kalendas Iulij, Romæ celebrari dicitur natalis *Novati, fratris Timothei presbyteri, qui ab Apostolis eruditi sunt.* Idem etiam in suis Martyrologijs habent Beda, Usuardus, Ado, & Notkerus, ad eundem diem. Addit Usuardus, *horum sorores fuisse beatam Potentianam & Praxedem, sacras virgines Christi.* quod non in [f] Iacobi Ianuensis tolùm Legendâ & [g] Petri Equilini Sanctorum Catalogo, & [h] Antonini Chronico, sed in novo quoq; Martyrologio Romano traditum invenio: u [i] Raphaelem Volaterranum præteream, qui Novato quidem eundem quem Praxedi & Potentianæ patrem Pudentem assignat, sed Pudentem cum totâ domo *sub Antonino Imperatore à Pio Pontifice* primum Christianum factum esse asserit. licèt Pudentem illum, cujus in posteriore epistolâ ad Timotheum facta est mentio, unâ cum Paulo sub Nerone capite truncatum fuisse, in fine Synopseos suæ affirmet Dorotheus. Petri Equilini verba hæc sunt: *Novatus discipulus fuit illustrissimi generis urbis Romæ, Pudentis discipuli*

[f] Iacob. de Voragine, in Legendâ SS. Praxedis & Potentianæ.
[g] Petr. de Natalib. lib. 5. cap. 130.
[h] Antonin. Chron. tit. 6. cap. 18 § 2.
[i] Volaterran. Anthropolog. lib. 18.

Paulo

Pauli Apostoli filius, & frater Timothei presbyteri: quorum sorores fuerunt sancta Potentiana & Praxedis. Martyrologij Romani ista: *XII. Kalend. Iulij, Romæ depositio sancti Novati, filij beati Pudentis senatoris, et fratris sancti Timothei presbyteri, et sanctarũ Christi virginum Pudentianæ et Praxedis, qui ab Apostolis eruditi sunt in fide.* ubi Baronius in notationibus, ex horum Actis à Pastore presbytero scriptis apparere ait, Timotheum & Novatum *filios Pudentis senatoris, fratres verò prædictarum sanctarum Virginum* extitisse. At neque ex illis quæ hinc excerpta vel Martyrologio suo [c] Ado vel Annalibus suis inseruit ipse [d] Baronius, neque ex antiquissimis Pseudo-Pastoris illius exemplaribus quæ in Cottonianâ Bibliothecâ videre contigit, quicquam ejusmodi colligere potui. In his quidem Pudentiana & Praxedes germanæ, Timotheus & Novatus germani appellantur: sed hos illarum fuisse germanos nusquam dicitur.

[c] Ado in Martyrolog. 12 Kalend. Iulij.
[d] Baron. an. 162. §. 2.

Baronius [e] tamen quatuor hisce non unum solùm patrem Pudentem, (quod ab alijs quoque factum ostendimus) sed unam etiam matrem Priscillam (non alium, opinor, quàm seipsum authorem hîc secutus) satis confidenter assignat. Verùm tum in Actis Potentianæ sive Pudentianæ Manuscriptis (quæ à Pastore etiam illo ad Timotheum scripta finguntur) tum in Vitâ Pudentis apud [f] Petrum Equilinum: *Priscilla* non uxor sed mater Pudentis, *Sabinella* mater Pudentianæ & Praxedis, uxor verò Pudentis statuitur. quorum prius de Priscillâ illud, in suis etiam manuscriptis Pudentianæ Actis reperiri agnoscit ipse [g] Baronius: posterius hoc de Sabinellâ, in Martyrologijs etiam Bedæ, Adonis & Notkeri (ad XIV. Kalend. Iunij) legitur. Quòd si Timotheum & Novatum Pudentis filios fuisse admittamus: Claudia fortassè Britanna (ex quâ liberos aliquot Pudentem fuscepisse, Martialis author est) mater illis assignanda videretur, potiùs quàm Priscilla. (Sabinellæ enim filios fuisse nemo dicit) atque ita minùs esset mirandum, quòd convertendi Britannos curam Timotheus hic in se susciperet, si ipse Britannicâ satus fuisset origine. Lucij certè

[e] Id. an. 159. §. 8. & 166. §. 2.
[f] Petr. de Natalibus, Catalog Sanctor. lib. 5. cap. 14.
[g] Baron. Martyrolog. Romanum Ianuar. 16

regis conversio ultra Pij episcopi Romani tempora (quibus Timotheum vixisse ostendimus) protendi non potest: si verum sit quod in [h] Britannicâ historiâ est traditum, eum *ab hâc migravisse vitâ anno ab Incarnatione Domini centesimo quinquagesimo sexto.* Id enim post Galfridum Monumethensem affirmant Iohannes Castoreus, Thomas Harfeldius, Ponticus Virunnius, authores Annalium Wigornienſium, Halensium, & aliorum anonymorum complurium.

[h] Galfrid. Monumethens. de gestis Briton. lib. 1. cap. 2.

Sed non est dissimulandum, de tempore conversionis Lucij miram reperiri inter scriptores discordiam. *Centum firmè annis à partu Virginis*, eam contigisse pronuntiat Paulus Iovius in descriptione Britanniæ. [i] Albertus Crantzius sub *Alexandro primo ejus nominis summo Pontifice* factum esse notat: Ninius, sub antecessore illius Euaristo. *Anno*, inquit, *Dominicæ Incarnationis* CLXIIII°. *Lucius Britannicus Rex cum universis regulis totius Britanniæ baptismum susceperunt; missâ legatione ab Imperatoribus Romanorum, & à Papâ Romano Euaristo.* vel ut habet antiquissimum exemplar Cottonianum: *Post centum & sexaginta septem annos post adventum Christi, Lucius Britannicus Rex cum omnibus regulis totius Britannicæ gentis baptismum suscepit; missâ legatione ab Imperatore Romanorum, & à Papâ Romano Euaristo.* quæ temporibus pessimè divisa esse, nemo non videt. Euaristum enim undecimo Trajani anno, qui fuit æræ Christianæ 108us, Gallo & Braduâ Consulibus vivere desijsse, ex Eusebio & libro Pontificali constat: anno verò 164°. & 167°. duo fratres Marcus & Lucius Aurelius simul Romanum Imperium administrârunt; sed episcopatum nondum adeptus est Eleutherius, sive (ut in vetustis codicibus rectiùs appellatur) Eleutherus, sub quo Lucium primùm Christo nomen dedisse, tum apud omnes communiter authores, tum in uno etiam ipsius Ninij exemplari scriptum invenio. Venerabilis Beda libro 1° Historiæ Anglorum, cap. 4° ita rem explicat. *Anno ab Incarnatione Domini centesimo quinquagesimo sexto, Marcus Anton-*

[i] Crantz. Metropol. lib. 1. cap. 6.

Antoninus Verus, quartus decimus ab Augusto, regnum cum Aurelio Commodo fratre susceepit. Quorum temporibus cùm Eleuther vir sanctus pontificatui Romanæ Ecclesiæ præesset, misit ad eum Lucius Britannorum rex epistolam, obsecrans ut per ejus mandatum Christianus efficeretur. Et mox effectum piæ postulationis consecutus est. susceptamq; fidem Britanni, sq; in tempora Diocletiani principis inviolatam integramq; quietà in pace servabant. Et in Epitome ejusdem Historiæ: *Anno Dominicæ Incarnationis centesimo sexagesimo septimo, Eleuther Romæ præsul factus quindecim annis Ecclesiam gloriosissimè rexit: cui literas rex Britanniæ Lucius mittens, ut Christianus efficeretur petijt & impetravit.*

Ex quibus duobus locis inter se collatis observo, *I.* Bedam, suas quasdam rationes secutum, exordium imperij Marci & Lucij Aurelij (quod in annum Nativitatis Dominicæ, juxta vulgarem nostram supputationem, CLXI^um incidit) ab anno Dominicæ Incarnationis CLVI^o repetere: & quidem à fine illius, ut videtur, quandoquidem ipsi circa Nonas Martij imperare inceperunt; anni verò Incarnationis in IX° Kalend. April. terminantur. *II.* Lucio Aurelio tribuere illum (cum Iulio Capitolino, Aurelio Victore, & Eutropio) annos imperij XI. non IX. ut ab alijs factum. *III.* Ad XI. illorum annorum extremum, Eleutheriani episcopatus exordium ab eo referri: ut anni 156. ex 167. subducti calculus manifestum facit. Et quidem juxta libri Pontificalis rationes initium Eleutheri ab XI° Marci anno fuisset deducendum, quo Consules fuerunt Severus & Herennianus: (erat is vulgaris nostræ æræ annus 171. juxta Bedæ verò hypothesin 167.) licèt juxta Eusebianam Chronologiam, quam nos ut veriorem sequimur, à XVI. ejusdem anno deduci debuisset, ab anno videlicèt Christi 177. sive æræ vulgatæ Dionysianæ 176. quo Consulatum gesserunt Pollio & Aper. *IIII.* Cùm Marci & Lucij Aurelij temporibus Lucium Britannorum regem epistolam misisse Beda significet; & ipsius Eleutheri initium (ut jam ostensum est) in conjuncti duorum fratrum imperij postremo anno collo-

collocet: ex illius ſententiâ, *Lucij* legationem ad primum Eleutheri annum neceſſariò eſſe referendam. id quod in Saxonicis Annalibus (quos à V.Cl. Guil. Camdeno acceptos in inſtructiſſimâ ſuâ Bibliothecâ repoſuit D. Robertus Cottonus) ita clariùs expreſſum invenio. *An.CLXVII. Eleutherus ſuſcepit Papatum, & tenuit* XV. *annos, & hoc ipſo anno miſit Lucius Britwalanorum Rex* [on ðyſſan ẏlcan geare ſende luciuſ rex brytwalana cing ⁊ bæd fulwihter. ⁊ he him ſona ſende.] Similiter & recentiores, Platina in vitâ Eleutheri, & Nauclerus in Chronographiâ, volum. 2. generat. 6. *Inito Pontificatu, ſtatim epiſtolam accepit à Lucio rege Britanno, quâ rogabatur, ut ſe ac ſuos in Chriſtianorum numerum reciperet.* Iacobus Philippus Bergomenſis, in Supplemento Chronicorum, lib. 8. *Hic in principio ſui Pontificatus à Lucio Britannico rege epiſtolam accepit, quâ rogabatur, ut ſe ſuoſq; omnes baptizare dignaretur.* Ant. Sabellicus, Enneadis 7. libro 5. & Hector Boëthius Scotor. hiſtor. lib. 5. *Cum hoc nuper dignitatem adepto, Lucius Britanniæ rex per literas egit, ut ſe & ſuos vellet Chriſtianorum numero addicere.*

Marianus Scotus (& ejus ſectator Florentius Wigornienſis) ut ut in applicatione annorum Domini ad annos Imperatorum à Bedâ, Euſebio & alijs omnibus diſcedat: initium tamen Eleutheri cum Euſebio in Chronico ad XVI. Marci (XV. habent vulgati codices, contra fidem MSS. Mariani exemplarium:) legationem Lucij cum Bedâ ad initium Eleutheri, & horum utrumq; ad Conſulatum Pollionis & Apri non malè retulit. Nec temporis, quo fides Chriſtiana à Lucio primùm eſt ſuſcepta, certior aliqua circumſcriptio inveniri poteſt inter tam multas tamq; diſcrepantes hâc de re ſcriptorum ſententias: quarum XXIII. viſum eſt ſubjicere. Aſſignant enim hîc annum Chriſti

CXXXVII. Burtonenſium Annalium interpolator.

CL. Annales de Crokyſdene; & Bartholomæus de Cotton, in tractatu de Archiepiſcopis & Epiſcopis Angliæ.

CLV.

CLV. Galfridus Malmesburiensis.

CLVI. Gotcelinus Bertinianus monachus, in majore historiâ Vitæ Augustini, cap. 32. Author libri de primo statu Landavensis Ecclesiæ: eumq; secutus Iohannes Tinmuthensis & Iohannes Capgravius in vitâ Dubricij. Thomas Rudburnus senior in Chronico minore. Thomas Stubs in libro de Eboracensibus archiepiscopis. Chronicon vetus, vocatum *Brutus*. &c.

CLVIII. Matthæus Florilegus, in historiâ anni 596.

CLXII. Marianus Scotus, Florentius Wigornienſis, & Iohannes de Taxster in suis Chronicis. Item Robertus Gloceſtrenſis in historico Poëmate de Regibus Angliæ: author historiæ Eboracensium archiepiscoporum, qui circa annum 1460. floruit; & Richardus Lepidus Bartholinus, in epistolâ ad D. Robertum Wingfeld.

CLXIIII. Antiquitatum Wintonienſis Eccleſiæ collector: & ante eum Ninius ita enim cõmuniter habent illius exemplaria: licèt in uno CXLIIII. in alio CLXVII. exaratum invenerim.

CLXV. Thomas Rudburnus junior, in majore Historiâ.

CLXVI. Guil. Malmeſburienſis, in libro de antiquitate Glaſtonienſis eccleſiæ: nec non Iohannes Tinmuthenſis & Io. Capgravius (in vitâ Patricij) ex libris Glaſtonienſis monaſterij. Item author Annalium tempore regis Stephani (ut videtur) ſcriptorum, & Annalium S. Auguſtini Cantuar.

CLXVII. Beda, & veteres Annales Saxonici, eum ſecuti. item monachus cœnobij Auguſtini Cantuar. qui ſcripſit anno 1406.) & Annalium Roffenſis eccleſiæ author, qui circa annũ 1224. claruit.

CLXIX. Henricus de Erphordiâ; & legum S. Edovardi interpolator.

CLXXV. Annales Lichfeldenſes.

CLXXVII. Dodechinus, vel quicunq; vulgatum Mariani Scoti Chronicon edidit. Hermannus Contractus in Chronico. Annales monachi de Wauerley. &c.

CLXXVIII. Radulphus de Baldoc, Londinenſis epiſcopus. in Chronico.

CLXXIX. Io. Balæus (Centur. 1. ſcript. Britan. cap. 29 ex verioribus, ut ille ait, annalibus.

CLXXXII. Io. Trithemius, in Compend. lib. 1. Annal. Polydorus Vergilius, lib. 2. Anglic. hiſtor. Georgius Lilius. & Chronicon S. Martini de Douer, MS.

CLXXXIII. Rogerus de Wendover. Cæſar Baronius.

CLXXXIIII. Chronica Britonum abbreviata, & Iohannes Flete, in libro de fundatione Eccleſiæ Weſtmonaſter.

CLXXXV. Matthæus Pariſienſis in hiſtoriâ majore. Matthæus Weſtmonaſterienſis, in Floribus hiſtoriarum. Hiſtoria Roſſenſis. Chronicon de Kirſtall. &c.

CLXXXVII. Hector Boethius, hiſtor. Scot. lib. 5. & Lanquetus.

CLXXXVIII. Annales de Lacok: & monaſterij Abbendonenſis; quibus aſtipulatur & Martinus Polonus.

CLXXXIX. Annales Saxonici (ad annum 1001. producti:)

CXC. Iohannes Hardingus, in Chronic. cap. 51. item author Eulogij: & Iohannes de Garlandiâ, in Poemate de triumphis Eccleſiæ, lib. 4.

Quanquam verò in annis æræ Dominicæ ad præſentem hiſtoriam applicandis, tanta ſit inter authores iſtos diſcrepantia: in eo tamen maximam eorum partem convenire animadverto, quod ad eundem annum & ingreſſum Eleutheri,

theri & missam ad eum à *Lucio* legationem cum Bedâ & Mariano Scoto referant. Constat autem Eleutherium anno æræ Christianæ vel *CLXXI.* juxta librum Pontificalem vel *CLXXVI.* juxta Eusebium (cujus major est authoritas) Pontificatum inijsse. Utrumvis verò sequaris, à Cæsaris Baronij & aliorum sententiâ discedendum erit, qui post mortem Marci Aurelij Antonini, sub successore ipsius Commodo *Lucij* conversionem factam esse statuunt. Id quidem primus, quod sciam, tradidit Rogerus de Wendover in Chronico, circa annũ 1235. à se edito: sed antiquiores, quibus potior habenda est fides, Beda, Ado Viennensis, (perperàm, ut alterius sententiæ patronus, à Baronio citatus) Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Gotcelinus Bertinianus, Florentius Wigornienſis, Henricus Huntingtonienſis, Radulphus de Diceto, Radulphus Niger, & alij ad Marci tempora retulerunt.

Et hæc quidem sunt quæ de temporis ratione, tantopere controversâ, dicenda habuimus. De ipso Rege, & ejus regno jam aliquid attexendum. Appellatus est ille Britannicâ quidem linguâ *Llês*, Latinâ verò *Lucius*: sive à Romanis, sub quibus vixit, prænomen illud primùm traxerit; sive ab eventu cognomen hoc illi posteà fuerit inditum. Apud Britannos enim *Lucium agnomine Lever maur, id est, magni splendoris, propter fidem quæ in ejus tempore venit* vocatum esse, in Additionibus ad Ninium author est Samuel Beulani filius. quò etiam referendi sunt illi Gildæ nescio cui poëtæ Britannico adscripti versiculi:

Inde patri Coylo succedit Lucius, orto
Lucifero prælucidior: nam lucet in ejus
Tempore vera fides, errorum nube fugatâ.

& illud Alexandri Necchami, in libro de laudibus divinæ Sapientiæ, distichon:

Prima Britannorum fidei lux Lucius esse
Fertur, qui rexit mœnia Brute tua.

Nec hoc prætereundum, repertos esse in Angliâ duos antiquissimos nummos, (argenteum unum quem habuit M. Iosephus

Iosephus Hollandus, aureum alterum quem inter D. Roberti Cottoni κειμήλια vidimus:) Christiani regis, (uti ex signo Crucis apposito colligitur) imagine, & literis obscurioribus, quæ L V C denotare videbantur, insignitos.

In Britanniâ verò regnâsse Lucium, omnes consentiunt: indeq; *Britanniam omnium Provinciarum primam publicitùs, Christi nomen recepisse*, notant [k] Sabellicus, [l] Polydorus Vergilius, [m] Georgius Lilius, & [n] Reginaldus Polus Cardinalis. quod etiam à nostris anno 1434. in Concilio Basilecnsi, legatis regis Castellæ ita objectum invenio. *Ante quemcunq; regem Castellanorum multi reges Angliæ sive Britanniæ baptizati sunt, sacrosanctam recognoscentes Ecclesiam. Unde quasi in primis cunabulis fidei, Lucius Rex Britannorum auditâ solâ fidei famâ, non vocatus non alicujus prædicatione inductus, misit suas epistolas ad Papam.* Frivolum verò est, quod contrà opponit Alphonsus Garsias Regis Castellani Orator, *hoc posse intelligi de aliâ Britanniâ quæ est citra mare:* & ratio quam affert, adhuc futilior. *Nam ut habetur in Catholicon*, (inquit) *Quando dicimus Britanniam sine aliâ adjectione, intelligitur de Britanniâ citramarinâ, ubi fertè tunc erant Reges.* Si enim per Britanniam citramarinam, *Armoricam* intelligat, quæ Francis *Britannia Cismarina* appellatur: ea certè Lucij temporibus Britannia dicta non fuit. nam diu postea,

Iul. Scaliger.

Vicit Aremoricas animosa Britannia gentes,
Et dedit impositio nomina prisca jugo.

Et post acceptum ab Armor cis illud nomen, si quis Bedam & alios gentis nostræ historicos legens, quotiescunq; *Britanniam sine aliâ adjectione* nominatam invenerit, Britanniam Armoricanam intelligendam existimet: næ ille dignus si qui ad Anticyras relegetur. Mitto quæ de sedibus episcopalibus & archiepiscopalibus in majore Britanniâ à Lucio constituris, nostri produnt Annales: alia enim gravior de Lucij regno adhuc movetur quæstio; totamne insulam, an partem ejus aliquam illud comprehenderit?

[k] Sabellic. Enead 7. lib. 5.
[l] Polyd. Angl. hist. lib. 2.
[m] Lil. Epitom. Chronic. Britan.
[n] *Nam ut historiæ tradantur, erat prima provinciarum quæ amplexa est fidem Christi.* Polus, in oratione ad R. Philippum & Mariam, in Comitijs Anglicanis, an. 1555.

Totam

Totam illi assignant nostrorum plurimi: insulas quoque omnes ad Norwegiam & Daciam usq; adjicere videtur legum Edouardi Confessoris interpolator; [a] de limitibus regni Britannici ita disserens. *Universa terra & tota, & insulæ omnes usq; Norwegiam & usq; Daciam, pertinent ad coronam regni ejus, & sunt de appendicijs & dignitate Regis: & una est Monarchia, & unum est regnum; & vocabatur quondam regnum Britannia, modò autem vocatur regnum Anglorum. Tales enim metas & fines, ut prædictæ sunt, constituit & imposuit corone regni hujus dominus Eleutherius Papa sententiâ suâ, anno scilicèt* [*] *sexagesimo septimo post passionem Christi; qui primò destinavit coronam benedictam Britannie & Christianitatem Deo inspirante Lucio regi Britonum.* Petrus Cratepolius in Trevirensiũ archiepiscoporũ Catalogo, *ejus operâ Britaninam magnâ ex parte fidem Christi professi cœpisse*; & in libello de sanctis Germaniæ, *ejus studio totum Angliam ad Christi fidem appulsam esse* scribit. [b] Reginaldus Polus Cardinalis in oratione ad Regem Philippum & Mariam (Westmonasterij in regni Comitijs habitâ) *receptam tùm publicè Christi fidem per totum Insulam* fuisse dixit. Britannos enim, *non ut cæteras gentes, quæ sensim & diuturni temporis interpositâ morâ fidem hauserunt, neq; ut in horologijs usu venire solet, quæ temporibus paulatim succedentibus horarum suarum accipiunt incrementa; sed uno eodemq; penè momento omnes simul religionem Christianam amplexatos esse.*

[a] Guil. Lambard Ἀρχαιονομία fol 10. collat cum MS. Cottoniano.

[*] CLXVII.

[b] Ex literis Iohannis Elderi ad Robertum Stuartum Cathenesiæ episcopum anno 1555 scriptis & Matth Parkero, in vitâ Poli.

Ego verò in Reverendi patris Francisci Godwini Episcopi Herefordensis sententiam libens concedo; [c] *Lucium nusquam totius Britannia Regem unquam fuisse, imò nec potioris alicujus partis ejusdem, quam tam multis ante id tempus annis Romani subegerant, & in provincia formam redegerant.* Veteres enim Britannos non uni alicui Monarchæ, sed pluribus Regibus paruisse, ex [d] Cæsare, [e] Diodoro, [f] Strabone, [g] Melâ, [h] Suetonio, [i] Tacito, [k] Dione, ipsoq; [l] Gildâ manifestum

[c] Fr. Godwin. de conver. Britan. ad Christ. cap. 1. pag. 27.

[d] Cæsar. de bello Gallico lib. 5.

[e] Diodor. Sicul. lib. 5 cap. 8.

[f] Strabo Geograph lib 4.

[g] Mela, de situ orbis, lib. 3. cap. 6. [h] Sueton. in Claudio, cap. 25. [i] Tacit. Annal. lib. 12. & 14. & in vitâ Agricolæ. [k] Dio, Cass. lib. 60. [l] Gild. epist. de excid. Britan.

eſt: & [b] meliorem partem inſulæ jamdudum in provinciam à Romanis redactam, ac non ita pridem ſub [c] Antonino Pio a cæteris indomitis gentibus interjecto vallo diremptam eſſe, nôrunt vel mediocriter in hiſce ſtudijs verſati.

Ultra vallum erat ea Britanniæ pars quæ Albania appellatur: in quâ ſub Victore I. (Eleutheri ſucceſſore) & Severo Imperatore primùm receptam eſſe fidem Chriſtianam, Scotorum tradunt hiſtorici. quanquam author Annaliū linguâ Anglo-Saxonicâ ante ſexcentos annos ſcriptorū, hanc ipſam Eleutheri & Lucii hiſtoriam ad Severi tempora referat; quem anno Domini C L X X X I X. imperium adeptum eſſe, cum [d] Bedâ affirmat. Nec deſunt, qui in hâc inſulæ parte quam Britanni liberè poſſederunt *Lucium* regnâſſe exiſtiment; & [e] Tertullianum hîc teſtem advocent ſub Severi imperio ſcribentem, *Britannorum inaccesſa Romanis loca Chriſto ſubdita.*

In citeriore tamen inſulæ parte à *Lucio* Chriſtianam fidem propagatam fuiſſe, communis ſcriptorum noſtrorum eſt ſententia: pro quâ etiam facit, quod de Cambrobritannis refert Gotcelinus Bertinianus monachus; eos Auguſtino Romano legato ſeſe oppoſuiſſe, illi [f] *velut in acie non ſolùm repugnantes, verumetiam ſuos uſus omnibus præeminentiores, ſancti Papæ Eleutherij auctoritate pronuntiantes.* allegantes inſuper [g] *ſuas ceremonias non ſolùm à ſancto Eleutherio Papâ primo inſtitutore ſuo ab ipſâ penè infantiâ Eccleſiæ dicatas, verùm à ſanctis patribus ſuis Dei amicis & Apoſtolorum ſequacibus hactenus obſervatas; quas non deberent mutare propter novos dogmatiſtas.* Ita Galfridus Monemuthenſis, de eâdem Auguſtini legatione verba faciens; libro 8°. Hiſtoriæ Britannicæ, cap. 4. *In parte Britonum adhuc vigebat Chriſtianitas; quæ à tempore Eleutherij Papæ habita, nunquam inter eos defecerat.* Similiter ſcribit Rogerus de Wendover, ejuſque ſequaces Matthæus Pariſienſis, Matthæus Weſtmonaſterienſis, & Roffenſis hiſtoriæ author, ad annum gratiæ 596. [h] Giraldus denique Cambrenſium ſuorum

[b] Appianus in procemio hiſtor. Τῆς Βρεττανίας νῆσον τὸ κράτιστον ἔχοντες ὑπὲρ ἥμισυ, οὐδὲν τῆς ἄλλης δέονται. οὐ γὰρ εὔφορος αὐτοῖς ἐστιν οὐδ' ἣν ἔχουσι.

[c] Iulius Capitolinus, in Antonino Pio. *Britannos per Lollium Vrbicum legatum vicit, alio* (præter illum ſc. quem priùs extruxerat Hadrianus) *muro ceſpititio ſubmotis barbaris ducto.*

[d] Beda, lib. 1. hiſt. cap. 5.

[e] Tertull. in lib. adverſ. Iudæos, cap. 7.

[f] Gotcelinus in hiſtoriâ minore Vitæ Auguſtini cap. 24.

[g] Idem, in hiſtoriâ majore cap. 32.

[h] Girald. deſcript. Cambriæ, lib. 1. cap. ult.

rum laudabilia describens; *Olim*, inquit, *longeq́, ante excidium Britannicum (quia per annos circiter ducentos) per Faganum & Damianum ad petitionem Lucij Regis ab Eleutherio Papâ in insulam transmissos, in fide fundati sunt & solidati.*

Neqae est quòd miremur, illis temporibus in Romanâ provinciâ Regi Britannico locum esse potuisse. Nam præterquam quòd imperante Marco arma in Romanos sumpserint Britanni, (adversus quos *Calphurnium Agricolam* missum esse author est [i] Iulius Capitolinus:) tenendum est, Romanos ut Iudæis & alijs Provincialibus compluribus, ita & Britannis Reges suos concessisse. Indeque apud Tacitum legimus, [k] *Regem Icenorum Præsutagum, longè opulentiâ clarum*, Neronem hæredem scripsisse; *tali obsequio ratum, regnum & domum suam procul injuriâ fore: & Cogiduno Regi* posteà civitates aliquot in Britanniâ donatas, [l] *ut veterè ac jam pridem receptâ Populi Romani consuetudine haberet instrumenta servitutis & Reges.* Atque ut hoc ipso tempore de quo agimus, *Lucium Verum* Imperatorem in Oriente confecto bello Parthico, *regna regibus, provincias verò comitibus suis regendas dedisse*, docet [m] Capitolinus: ita hîc *Lucium Pium, Coili filium amicum, Romanorum fautorem, Cæsaris Marci Antonini Veri tum benevolentiâ, tum authoritate, Britannis post patrem imperâsse*, non malè scripsit [n] Balæus noster. Addit [o] idem, posteà *Britannis ademptam fuisse publico & perpetuo Romanorum decreto dignitatem regiam*: quod etiam à Scotorum Chronographis proditum invenio, à Iohanne Fordono quidem obscuriùs, ab Hectore verò Boëthio (quem secutus videtur Balæus) multo expressiùs. Fordoni verba hæc sunt, libro 2° Scotichronici, cap. 31. *Defuncto, vel, ut alibi, non comparente* Britonum *rege Lucio, post quem eorum regia stirps in Britannia regnare desijt, tribuni pro regibus constituuntur ibidem à Romanis.* Boëthij ista, libro 5° Historiæ suæ: *Post Lucium Britonum regem extinctum, cujus paulo antè mentionem feci*, (dixerat autem antea, illum *Britonibus Cæsaris benevolentiâ & authoritate imperi-*

[i] Capitolin. in *Marco.*

[k] Tacit. Annal. lib. 14. cap. 31.

[l] Idem in Vitâ Agricolæ, cap. 14.

[m] Capitolin. in *Vero.*

[n] Bal. Centur. 1. Script. Britan. cap. 29.

[o] Id. ibid. cap. 30.

tâsse,& *Romanorum fautorem* extitisse:) *Romani gnari Britannos reges, multorum in populo seditionum, & rebellionum in se fuisse authores; ut res Romana in Britanniâ foret quietior, publico vetuere decreto, ne quispiam Britannici sanguinis deinceps regiâ insigniretur dignitate.*

CAP. IIII.

De literis, quæ à rege Lucio, per legatos Eluanum & Medwinum, ad Eleutherum Romanum Episcopum missæ dicuntur. De Doctoribus Cantabrigiensibus, nec non Timotheo, Fagano, Derwiano & Aarone, qui fidem tùm Britannis feruntur prædicavisse.

DE Lucij regno satis jam dictum: quibus authoribus & quibus rationibus adductus, Christo nomen dederit, jam porrò disquiramus. Et ex Ninio quidem audivimus, baptismum eum suscepisse, *missâ legatione ab Imperatoribus Romanorum & à Papâ Romano.* Fabius Quæstor Ethelwerdus, libro 1. Annalium, eâ de re ita scribit. *Idem beatissimus Christi famulus Eleuther per nuntium & literas Lucium adiit insulæ regem, ammonens eum de fide & baptismo Catholico, qui tum Britanniæ rex potestate pollebat: qui etiam concessit verisimili ratione Christianum se esse futurum; quod & perfecit.* Ubi à Romano Episcopo consilium hoc primò profectum fuisse innuitur: cùm antiquiores authores, quod à legatis Regis Anglorum in Basileensi Concilio propositũ est potiùs cõfirment, Lucium, *auditâ solâ fidei famâ, non vocatũ, non alicujus prædicatione inductũ, misisse suas epistolas ad Papam.* Ita author libri Pontificalis (ab alijs Damasus, ab alijs Hieronymus perperàm existimatus) in vitâ Eleutheri: *His accepit epistolam à Lucio Britannico Rege, ut Christianus efficeretur per ejus mandatum.* Idem ijsdem ferè verbis, non solùm à Luithprando Ticinensi & Abbone Floriacensi in Vitis Pontificum, sed etiam à Bedâ & Adone Viennensi in Mar-

Martyrologijs suis, ad VIII. Kalendas Iunij, repetitum est. Similiter etiam in ejusdem Bedæ & Adonis Chronicis, & Annalibus Anglo saxonicè conscriptis, legitur: *Lucius Britanniæ Rex, missâ ad Eleutherum Romæ Episcopum epistolâ, ut Christianus efficiatur * obsecrat.* & apud Iohannem Fordonum, in Scotichronico: [a] *Lucius rex Britonum, ut fertur, ad Papam Eleutherum epistolam misit; obsecrans ut per ejus mandatum Christianus efficeretur.* & apud Gotcelinum Bertinianum, in majore historiâ vitæ Augustini, cap. 32. *Rex Brittonum Lucius sanctum Eleutherium, tunc temporis Papam, per epistolam suppliciter expetijt, & gratanter obtinuit; quatenus fideles doctores destinaret, qui se ac gentem suam in Christo regenerarent.*

* al. *imperat.* Adoptijs, [a] Scotichronici lib. 2. cap. 30.

Quid Lucium ad hoc permoverit, variè refertur à recentioribus. Collector Britannicarum antiquitatum (quas evulgandas curavit Matthæus Parkerus Cantuariensis archiepiscopus) *hujus temporibus, edicto Romano de abolendâ Druydum superstitione è provincijs cautum* fuisse asserit: indeq; *cæpisse eum de religione & vero Dei cultu, cujus perstudiosus fuit, inprimis deliberare.* Sed edictum ejusmodi à Romanis eo tempore fuisse promulgatum; nullus author confirmat. Thomas Rudburnus senior (in Chronico minore) & Historiolæ Wintonienſis Ecclesiæ collector, hanc tantummodò occasionem commemorant; quòd *famam Christianitatis audisset* Lucius; & author historiæ Archiepiscoporum Eboracensium (circa annum 1460. scriptæ) quòd *audisset cateras nationes fidem Christi suscepisse.* Chronicon Giseburnense; quòd *audisset de miraculis Domini nostri Iesu Christi, & de prædicatione Apostolorum:* Iohannes Castoreus, & Chronica Britonum abbreviata similiter; quòd *audisset de Apostolis Iesu Christi, & de eorum miraculis.* Radulphus Niger, in Chronico: *Vates quidam paganus in Britannia Dominicam nativitatem prædixerat: unde rex Lucius Romam pro orthodoxæ fidei doctoribus misit.* Galfridus Monemuthensis, Historiæ Britannicæ libro 2. cap. 1. *Serenaverunt mentem ejus miracula quæ tyrones Christi per diversas nationes faciebant;*

bant: unde in amorem veræ fidei anhelans, pia petitionis effectum consecutus est. quò referendum celebre illud, quod nuperrimè tum contigerat, de pluviâ in bello Marcomannico Christianorum precibus impetratâ miraculum: de quo in Apologetico suo Tertullianus. [b] *Literæ Marci Aurelij gravissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum militum precationibus impetrato imbri, discussam contestatur: qui sicut palàm ab ejusmodi hominibus* (Christianis sc.) *pœnam dimovit; ita alio modo palàm disperfit, adjectâ etiam accusatoribus damnatione, & quidem tetriore.* Ut non malè conjecerit [c] Nicolaus Harpsfeldius, has Marci literas *Lucium fortasse movisse:* licèt Rescriptum ad quod ille nos remittit, (cum Iustini Martyris operibus excusum,) [d] doctiorum calculo subleſtæ fidei censeatur.

[b] Tertul. Apol. adverſ. gent. cap. 5 Euſeb. lib. 5 hiſt. cap. 5. (Græc.) P. Oroſ. lib. 7 cap. 15.

[c] Harpſfeld. hiſtor. Eccleſiaſt. prim. ſex Centur. cap. 3.

[d] Ioſ. Scalig. Animadverſ. in Euſeb. Chron. num. 2189. Cl. Salmaſ. not. in Iulij Capitolini *Marcum.*

Cæsar Baronius, [e] in *Lucij* Actis nescio quibus hujus rei narrationem inveniſſe ſe ait, paulo fusiùs in hunc modum explicatam. *Lucius nunquam se Christiane religioni infensum exhibuit hostemve; sed quòd Christianorum miracula simul & vitæ integritatem admiraretur, in eosdem propensior videbatur: amplexus sit fuisset jam antè Christianam religionem, nisi avitâ velut nexibus obligatus esset superstitione, nisi etiam conspexisset Christianos ab Ethnicis ipsis ut infames vilesq; haberi, à Romanis ipsis apud quos summa rerum esse videbatur, & gladiis & injurijs assiduò lacerari. Comperit tamen posteà, novitq; ex Legatis Cæsaris, Senatores etiam aliquos Christianos factos esse, & inter alios Pertinacem quendam atq; Trebellium: Imperatoremq; ipsum Marcum Antelium, victoriâ eorum precibus obtentâ benignè habuisse Christianos.*

[e] Baron. Annal. tom. 2. an. 183. §. 4.

Sed fallit nos Cardinalis, cùm *hæc ex vetustioribus monumentis de Lucio prodita haberi* pronuntiat. Neq; enim ex alijs hausta ista sunt fontibus, quàm Magdeburgensium nostrorum [f] Centurijs, in quibus eandem rem, verbis alijs & quidem plenioribus, hoc modo enarratam invenimus. *Non erat omninò iniquus Lucius Christianorum religioni statim initio sui imperij. Movebatur enim nonnihil miraculis illustribus, quæ à Christianis in testimonium & ornamentum suæ do-*

[f] Centur. 2. cap. 2. col. 8.

strina passim edebantur: ut Gildas Albanius in libro de victoriâ Aurelij Ambrosij refert. Verùm ne prorsus ei assentiretur, retrahebatur avitâ suâ religione, quæ erat ethnica. Altissimè enim hærent, difficilimèq; ex animo ejiciuntur, quæ in teneris annis nobis instillata sunt. ad quod accedit, quòd natura nostra per se proclivior sit ad superstitiones, quàm ad veram Dei doctrinam, quæ apparet rationi absurdissima. Offendebatur etiam externâ specie Christianorum, quòd videret homines viles & abjectos Christianam religionem profiteri. Præcipuè verò spectabat Romanos, & ipsum adeò Imperatorem: sicut homines mundani plerunq; potentes spectare, eorumq; exemplum sequi solent. Posteaquàm igitur comperit ex legatis Cæsaris, præsentes atq; illustres quosdam ex Romanis, Trebellium nempe & Pertinacem, alios q; nonnullos Christianæ religioni accessisse, imò etiam ipsum Imperatorem Christianis æquum factum, miraculosâ pluviâ à Christianis impetratâ permotum: cæpit ipse quoq; Christianorum doctrinam attentiùs & plenius cognoscere. Hæc ibi.

Et hoc quidem nos Baronio non inviti concedimus, quod * Eusebij authoritate confirmatur, Commodo imperium gubernante, pacem omnes Ecclesias in toto terrarum orbe occupavisse; & Euangelium ita propagatum esse, ut *Romæ complures, & genere illustres & rerum affluentiâ admodùm locupletati, unâ cum omni famil. â & cognatione suâ, se ad suam ipsorum salutem amplexandam reciperent.* Sed hoc post susceptum à Lucio baptismum contigisse defendimus: quod etiam à § Iacobo Philippo Bergomensi his verbis notatum observavimus. *Lucio baptizato, data est quasi ubiq; pax Ecclesijs, & nomen Christi mirum in modum excrescere cæpit, & quam maximè Roma, ubi multi nobiles cum conjugibus & liberis baptizati sunt.*

* Eusеb. lib. 5. histor. eccles. cap. 20. (Græc. 21.)

§ Bergom. Supplem. chronic. lib. 8.

Illud verò planè ridiculum est, comperisse Lucium *ex legatis Cæsaris, Senatores etiam aliquos Christianos factos esse, & inter alios Pertinacem quendam atq; Trebellium.* Neq; enim alius fuit *Pertinax* iste, quàm ille ipse qui sub Commodo ‖ legationem obijt in Britanniâ, eiq; postea in imperio

‖ Iul. Capitolin. in Pertinac.

perio successit: quem Christianum factum fuisse nunc primùm audimus. Sed ita res se habet. Legerat in Hectore Boëthio Balæus,[i] Lucium *de Christianorum pietate & miraculis, à Romanis in Britanniâ sub Trebellio & Pertinace merentibus, permulta audisse.* Id[k] ille hunc in modum amplificat. *Erat Lucius aliquantulùm (ut apparet) in Christo paupere cum Iudæis scandalizatus. Nam licèt à centum & amplius annis propagata fuisset per Britanniam Christiana religio, ei nihilominus debito videbatur carere splendore, quòd illucusq; administrata fuisset per solos pauperes, abjectos & simplices homines, falsem non fulcita Romanâ authoritate. Quum audisset igitur per Cæsaris legatos Trebellium & Pertinacem, Romanorum illustres aliquot, acquiescente persecutione, illam admisisse; cogitabat aliquanto rem esse digniorem.* Ista neg; gentius Magdeburgensis historiæ collectores percurrentes, ipsos legatos pro illustribus illis Romanis acceperunt, à quibus religionem Christianam susceptam fuisse, Lucium per Cæsaris legatos audivisse voluit Balæus. Atq; hæc vera origo est jocularis hujus fabellæ; quam velut oraculum quoddam ex Baronij tripode obtrudit nobis[l] Robertus Personius.

[i] Hector Boeth Scot. hist lib. 5.
[k] Balæus, Centur. 1. cap. 29.
[l] Person. de Angl. convers. part. 1 cap. 4. §. 1.

Quid verò Lucium potissimùm impulerit, ut Româ doctores fidei arcesseret, apud antiquiores non invenio. In libro tantùm Abingdonensi lego; *Lucium auditâ famâ & sanctitate predicatorum in civitate Romanâ tunc temporis degentium, nuncios suos cum literis suis patentibus ad venerabilem Papam Eleutherium destinavisse quantociùs: rogantem devotissimè & supplicantem attentiùs, quatenus per mandatum & voluntatem ejus Christianus efficeretur.* Et quantâ necessitudine cum urbe Romanâ provinciales Britanni conjuncti fuerint, quæq; commercia utrinq; intercesserint, nemo ignorat: ut ad primatum Romani Pontificis hîc recurrere nihil necesse sit. Literarum verò illarum *patentium* (ut sui seculi more appellat Abingdonensis monachus) quis tenor fuerit; ex pœtâ Britannico, cui Gildæ nomen est impositum, (si placet) accipe, de Lucio sic canente.

Qui

Qui simul audierat Christi vulgâsse clientes
Verbum incarnatum, Regem de virgine natum
In cruce defunctum, vitâ post funera functum:
Scribit Eleutherio dictamina talia Papæ.
Ecce (Pater) Patrum me turbant traditiones
Qui plures fecere Deos, pluresq; penates,
Quiq; Creatori res prepositure creatas.
Idola plena dolo reor esse: potentia cœli
Non est in lignis, demon respondet in illis
Vana suis membris. Deus extat trinus & unus,
A quo, per quem, in quo sunt omnia: gloria, virtus,
Laus & honor sit ei soli per secula cuncta.
Uniat ergo Deo Christi nos unio, tanquam
Membra suo capiti: sacri baptismatis undâ
Postulo mundari, confirmariq; creatum
Plasma creatori. malè pars connectitur omnis
A toto diversa suo. Te deprecor ergo
Ut mittas aliquos in Christi lege peritos
Ad partes nostras; qui me populumq; Britannum
Informent, mundentq; sacri baptismate fontis.

Receptis his literis, Papam gratias agentem, præ gaudio cecinisse canticum Angelicum, *Gloria in excelsis Deo*; scribit Radulphus de Baldoc Londinensis episcopus, & Giseburnensis Chronici author. De legatis etiam, per quos missæ sunt literæ, in libello antiquo *De primo statu Landavensis Ecclesiæ* ita legimus. *Anno ab Incarnatione Domini* CLVI. *Lucius Britannorum rex, ad Eleutherum duodecimum Apostolicæ sedis Papam, legatos suos, scilicèt Elvanum & Medwinum misit, implorans ut juxta ejus admonitionem Christianus fieret: quod ab eo impetravit. Nam gratias agens Deo suo, quòd cùm illa gens à primo regionis inhabitatore Bruto gentilis fuerat, tam ardenter ad fidem Christi festinabat; consilio seniorum urbis Romæ placuit eosdem legatos baptizari, & Catholicâ fide susceptâ ordinari, Elvanum in Episcopum, Medwinum autem in Doctorem. Et propter eloquentiam & scientiam quam in sacris habebant scripturis, prædicatores ad Lucium in*

Britanniam reversi sunt: quorum sanctâ prædicatione Lucius & totius Britanniæ primates baptismum susceperunt, & secundùm jussum beati Eleutherij Papæ Ecclesiasticum ordinem constituit, Episcopos ordinavit, & bene vivendi normam docuit. Eadem habent in vitâ S. Dubricij, Iohannes Tinmuthensis & Iohannes Capgravius: nisi quòd illud de *Bruto* ac nonnulla alia minoris momenti omittant; & postremam periodum pluraliter proponant hunc in modum. *Lucius & totius Britanniæ primates baptismum susceperunt, Episcopos ordinârunt, & bene vivendi normam docuerunt.*

[m] Bal. Centur. 8. cap. 27. 28.

[m] Iohannes Balæus (quem hîc secuti sunt complures alij, & inter eos Harpsfeldius quoque & Pitsius) legatis istis cognomenta apponit, Eluano quidem *Avalonij*, Medwino *Belgij*: quòd *ex paludosâ disciplorum collegio, quod Avaloniæ Iosephus Arimathæensis plantaverit*, utrumq; processisse existimet, *Avalonia* verò (sive Glastonia) in Wellensium agro sita sit, quem olim *Belgæ* incolebant. [a] Iohannes Caius Cantabrigienses potiùs fuisse conjicit, ex commentitio quodam regis Arthuri diplomate, in quo *rex Britanniæ Lucius Christianitatem amplexus* esse dicitur, *prædicatione doctorum Cantabrigiæ*; & ex Burtonensibus Annalibus, in quibus scriptum esse notat. *Anno Domini* CXLI. *Hîc baptizati sunt novem ex doctoribus & scholaribus Cantabrigiæ.* unde colligit, *fuisse Gymnasium Cantabrigiæ ante Lucij tempora, & receptum Euangelium ante Lucij regnum, etsi non publicè.*

[a] Cai. de antiquit. Cantabrig. lib. 1.

[o] Harrison. Descript. Britan. lib. 1. cap. 7.

[o] Guilielmus Harrisonus ex ijsdem Annalibus narrat, *anno gratiæ* CXLI. *tempore Hadriani Imperatoris, novem scholares sive clericos Grantæ baptizatos esse in Britanniâ, & Euangelium ibidem prædicavisse.* Atqui, annus CXLI. non in Hadriani, sed in Antonini Pij imperium incidit: & illis temporibus gymnasium aliquod Grantæ aut Cantabrigiæ extitisse, somnium est, quod viris eruditis minor placere potuisse. In Burtonensibus verò Annalibus id tantàm legimus. *Anno* CLXXXVIII. *Eleutherus Papa. A quo Lucius Britannorum rex per epistolam Christianum se fieri imperavit; & mox effectum piæ petitioni consentiens est.* sed

in

in codice MS. quem in Collegij S. Benedicti bibliothecâ habent Cantabrigienses, ab alio notula est apposita, quæ *anno Domini* CXXXVII. hoc factum fuisse monet: adjectis quoque ab eâdem manu duabus annotatiunculis sequentibus. *Anno* CXXXVII. *Hic primò venit Christianitas in Britanniam. Anno* CXLI. *Hîc baptizati sunt novem ex doctoribus & scolaribus Cantabrigiæ.* Ut etiam ex ipsius Annalium interpolatoris mente, non ante, sed sub Lucij regno Cantabrigienses isti baptismum susceperint.

Nec tamen idcircò vel Hadriani vel Antonini temporibus rem Christianam, ut in reliquo ita etiam in Britannico nostro orbe, incrementa cepisse negaverim. Hadriano enim imperante, [p] *Ecclesias tanquam clarissima quædam lumina suum splendorem per totum orbem terrarum diffudisse, & fidem in Servatorem ac Dominum nostrum Iesum Christum in universo hominum genere magnoperè viguisse*, confirmat Eusebius. Addit [q] Ruffinus, *ad Romanos & Græcos, ad Scythas ac Barbaros, & ad ipsas penè in ultimis orbis partibus reconditas nationes, in tantum felicem Christianorum famam pervectam esse, ut omne hominum genus legibus & superstitionibus patrijs derelictis se ad fidem Christi converteret, omnisq; barbaries genuinâ feritate depositâ ad Iesum concurreret.* Sub Antonino autem hoc ipso argumento adversùs Tryphonem Iudæum ita pugnat Iustinus Martyr. οὐδὲ νῦν ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου ἕως δυσμῶν ἐστιν ὑμῶν τὸ γένος, ἀλλ' ἔστι τὰ ἔθνη ἐν οἷς οὐδέπω οὐδεὶς ὑμῶν τοῦ γένους ᾤκησεν. οὐδὲ ἓν γὰρ ὅλως ἐστὶ τὸ γένος ἀνθρώπων, εἴτε βαρβάρων, εἴτε Ἑλλήνων, εἴτε ἁπλῶς ᾡτινιοῦν ὀνόματι προσαγορευομένων, ἢ ἁμαξοβίων ἢ ἀοίκων καλουμένων, ἢ ἐν σκηναῖς κτηνοτρόφων οἰκούντων, ἐν οἷς μὴ διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ σταυρωθέντος Ἰησοῦ εὐχαὶ καὶ εὐχαριστίαι τῷ πατρὶ καὶ ποιητῇ τῶν ὅλων γίνονται. *Ne nunc quidem, ab oriente Sole ad occasum usq; gens vestra est: sed sunt gentes quædam ubi nondum vestri generis quisquam habitavit. Atqui ne unum quidem est genus mortalium, sive barbarorum sive Græcorum,*

[p] ἤδη δὲ λαμπροτάτων δίκην φωστήρων τῶν ἀνὰ τὴν οἰκουμένην ἀποστιλβουσῶν ἐκκλησιῶν, ἀκμαζούσης τε εἰς ἅπαν τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος τῆς εἰς τὸν σωτῆρα καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν πίστεως. Euseb. lib. 4. histor. Eccles. cap. 6.
[q] Ruffin. Ecclesiast. hist. lib. 4. cap. 8.

 seu

seu etiam aliorum omnium, quocunq; appellentur nomine, ne eorum quidem qui pro domibus plaustris utuntur ac tentoriis, agentes vitam pastoriciam; inter quos per nomen crucifixi Iesu, supplicationes & gratiarũ actiones patri & fabricatori rerum omnium non fiant. Gildas deniq; licèt in primo exortu Euangelij præcepta Christi à Britannis, suis *tepidè susceptа* esse affirmet; *apud quosdam tamen integrè, & alios minùs usq; ad persecutionem Diocletiani* permansisse asserit: ne quis ante Lucij conversionem, religionem Christianam ab Apostolis & eorum discipulis huc inductam, interijsse & extinctam fuisse existimet.

Publicè verò primùm sub Lucio & Eleuthero receptum hîc fuisse Euangelium, consentiens nostrorum historicorum est sententia. Et quidem ad opus hoc perficiendum, ipsum quoq; Eleutherum in Britanniam venisse, *in historiâ Timothei* scriptum esse referunt [r] Magdeburgenses historici: qui mihi tamen illud, non ex historiâ aliquâ Timothei, sed ex verbis Naucleri minùs rectè perceptis hausisse videntur. Ille enim hanc Lucij & Eleutheri historiam pertractans, verba illa subjicit, quæ de Timotheo isto agentes superiùs apposuimus. [s] *Invenio tamen in Legendâ sancti Timothei apostoli, quòd venerit in Britanniam, & Lucium ejus gentis regem cum totâ Insulâ ad fidem Christi converterit. Et illud magis concordat Legendæ sancti Lucij, quæ habetur in ecclesiâ Curiensi.* Ubi Timotheum, non Eleutherum, in Britanniam venisse significare voluit Nauclerus: quod Curiensis ecclesiæ Annalibus magis convenit, in quibus Lucius *Timothei* discipulus statuitur. *Hic beati Timothei D. Pauli discipuli instructione ad fidem religionemq; Christi inductus est: ut videas quàm maturè illud Regnum ad Christum concesserit.* inquit Petrus Cratepolius, in libello de Sanctis Germaniæ. & author antiquior, Notkerus Balbulus, in Martyrologio, ad VIII. Kalend. Iunij: *Romæ, Eleutherij Papæ, qui sedit in Episcopatu annis quindecim, & accepit epistolas à Lucio Britannorum rege, ut per ejus mandatum fieret Christianus. Quod & factum refertur per Timotheum virum sanctum*

[r] Magdeburg. Centur. 2. cap. 2. col. 8. 9.

[s] Naucler. Chronograph. volum. 2. generat. 6.

ctum. Sed quisnam ille Timotheus fuerit, Notkerus non explicat: an *Diaconus*, cujus memoriam *in Britanniâ* ad XII. Kalendas Iunij celebrari, idem author est; an verò *Presbyter*, cujus ipse ad XII. Kalendas Iulij ita meminit *Romæ depositio beati Novati, fratris Timothei presbyteri, qui à beatis Apostolis eruditi sunt.* de quo in superioribus satis multa diximus. *Marcellum*, qui ab anno salutis CXCI. usq, ad CCXX. Tungrorũ episcopus fuisse dicitur, [t] *Lucium Britanniæ principem totâ cum gente prædicatione suâ permovisse*, in Tungrensium episcoporum Indiculo refert Antonius Monchiacenus Demochares. In Treverensium verò archiepiscoporum Catalogo, quem Petrus Cratepolius concinnavit, idem *Lucius Britanniæ rex, sancti Timothei Apostoli Pauli discipuli eruditione ad religionem Christi inductus*; & *jam factus Christianus, ab hoc Marcello*, sive Marcellino, Tungrorum æquè ac Trevirorum episcopo, *baptizatus* fuisse scribitur.

[t] Demochar. de Missâ, tom. 2. cap. 37.

Radulphus Niger in [u] Chronico, ait Eleutherium *misisse prædicatores in Angliam, Dinan & Fagan atq; Aaron, petente rege Britonum Lucio*. Iohannes Castoreus, & Chronica Britonum abbreviata; *Papam misisse in Britanniã duos religiosos doctores, Faganum & Dimianum* (sive *Dumianum*) *& plures alios*. In magnâ etiam Wintonienſis Ecclesiæ Tabulâ, ex Gildâ, Bedâ & Moracio refertur; *à Fagano & Damiano Pontificibus, doctoribus & monachis, qui missi erant à Romano sanctissimo Patriarchâ Eleutherio in totius Albionis provinciam, regem illius prænominatum Lucium cum totâ sibi subjectâ familiâ baptismatis undâ salutiferâ aspersum* esse. [x] Petrus Equilinus in Sanctorum Catalogo, ait *Papam misisse duos religiosos viros, videlicèt Fuganum & Damianum; qui regem prædictum & populum converterunt*. Novum quoq, Martyrologium Romanum; (in alijs enim martyrologijs, quæ bene multa tùm impressa tùm Manuscripta consului, illud non invenio:) ad VII. Kalend. Iunij, in Eleuthero horum memoriam ita celebrat. *Sanctos Damianum & Fuganum in Britanniam misit; qui Lucium Regem unâ cum uxore ac toto fere populo baptizârunt*. vel, ut Petri Galesinij editio habet:

[u] Rad. Nigr. Chron. ann. Mund. 5358.

[x] Petr. de Natalib. lib. 5. cap. 46.

Britanniam insulam, Lucij Regis rogatu, per Fugatium & Damianum legatos, fidei sacris instituit. Et iis duobus opus hoc attribuunt etiam Platina, Philippus Bergomensis, Sabellicus, Nauclerus, Hector Boëthius, Polydorus Vergilius, Iohannes Lelandus, Nicolaus Hanpfeldius, & alij recentiores.

Guilielmus Malmesburiensis, in libro de antiquitate Glastonienſis monasterij: *Venerunt Eleutherio mittente praedicatores Britanniam duo viri sanctissimi, Phaganus videlicèt atq; Deruuianus; prout Charta sancti Patricij gestaq; Britannorum testantur.* Et ita quidem in epistolâ B. Patricio attributâ appellantur isti: sicut etiam in magnâ Glastonienſis ecclesiæ Tabulâ, & Glastonienſis monasterij libris à Iohanne Tinmuthenſi & Io. Capgravio in vitâ B. Patricij citatis. In gestis verò Britannorum à Galfrido Monemuthenſi editis (quem etiam sequuntur Rogerus de Wendouer, Ponticus Virunnius, & alij:) *Faganus & Duuianus* (sive *Dwianus*) nominantur. *Dwywan & Fagan* vocat vetus Chronicon, linguâ Cambro-britannicâ conscriptum: *Dunyanum & Figinum*, Petrus de Langetofte, in Chronico Britanniæ quod carmine Gallico exaravit: *Fagan & Diman*, Robertus Gloceſtrenſis in historiâ Regum Angliæ Henrici III. temporibus editâ: *Dunian & Fagan Episcopos*, Lazimonus in historiâ Britonum quæ antiquissimâ linguâ Anglicanâ scripta legitur: *Euganum & Dumanum flamines*, Chronicon S. Martini de Dover: *Fagatium & Dumianum* (vel *Dummanum*) *presbyteros*, Thomas Rudburnus senior in minore Chronico. Nos alterum, (quem ab alijs *Fugatium, Fagatium, Fagaunum, Foganum, Fuganum, Euganum, Figinum* appellatum invenimus) plurimorum authorum consensum secuti, *Faganum* nominamus: alterum verò (quem, majori adhuc varietate, *Damianum, Dumianum, Dunanum, Dumanum, Duuianum, Divianum, Dunianum, Dimianum, Diwanum Dimanum, Dinnanum, Divinianum*, & [y] *Donatianum* etiam vocatum comperimus) vel Britannicâ nomenclaturâ *Dywan* appellandum censemus, vel nomine à vetustioribus au-

[y] Baron. an. 183. §. 4.

thoribus

thoribus usurpato, *Derwianum*; quod etiam adhuc retinet ecclesia parochialis in Somersettensi agro hujus memoriæ dedicata.

Res ab his in Britanniâ gestas,[z] Galfridus Monemuthensis sic exposuit. *Beatus Pontifex compertâ* Regis *devotione, duos religiosissimos doctores Faganum & Duvianum ad illum misit: qui verbi Dei incarnationem prædicantes, ipsum baptismate sacro abluerunt & ad Christum converterunt. Nec mora, concurrentes undiq; nationum populi, Regis exemplum insequuntur; eodemq; lavacro mundati cœlesti regno restituuntur. Beati igitur doctores cùm per totam ferè Insulam paganismum deleviſſent: templa quæ in honore plurimorum Deorum fundata fuerant, uni Deo ejusq; Sanctis dedicaverunt, diversisq; cœtibus ordinatorum repleverunt.* Galfridum hîc præter alios sequitur Rogerus de Wendover, ut Rogerum Matthæus uterq; Parisiensis & Westmonasterienſis: in quibus tamen illud concoquere non possumus; quòd *concurrerint ad baptismum nationes diversæ, Regis exemplum sequentes, ita ut in brevi nullus infidelis remaneret*: & quòd dicti *Doctores per totam Britanniam paganismum deleverint*. quanquam id ipsum longè antè à Ninio Britanno traditum ostenderimus: *Lucium Britannicum regem, cum omnibus Regulis totius Britannicæ gentis, baptismum suscepisse.*

[z] Histor. Britan, lib. 4. cap. 1

Similiter Historiæ Archiepiscoporum Eboracensium author: *Lucius cum universis Regulis Britanniæ fidem Christi suscepit & baptismi sacramentum, per ministerium Doctorum venerabilium Fagani & Dimiani*. Ponticus Virunnius, historiæ Britannicæ libro 4. *Lucium baptizârunt, & omnes gentes Britanniæ: & diversis cœtibus ordinatorum insulam replevere, Dijs gentilium expulsis & superstitionibus multis.* Hector Boethius, Scotorum historiæ libro 5. *Regem cum totâ domo & populo penè universo baptismatis sacramento insignivêrunt.* Pseudo-Gildas poëta:

Namq; duos misit Præsul sanctissimus illuc
Doctores fidei, qui sacri gurgitis undâ
Devotum mundent Regem, Regisq; ministros.

Exemplo

Exemplo verboq́, vocant ad præmia vitæ
Totius regni populum; veriq́ lavacri
Undâ purificant: & fana profana Deorum
Sancta Deo sanctiq́ dicant; tradunt q́, probatis
Illa colenda viris, Christumq́, fidemq́, professis.

Breviùs in libri Argumento tota res hoc distichо comprehenditur:

Lucius in Christum credit, Christoq́, dicatas
Ecclesias dotat, distinctas ordinat urbes.

& in prosaicâ Galfridi Epitome: *Lucius baptisma sacrum recepit unâ cum suis subditis; quo facto templa idolorum soli Deo viventi dedicavit, ea ampliando ut decebat.* Radulphus de Diceto: *Eleuther ergo misit Faganum & Diwanum, qui regem Lucium baptizaverunt, templa etiam quæ in honore plurimorum Deorum fundata erant, uni Deo dedicaverunt.* Iohannes Castoreus sive Fiber, & Chronica Britonum abbreviata, *in urbe Trinovantum* (Londinensi sc.) *baptizatum esse Regem* tradunt, & *totam familiam suam, & posteà majorem partem regni.* Et *de templis Deorum* (inquit Fiber) *statuerunt ecclesias unius Dei, id est, Iesu Christi: statuerunt etiam episcopos & presbyteros per omnes partes Britanniæ.*

CAP. V.

De XXV. Episcopatibus & Archiepiscopatibus III. qui Lucy temporibus Flaminum & Archiflaminum loco, instituti fuisse dicuntur. De tomo Anacleti; & Provinciarum numero, in quas à Romanis divisa est Britannia.

DE Hierarchiâ Ecclesiasticâ à Fagano & Derwiano hoc tempore constitutâ, ita narrare pergit Galfridus.* *Fuerunt tunc in Britanniâ viginti & octo flamines, nec non & tres archiflamines, quorum per totam ceteri judices morum atq́ fanatici submittebantur. Hos etiam ex præcepto Apostolici idololatriæ eripuerunt: & ubi erant flamines Episcopos, ubi archiflamines Archiepiscopos*

* Histor. Britann. lib. 2. cap. 3. edit. Ascensian. vel lib. 4. cap. 19. edit. Heidelberg.

Pos posuerunt. Sedes autem archiflaminum in tribus nobilioribus civitatibus fuerant: Londonijs videlicèt, atq; Eboraci, & in urbe Legionum, quam super Oscam fluvium in Glamorgantiâ veteres muri & edificia sitam fuisse testantur. His igitur tribus, evacuatâ superstitione, octo & viginti Episcopi subduntur. Divisiq; parochijs, subjacuit metropolitano Eboracensi Deira & Albania: quas magnum flumen Humbri à Loegriâ secernit. Londonienſi verò metropolitano submissa est Loegria & Cornubia. Has duas provincias sejungit Sabrina à Cambriâ, id est, Gualiâ, quæ urbi Legionum subjacuit. Hæc ille: *Gildam* hîc authorem secutus, in libro de victoriâ Aurelij Ambrosij, ut [a] Gervasius Tillesburiensis, [b] Naucle-rus, [c] Tritemius, & Historiolæ Wintonienſis ecclesiæ authors (à quo Gildas *libro prime, capitulo septimo* hîc citatus est) significant. Similia habent (præter authores citatos, & alios complures) Alphredus Beverlacensis, Radulphus de Diceto, Bartholomæus de Cotton, Girardus Cornubiensis, Ranulphus Cestrensis, authores historiæ Roffensis, Chronicorum de Hales & Dunstaple, libri Abingdonensis, Chronici genealogici monasterij de Hales, & Chronicæ Britonum abbreviatæ; Thomas Rudburnus, Thomas Stubs, Thomas Harfeldius, Ponticus Virunnius, Polydorus Vergilius; & qui flaminum & archiflaminum commentum (quod in vetere etiam [d] libro Britannico, quem transtuliſſe putatur Galfridus, nusquam comparet) prætermittunt, Rogerus de Wendover, Matthæus Parisiensis, & Matthæus Westmonasterienſis: quæ Pœta qui Gildæ nomen usurpavit, sic expressit.

Assignant urbes viginti octoq; sacratis
Præsulibus totidem: sed submittunt tribus illos
Archipræsulibus. pars subjacet Eboracensi
Cum sibi submissis populis, pars Londonienſi,
Pars Legionenſi.

[a] Gervaſ. de Otijs Imperialib. ad Othonem Imp.

[b] Naucler. vol. 1. Chronograph generat. 30.

[c] Tritem. Compend. lib. 1. Annalium, lv. loc.

[d] Chronic. linguâ Cambro-Britannicâ conscript. quod quondâ Humfredi Lhuydi fuit, hodiè in Cottonianâ Bibliothecâ est repositum.

Radulphus Niger, ad an. Mund. 5358. *Tunc limitati sunt veteres episcopatus sub metropolibus Londoniæ, Eboraci, & Caerleun quæ nunc dicitur sancti David.* Thomas Rudburnus

nus in Chronico minore. *Misit Eleutherius duos presbyteros Fagatium & Damianum ad Lucium Regem, qui fidei regulam ab ipsis accipiens; viginti octo Episcopos ordinavit loco & numero flaminum.* Abbreviatio Chronicorum, quæ Londini in magnâ Tabulâ Paulinæ ecclesiæ habetur: *Doctores ergo Faganus & Divinianus de consensu Regis, ubi erant archiflamines Archiepiscopos, & ubi flamines Episcopos ordinaverunt & consecraverunt.* Liber Abingdonensis: *Misit vir venerabilis Eleutherius Papa ad Lucium regem illustrem nuntios suos, Faganum videlicet & Divianum, viros religiosos, nec non in fide catholicâ sufficienter instructos. Hi verò cum celebri devotione Regem ipsum & populum suum unanimi assensu & pari concordiâ baptizaverunt; destruentes idola, & ecclesias fideliter construentes. Quid multa? hi duo viri sincerè in omnibus & per omnia Deo devoti Christianitatis executores effecti, constituere decreverunt per loca singula singulos ministros Dei omnipotentis: & ubi archiflamines secundùm legem Gentilium invenerunt, loco eorum Archipræsules; similiter ubi flamines, Episcopos subrogaverunt. Fuerunt autem tunc temporis Archi-præsules tres, tribus in locis famosissimis, videlicèt Londini, Eboraci, & apud urbem Legionum.* Et hæc quidem ex nostrorum monumentis.

Inter exteros primi (quod sciam) Martinus Polonus, Gnesnensis archiepiscopus, & Ptolemæus Lucensis Tuscus (qui vitas Romanorum Pontificum scripserunt) Britanniæ Flamines & Archiflamines in Episcopos & Archiepiscopos conversos fuisse tradiderunt. Martini verba (à Iohanne Leidensi etiam in [e] Chronico Belgico usurpata) sunt ista. *Papa misit duos religiosos viros, videlicèt Fuganum & Damianum: qui Regem & populum baptizârunt. Erant tunc in Britanniâ viginti octo pontifices idolorum, quos Flamines vocabant; inter quos tres Archiflamines erant. Sed prædicti sancti, de mandato Apostolici, ubi erant flamines instituerunt Episcopos; ubi archiflamines, Archiepiscopos.* De eâdem re Io. Baptista Platina (& eum secutus [f] Iacobus Philippus Ber-

[e] Iohâ Leid. lib. 2. cap. 1.

[f] Bergom. Supplement. Chronic. lib. 8.

Bergomensis) ita scribit. *Erant tum in Britanniâ pontifices quinq́, & viginti, quos Flamines vocabant. Inter hos autem tres Archiflamines habebantur; quorum in loco Archiepiscopi tres constituti sunt, ut Ptolemæus ait. Protoflaminum verò loco primitiva ecclesia Patriarchas instituit.* Ubi si tres Archiflamines in numero reliquorum Pontificum recensentur: XXVIII. potiùs flamines cum Martino numerandi fuerint, quàm XXV. cum Platinâ: quod clariùs g à Johanne Nauclero expressum est, illis verbis. *Erant tum in Britanniâ tres archiflamines, & XXV. flamines: quorum in locum Archiepiscopos & Episcopos instituit.* Ita Pontifices in universum XXVIII. fuerint: secundùm numerum *civitatum*, quibus ornata fuit olim Britannia. Fuisse enim eam *viginti & octo civitatibus quondam nobilissimis insignitam*, h Beda, *bis denis bisq́, quaternis civitatibus decoratam*, in epistolâ de Britanniæ excidio scribit Gildas, & post eum etiam i Galfridus Monemuthensis. Earum Catalogum contexuit Ninius: quem (quia Britannicorum Episcopatuum Notitiam aliunde nanciscimur non possumus) ex duobus antiquissimus exemplaribus Cottonianis descriptum, & cum novem alijs MSS. collatum, unâ cum Britannicorum nominum interpretationibus, hîc subjiciendum curavimus.

g Naucler volum. 1. Chronograph generat 6.

h Bed. lib. 1. hist. ecclesiastic. cap. 1. & H. Huntingdon. hist. lib. 1.

i Galfrid. histor Britan. lib. 1. cap 2.

Hæc sunt nomina omnium civitatum, quæ sunt in totâ Britanniâ: quarum numerus est XXVIII.

I. *Cair-Guintguic*. quæ *Norwicum* fortasse fuerit, (Britannis *Cair-Guntin* appellatum) vel potiùs *Winwick* Lancastrensium. Veteri Ninij glossatori *Winceastria* sive Wintonia est.

II. *Cair Mineip*, vel *Municip.* apud Henr. Huntingdoniensem perperam *Mercipit* scriptum. Est *Verolamium* (juxta oppidum Sancti Albani:) quod Romanorum temporibus *Municipium* fuisse ex Tacito constat.

III. *Cair Ligualid*, al. *Legeuit*, & *Lualid.* id est, *Luguballia*:

ballia: quæ Huntingdoniensi *Cair-Leil*, vulgo *Carlile* dicitur.

IV. *Cair Meguaid*, al. *Meiguod*. vulgo *Meiuod* in Montgomeriensi comitatu posita, & Ptolemæo ac Antonino *Mediolanum* olim dicta.

V. *Cair Colun* vel *Colon*. quæ Galfrido Monemuthensi (lib. 5. Brit. hist. cap. 6.) & H. Huntingdoniensi, *Colcestria* est; ad *Coln* fluvium sita, & Antonino in Itinerario *Colonia* appellata.

VI. *Cair Ebrauc*, alijs *Cair-Branc*. Eboracum est. (Alphred. Beverl. & H. Huntingdon.)

VII. *Cair Custeint*. i. Urbs Constantij vel Constantini. *Cair-Seiont* est, prope *Caer-narvon*. Constantij enim filij Constantini Magni, *sepulchrum monstrari juxta urbem, quæ vocatur Cair Segeint*, refert Ninius; *ut litteræ*, inquit, *quæ sunt in lapide tumuli ejus ostendunt. & antiquam urbem Constantij Imperatoris, filij Constantini Magni*, in *Arvoniâ* collocat Britannicus scriptor vitæ Gruffini filij Conani Venedotiæ Principis. quanquàm anno Dom. 1283. *apud Caër-nervon prope Snoudunam, corpus maximi principis, patris Imperatoris nobilis Constantini, fuisse inventum*, & rege Edovardo I. *jubente in Ecclesiâ honorificè collocatum*, Matthæus Westmonasteriensis narret. ut ad Constantium Constantini M. patrem quem Eboraci in Britanniâ, potiùs quàm ad Constantium Constantini filium, quem Mopsocrenis vel Mopsuestiæ in Ciliciâ mortuum esse legimus, referenda ista videantur.

VIII. *Cair Carataue*: H. Huntingdoniensi, *Cair-Cucerat* perperàm appellata. *Cair Caradoc* autem in Salopiæ finibus inter Themidem (sive Temdum) & Colunum fluvios sitam fuisse, ostendit in fragmento Britannicæ descriptionis Humfredus Lhuydus. Galfridus Monemuthensis & glossator Ninij *Salesburiam* interpretatur.

IX. *Cair Grauth*, al. *Grant*. id est, *Granteceastria, quæ mo-*

dè

dò dicitur Grantebrigia: inquit Henr. Huntingdonienſis, Hiſtor. lib. 1. nomine nimirùm à *Grantâ* ducto, quem idem libro 5. *fluvium Cantabrigiæ* appellat. Ejus Guilielmus de Ramſeye abbas Crulandenſis, in vitâ Guthlaci, ita meminit:

Eſt apud Angligenas à Gronta flumine, longo
Orbe per anfractus ſtagnoſos & fluviales,
Circumfuſa palus.

& ante eum Felix Crulandenſis monachus, qui ejuſdem Guthlaci vitam Ælfwaldi Orientalium Anglorum regis juſſu deſcripſit. *Eſt in meditullaneis Britannia partibus immenſæ magnitudinis teterrima palus; quæ à Gronta fluminis ripis incipiens, haut procul à caſtello quem dicunt nomine Gronta*, &c. ubi Saxonicus interpres flumen Grantè ea, caſtellum Grantè ceaſtep reddidit. *Grantacaſtir* verò ſuo tempore *civitatulam deſolatam* fuiſſe teſtatur Beda, lib. 4. Hiſtor. cap 19. ex cujus ruinis exiſtimant nonnulli creviſſe Cantabrigiam, quæ ab Aſſerio Menevenſi, Fabio Ethelwerdo & Anglo-ſaxonicis Annalibus (in anni 875. hiſtoriâ) *Grantebrycge* & *Grantanbricge* vocatur: à quâ & toti circumjacenti Comitatui inditum eſt nomen *Grantebridgeſhire*. (in Chartâ Edredi regis an. 948. datâ; apud Ingulphū.) Unde etiam Alphredo Beverlacenſi *Caer Grant* exponitur *Cantebrigge*. quod nomen ab Ethelwerdo primùm uſurpatum invenio, hiſtoriolæ ſuæ libro 4. capite 4. de Danis ita referente. *Tranſmeabant pontem ordine litterato, qui vulgò Cant-bricge nuncupatur.*

X. *Cair Maunguid*, vel *Manchguid*. Putatur eſſe Antonini vel *Mancunium*. i. Mancheſter in Lancaſtrenſi, vel *Mandueſſedum* potiùs. i. Manceſter in Warwicenſi agro poſitum. Eſt & *Menegid* in Angleſeiâ, locus à Caradoco Lhancarvanenſi in anni 873. hiſtoriâ commemoratus.

XI. *Cair Lundein*, alijs *Cair-Lud*. Londinum eſt, regni metropolis.

XII. *Cair Guorthigirn*, quam à Guorthigerno Britantanorum rege, in regione quæ vocatur *Guennesi*, (id est, ut ego interpretor, *Monemuthensi*, quæ *Guent* & *Went-set* dicta est) ædificatam esse, confirmat Ninius. Galfridus Monemuthensis, *in natione Herging, super fluvium Guaia* (*Vaga* ea est, sive *Gwy* fluvius, qui inter Monemuthenses in Sabrinæ influit æstuarium) *in monte qui Cloarcius nuncupatur*, sitam fuisse innuit. Alij, in regione Cambriæ *Gurthronion* dictâ, positam fuisse existimant: & *Guthrenion* Radnorensium castrum ex ejus ruderibus extitisse. Vide Lhuydi fragment. fol. 20. 21. & Camdeni Britanniam, pag. 479.

XIII. *Cair Ceint*, al. *Kent*. i. *Cantuaria*. (Alphred. Beverlac. & H. Huntingd.)

XIV. *Cair Guiragon*, al. *Guorangon*. i. Wigornia. (Iid.) Britannis *Cair Wrangon*, Anglis *Worcester* appellata.

XV. *Cair Peris*. i. *Port-chestre* (Iid.) Vid. Galfrid. Monemuth. lib. 5. hist. Britan. cap. 8. (edit. Heidelb.)

XVI. *Cair Daun*. Antonino *Danu*, vulgò *Dancaster*.

XVII. *Cair Legion*. quæ Alphredo Beverlacensi est *Cestria*, sive West-chester. Eadem quæ Bedæ lib. 2. Histor. cap. 2. est *Civitas Legionum; quæ à gente Anglorum Legacæster, à Britonibus autem rectiùs Carlegion appellatur*. ut & Florentio Wigorniensi, ad annum (secundùm Dionysium) 894. quanquàm ibi Matthæo Florilego (ad annum 895.) *Legecestria Anglicè Wirhall* sit dicta: ex Annalibus Anglo-Saxonicis Bedæ subnexis (non satis rectè, ut videtur, intellectis) in quibus sic legimus. Hje geoyoon on anpe weytpe ceaytpe. on wjphealum. ꝑjo jy legaceaꝛepe gehaten.

XVIII. *Cair Guricon*, vel *Guotichon*, quæ vel *Warwicum* est, vel Ptolemæi *Viroconium*. i. *Wroxceter* in Salopiensi

lopiensi comitatu.

XIX. *Cair Segeint.* Segontiacorum in agro Southantonienſi civitas: *quæ fuit ſuper Thameſin non longè à Redinge, & vocatur Silceſtre*; ut Alphredus Beverlacenſis & Henricus Huntingdonienſis annotant. qui tamen haud rectè (ut puto) Silceſtriæ ſedem ad Thameſin poſuerunt. Eſt & *Cair Seiont* in Arvoniâ: de quâ ad numerum VII. eſt dictum.

XX. *Cair Ligion guar Uſic.* Britannis *Cair Leon ar Uſk*, id eſt, *Urbs Legionis ad Iſcam* fl. adhuc appellata.

XXI. *Cair Guent.* quæ Alphredo Beverlacenſi & H. Huntingdonienſi, *Wintonia* eſt, ſive *Wincceaſtria*; Romanis *Venta Belgarum* olim dicta: de quâ ad num. I. Eſt & *Venta Silurum*; quæ in agro Monemuthenſi non longè à *Cair Leon* poſita, antiquum nomen *Caer Went* etiamnum retinet.

XXII. *Cair Brithon*, quæ Huntingdonienſi eſt *Cair Briſtou*. i. *Briſtollia.*

XXIII. *Cair Leion.* i. *Leiceſtria.* (Alphred. Beverlac. & H. Huntingdon.)

XXIV. *Cair Draithon*, vel *Draiton.* nam ſic apud Huntingdonienſem legitur: ut fortè Salopienſium *Draiton* fuerit.

XXV. *Cair Penſauelltoit.* Galfridus Monemuthenſis (eumque ſecutus Eulogij author, libro 5. & Matthæus uterque Pariſienſis ac Weſtmonaſterienſis, ad annum gratiæ 52.) *Kair Penhuelcoit* interpretatur *Exoniam*: pro quâ in Heidelbergenſi Britannicæ Hiſtoriæ editione (lib. 4. cap. 16.) & in vetere Aſcenſianâ, per errorem ſubſtituta eſt *Oxonia.* Verùm *Exoniam*, quæ dicitur Saxonicè *Eaxcenceaſtre* (vulgò contractiùs *Exceſter*) ut Romanis *Iſcam Dannoniorum*, ita à Britannis (teſtante etiam Aſſerio Menevenſi in geſtis Ælfredi regis, anno 876.) *Cair Wiſc* vel *Cair Iſc* appellatam fuiſſe conſtat.

Itaque

Itaque Camdenus noster, hâc repudiatâ sententiâ Galfridi *Pen Uchel coit*, Ptolomæi *Uzellam*, & Cornubiensium *Lestuthiell*: Ninij verò *Pontauel coit*, Ptolemæi *Ischalin*, & Somersettensium *Inelcester*, fuisse existimat: prius illud nomen Britannicum, *Montem editum in sylvâ*, posterius, *Pontem ad Iuel in sylvâ*, interpretatus. Mihi tamen Ninij *Pensauelcoit*, [k] Guilielmi Pictavensis, [l] Orderici Vitalis & [m] Guilielmi Gemeticensis *Penueſellum* potiùs fuisse videatur; quæ *Pemseia* hodiè dicta, primo Guilielmi Normanni in Angliam appulsu celebris est. cui & Britannici vocabuli *coit* adjectio non malè convenit: quum sylvestribus sepibus densa fuerit, in quâ hæc sita est, Sussexiensis regio.

[k] Guil. Pictav. in gestis Guilielmi I pag. 199 rerum Normannic. scriptor.
[l] Orderic. Ecclesiastic. histor. lib 3, ibid. pag. 500.
[m] Gemeticens. histor. Normann, lib. 7. cap. 34 ibid. pag. 286.

XXVI. *Cair Urnach.* quæ Camdeno *Uriconium* Antonini, *Virocomium* Ptolemæi, & Salopiensium *Wroxceter* fuisse videtur.

XXVII. *Cair Celemion.* quam idem Somersettensium *Camalet* fuisse conjicit.

XXVIII. *Cair Luit-coyt.* quæ Alphredo Beverlacensi & Henr. Huntingdoniensi est *Lincolnia.*

Pro I. VII. X. & XXV. Henricus Huntingdoniensis in primo historiarũ suarũ libro, sequentes sex supponit.

1. *Cair Glou.* i. *Glouceaſtriam.* de quâ Ninius: *Glevus ædificavit urbem magnam ſuper ripam fluminis Sabrina, quæ vocatur Britannico ſermone Cair glevi, Saxonicè autem Gleuceſter.*
2. *Cair Cei.* i. *Ciceaſtriam* vulgo *Chicheſter.*
3. *Cair Ceri.* i. *Circeaſtriam.* vulgo *Circeſter*, & *Circitet.* de quâ Asserius Menevensis, in gestis Ælfredi, an. 879. *Cirenceaſtre adyt, quæ Britannicè Cair-ceri nominatur; quæ eſt in meridianâ parte Huicciorum.*
4. *Cair Dorm.* i. *Dormeceaſtre; quæ ſita in Huntedonenſi provinciâ, ſuper flumen quod vocatur Nen, penitùs deſtructa eſt.* Hodie *Dornford* dicitur.

5. *Cair*

5. *Cair Dauri*, vel (ut apud Alphredum Beverlacensem est) *Cair Dorin.* i. *Dorcestriam.*

6. *Cair Merdin: quæ nunc quoq; sic vocatur.*

Vox verò *Cair*, his omnibus præposita, Britannis *urbem* vel *castrum* significat: ut præter alios, libro 1. Itinerarij Cambriæ cap. 5. notat Giraldus Cambrensis. [n] Iohannes Caius ex Gervasio Tilberiensi (2. *de otiis cap.* 47.) *Cair linguâ Trojanâ civitatem dici* addit; & *Cambris murum* quoq; significare. Vt quemadmodum Hebræi [o] חומה *murum*, & עיר *Vrbem* vocant; ita Britannis vox non absimilis, *Cair*, & mœnia & urbē mœnibus cinctā denotet. Cujus vocabuli originē etiam in magnâ *Cairo* Ægypti observant [p] nonnulli, & in ipsâ quoq; *Carthagine*; quam *Carthadam* dictam scribit Solinus, [q] *quod* * *Phœnicum ore exprimit civitatē novam.* Vnde & ipsam, & cognominem illi urbem in Hispaniâ extructam, à [r] Græcis Καινὴ πόλις dictam fuisse notum est.

[n] Caii de Antiquit Cantabrig. lib. 1.

[o] Num. 35. 4.

[p] Vid Iohannis Twini Commentar. Britannic. lib 2. à pag. 108. ad 113.

[q] Solin. Polyhist. cap. 27. edit. Salmasij, vel 30. Delrij.

* Chald. & Syr. קרתא חדתא

[r] Stephan. Byzant. in Καρχηδών. Polyb. historiar. lib. 2.

Apud Belgas in agro Somersettensi, *Congersburiæ* (non procul ab hodiernâ sede *Wellensi*) Episcopalem cathedram à Fagano & Derwiano fuisse constitutam, narrat author Glastonienſis Chronici anno 1259 conscripti. *Anno* (inquit ille) *Dominicæ Incarnationis* CLXVII°. *episcopatus Somersetiæ per sanctos Fuganum & Druuianum sumpsit exordium: & in Kungresburiâ per multū tempus sedes Episcopalis fuit. Sederunt itaq; in eâdem sede plurimi Pontifices successivè, usq; ad tempus Ine regis Westsaxonum: quorum numerum, gesta, & tempora nusquam reperimus descripta. In tempore autem prædicti Regis, Daniel, qui (ut accepimus) in cathedrâ de Kungresburiâ sedebat ultimus, sedem illam quæ illic per sexcentos annos, vel amplius remanserat, ad villam quæ tunc Tethi, sive nunc verò Welles nominatur, Ine Rege donante, & ei consentiente transtulit. Iste autem Daniel in eodem episcopatu ultimus erat episcopus Britonum.*

Ex XXVIII. urbibus à Ninio memoratis, tres (uti diximus) pro metropoliticis sunt habitæ: quarum prima & præcipua *Cair-Lundein*, Ptolemæo in Geographiâ Λονδίνιον,

δινιον, in Canone ἐπισήμων πόλεων (qui inter Canones ejus Astronomicos nondùm editos habetur) ut & [f] Marciano in Britanniæ periplo, Λινδόνιον appellata. Hîc in vestibulo domus capitularis Ecclesiæ S. Pauli magnam Tabulam affixam vidimus: in quâ ita scriptum fuit. *Tempore Britonum in urbe Lundoniæ multi floruerunt Archiepiscopi: sed tempore Anglorum dignitate apud Doroberniam translatâ, primus sedit Mellitus episcopus in Ecclesiâ S. Pauli London* *, *quam Ethelbertus Rex Cantiæ fundavit.* Ibidem etiam in Chronico Radulphi de Baldoc Londinensis Episcopi ita legimus. *Anno Domini* CLXXIX. *Lucius Rex fundavit primam ecclesiam Lundoniæ, scilicet Ecclesiam S. Petri de Cornhulle, & ibi fuit sedes Metropolitana per quadringentos annos & amplius, usque ad adventum S. Augustini Anglorum Apostoli.* Similia habentur in Tabulâ pensili, quæ in æde illâ S. Petri de monte frumentario, sive **Cornehill**, (**Cornwell** vulgus appellat) adhuc cernitur. *Anno Domini* CLXXIX. *Lucius, primus Christianus Rex hujus terræ, Britanniæ tunc appellatæ, fundavit primam Ecclesiam Londoniæ, scilicèt Ecclesiam S. Petri in Cornhill: & fundavit illic Archiepiscopalem sedem, & fecit illam ecclesiam Metropolitanam, & primam ecclesiam hujus regni: & sic duravit spatio CCCC. annorum, usq; ad adventum S. Augustini Angliæ Apostoli, qui in hanc terram missus est à S. Gregorio, Ecclesiæ Doctore, tempore Regis Ethelberti. Tum verò Archiepiscopi sedes & pallium à dictâ Ecclesiâ S. Petri in Cornhill translata fuit Doroberniam, quæ jam vocatur Cantuaria, ibique manet ad hunc usque diem. Et Miletus Monachus, qui cum S. Augustino in terram venit, factus est primus Episcopus Londinensis: & sedes ejus in Paulinâ Ecclesiâ constituta est. Et ille Lucius Rex fuit primus fundator Ecclesiæ S. Petri in Cornhill. Et regnavit in terrâ hâc post Brutum* MCCXLV. *annis.* Hæc ibi.

Iocelinus Furnesij monachus, in libro de Episcopis Britannicis, hunc Londinensium Archiepiscoporum Catalogum contexit.

[f] Stephan. in Λινδόνιον.

* Vid. Bed. l. 3. hist. cap. 3.

I. *Thean,*

I. *Thean* vel *Theonus*, qui Lucij Regis temporibus Londini Ecclesiam S. Petri in Cornehill constructam esse dicitur, à Cirano archipincernâ regio adjutus.

II. *Elvanus*: ille nimirùm, quem unâ cum Medwino legatione ad Eleutherum P. functum audiuimus. Is Bibliothecam condidisse fertur, dictæ S. Petri Ecclesiæ adjunctam; & Druydum complures ad fidem Christianam convertisse. Et habuit quidem Ecclesia hæc Bibliothecam, quam à se visam confirmat Iohannes Lelandus: verùm nunc, sublatis libris, Grammatica schola locum occupat; quemadmodum in suâ Londini Perlustratione monuit Iohannes Stowæus.

III. *Cadar*, al. *Cadocus*.

IIII. *Obinus*, sive *Ouinus*.

V. *Conanus*.

VI. *Paludius*, vel *Palladius*.

VII. *Stephanus*.

VIII. *Iltutus*.

IX. *Dedwin*, sive *Theodwinus*.

X. *Thedred*, sive *Theodredus*.

XI. *Hilarius*.

XII. *Guidelinus*, qui & *Guittelinus*, & *Vitelinus*.

XIII. *Vodinus*, à Saxonibus occisus.

XIIII. *Theanus*, vel *Theonus*: qui cum Britannis in Cambriam fugit, circa annum Christi 587.

Postremorum trium ab alijs etiam facta habetur mentio. *Guitelini* quidem in Britannicâ historiâ: ubi post tertiũ *Agitij* vel *Ætij*, potiùs (qui in annũ 446. incidit) Consulatũ, [1] Pictis & Scotis Britãniã vastantibus, legatus ad Aldroënũ, Letaviæ sive Armoricæ regẽ à civibus suis missus, Constantinum ejus fratrem cum exercitu in patriam perduxisse, Regem inunxisse, cum conjuge (quam *ex nobili Romanorum genere ortam* ipse educaverat) copulásse, atq; filios ex eo conjugio genitos, Aurelium Ambrosium & Utherum Pendragon, enutrivisse memoratur. Quæ à Matthæo Florilego, & Roffensis historiæ collectore repetuntur etiam omnia:

[1] Galfrid. Monemuth. lib. 6. cap. 4. 5. (edit. Heidelberg.) & vel ipse, vel alius poeticus ejus interpres, (cui falsum Gildæ nomen est tributum) libro 5.

apud quos, *Anno gratiæ* 435. *Guithelinus Londinensis archiepiscopus scientiâ & virtutibus insignis habetur.* Eum Constantino regi nequaquàm fuisse superstitem, ab [u] ijdem est proditum authoribus: & *Gosselinum* nescio quem illi successisse, [x] Iohannes Major innuit. Sublato enim post Constantinum filiorum ejus natu maximo, minores duos (Aurelium & Utherum) *à Londoniarum præsule Gosselino* ad parvæ Britanniæ regem missos fuisse narrat. Hunc secutum *Vodinum*, [y] virum omnium opinione præcipuâ sanctitate, ab Hengisto Anglo-Saxonum duce interfectum tradit alter Scotorum historicus Hector Boëthius: quòd Britannorum regem Vortigernum ob nuptias, quas cum filiâ ipsius (Roxienâ sive Rowennâ, fœminâ ethnicâ) spretâ justâ conjuge inierat, reprehendisset. Proximus huic, *longo sed proximis intervallo* (XC. circiter annorũ spatio interpositio) adeoq; Londinensium archiepiscoporum postremus, ejusdem cum primo nominis *Theonus*, in Iocelini Indiculo collocatur: quem circa annum ab Incarnatione Dominicâ 542 à *Gloecestrensi* episcopatu, ad *Archiepiscopatum Londoniarum* translatum fuisse, [z] Britannica refert historia; posteaq; Angliâ à Saxonibus jam plenè occupatâ & Ecclesijs omnibus solo æquatis, cum ijs, qui è clero superfuerant, [a] in Gualliam sive Cambriam diffugisse. de quâ fugâ, in anni 586. historiâ, agit Matthæus Florilegus, & (qui eum totum exscripsit) Roffensis libri collector. Et de ijs, qui *Londini* Archiepiscopi sedisse dicuntur, hactenùs.

[u] Galfrid. ibid. cap. 6. Pseudo-Gildas. lib. 5. Matth. Florileg. & Histor. Roffens. ad annum 445.
[x] Io. Major. de gest Scotor. lib. 2. cap. 3.
[y] Hect. Boeth. Scotor. histor. lib. 8.
[z] Galfrid. lib. 11 cap. 3.
[a] ibid. cap. 10.

De metropoliticæ sedis mutatione hîc factâ sub Anglo-Saxonum imperio, in libro 4° Anglicæ suæ historiæ ita scribit Polydorus Vergilius. *Augustinus apud Gregorium ita egit, ut sedes archiepiscopi, quæ jam inde ab initio pietatis Christiana Lucio rege recepta Londini fuerat, Doroverniam, (hæc hodie Cantuaria est) translata sit. Londinensis diœcesis, post archiepiscopalem sedem inde alio delatam, Miletus Augustini socius, episcopus est factus.* & ex antiquioribus, Rogerus Wendoverius, Matthæus Florilegus, & Roffensis historiæ collector. *Anno gratiæ* DCI. *Beatus Papa Gregorius Augustino*

Augustino pallium misit, ad Ecclesiam videlicèt Londinensem, (quæ tempore Britonum metropolis erat:) sicut Beda in historiâ Anglorum testatur. & anno DCIIII. *in civitate Londoniarum Augustinus Mellitum Pontificem consecravit. Sicque urbis Londoniarum, quæ semper temporibus Britannorum archiepiscopum habuerat, dignitas nunc ad Doroberniam translata est: ut Merlini vaticinium dicentis impleretur.* [b] *Delebitur religio ininsulâ, & transmutatio primarum sedium fiet. Dignitas Londoniæ adornabit Doroberniam.* metropolitanâ scilicèt sede illuc per Augustinum, à B. Gregorio Romano Pontifice missum, transpositâ & locatâ: ut habet Merlini interpres, Alanus de Insulis.

[b] Galfrid Monemuth lib. 7. cap. 3. edit. Heidelberg. lib. 4. fol. 52. edit. Paris. an. 1517. Vid. Vincent. Specul. Historial lib. 20. cap. 30.

Proposuerat quidem Augustinus (inquit [c] Giraldus Cambrensis) *sed postea fortasse mutavit, sedem suam metropoliticam Londonijs, ubi caput est regni facere:* quâ de re scriptas à Gregorio ad eum literas [d] Ecclesiasticæ suæ Historiæ Beda inseruit. Idem tamen in civitate Dorovernensi (quæ regum Cantij tùm fuit metropolis) [e] *Augustinum sibi habitationem statuisse & cunctis successoribus suis;* Iusto quoque atq; Honorio, illius in eâ sede successoribus, Pallia (Metropolitanorum insignia) [f] Bonifacium V. & [g] Honorium I. Romanos Pontifices misisse, in sequentibus ostendit. Feruntur & Bonifacij ad eundem Iustum literæ [h]: in quibus, huc spectantia, ista legimus. *Cognovi siquidem in vestris syllabis, ut sanctæ recordationis prædecessor noster Gregorius constituit Augustino & omnibus successoribus suis in posterum Metropolitanam & primitivam sedem in Civitate Doroberniâ, ubi caput totius gentis Anglorum à diebus Paganorum habetur.* & paucis interjectis: *id ipsum præcipientes firmamus, ut in Doroberniâ civitate semper in posterum Metropolitanus totius Britanniæ locus habeatur; omnesque provinciæ regni Anglorum prafati loci Metropolitanæ ecclesiæ subjiciantur, immutilatâ & perpetuâ stabilitate decrevimus.* ut & in [i] Honorij Romani ad Honorium Cantuarienſem archiepiscopum Rescripto.

[c] Girald. Dialog. de eccles. Menevens. distinct. 2.
[d] Bed. lib. 1. cap. 29.
[e] Id. ib. cap. 33.
[f] Id lib. 2. cap. 8
[g] Id. ib. cap 18.
[h] Guil. Malmesbur. de gestis Pontific. lib 1. pag. 208 edit. Francofurt.
[i] Ibid pag 209

Tuæ ergo jurisdictioni subjici præcipimus omnes Angliæ Ecclesias & regiones: & in civitate Doroberniâ Metropolitanus locus & honor Archiepiscopatus & caput omnium Ecclesiarum Angliæ semper in posterum servetur; & à nullâ personâ per aliquam malam suasionem in alium locum mutetur.

Extat præterea apud Guilielmum Malmesburiensem, libro 1° de gestis Regum Anglorum cap. 4°. Kenulphi Merciorum regis, ad Leonem III. missa epistola: in quâ sic scriptum legitur. *Pontifices nostri ac peritissimi quiq; in nobis dicunt, quòd contra Canones & Apostolica statuta, quæ nobis à Patre beatissimo Gregorio dirigente statuta sunt (sicut vos scitis) authoritas Dorobernensis Metropolitani in duas scinditur parochias; cujus (eodem Patre mandante) ditioni subjacere debent Episcopi duodecim: sicut per Ecclesias nostras legitur in Epistolâ, quã fratri & coepiscopo Augustino direxit, de duobus Londonia & Eboraca Metropolitanis Episcopis; quã etiam apud vos haberi non dubitamus. Sed ipse primùm Pontificalis apex, qui tunc Londoniæ sub honore & ornamento Pallij fuerat conscriptus, pro eo Dorobernensi oblatus est atque concessus. Nam quia beatæ recordationis Augustinus, qui verbum Dei (imperante beato Gregorio) Anglorum genti ministrabat, & gloriosissimè Ecclesiis præfuit Saxoniæ, in eâdem civitate diem obijt, & corpus illius in Ecclesiâ beati Petri Apostolorum principis, (quam successor ejus sanctus Laurentius sacravit) conditum fuisset; visum est cunctis gentis nostræ sapientibus, quatenùs in illâ civitate Metropolitanus honor haberetur, ubi corpus ejus pausat, qui his partibus fidei veritatem inseruit.* Indeq; Malmesburiensis ipse, initio libri 1. de gestis Pontificum Anglorum. *Cantuariæ* (inquit) *sedit primus Augustinus, Gregorij Magni discipulus; ut vulgo notum est. Pallium autem & privilegium Archiepiscopatus idem Gregorius Augustino ad Londoniam concessit, (ut in primo libro gestorum Regalium, per Kenulfi ostendimus epistolam:) quia scilicèt ad id tempus alterius obscurè urbis notitia Romanos non attigisset. Verùntamen quia primus Doctor, sedulitate Regis hospitis & civium charitate captus, Cantuariæ incolatum vivens throno annis XVI.*

XVI. *& mortuus tumulo fovit; omnis eò in posterum honor translatus est.*

Posteà tamen, fervente inter Henricum II. & Thomam Becketum Cantuar. archiepiscopum contentione, Gilbertus Folioth Londinensis Episcopus sedi suæ Archiepiscopatus honorem (sed frustrà) asserere conatus est: de quo, in 272ª Epistolâ, Iohannes Sarisburiensis. *Ecce Londoniensis Episcopus publicè non sine dolore fidelium protestatus est, quòd primæ Britanniarum sedi, videlicet Cantuar. Ecclesiæ, nullam debet obedientiam; & quòd Cathedram metropoliticam illuc transferri faciet ubi eam esse debere fingit, ne dicam mentitur; scilicet ad Ecclesiam Londoniensem, ubi Archiflaminem gloriatur sedisse, dum Iovialis religio colebatur. Et fortasse vir prudens & religiosus cultum Iovis instaurare disponit: ut si alio modo archiepiscopari non potest, Archiflaminis saltem nomen & titulum assequatur. Fretus tamen est oraculo Merlini, qui nescio quo repletus spiritu perhibetur ante adventum beati Augustini Anglorum Apostoli vaticinatus esse, delendam esse Christianam religionem, & denuò reformandam, quando Londoniensis dignitas Doroberniam adornabit.* Et Guilielmus Stephanides in *Londini descriptione*, paulo post eædem Thomæ editâ. *Est ibi in Ecclesia beati Pauli Episcopalis sedes, quondam fuit Metropolitana, & adhuc futura creditur, si remeaverint cives in Insulam.* quæ de civium reditu divinatio ex Britonum somnijs est hausta; quæ (ex *Aquilæ*, si credere libeat, & *Merlini* prophetijs petita) ᵏ Galfridus Monemuthensis in fine, & Caradocus Lancarvanensis in principio Britannicæ suæ historiæ commemorat.

ᵏ Galfrid. lib. 12. cap. 17. 18. edit. Heidelberg. Vid. & lib. 2. cap. 9. Io. Fordon. in Scotichronic. lib. 3. cap. 22. Io. Balæum, Britannic. lib. 2. pag. 127. 128. Camden. in Dorsetshire, pag. 157. Selden. in Polyolbion. pag. 35. 36.

Ad secundam Metropolim jam venio: quæ in superiore Urbium Catalogo *Cair Ebrauc*, hodie Cambro-Britannis *Cair Effroc*, Anglis York dicta, à Ptolemæo in opere Geographico Ἐβόρακον, in Canonibus Astronomicis Εὐόρακον,

Scriptor. Britan. Ceatur. 1. cap. 11. Io Twinum. Commentarion

&

& in magna Syntaxi [1] Βρεγάντιον appellatur. Huic Historia Britannica Deiram subjicit & Albaniam: Albaniæ nomine eam quæ hodie Scotia dicitur; *Deiræ*, Lancastrensem & Eboracensem Comitatum, unâ cum Dunelmensi episcopatu, Westmorlandiâ, Cumbriâ, & Northumbriâ complectiens. Urbem verò hanc à *Constantio Chloro* Imperatore, qui hîc diem obijt, *Episcopali sede* exornatam fuisse, ex patrijs scriptoribus (quorum nullum adhuc mihi videre contigit) [m] refert Guil. Camdenus. Sed qui historiam Eboracensium archiepiscoporum circa annum 1460. conscripsit, *primum in eâ sede fuisse archiepiscopum Fagannum* asserit, (illum videlicèt de quo diximus, Eleutherij legatum) *tempore Lucij regis.* [n] Alij ibi *Theodosium* quendam a Lucio collocatum esse dicunt, [o] alij *Samsonem*: quem tamen Aurelij Ambrosij temporibus floruisse. & Benedictus Gloucestrensis monachus, qui S. Dubricij, & alter ille qui Eboracensium archiepiscoporum vitas descripsit, restantur. Consentit & historia Britannica: in quâ, de Aurelio legimus. [p] *Convocavit Rex consules & principes regni intra Eboracum, præcepitque eis restaurare Ecclesias, quas gens Saxonum destruxerat. Ipse verò Metropoliticam sedem illius urbis, atque cæteros Episcopatus provinciæ readificare incepit.* & pòst. [q] *Evacuatæ erant duæ Metropolitanæ sedes, Eboraci videlicèt atque urbis Legionum, à pastoribus suis. quibus communi populorum consilio consulere volens, concessit Eboracum Samsoni illustri viro, summaque religione famoso: urbem verò Legionum Dubricio, quem divina providentia in eodem loco profuturum elegerat.*

Utriusq; electionem ad annum salutis 490, Matthæus Florilegus refert: & utrumq; anno 507. in Britanniâ floruisse addit. De utroq; etiam in 6° Britanniados suæ libro, ita Pseudo-Gildas canit.

Eboracensis apex vacat archipræsule, necnon
Et Legionensis: Samson datur Eboracensi,
Et Legionensi Dubricius; ambo beati
Pontifices, quos vita probat, moresque perornant.

& de Samsonis successore; libro 7° res ab Arthuro rege gestas enarrans:

Rex

[1] lib. 2. pag. 31. edit. Græc. Hæc tamen vox à Græco Lambethanæ Bibliothecæ MS. abest: pro quâ Latinus Almagesti ex Arabico interpres *Bericana* substituit.

[m] Camden. in Yorkeshire. pag. 573.

[n] Guil. Harrison. De cript. Britann. lib. 1. cap. 7.

[o] Franc. Godwin. in Catalog archiepisc. Eborac. pag. 2.

[p] Galfrid Monemuth. lib. 8. cap. 9.

[q] Id ibid. cap. 12 edit. Heidelberg. ubi pro, *Saxoni*, ex MSS. restituimus *Samsoni*.

Rex venit Eboracum: cujus cùm strata videret
Mœnia & ecclesias, constrictus corde, dolori
Condolet oppressa & vidnata civibus urbis;
Compatiturq́ apici proprio pastore carenti.
Nam sanctus Samson de sede fugatus eâdem,
Fugerat hostiles gladios, populumque Dolensem
Exemplo verboque docet, prælatus eidem.
Rex igitur viduæ prælatum providet urbi,
Pyramon insignem meritis virtute coruscum.

Et quidem sedis Eboracensis archiepiscopum ordine *septimum* fuisse *Samsonem* hunc, quod Ambrosio Merlino tribuitur Vaticinium videri posset innuere. [r] *Pastor Eboracensis septimus in Armorico regno frequentabitur.* cujus tamen sensum longè alium Bellovacensis Vincentius reddit: *quòd Eboracensis Archiepiscopus, s. beatus Samson, cum septem Episcopis ad Armoricanam transiret regionem, quæ modò minor Britannia nominatur.* & ante eum Alanus de Insulis, Commentariorum in Prophetias Merlini libro 1. *Sanctum* (inquit) *Samsonem significat, Eboracensem Archiepiscopum, qui à prophanâ Saxonum gente ab Ecclesiâ & civitate expulsus, navigio transfretavit in Armoricum regnum, id est, minorem Britannicam in finibus Galliarum super littus Oceani sitam; ibiq́ in civitate Dolis Metropolitanam sibi Cathedram collocavit. Venerunt autem cum eo sex fratres ipsius, sancti & magnifici & magnarum virtutum viri: Melanius, Macutus, Maclovius, Pabutual, Paternus, Wasiæus; qui in aliis civitatibus ejusdem regni ordinati sunt, & Ecclesiæ Dei præfecti. Et hoc est, quod ait: Pastor Eboracensis septimus in Armorico regno frequentabitur. Hos autem septem fratres, usq́ in hodiernum diem, non solùm gens incola terræ illius, sed & finitimæ regiones, septem Britanniæ Sanctos appellant.*

[r] Galfrid. lib 7. cap. 3.

[t] Vincent. Speculi Historial. lib. 20. cap. 303.

Giraldus Cambrensis, archidiaconus Menevensis (atque enim secutus [u] Rogerus Hovedenus) nequaquàm ab Eboracensi hoc Samsone Dolensem metropolim constitutam fuisse contendit; sed à Menevensi altero, qui vicesimo quinto loco post Davidem illum sedit, cui jam memoratus Dubricius

[u] Hoveden. Annal. sub fin histor. ann. 1199. edit. Francof. (ag. 798.)

cius Legionensis archiepiscopatus honorem cesserit-

[u] Girald. Itinerar. Cambriæ, lib. 2. cap. 1.

[u] *Tempore Samsonis hujus* (inquit) *Pallium in hunc modum est translatum. Ingruente per Cambriam (isto præsidente) peste quâdam, quâ catervatim plebs occubuit, quam flavam pestem vocabant, quam & Physici ictericiam dicunt passionem, Præsul quanquam sanctus & ad mortem intrepidus, tamen ad suorum instantiam navem scandens, flante Circio, cum suis indemnem in Armoricâ Britanniâ se suscepit: ubi & vacante tunc fortè sede Dolensi, statim ibidem in Episcopum est assumptus. Unde contigit ut ob Pallij gratiam quod Samson secum hinc illuc attulerat, succedentes ibi Episcopi usque ad nostra hæc fere tempora* [a] *(quibus prævalente Turonorum Archipræsule, adventitia dignitas evanuit) pallia semper obtinuerunt.*

[a] Vid. Hoveden. loco notato, pag. 797.

[x] Girald. in Dialogo de Eccles. Menevens. distinct. 2.

[x] Cumque ab Innocentio III. Pontifice fuisset objectum: *Quin immò Eboracensis, ut fertur, fuerat Archiepiscopus Samson ille Dolensis.* Giraldus subintulit. *Immò quidem noster fuit, & non aliunde Samson ille; salvâ, Pater, reverentiâ vestrâ. Dolenses enim historiæ contestantur. Unde & in eorum Sequentiâ de sancto Samsone sic reperitur:*

Præsul autem Menevensis
Dignitatis in Dolensis
Transfertur fastigium.

Eboracenses autem æquivocatio decipit: cùm hoc eodem nomine quidam eorum archiepiscopus nuncupatus extiterat. Quærenti deinde Papæ, *quantum temporis à transitu seu transfretatione Samsonis illius* interceserit: respondit Giraldus, *quòd tempore Gregorij Papæ, magni scilicèt Doctoris qui Augustinum & socios suos in Angliam transmisit, accidit illud.*

Matthæus Florilegus duos Samsones in Dolensi sede ante Gregorij Pontificatum constituit. *Per idem tempus Samson Dolensis archiepiscopus, & successor sancti Samsonis, qui de Britanniâ majori ad minorem transijt, doctrinâ & sanctitate refulsit:* inquit ille, in anni DLXI. historiâ. Et circa illud sanè tempus Parisiensi Concilio *Samsonem* subscripsisse invenimus: de quo etiam ad annum DLXVI Sigebertus Gemblacensis. *Samson Dolensis archiepiscopus, consanguineus*

sancti

sancti Maclovij, & successor Samsonis Maglorius, qui de transmarinâ Britanniâ ad (ì marinam transierant Britanniam, clarent sanctitate & doctrinâ. Vtrumque verò y & Samsonem & Maglorium, Iltuti Britanni (discipuli S. Germani Antissiodorensis) fuisse discipulum legimus: Samsonem verò à z Dubricio (Davidis Menevensis antecessore) sacratum, tempore a Iustini junioris Imperatoris & b Childeberti Francorũ regis claruisse. c Trithemius ad annum Domini DC. id est, ad Gregorij Pontificatum, cum Giraldo, vitam ejus protendit: quod facilè admittere possumus, si (ut in d Vitâ ejus habetur traditum) CXX. annos vivendo is exegerit. Sed sive Gregorij, sive (quod certum est) Childeberti temporibus Dolensem Samsonem floruisse statuerimus: cum Samsone illo, qui in Menevensium archiepiscoporum Catalogo ordine post Davidem XXVus numeratur, absq; immani anachronismo confundi non poterit. Vt Giraldum cum Menevensibus suis, potiùs quàm Eboracenses, æquivocatio nominis hîc deceperit.

In Vitâ certè *Teiliavi* sive *Theliai*, Landavensis ecclesiæ Regesto insertâ, pestis ista, cujus hìc Giraldus meminit, *ictericia* (Britannis à flavo colore quo affecti morbo tingebantur y gall **velen** appellata) *Mailcono* in Guenedotiâ regnante, erupisse dicitur: *Malgone* videlicèt illo *Venedotorum rege*, sub quo Davidem Menevensem mortem obijsse e Britannica prodit historia. Est verò is *Maglocunus* ille, quem in Epistolâ suâ affatur Gildas, & quòd in vicinis insulis grassaretur, *Insularem Draconem* vocat. Circa annum Domini DLX. regnum obtinuisse, in Britannicæ Descriptionis fragmento refert Humfredus Zhuydus: *ex antiquissimo Libro, de Legibus Britannorum scripto*, electionem ejus sic describens. *Postquàm Saxones devictis Britannis sceptrum*

y Vita S. Samsonis MS. in Regesto Landavensi: & impress. in Bibliothecâ Floriacensi, Iohannis à Bosco, cap. 3. Vincent Specul. Historial. lib. 21 cap 105 Vita S Maglorii, apud Surium, tomo 5. Octobr. 24.

z Vit. Samsonis MS. & impress. in Bibliothec. Floriac. cap. 3. & Capgravij Legendâ Angliæ, fol. 177. col 3. Vincent. Specul. lib. 21. cap. 112. Trithem. de vir. illustr. ord. Benedict. lib. 4. cap. 46. & Petr. Equilin. lib 6. cap. 150.

a Petr. Equilin. ibid.

b Vit Samsonis MS. & impress. in Bibliothec. Floriac c. 4. & 10. Capgravij Legend. fol. 177. col. 4 & Vit. Maglorij, apud Surium, Octob. 24.

c Trithem. de vir. illustr. ord. Benedict lib. 3. cap 41. & lib. 4. cap. 46.

d Vit. cap. 14. in Bibliothec. Floriac.

e Galfrid. Monemuth. lib. 11. cap. 3.

*regni & coronam Londinensem adepti sunt; omnes Cambriæ populi ad ostium Devi fluminis, ad Regem eligendum congregati sunt: * & illuc venêre viri Gaynedhiæ, & viri Powysiæ, & viri Deheubarthiæ, & Reynnuciæ, & Sylluciæ, & Morganiæ; & Malgunum Guenedum in Regem elegêre.*

Flavam illam pestem [f] pluribus describit supradictus Biographus. ejusque metu, desertâ patriâ, quosdam in Hiberniam perrexisse scribit, plures verò duce Theliao Landavensi episcopo (sororis Davidis Menevensis filio) ad Armoricas gentes concessisse, sub spirituali Samsonis regimine eo tempore constitutas. *Audiente* (inquit) *Samsone Dolensis ecclesiæ archiepiscopo adventu confratris sui in patriam; occurrit ei cum gaudio. Nam de unâ regione procreati fuerant, & unius linguæ viri, & simul cum B. Dubricio archipræsule edocti, ex cujus manus impositione S. Samson consecratus est in episcopum: ut Vita sua testatur. Rogavitque S. Teliaum ut cum illo habitaret: & adquievit ei, & cum eo commoratus est multo tempore.* Sedatâ deinde peste, abiturum Theliaum à Samsone Pontifice & Budico rege Armoricano detentum fuisse ait. *Nam rex* (inquit) *& Pontifex cum multitudine populorum obviaverunt ei, ut illum deducerent cum condigno honore ad episcopatum Dolensem; ut sublimarent illum in Pontificalem sedem.* Galfridus Monemuthensis eodem tempore Davidem Dubricio, & Theliaum Samsoni substitutum fuisse narrat: Armoricanorum Britonum rege tùm existente, non Budico, sed Hoëlo. In *loco* (ait [g] ille) *sancti Samsonis Dolensis archipræsulis destinatur Theliaus illustris presbyter Landaviæ, annuente Hoëlo rege Armoricanorum Britonum; cui vita & boni mores virum commendaverant.* Sed Vitæ scriptor Theliaum, post septem annos mensesq; totidem in Armoricâ peractos, ad sedem Landavensem (cujus tum eum non *presbyterum* facit, sed *archiepiscopum*) redijsse significat; relicto Dolensibus Samsone suo. Cum quo & cæteri scriptores consentiunt, [h] *Ma-*

* aryno doethant guyr Guynedh, a guyr Powys, a guyr Deheubarth, a Reynnuc ac Esylluc, a Morganuc.

[f] Vid. Galfridum, & Iohan. Tinmuthensem (ejusq; exscriptorem Capgravium) in vitâ Theliai: & authorem vitæ Oudocei, in Regesto Landavensi.

[g] Hist. Britannic. lib. 9 cap. 15 edit. Heidelberg. in quam *Cheliani* nomen pro *Theliani* irrepsit.

[h] Author vitæ Maglorii, apud Surium, Octob. 24. Io. Tinmuthens. & Capgrav. in vitâ ejusdem. Sigebert. in Chronic. an. 566. *Vincent.* Specul lib. 21. cap. 121. Petr. Equilin. lib. 9. cap. 103. (ubi *Majorus* appellatur,) Trithem, de vir. illustr. ord. Benedict, lib. 3. cap. 50. & lib. 4. cap. 47.

glorium

glorium proprium Samsonis successorem statuentes.

In Eboracensi verò Metropoli (ut ad eam redeamus) Samsoni *Pyramum* quendam successisse jam audivimus. pro quo *Piranni* nomen apud Matthæum Westmonasteriensem legitur: qui ad annum DXXII. electionem ejus refert; à Britannicæ Historiæ consarcinatore narrationem mutuatus, de Arthuro rege sic scribente. [i] *Petivit rex Eboracum, instantis Natalis Domini festum celebraturus. Cumq; urbem intrâsset; vitâ sacrarum ecclesiarum desolatione, condoluit. Expulso namq; beato Samsone archiepiscopo, cunctisq; sanctæ religionis viris, templa semi-usta ab officio Dei cessabant: tanta etenim Paganorum insania prævaluerat. Exin convocato clero & populo, Pyramum capellanum suum Metropolitanæ sedi destinat: Ecclesias usq; ad solum destructas renovat; atq; religiosis cœtibus virorum ac mulierum exornat.* Ibidemq; postremus Britonum in sede Eboracensi archiepiscopus nominatur *Thadiocus:* qui unâ cum Theono Londinensi (ut suprà ex Matthæo Florilego etiam & libro Roffensi. in anni 586. historiâ, est annotatum) [k] *ùm omnes ecclesias sibi subditas, usq; ad humum destructas vidisset; cum omnibus ordinatis, qui in tanto discrimine superfuerāt, diffugit ad tutamina nemorū in Guallias*

[i] Galfrid. Monemuth lib. 9. cap. 8.

[k] Id. lib. 11. cap. 10.

Deinde, regnantibus hîc Anglo-Saxonibus, anno Dom. DCI. de constituendâ hâc Metropoli, ita scripsit ad Augustinū legatum suum Papa Gregorius. [l] *Ad Eboracum civitatem te volumus Episcopum mittere, quem ipse judicaveris ordinare: ita duntaxat, ut si eadem civitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipse quoque duodecim Episcopos ordinet, & Metropolitani honore perfruatur. quia ei quoque (si vita comes fuerit) Pallium tribuere Domino favente, disponimus.* Augustinus autem (si Giraldo Cambrensi credimus) [m] *Doroberniæ, quam sibi sedem elegerat, totam Angliam ferè, nempè* XII. *vel* XIII. *amplos Episcopatus subjecit; Eboracensem Ecclesiam ferè monoculam relinquens: illud ad mentem, quanquā monachus, revocando; Maledictus qui partem suam deteriorem fecerit.* Verùm, & Augustino & Gregorio jam vitâ functis, Edwinus Nordanhumbrorū rex Eboraci, anno DCXXVII. baptizatus, [n] *in eâ civitate ipsi doctori atq; antistiti suo Paulino sedem episcopa-*

[l] Gregor. Regest. lib. 12. epist. 15. Bed. hist. Eccles. lib. 1. cap. 29.

[m] Girald. de statu Eccles. Menevens. distinct. 2.

[n] Bed. lib. 2. hist. cap. 14.

episcopatus donavit: cui & Honorius missō pallio, jus Metropolitani confirmavit; ut ex literis ipsius apud [o] Bedam videre licet. Post cæsum verò Edwinum inde [p] *recedente Paulino, Eboracensis ecclesia per* XXX. *annos, proprium non habuit Episcopum: sed Lindisfarnensis ecclesiæ præsules, Aidanus, Finanus, Colmannus, & Tuda, Nordanhimbrorum provinciæ administrârunt Pontificatum.* qui licèt essent [q] *Eboracæ civitatis episcopi metropolitani* (uti de Colmanno, eademq; ratione de reliquis, scribit Bedæ æqualis Stephanus presbyter:) tamen *nec Pallio, nec urbis nobilitate valuerunt attolli, in insulâ Lindisfarnensi delitescentes*; quemadmodum in libri 3. de gestis Pontificum initio à Malmesburiensi est notatum. Atque ita [r] *Eboracensis honor* (ait Ranulphus Cestrensis) *ab initio usque hodie ibi duravit: quamvis Albania processu temporis ab ejus subjectione se subtraxit.*

[o] Ibid. cap. 17, & 18.
[p] Sim. Dunelmens. in Epistol. de archiepiscopis Eborac.
[q] Stephan. (qui & Æddi) in vitâ Wilfridi, cap. 10.
[r] Ranulph. Polychronic. lib. 1. cap. 52.

Et de duabus primis sedibus Metropoliticis ista dixisse sufficiat: quas solas Genealogiæ Britannicorum Regum scriptor agnovisse videtur, qui sub Henricō VI. Anglorum Rege claruit. Faganum enim & Damianum, anno ab incarnatione Domini CLVI. *Rege favente duos Archiepiscopos, Londoniis & Eboraci, ordinâsse* asserit. A reliquis verò omnibus tertia sedes ab ijs constituta dicitur.

[s] Pseudo Gild. Poem. lib. 7.

[s] *Nobilis urbs, & amœna situ, quam labilis Osca*
Irrigat:

[t] Ranulph. Cestrens. Polychronic. lib. 1. cap. 48.
[u] Io. Balæ, script. Britann. Centur. 1. cap. 47. Ric. Stanihurst. in Appendic. rer. Hibernic. cap. 18.

ab eo situ, Britannis *Cair-Leon ar Usk* dicta; ad differentiam [t] alterius *urbis Legionum* super Devam fluvium, quæ nobis *Cestria*, illis *Cair-Leon ar Dour-dwy* appellatur, & à [u] nonnullis cum hâc non rectè confunditur. Hinc & in Itinerario (cui vulgati codices *Antonini* dant titulum, [x] Flodoardus *Æthici*, [y] vetus MS. *Scoti.*) nostra hæc *Iscæ Leg. August.* notatur nomine, tùm ab *Iscâ* flumine ad cujus ripas sita est, tùm à *Legione secundâ Augustâ*, quam sub Romanorum imperio stationem hîc egisse, antiquæ inscripti-

[x] Flodoard. histor. Remens. eccles. lib. 1. cap. 1. [y] Dempster. histor. ecclesiast. Scotor. lib. 1. pag. 60.

ones

ones inibi repertæ fidem faciunt. tametsi eam à Ptolemæo non ad hanc Silurum, sed ad alteram Danmoniorum Iscam statui non ignorem. Est autem Danmoniorum illa in Devoniâ sita, *Exoniæ* nomine notissima: Silurum hæc in Monemuthensi Comitatu posita, quem Remneius fluvius hodie sejungit à Glamorgantiâ, in quâ (quum alij horum agrorum essent limites) [z] Galfridus Monemuthensis *Vrbem Legionum* collocavit. [a] *Tres egregiæ*, si Giraldum Cambrensem audimus, *in hâc urbe antiquis temporibus fuerunt ecclesiæ. Vna Iulij martyris; virginum Deo dicatarum choro venustata. Altera verò beati Aaron socij ejusdem nomine fundata, & Canonicorum ordine præclaro nobilitata. Tertia verò, Metropolitanâ sede Cambriæ totius insignita.* quam tamen cum secundâ eandem facit Galfridus: qui duas tantùm insigniores ecclesias nobis hîc exhibet. *Duabus* (inquit) *eminebat Ecclesijs, quarum una in honore Iulij martyris erecta, virgineo Deo dicatarum puellarum choro perpulchrè ornabatur; altera verò in beati Aaron ejusdem socij nomine fundata, Canonicorum conventu subnixa, tertiam Metropolitanam sedem Britanniæ habebat. Præterea gymnasium ducentorum Philosophorum habebat: qui Astronomiâ atque cæteris artibus eruditi, cursus Stellarum diligenter observabant.*

In eâ *fuisse Archiepiscopatũ tempore Britonum*, in 1° Historiarum libro refert etiam Henr. Huntingdnienſis: ad quem sub annum CCCCXC. *Dubricium* à rege Aurelio Ambrosio provectum fuisse diximus; jam vitâ functo [c] *Tremounno*, qui *Legionensis Tremorinus episcopus* est [d] Pseudo-Gildæ. Verùm in libello qui *de primo statu Landavensis Ecclesiæ & vitâ Archiepiscopi Dubricij* est scriptus (indeq; in Dubricij vitâ à Iohanne Tinmuthensi abbreviatâ) longè ante hoc tempus à Germano Antissiodorensi & Lupo Trecensi episcopo constitutus hîc in sede Landavensi (non procul ab Urbe Legionum) Archiepiscopus fuisse dicitur. *Postquàm prædicti seniores* (inquit author ille) *Pelagianam hæresim extirpaverant, Episcopos pluribus in locis Britanniæ consecraverunt. Super omnes autem Britannos dextralis partis Britanniæ*

[z] Galfrid. hist. Britan. lib. 4. cap. 19. & lib 9 cap. 12.
[a] Girald. Itinerar. Cambr. lib. 1. cap. 5
[b] Galfrid. Monem. lib. 9. cap. 12.
[c] Id lib 8. cap. 10.
[d] Poëm. lib. 6.

nia consecraverunt. Super omnes autem Britannos dextralis partis Britanniæ beatum Dubricium summum Doctorem, à Rege & ab omni parochiâ electum, Archiepiscopum consecraverunt. Hâs dignitate ei à Germano & Lupo datâ; constituerunt ei Episcopalem sedem concessu Mouricii regis, Principum, Cleri & populi, apud Podium Lantavi in honore S. Petri Apostoli fundatam. South-Wallia autem, sive *Australis Wallia, Britannicè Deheu-barth, id est, dextralis pars dicitur:* ut notum est, & à Giraldo notatum, in Cambriæ descriptione, cap. 2. Cambro-britanni enim *australem* plagam,[e] Hebræorum more, *dextræ* nomine designant. Unde [f] Asserius Menevensis (*Britanniam* à *Saxonià*, hoc est, Cambriam ab Angliâ distinguens) *omnes regiones dexteralis Britanniæ partis ad Ælfredum regem pertinuisse* scribit; & *regionem dexteralium Saxonum,* * Saxonicè *Suth-seaxum* appellatam esse, ab Australi eorum situ mutuato vocabulo. eademque ratione Iohannes, Sulgeni Menevensis episcopi filius, *Tivio* fluvio Ceretica regionis (*Abertivensis* à Cambris inde denominatæ) Australem limitem circumscribens, ita rem expressit.

[e] Psalm. 89. 12.

[f] Asser. in Vit. Ælfredi, ad ann. 884.

* Sussex.

Immensus fluvius dextrales irrigat oras;
Ac latus occiduum latum mare proluit.

[g] Fr. Godwin, initio Catalogi Landavensium episcopi.

g Ecclesiam verò Cathedralem Landavensem nonnulli perhibent à Lucio Rege primùm fuisse constructam, circa annum salutis CLXXX. Episcopos quoq; *à tempore Eleutherij Papæ* eam habuisse, in Concilio Remensi, anno MCXIX. ad Calixtum II. retulit Urbanus Landavensis episcopus (ut posteà videbimus. Primus tamen in Præsulum qui apud Landavenses asservatur, Catalogo hic ipse ponitur *Dubricius*: qui in Galfridi Monemuthensis historiâ.

[h] Galfrid lib. 9. cap. 13.

h *Britanniæ primas* appellatur, & *Apostolicæ sedis legatus*; in Vitâ Ælgari eremitæ, *archipræsul dextralis Britanniæ*; in dicto de statu Landavensis ecclesiæ libello, *Metropolita totius dextralis magnæ Britanniæ Primas, ac Apostolicæ sedis legatus in civitate Metropolitanâ Landavensi.* Addit Galfri-

[i] Id. ibid. cap. 1.

i dus ab eodem Dubricio Urbis legionum tunc archiepi-

scopo,

scope, Arthurum regni Britannici diademate insignitum: (quod factum ab eo anno gratiæ DXVI. notat Matthæus Florilegus:) eundemque in Curiâ illâ magnâ quam apud Vrbem Legionum Arthurus tenuisse dicitur, [k] *in eremiticam vitam anhelantem, sese ab archiepiscopali sede deposuisse*, sacrato in ejus locum *Davide* Regis avunculo.

[k] Id. ibid. cap. 15.

Eodem tempore, *Davide* procurante, *Meneviam* (quæ in Penbrochiensi agro posita, à Cambro-britannis Mynyw &, ab hoc Davide, Twi-Dewy, id est, *Domus Davidis* appellatur) metropolitanæ sedis factam esse translationem, refert [l] Giraldus Cambrensis: & posteà in *Breviensi* Synodo confirmatam. [m] *in illâ sc. Synodo magnâ Episcoporum omnium & Abbatum Cambriæ totius, necnon & Cleri universi ibidem unâ cum populo collectâ propter Pelagianam hæresim (quanquam olim à beato Germano Altisidiorensi episcopo ab insulâ Britannicâ deletam) his denuò in partibus recidivo morbo redivivaque peste jam tunc emersam. Vbi & unanimi totius conventus tàm electione quàm acclamatione, quanquam invitus & renitens, David in Archiepiscopum est sublimatus: præsertim cùm beatus quoque Dubricius in memoratâ Vrbis Legionum Curiâ, eidem paulo antè suâ tàm destinatione quàm nuncupatione cessisset honorem sede metropolitanâ ab Vrbe Legionum usque Meneviam ab hinc translatâ.* Ita Giraldus: completum in hoc esse [n] asserens illud Merlini Ambrosij vaticinium. [o] *Menevia Pallio Vrbis Legionum induetur.*

[l] Girald Itinerar Cambr lib. 1 cap. 5. & lib 2. cap. 1.

[m] Id Itinerar. lib. 2. cap 4.

[n] Id. Itinerar. lib 1. cap. 5. & Dialog. de Eccles Menevens. distinct. 2.

[o] Galfrid. Monemuth. lib. 7. pag 49. edit. Heidelb. vel lib. 4. fol. 52. b. edit. Paris. an 1517. ubi *Mœnia* perperàm posita pro *Menevia*.

In Cereticâ ad locum qui in Davidis memoriam Lhandewy-brevy (i. fanum Davidis de Brevy) appellatur, habita est ista Synodus: in quâ, *expulsâ hæresi* (inquit, in Vitâ Davidis, Iohannes Tinmuthensis) *& fides sanis pectoribus roboratur; & sanctus David totius Britanniæ archiepiscopus constituitur, necnon civitas ejus totius patriæ metropolis dedicatur, ita ut quicumque eam regeret, Archiepiscopus foret.* Anno Christi DXIX. eam Synodum coactam fuisse [p] Iohannes Balæus asserit. [q] Ranulphus verò Cestrensis, eodem anno quo in exilio mortuus est Pontifex Romanus

[p] Balæ. script. Britann. Centur 1. cap. 55.

[q] Polychronic. lib. 5. cap. 6. & 10.

manus Sylverius, (qui æræ Christianæ DXL. numeratur) Davidem *præsulatum Menevensem* suscepisse; eodemque anno quo Gregorius magnus est defunctus, (qui ejusdem epochæ DCIIII. fuit) *in Walliâ obijsse*, scribit. Mariani Scoti [r] interpolator, ad annum Christi *secundùm Ecclesiam*, (ut ille supputat) DLXV. *secundùm Dionysium* verò (cujus rationes Ecclesiæ nostræ sequi solent) DXLIII. Davidem *Menevensem præsulatum in Walliâ suscepisse* asserit. Priorem numerum Radulphus de Baldock Londinensis episcopus in Chronico suo simpliciter hîc retinuit; eo anno *Davidem, qui & Dewy dicitur, Menevensem episcopum factum esse* annotans: ut & magnæ Glastoniensis Tabulæ consarcinator, *anno Domini* DLXV. (vel, ut alius ejusdem cœnobij Chronographus mavult, DLXVI) *Davidem archiepiscopum Menevensem Glastoniam venisse* referens.

[r] Marian. Chronic. MS. in publicâ Oxoniensis Academiæ Bibliothecâ.

Ad mortis autem tempus quod attinet: Guilielmus Malmesburiensis, in libro de Glastoniensis Ecclesiæ antiquitate, (& eum secutus Iohannes Tinmuthensis in Vitâ S Patricij) excessisse illum anno Domini DXLVI. affirmat. Galfridus Monemuthensis, post commemoratam ad annum DXLII. Arthuri mortem, sub ejus successore Constantino Cadoris filio, quem *tertio* deinde anno à Conano interfectum fuisse addit, Davidem mortem cum vitâ commutâsse narrat. *Tunc* (inquit) *obijt sanctissimus Vrbis Legionum archiepiscopus David in Meneviâ civitate, intra abbatiam suam, quam præ cæteris sua diœcesis monasterijs dilexerat; quia beatus Patricius, qui nativitatem ejus prophetaverat, ipsam fundavit. Dum enim ibi apud confratres suos morem faceret, subito languore gravatus, defunctus est; & jubente Malgone Venedotorum rege in eâdem ecclesiâ sepultus. Pro eo ponitur in Metropolitanâ sede Kinocus Lampaternensis ecclesiæ antistes, & ad altiorem dignitatem promovetur.*

[1] Britann. histor. lib. 11. cap. 3.

Kinocum istum *Cenaucum* appellat [t] Giraldus, & Davidi in archiepiscopatu Menevensi successisse scribit: sicut

[t] Girald. Itinerar. Cambr. lib. 2. cap. 1.

&

& Cenauco *Elind, qui & Teilaus vocatur*; qui & in Ecclesiæ Menevensis archivis immediatus Davidis successor constituitur. Extat Vita illius à Galfrido Vrbani Landavensis episcopi fratre, circa annum Dom. MCXX. conscripta, & Ecclesiæ illius Regesto, (quod ab hoc præside, sicut & ipsa sedes Landavensis, *Teilo* appellatur,) tacito scriptoris nomine, inserta. ubi Dubricio in Landavensi archiepiscopatu successisse; defuncto Davide, *Ismaëlem* Dubricij discipulum illius loco Menevensem Episcopum consecrâsse, ac *principatum super omnes Ecclesias totius dextralis Britanniæ tenuisse*, traditur.

Britannica verò historia [a] etiam tum, quum Theonus Londinensis & Thadiocus Eboracensis præsul cum Clero suo ad Cambriæ nemora confugere sunt coacti, dignitatem Metropolitanam in Vrbe Legionum permansisse confirmat. Atque eo [x] demùm tempore, ad Menevensem civitatem Archiepiscopatum Vrbis Legionum translatum fuisse asserit Alanus Insulensis; *paulo antequàm Augustinus à B. Gregorio in Britanniam mitteretur*. quanquàm & ipsius Augustini temporibus in Vrbe Legionum sedem Archiepiscopatus adhuc hæsisse, cùm ab alijs, tùm ab authore Chronici quod *Brutus* appellatur, proditum inveniam. Vnde eosdem Legionenses & Menevenses antistites tunc fuisse Giraldus subindicat; in Dialogo de Ecclesiâ Menevensi, distinct. 2. ita scribens. *Habuimus apud Meneviam Vrbis Legionum archiepiscopos successivè viginti quinque: quorum primus fuit S. David, ultimus verò S. Samson; qui ingruente per Walliam ictericiâ clade, in Armoricam Galliæ Britanniam navigio se transtulit cum Pallio nostro.*

[a] Galfrid. Monemuthensis, lib. 11. cap. 10. Matth. Florileg. & liber Rofensis, in historiâ anni 586.

[x] Alan. in Prophetiam Merlini, lib. 1.

Verùm pestem illam ictericiam vel ipsius Davidis vel proximi illius successoris tempore in Walliâ grassatam esse, jam antè ostendimus. à quâ sententiâ non multùm etiam discedunt historici Magdeburgenses, [y] Samsonem *Dubricio* (*Davidi*, dixissent potiùs) *in episcopatu Menevensi successisse*; eoque *relicto propter morbum regium, in*

[y] Centur. 6 cap. 10. col. 747.

Britanniam Armoricam abijsse, & Dolensem episcopatum adeptum esse, referentes. Vt, si epidemicus ille morbus sub Menevensis alicujus Samsonis Pontificatu acciderit; non alius ille videri esse posset, quàm ipse Theliaus: quem *S. Samsoni archiepiscopo primo Dolensis civitatis* familiarem fuisse, sedisque illius *& privilegij totius gentis Armoricæ* consortem ab eo factum, in *Landavensi* Regesto legimus. Eum præterea & *Eliud* & *Madocum* dictum fuisse, notat in ejus Vitâ Iohannes Tinmuthensis: prioris nominis hanc reddens rationem. *Post incrementum ætatis, virtutum & sapientiæ, congruo nomine Helios à sapientibus nuncupatus est.* Ἥλιος *enim Græcè, Latinè Sol interpretatur. Fulgebat enim sicut Sol doctrina ejus, fidelium illustrando corda. sed, laicis extremum vocabuli corruptè proferentibus, inolevit quòd non Elios sed Eliud appellatur.* Græco autem illi cognomento, Hebraicam nominis *Samsonis* notationem (a ὑπὸ quod *Solem* significat, deductam) ex Hieronymi *Hebraicorum Nominum* libello, & Eucherij Instruction. lib. 2. cap. 1. sapientes isti didicerant. Quâ ratione etiam Epiphanio, de *Sampsæonum* hærese agenti, [a] Σαμψαῖοι sunt Ἡλιακοὶ, & Stephano Byzantio, de *Sampsâ* Arabiæ urbe scribenti, Σάμψα παρὰ τοῖς Ἄραψι ὁ ἥλιος, *Samsa Sol est apud Arabas.* Quemadmodum igitur Galfridus Monemuthensis Samsoni Eboracensi *Theliaum*, ita Matth. Westmonasteriensis eidem Samsoni alium *Samsonem* in sede Dolensi successisse asserit: quos pro uno & eodem Biographi accepisse videantur. Sed de hâc conjecturâ sentiat quisque, ut lubet.

De metropolis suæ Menevensis dignitate adjicit Giraldus. [a] *Usq; ad Anglorum regem Henricum primum, qui Walliam sibi subjugavit, & ecclesiam Wallensicam Anglicanæ supposuit, totam metropoliticam dignitatem, præter usum Pallij, ecclesia Menevensis obtinuit; nulli Ecclesiæ prorsùs nisi Romanæ tantùm, & illi immediatè (sicut nec Ecclesia Scotica) subjectionem debens.* Item [b] *Nostri, vel propter ignaviam vel paupertatem, aut potiùs propter Anglorum*

[a] Epiphan, hæres. 53.

[a] Giral. Dialog. de eccles. Menevens. distinct. 2.

[b] Id ibid & Itinerar. Cambriæ, lib. 2. cap. 1. Videndus & Hovedenus, pag. 98. (edit. Francofurt.)

glorum advertum in insulam & Saxonicam interpositam hostilitatem, eâ occasione (translati videlicèt per Samsonem ad sedem Dolensem Paliij) *continuè pristinâ caruerunt dignitate. Semper tamen usq; ad plenam* (*quæ per Anglorum regem Henricum primum facta est*) *Cambriæ subjectionem, episcopi Walliæ à Menevensi antistite sunt consecrati; & ipse similiter ab alijs, tanquam suffraganeis, consecratus: nullâ penitùs alij Ecclesiæ factâ professione vel subjectione.* Sub ipso tamen Henrico I. Bernardus (qui illius mandato primus Normannorum sedem illam occupavit, & Cantuariæ consecrationem suscepit) non solùm *Ecclesiæ suæ jura publicè protestatus* est; sed etiam *Crucem interdum sibi præferri per Cambriæ fines attentavit*: & sub successore illius rege Stephano, anno MCXLVIII. in Remensi Concilio cum Theobaldo Cantuariensi archiepiscopo hâc in causâ certamen inijt; cujus cognitio ad Romanam Curiam inde revocata (ut ex Eugenij III. Rescripto intelligitur quod, cum alijs huc spectantibus, ex Giraldo Annalibus suis [c] Hovedenus inseruit) cum tandem finem est sortita quem, qui tum claruit, Henricus Huntingdonensis ita retulit. [d] *Tempore nostro recepit Episcopus Sancti David pallium à Papâ, quod scilicèt fuerat olim apud Kair-legion: sed statim tamen amisit.*

[c] Rog. Hoveden, sub finem histor. anni 1199.

[d] H. Huntingdon. histor. lib. 1.

At *Landavenses* negant Ecclesiam suam sedi Menevensi subjectam unquam fuisse: & Episcopos suos, inde ab *Oudoceo* (quem *tertium* suum *archiepiscopum* illi numerant) à Cantuariensi semper Præsule consecrationem accepisse contendunt. quâ de re, hujusmodi extat ab Urbano Landavensi episcopo ad Calixtum II. Pontificem in Remensi Concilio anno MCXIX. facta Protestatio.

[e] *A tempore antiquorum patrum* (*dilectissime Pater & Domine*) *sicut cirographum sancti patroni nostri Teilavi testatur, hæc Ecclesia prius fundata in honore sancti Petri apostoli, aliarũ omniũ Ecclesiarũ Gualiæ semper magistra extitit in dignitate, & in omni privilegio: donec tandẽ per seditiones & tot bellorum*

[e] Ex Regesto Landavensi.

flagitia, & inveterato antecessore meo Herwoldo, & inde debilitato, Ecclesia cœpit debilitari, & ferè viduata pastore, & annihilata indigenarũ crudelitate, & invasione supervenientis gentis Normannicæ. Semper tamen religiosi viri ad serviendum in eâ hæserunt, tàm propter Anglorum viciniam (à quibus in Ecclesiastico quidem ministerio nihil discrepabant; quia apud eosdem fuerant tàm nutriti quàm eruditi:) tàm etiam quòd ab antiquis temporibus, id est, à tempore Eleutherij Papæ sedis Romanæ, episcopus illius loci, & post adventum Augustini in Britanniam insulam Dorobernensis ecclesiæ metropolitani, ejusdem archiepiscopo simul & regi Anglorum semper fuerat subditus & per omnia obediens.

[Ibidem.] In Vitâ [f] *Oudocei*, qui filius *Anaumedæ* sororis S. Theliai fuisse traditur, & illius de quo diximus *Budici*, regis Britanniæ Armoricæ (quæ à Cambro-britannicis scriptoribus * *Letavia* & *Cornugallia* & *Cerniu-budic* appellatur) susceptio illius, post acceptam à Cantuariensi antistite consecrationem, sic habetur descripta. *Rex Mauricius, cum duobus filijs suis & uxore suâ Oubrana filiâ Gurcanti magni, & tribus Abbatibus trium cœnobiarum, & cum omnibus Principibus regni sui & totâ familiâ sanctorum Dubricij & Teliani ecclesiæ Landavensis, suscepit eum cum gaudio: dans & confirmans idem privilegium datum antea sancto Dubricio sanctoq; Teliano & suis succedentibus, cum omni dignitate suâ & libertate.* id est, *sine Consule, sine Proconsule, sine conventu, intùs nec extrà, sine expeditione, sine vigilandâ regione infrà nec extrà, & eum totâ Curiâ suâ plenariâ & liberâ & integrâ ut Regiã: & cum suo refugio non ad tempus sed sine termino, quamdiu voluerit profugus, maneat tutus sine protegente clypeo humano sub ejus asylo.* posteaq; additur. *Sicut Romana ecclesia excedit dignitatem omnium ecclesiarum Catholicæ fidei: ita ecclesia illa Landavia excedit omnes ecclesias totius dextralis Britanniæ,*

* Llydaw.

in

indignitate & in privilegio & in excellentiâ. ac si illa Australis Cambriæ sive *South-Walliæ*, alia verò aliqua Venedotiæ seu *North-Walliæ* fuisset metropolis.

Et sanè g *Elbodium North-Walliæ Archiepiscopum* anno DCCCIX. obijsse, in Caradoci Lancarvanensis Chronico legimus: illum nimirum vel *Elbodum* vel *Elvodugum*, (variant enim hîc exemplaria,) cujus se discipulum profitetur Ninius. nisi fortè *Elvegus* is fuerit, qui in Landavensium episcoporum Catalogo ordine XVI. recensetur. nam & Bangorensis North-Walliæ civitas, in Vitâ Dubricij, sub *archiepiscopatu Landavensi* fuisse memoratur. alibi verò, tum ipse h Dubricius, tùm successor illius i Theliaus, in omnes ecclesias *Occidentalis Britanniæ* principatum tenuisse dicitur. quo nomine videndum an universa Cambria comprehendatur, (ut apud k Huntingdonienses, & alios) an pars tantum illius Occidentalis, quæ Anglis ab eo situ *West-Wallia* nuncupatur, Cambrobritannis Dyvet: in quâ *septem Episcopales domos* fuisse, Hælii Boni (*Howelis Dha* illis dicti) Leges confirmant. *Menevium* sc. cum Ecclesiâ *Ismaelis, Desemman, Vssult, Teilau, Teuledauc,* & *Kenen.*

g *Vid.* Balæum, Centur. 1. cap. 72. & Humfred. Lhuyd. fragment. Britan. descript. fol. 55 b.

h Vit. Samsonis, in Regesto Landavensi.

i Io. Tinmuthensis in Vitâ Theliai.

k *In Occidentali parte Britanniæ, quæ vocatur Wallia, tres supersunt Episcopatus,* Henr. Huntingd. histor. lib. 1.

Totidem Episcopatus universam Cambriam, regnante Lucio, Legionensi archiepiscopo subjectos habuisse, Ranulphus Cestrensis asserit. l *Urbi* (inquit) *Legionum subjacuit tota Cambria, septem tunc episcopis, nunc verò quatuor suffraganeis insignita: quam flumen Sabrinæ tunc secernebat à Lægriâ.* Quatuor autem quæ nunc sunt sedes Episcopales enumerat Giraldus, tùm in Cambriæ Descriptione, cap. 4. tùm in Dialogo de Ecclesiâ Menevensi, distinct. 2. ubi de Provinciali Romano ab Innocentio III. producto refert ista. *Cùm de jure Menevensis Ecclesiæ metropolitico mentio facta fuisset; præcepit Papa Registrum afferri, ubi de universo fidelium orbe singulorum regnorum tàm metropoles per ordinem, quàm earum quoq; suffraganeæ numerantur ecclesiæ Pontificales: & cùm verteretur ad regnum Anglorum, scriptum in hunc modum & lectum ibidem fuit.*

l Ranulph. Polychronic. lib. 1. cap. 52.

fuit. Cantuarienſis metropolis ſuffraganeas habet eccleſias iſtas. Roffenſem, London. &c. per ordinem. Enumeratis autem ſingulis eccleſiis ſuffraganeis Angliæ; interpoſitâ rubricâ tali, de Walliâ, perſequitur in hunc modum. In Walliâ Meneveſis eccleſia, Landavenſis, Bangorienſis, & de Sancto Aſaph.

Et ſuperſunt quidem ad hunc uſque diem in Walliâ Epiſcopatus iſti quatuor: ſed jam inde ab antiquiſſimis Lucij temporibus extitiſſe, haud facilè quis crediderit. *Landavenſes* certè [m] primum in urbe ſuâ Iedem epiſcopalem fixiſſe *Dubricium* profitentur; *Menevenſes* [n] ſucceſſorem illius *Davidem* in ſuâ; *Aſaphenſes* [o] in Elgueni ſuâ civitatulâ Davidis æqualem *Kentigernum* Glaſcuenſem, Aſaphi magiſtrum: *Bangorenſes* deniq; [p] *Danielem*, [q] à Dubricio conſecratum, in *novâ civitate Bangor*, ſuper fluvium * *Meanath* (ut ſcribit Roſſus Warwicenſis) à *Mailgone* rege erectâ: qui in Vitâ S Paterni (à quo ſub idem quoque tempus *Paternenſis* in Ceretica epiſcopatus duxit originem) *Mailgunus Rex Borealium Britonum* appellatur, poſteaq; (juxta Galfridi quidem Monemuthenſis rationes, circa annum DLI. juxta Matthæum verò Weſtmonaſterienſem, anno DLXXXI.) Britonum omnium Monarcha electus fuiſſe dicitur. de quâ electione † ſuprà libri Britannici verba produximus. Sub *Davide* verò Epiſcopos fuiſſe *ſeptem*, Glaſtonienſium antiquitatum ſcriptores referunt. Inter quos præcipuus Guilielmus Malmesburienſis *magnum illum Davidem Menevenſium archiepiſcopum*, Glaſtonienſis eccleſiæ *dedicationi intendentem, cum epiſcopis ſeptem, quorum Primas erat, ad locum veniſſe* narrat. Glaſtonienſis etiam Tabula ſimiliter. *Anno Domini DLXV. ſanctus David archiepiſcopus Menevenſis, cum ſeptem epiſcopis ſuffraganeis ſuis, Glaſtoniam venit ad eccleſiam beatæ Virginis dedicandam.* & alter ille de quo diximus, Glaſtonienſis Chronographus: *Anno DLXVI. ſanctus David, Legionum archiepiſcopus, cum ſeptem epiſcopis, quorum ipſe Primas erat, venit Glaſtoniam*

[m] Supr. pag. 79.
[n] Ibid. pag. 81.
[o] Iohan. Tinmuthenſ. in Vitâ Kentigerni.
[p] Io. Balæ. Centur. 1. ſcript. Britann. cap. 59. & eum ſecutus Io. Pitſius, num. 52.
[q] Vit. Dubricij, in Regeſto Landavenſi.
* Menai.

† Pag. 75. 76.

&c.

& vetustam Ecclesiam in honore sanctæ Mariæ dedicare disposuit.

Posteà quoque [a] *septem Britonum Episcopos* ad Synodum, cui Augustinus Gregorij Legatus intererat, venisse refert Beda. de quo Historia Britannica: [f] *In parte Britonum adhuc vigebat Christianitas, quæ à tempore Eleutherij Papæ habita, nunquam inter eos defecerat. Postquàm autem venit Augustinus, invenit in eorum provinciâ septem Episcopatus & Archiepiscopatum religiosissimis Præsulibus munitos, & Abbatias complures, in quibus grex Domini rectum ordinem tenebat.* quem Archiepiscopatum idem ipse *David* eousq; retinere potuerit; si id admitteretur quod à Ranulpho est traditum, eodem anno & illius & Gregorij Magni obitum contigisse. [g] *Quòd autem septem tunc erant episcopi Britonum* (inquit Giraldus) *cùm hodie non nisi quatuor; hæc ratio assignari potest: quia plures tunc fortè fuerant in hoc Wallia spatio quàm nunc sunt sedes Cathedrales, vel potiùs se tunc ampliori Wallia fine, quasi usq; ad Sabrinæ fluvium, dilatabat.*

[a] Bed. lib. 2. hist. Eccles. cap. 2.
[f] Galfrid. Monemuth. lib. 11. cap. 12. edit. Heidelberg.
[g] Girald. de Eccles. Menevens. distinct. 2. & Itinerar. Cambriæ lib. 2. cap. 1.

Samsone sedente, Menevensi antistiti *septem* subfuisse suffraganeos, Ecclesiæ illius Archiva perhibent: *Landavensem, Bangorensem, Asaphensem, Exoniensem, Bathonensem, & Fernensem in Hiberniâ.* [a] Sed pro Episcopatu *Exoniensi, Bathonensi, & Fernensi* (qui omnibus [x] Provinciæ *Laginensis* Ecclesijs in Hiberniâ aliquando præerat, nulli autem Britanniæ Archiepiscopatui unquàm subierat) multo probabilius Rogerus Hovedenus *Paternensem, Wigornensem, & Cestrensem* substituit. [y] *Omnes* enim *Episcopos Menevensis Ecclesiæ, à discessu S. Samsonis usq; ad tempus Henrici regis Angliæ primi, omni dignitate Archiepiscopali usos* fuisse asserit, *excepto Pallio; & habuisse suffraganeos septem: scilicet Landavensem, & de sancto Paterno in Kerdigan. (quæ sedes, [z] quia parochiani pastorem suum interficerunt, olim obsolevit, & Menevensi diœcesi est adunata) & Bangorensem, & de sancto Asaph; in Walliâ verò ab Anglis dudùm occupatâ trans Sabrinam, Cestrensem, &*

[a] Fr. Godwin. in Menevensium Episcop. Catalog pag. 603.
[x] Vitæ S. Edani, & S. Molyngi. MSS.
[y] Rog. Hoveden. & Gualter. Coventrensis in histor. anni 1199.
[z] Vid. Girald. Itinerar. Cambr. lib. 1. fin. cap. 4.

Herefordenſem, & Wigornenſem. Ad hanc recenſionem proximè accedit (ſed variatis aliquantulùm nominibus) Iohannes Balæus: quem Epiſcopum in Hiberniâ noſtrâ à Rege Edvardo VI. fuiſſe conſtitutum, D. Abrahamo Sculteto τῷ μνημογίτῃ narrare me aliquando memini, quamvis (fallente ipſum memoriâ) [z] Iohannis Foxij & Henrici VIII. nomina in Diaria ſua ille retulerit. *Auguſtinus* (ait [a] Balæus) *in Wigornienſi provinciâ anno Domini* DCII. *Synodum celebravit, in hunc finem, ut Britanniæ clerum Romanæ eccleſiæ obſequentem haberet. Ad hanc Synodum vocati, venerunt Britannorum epiſcopi ſeptem. Nam illis diebus ſub Menevenſi metropolitano, ad eum numerum, Aſiaticorum more, principales eccleſias cum ordinationibus habebant: quarum tunc erant nomina, Heneſortenſis, Tavenſis, Paternenſis, Banchorenſis, Eluienſis, Wiccenſis, ac Morganenſis.* Ita Balæus; atque eum hîc ſecutus Matthæus Parkerus (vel Iohannes Ioſſelinus potiùs) in libro [b] de Antiquitate Britannicæ Eccleſiæ: licèt apud eundem, in Vitâ Auguſtini, *Uniacenſis* pro *Wiccenſi*, & pro *Eluienſi* operarum incuriâ nomen irrepſerit *Cluienſis*; quo *Gloceſtrenſem* epiſcopatum deſignatum fuiſſe, librarij errore hoc minùs animadverſo, [c] Camdenus opinatus eſt.

Ex ſeptem illis à Balæo commemoratis Epiſcopalibus ſedibus, prima *Heneſortenſis* eadem eſt cum *Herefordenſi*; quæ Britannis *Henford*, id eſt, *vetus via*, dicitur. Secunda *Tavenſis* eadem cum *Landavenſi*, ad Tavum amnem ſitâ, [d] indeque nomen adepta: in quâ [e] *Dubricius* ſediſſe dicitur. Tertia *Paternenſis* eſt *Lhan-padern-vaur* (quam *Eccleſiam Paterni magni* interpretatur [f] Giraldus) in Cereticæ ſive Cardiganiæ parte boreali. nam

Hujus ad Arctoas locus eſt, Metropolis alta,
Antiſtes ſanctus quo duxit jure Paternus
Egregiam vitam ſeptenos terq; per annos:

ut in Vitâ Sulgeni, qui hinc ortus eſt, decinit filius ejus Iohannes. ubi & *Kinocum* ſive *Cenaucum* (*Davidis* Menevenſis in archiepiſcopatu poſteà ſucceſſorem) Arthuri regis temporibus antiſtitem ſediſſe, ex [g] Britannicâ

[z] Scultet. Narrat. hiſtoric. de Curriculo vitæ ſuæ, edit. ann. 1625. pag. 59. 60.

[a] Bal. Scriptor. Britann. Centur. 1. cap. 70.

[b] edit. Londin. ann. 1572. pag. 11. 12.

[c] Camden. in Gloceſter-ſhire, pag. 255.

[d] Giral. Deſcript. Cambriæ cap. 5.

[e] Io. Tinmutenſ. in Vitâ Dubricij, & Iltuti.

[f] Girald. Itinerar. Cambr. lib. 2. cap. 4.

[g] Galfrid. Monemuth. lib. 11. cap. 3.

huſus

historia audivimus. Quarta *Banchorensis* est Hovedeni *Pangorensis* sive *Bangorensis* in Arvoniâ: cui [h] *Danielem* episcopum præfuisse diximus. Quinta *Eluiensis*, illa est quam ab *Asapho*, proximo in illâ sede Kentigerni successore, *Asaphensem* Angli; ab *Elwy* fluvio, ad quem sita est, Cambro-britanni *Lhan-elWensem* vocant. [i] Giraldus *pauperculam cathedram Lan-elwensem* appellat: quam ideircò, ut minùs notam, in Wallensium episcopatum censu [k] Henricus Huntingdonensis prætermittit, quanquam illius temporibus Gervasius Dorobernensis ab archiepiscopo Theobaldo Lambethæ anno 1143. sacratum fuisse referat *Gilbertum Lan-elvensis ecclesiæ* episcopum: cui post octennium successor datus est, toties (ob antiquiorum authorum defectum) à nobis productus [l] *Galfridus Arthurus; qui historiam Britonum de linguâ Britannicâ transtulit in Latinam.* Ecclesia sexta *Wiccensis*, Hovedeni est *Wigornensis*, sedes præcipua Wicciorum; in quorum & Occidentalium Saxonum confinio, cum proximæ Britonum provinciæ Episcopis & Doctoribus colloquium ab Augustino institutum fuisse narrat [m] Beda. Septima verò *Morganensis*, [n] alijs *Glamorgatensis* & *Glamorganensis* dicta, non alia est quàm *Landavensis*, in regione Morganuc sive Glamorganiæ posita. unde Vrbanus, ab ejus συγχρόνοις, [o] Guilielmo Malmesburiensi, [p] Henrico Huntingdonensi, & [q] Wigornensi monacho qui Florentij Chronicon continuavit, & *Glamorganensis* & *Landavensis* episcopus indiscriminatim est nuncupatus.

Quare cùm eadem ipsa sit hæc Ecclesia cum illâ quæ *Tavensis* nomine secundo in loco est propositâ: vel *Cestrensis* Hovedeni pro eâ erit substituenda, vel ex antiquis Cambriæ sedibus Episcopalibus alia aliqua: cujusmodi *Caer-Guby* fuisse videatur in Monæ sive Angleseiæ promontorio quod *Sacrum* Angli vocant; ubi Kebius, [r] ab Hilario Pictavensi episcopali gradu accepto, consedisse traditur. & *Guentonia*; cujus Episcopi in libro Landavensi ad annũ Dom. DCCCCLV. facta habetur mentio. estque *Venta*

[h] Id. ibid. cum Vitâ Dubricij, & Ælgari, in Regesto Landavensi.
[i] Girald. Descript. Cambr. cap. 4.
[k] Huntingdon. histor. lib. 1. fol. 171. edit. Londin.
[l] Matth. Parisiens. & Westmonasterienses ad annum 1151.
[m] Bed. histor. lib. 2. cap. 2.
[n] Hen. Huntingdon. hist. lib. 1. Ædmer. histor. lib. 4. pag. 92. & lib. 5. pag. 117. & 124. Rog. Hoveden. in historiâ anni 1167. pro quo in libris editis an. 1108. perperàm est signatus.
[o] Malmesb. hist. lib. 5. fol. 92. col. 2. lin. 50. collât. cum hist. Novel. lib. 1. fol. 1 co. col. 2. lin 1. (edit. Londin.)
[p] Huntingdon. sub fine lib. 7. fol. 220. col. 2. lin. 4. & 14. ubi pro *Lavandensi* reponend. *Landavensi*.
[q] Flor. Wigorn. Chronic ad annum secundùm Dionys. 1167. & 1128.
[r] Io. Tinmuthens. in Vitâ S. Kebij episcopi.

illa Silurum, sive *Caer-Went* Monemuthensium: ubi Tathæus [f] Hibernus, rogatu Carodoci regis, scholarum *studium* aliquando rexit; *confluentibus undiq; scholaribus ad erudiendam* (ita anonymus Vitæ illius scriptor loquitur) *scientiam septem disciplinarum* Cæterùm non *Cambria* soli Episcopos septem (juxta Asiaticarum Ecclesiarum numerum, in primo Apocalypseos capite commemoratum) assignat Balæus,[g] sed *Albania* quoq; totidem: in eâ autem Britanniæ parte quam Cambri *Lægriam* nos *Anglia* appellamus, quæque duabus illis alteris magnitudine habetur æqualis, eundem numerum duplicat; ita ut in universâ insulâ,* præter tres Metropolitanos, quater septem Episcopi numerarentur. At Giraldus (in scripto quod Innocentio III. ab ipso porrectum, ejusdem de Menevensi Ecclesiâ Dialogo, distinct. 2. insertum legitur) quinque Archiepiscopos & sexaginta Episcopos à Fagano & Dwiano in Britanniâ constitutos fuisse scribit. Cùm enim in novâ Anglicanæ Ecclesiæ institutione à [h] Gregorio ordinatum meminisset, *duodecim* Episcopos Londinensis totidemque Eboracensis archiepiscopi ditioni subjiciendos; &, sub antiquiore Romani imperij πολιτείᾳ, *quinq;* hîc numeratas fuisse Provincias: quinque Metropolitanos, atque eorum cuiq; duodecim subditos suffraganeos, inde eruit. Integrum illius locum placet hîc subjicere.

Ad instantiam Lucij Regis Britonum missi sunt ab Eleutherio Papâ, qui quasi quartus decimus fuit à beato Petro, duo nobiles prædicatores in Britanniam majorem, Faganus scilicèt & Duvianus: qui fidem Christi per universam insulam à mari usq; ad mare planaverunt; &, juxta Provinciarum numerum quas tempore gentilitatis habuerat *Insula, quinque Metropoles, singulas duodecim Vrbes (sicut olim habuerat) & suffraganeas totidem habentes Ecclesias, ordine & numero competenti distinxerunt. Juxta Tonum enim Anacleti Papæ (sicut in Pontificalibus Romanorum gestis & Imperialibus continetur) directum Galliarum Episcopis; juxta*

[f] Id. in Vitâ S. Thathæi.

[g] Io. Balæ. Centur. 1. in Appendic. cap. 70. eumq; secuti, Matth. Parker. de Antiquit. Britannic. Eccles. pag 11. & Dav. Powel. in Itinerar. Cambriæ Giraldi lib. 2 cap. 1. annotat 4.

* Vid sup. pag. 59.

[h] Bed. histor. lib. 1. cap. 29.

* Vid. Ia. Sirmondi Adrenventoriam; de Ecclesijs suburbicar. cap. 4. pag 94.

ta statum Gentilium ante Christi adventum, Britannia habuit Provincias numero quinque: Britanniam primam, Britanniam secundam, Flaviam, Maximiam, Valentiam. Prima dicta est occidentalis pars Insulæ: quia primùm in illâ Britones, Bruto & Corineo ducibus, applicuerunt; eaque primò à Corineo & suis occupata est & inhabitata. Britannia secunda, Cantium: quòd secundò à Bruto & suis fuit inhabitata. Tertia Flavia, hoc est, flava; quæ dicitur & Mercia, quasi mercibus abundans: cujus caput est Londinum. Quarta Maximia, id est, Eboraca; ab Imperatore Maximio dicta. Quinta Valentia, ab Imperatore Valente nuncupata; Albania, quæ nunc abusivè scilicèt Scotia dicitur. Sicq; ordinatum à viris sanctis prædictis duobus fuerat, ut in occidentali Insulæ parte (quæ & nunc adulterino vocabulo Wallia dicitur; prorsùs verò Cambria, à Cambro Bruti filio dicta) Vrbs Legionum Metropolis foret; XII. suffraganeos habens. Dorobernia (quæ nunc Cantuaria dicitur) à Dûr Britannico, quod est aqua, (quoniam aquis abundat) sic nuncupata, Metropolis ab australi Thamisia fluvij parte; XII. suffraganeos habens. Eboraca, quæ nunc Eboracum dicitur, XII. suffraganeos habens. Et Vrbs quæ nunc Sancti Andreæ forsan dicitur, totidem suffraganeos habens, olim Alba dicta: unde & Albania Provincia, vel potiùs ab Albanacto Bruti filio, nuncupata. Cumque hoc ordine distincta, ducentis annis & pluribus Britannica Ecclesia floruisset: supervenit gens Saxonica, quæ nunc Anglica dicitur, à Britonibus invitata, ut eis contra Pictos & Scotos, quibus ales Insulæ partes occupaverant, Britonum stipendiis militarent. Tandem verò cùm viribus & numero crevissent, juncto cum hostibus fœdere, & ipsi quoque pejores hostes effecti, miris proditionibus incolas usque ecciduas Insulæ partes propulerunt; totamque terram residuam, quam & Angliam vocaverunt (à natali suo Saxoniæ solo, quod linguâ eorum Engelonc vocabatur, id est, Angularis terra, Britanniam nominatam sic vocantes) necnon & Scotiæ partem non modicam, destructis Ecclesiis ritu gentilitatis (cùm gentiles essent) fœdaverunt: Britonibus nihilomi-

nùs Christi fidem in occiduis inconcussè servantibus.

Ad *Tomum* autem *Anacleti*, cujus hîc meminit Giraldus, quod attinet: in tertiâ quæ Anacleto falsò tribuitur ad omnes Episcopos epistolâ leguntur ista. [x] *Episcoporum ordo unus est, licèt sint Primates illi qui primas civitates tenent, quî & in quibusdam locis Patriarchæ à nonnullis vocantur. Illi autem qui in Metropoli à beato Petro apostolo, ordinante Domino, & à prædecessore nostro sancto Clemente, seu à nobis constituti sunt, non omnes Primates vel Patriarchæ esse possunt: sed illa urbes, quæ prædictis & priscis temporibus primatum tenuêre, Patriarcharum aut Primatum nomine fruantur; reliquæ verò Metropoles, Archiepiscoporum aut Metropolitanorum, & non Patriarcharum aut Primatum utantur nominibus. quia hæc eadem & leges sæculi in suis continent principibus. Alia autem primæ civitates, quas vobis conscriptas in quodam TOMO mittimus, à sanctis Apostolis, & à beato Clemente, sive à nobis, primates prædicatores acceperunt.* Deinde, commemoratis tribus sedibus Patriarchalibus, Romanâ, Alexandrinâ & Antiochenâ; subditur. *Reliquæ verò (ut prædiximus) in quodam* TOMO, *prolixitatem vitantes Epistola, vobis conscriptas direximus. Indè namq; & beati Apostoli inter se statuerunt,* * *ut Episcopi singularum scirent gentium, quis inter eos primus esset; quatenùs ad eum potior eorum sollicitudo pertineret.* Quò respiciens Iohannes de Bellis manibus, seu Belmays, Lugdunensis archiepiscopus, in inditâ ad Radulphum de Diceto Decanum Londinensem epistolâ. *Anacletus Papa*, inquit, *tertio suo Decretali Lugdunensem Ecclesiam primam inter Occidentales Ecclesias nominavit, secundam verò metropolim Rothomagensium, tertiam Turonensium, quartam Senonensium: & has, cum suffraganeis suis, ad Ecclesiam Lugdunensem pertinere debere firmissimo jure statuit.*

In antiquioribus nimirùm exemplaribus tertio huic Decretali subjiciebantur (quæ ab Antonio Sconhovio cum Eutropio, & Andr. Schotto cum Antonini Itinerario habentur editæ) tùm generalis omnium Romani Imperij provin-

[x] Tom. 1. Concil. edit. Colon. ann. 1618. pag. 49.

* Canon. Apostol. 35.

provinciarum enumeratio, tùm particularis sedium Metropoliticarum *Galliæ* recensio. Vnde illum Anacleti Tomum *Galliarum* Episcopis directum affirmat Giraldus: quem *& in Pontificalibus Romanorum gestis & Imperialibus contineri* addit. Per *Pontificalia* sine dubio illum quem diximus *Provinciarum Romanarum* libellum subindicans, quem Decretis Pontificum Romanorum à se editis, & magnâ ex parte (ut videtur) etiam confictis, Isidorus Mercator inseruit: per *Imperialia* fortassè, *Notitiam Dignitatum utriusq; Imperij*; quæ in membranis y *Scoti Cosmographia* titulum obtinet. In priore enim illo Breviculo (quod in duobus MSS. codicibus Isidori Collectioni præfixum repperi) sic expressè est notatum. *In Britanniâ sunt Provinciæ numero V. Britannia prima, Britannia secunda, Flavia, Maximia, Valentiana.* In posteriore Dignitatum laterculo, Vicario Britanniarum totidem quoque assignatæ cernuntur Provinciæ: nimirùm præter *primam* & *secundam* Britanniam, *Maxima Cæsariensis, Valentia*, atq; *Flavia Cæsariensis.* Vnde Proclianum illum *Vicarium Quinq; Provinciarum* cui unâ cum Hispaniarum præfecto Macrobio, anno Dom. CCCXCIX. de ornamentis publicorum Operum conservandis, z lex (ab Arcadio & Honorio Augg. lata) directa est, *non alium quàm Vicarium Britanniarum accipiendum*, in Commentario de statu Paganorum sub Christianis Imperatoribus doctissimus I. C. Iacobus Gothofredus sibi persuasit. quas tamen *Quinq; Provincias*, si rem penitiùs expendisset, a in ipsâ suâ Galliâ Hispaniæ propiores invenire potuisset.

Etsi autem in Metropolitis designandis veterem Ecclesiam civilium Provinciarum rationem ferè secutam, tùm ex probatioris fidei authoribus liqueat, tùm ex commentitijs (quas spectâsse potiùs Giraldus videatur.) b Anacleti & c Stephani I. epistolis: tamen quinquepartitam illam provinciarum Britannicarum divisionem Anacleti vel Eleutherij ætate extitisse, res est ab omni

y Dempster. hist. eccles. Scotor lib. 1. pag. 60. & lib. 9. pag. 389. Cod. Theodos. lib. 16 tit. 10. L. 15. & Cod. Iustinian. lib. 1. tit 11. (de Paganis) L. 3.

z Vid. Fr. Iuret. Miscellan. in Symmach. lib. 4. epist. 30. collat cum tom. 1. Concil. Galliæ, edit Paris. ann. 1629. pag. 18. 25 & 27.

a Anaclet. epist. 3. (tom. 1. Concil pag. 49 col. 1. edit. Colon. ann. 1618.) & eumad verbum secutus Gregorius VII. Regest. lib 6. epist. 35. (ibid. tom. 3. part. 2. pag. 345. col. 1.)

b Stephan. epist. 2. (ibid. tom. 1. pag 134. col. 2) quam Gratianus, dist 80. ca. 1. *Lucij* Papæ nomine perperàm citavit.

omni fide aliena. Nam illis temporibus unicam tantùm Britannniæ fuisse provinciam apparet: quam postea Severus Imperator, cæso Clodio Albino,[d] in duas præfecturas dispertijt; alterâ in [e] *Superiore*, alterâ in *Inferiore* Britanniâ collocatâ. In Constantinianâ deinde Provinciarum dispositione duplicatus est ille numerus, ad Britanniam *primam* & *secundam* adjectâ quoque *Maximâ* & *Flaviâ* Cæsariensi. Tot enim Sexti Rufi Breviarium, ab Huberto Goltzio & alijs ad fidem antiquissimorum exemplarium restitutum, nobis exhibet: (suffragante quoq; integro *decem & octo* provinciarum in Gallijs simul & Britannijs apud eundem numero:) neutiquàm verò duas, ut existimavit [f] Onuphrius Panuinius (*Britanniam primam* cum *Maximâ Cæsariensi* maximo errore confundens) neq; *tres* ut [g] Guil. Camdenus (ex Manuscripto, cum Romanâ Angeli Tifernatis & primis Germanicis ac Gallicis editionibus hîc consentiente) nedùm *quinque*, ut (contra omnium codicum fidem) [h] Humfredus Lhuydus asseruit. Cumque sub initia Valentiniani senioris Rufus scripserit: qui [i] à quantitate *Maximam*, ab ipso verò [k] Constantino, qui [l] *Flavij* sibi prænomen ascivit, *Flaviam* nomen accepisse volunt, rectiùs existimâsse sunt putandi; quàm qui à tyranno *Maximo* & *Flavio* Theodosio (post Valentiniani tempora Imperium adeptis) appellationem illis fuisse impositam conjecerunt.

Sub eodem verò Valentiniano, quinta demùm *Valentia* adjecta est provincia. Theodosius enim (Flavij Theodosij, de quo diximus, pater) Pictis & Scotis fusis, *provinciam quæ in ditionem concesserat hostium ita reddidit statui pristino ut, eodem referente, & rectorem haberet legitimum, & VALENTIA deinde vocaretur arbitrio Principis*: quemadmodum in libro 28 testis est locupletissimus Ammianus Marcellinus. Eam *ab Imperatore Valente* (Valentiniani fratre, atque Imperij consorte; longè utique post Anacleti & Eleutherij tempora) nuncupatam affirmat Giraldus; eandemque facit cum hodiernâ Scotiâ: licèt

[d] διελὼν εἰς δύο ἡγεμονίας τὴν τοῦ ἔθνους ἐξουσίαν. Herodian. histor. lib 3.

[e] Dio lib. 55.

[f] Onuphr. De script. Imperij Romani, lib. 3.

[g] Camden. in Britanniæ divisione, pag. 111.

[h] Lhuyd. fragment. Britann. descript. fol. 38.

[i] Ia. Sirmond. Adventor de regionib. suburbicar. cap. 4. pag. 38. 39.

[k] Guid Panci rol. Commentar. in Notitiam Imper. Occident. fol. 158.

[l] Io. Zonar. tom. 3. & in script. veter.

licèt inter Glottæ & Bodotriæ æstuaria (fretum videlicèt Dunbrittanicum & Edenburgicum) Romanarum provinciarum limites cohibendos esse constet. Mitto, quàm absonum illud sit, Romanis imperium hîc obtinentibus, *fidem Christi per universam insulam à mari usq; ad mare* (sicut ille rem narrat) *plantatam* esse: hoc tantùm adjicio, ipsum Giraldum de harum rerum incertitudine, in *tractatu Retractationum* ita Lectorem suum posteà commonefecisse. *In libello Invectionum, ubi de Ecclesiasticâ Chronographiâ tractatur, præter illa quæ ex Tomis Anacleti Papæ & historijs Bedæ eliciuntur; cætera ferè cuncta (veluti de enumeratione sedium Episcopalium antiquitùs Menevensi Ecclesiæ suffraganearum & subjectarum, necnon de dignitate ejusdem Ecclesiæ ac libertate tempore Wilfridi * Episcopi; sicut & de sedibus metropoliticis Britanniæ majoris per Faganum & Duvianum olim, longè scilicèt ante adventum Saxonum in Britanniam dispositis) magis famam publicam & opinionem, quàm historiæ cujuspiam certitudinem sunt secuta.*

* Menevensis; qui ann. 1115. obijt, postremus Britonum archiepiscopus. V id. Hoveden ad ann. 1115. & 1199.

Guilielmus Malmesburiensis in Prologo libri primi de gestis Anglorum Pontificum, quum Cantuariensem archiepiscopum *totius Angliæ Primatem & Patriarcham* esse dixisset; de antiquioribus Britonum temporibus deinde subjicit. *Cæterùm ubi fuerit Archiepiscopatus tempore Britonum, cognitio labat; quia vetustas consumpsit nostri seculi memoriam.* Vbi Britonas olim suos habuisse Archiepiscopos haud quaquàm inficiatur: licèt de sede primi *Archiepiscopatus*, sive *Patriarchatus*, nihil se comperti habuisse fateatur. Etsi enim hodie *Londinum* civitas sit totius regni Britannici nobilissima; jamq; olim ut *vetus oppidum* ab Ammiano Marcellino, ut *copiâ negotiatorum & commeatuum maximè celebre* à Cornelio Tacito laudatum fuerit; antiquam tamen Britanniarum diœceseos metropolim *Eboracum* potiùs fuisse statuit doctissimus m Bertetius. non solùm quòd Romana esset Colonia, sed etiam quòd Imperatoris palatium & Britanniarum prætorium illic

m Philipp. Berter. Pithanôn. Diatrib. 1. cap. 3. fin.

illic fuerit: indeq; apud Spartianum in Severo *Civitatis* nomen κατ' ἐξοχὴν obtinuerit. pro quo etiam facit, quòd in [a] Arelatensi Synodo, sub Constantino Magno celebratâ, Eborius Eboracensis ante Restitutũ Londinensem Episcopum subscripsisse inveniatur. Nam quod ex *Episcopi* nomine hîc usurpato Iohannes Stowæus inferre voluit, totam hanc de Britannicis *Archiepiscopis* traditionem vel minui vel potiùs labefactari; infirmum nimis est. cùm & alibi passim, & in hâc ipsâ Patrum Concilij Arelatensis nomenclaturâ (in quâ *Archiepiscopi* nomen nulli Antistiti tributum legitur) tùm alios Archiepiscopos tùm ipsum [b] Romanum Pontificem, *Episcopi* titulo simpliciter designari, nemo harum rerum paulo peritior ignoret.

[a] Tom. 1. Concil. Galliæ, pag. 9.

[b] Ibid pag. 8. *Ex urbe Româ missi à Silvestro Episcopo.*

Neque hîc omninò est Guilielmus Neubrigensis audiendus, qui *ne unum quidem Archiepiscopum unquàm habuisse Britones*, in Historiæ suæ Proœmio audacter pronuntiavit. Atqui *magnum illum Davidem Menevensium Archiepiscopum, & septem Episcoporum Primatem* extitisse; ab ipso Guilielmo Malmesburiensi jam antè audivimus. In [p] Chartis quoque Donationum Idonis regis filij Ynir Guent, inter testes è Clericis, primo loco cernitur TELIAUS ARCHIEPISCOPUS; ille nimirùm, quem Davidi suo Menevenses, in sede verò Landavensi Dubricio successisse alij tradiderunt. Et quidem *Meneviam sedem principalem in Cambriâ* fuisse, Leges Howelis Boni confirmant: quam & *Archiepiscopalem* fuisse, Asserij in Vitâ Ælfredi locus ille evincit, de Hemeido Demetiæ regulo ita conquerentis. *Sæpè depradabatur illud monasterium, & parochiam sancti Degui* (Menevensem S. Davidis intelligit) *aliquando, expulsione illorum antistitum qui in eo præessent; sicut & nobis* ARCHIEPISCOPUM *propinquum meum & me expulit aliquando sub ipsis.* ubi per *propinquum* suum, [q] seniorem Asserium intelligere putatur, ecclesiæ Menevensis sancti Degwi sive Davidis archiepiscopum: de quo sub annum Christi DCCCCIX. Caradocus Lancarvanensis. *Obiit Asser Cambriæ* ARCHIEPISCOPUS.

[p] Ex Regest. Landavens.

[q] Io. Bale, script. Britann. Centur. 2. cap. 35.

Nec

Nec ignoro tamen, quodnam virorum doctorum de Galfridi Monemuthensis historiâ hîc fuerit judicium; quod verbis D. Godwini Herefordensis nuper Episcopi (nam, dum ista commentaremur, hanc ille vitam cum meliore commutavit) potiùs quàm meis explicare malui. [r] *Quorundam palato non sapit (ac inprimis ne meo quidem) tot derepente hîc Episcopos constitui, idq; per Lucium Regem, in eâ provinciâ quam planè pacatum Romanos tunc possedisse constat. Ecclesia scilicèt nostra, tanquam Aaronis virga, uno eodemq; tempore & germinavit & folia fructusq; affatim produxit. (Ac verùm in totâ hâc de Lucij rebus narratione, nihil est absurdius, quàm somnium illud de Archiepiscoporum & Episcoporum sedibus ad Archiflaminum & Flaminum ethnicorum numerum aptandis. Commentum, pace dixerim doctissimorum virorum, qui hoc aut tradiderunt aut crediderunt, planè putidissimum & plusquam puerile. Clarius enim est quàm ut possit negari, raro usu venisse, ut non una & eadem civitas plurima haberet Sacerdotum collegia, & sic plures Flamines. Vrbs una Romana non tantùm Dialem habuit (sacrorum quæ ad Iovem pertinerent summum Pontificem) sed, pro Romulo Quirinalem, pro Marte Martialem, & ne singulos enumerem, singulis Diis, singulos Flamines attributos. Fieri igitur quomodo potest, ut inter illorum Flamines & nostros Episcopos aliqua existat proportionis ratio? cùm illi in unaquaque civitate, ne dicam oppido, plurimos haberent Flamines; nos verò aliquot Comitatibus non raro unum duntaxat præfecerimus Episcopum.*

[r] Franc. Godwin. de conver. Britann. à pag. 28 ad 32, unde pancula ista sunt carptim delibata.

Archiflaminum verò, ad quorum rationem *Archiepiscopi* nostri dicuntur constituti, ne nomen quidem apud ullum antiquum & probatæ fidei scriptorem usquam occurrere; in [s] Defensione Apologiæ Ecclesiæ Anglicanæ ante illum monuit gemma illa Theologorum, Iohannes Iuellus Sarisburiensis Episcopus. Primus enim commenti hujus architectus Isidorus Mercator fuit: qui, Clementis ad

[s] Iuel. Defens. Apol. part. 2. cap. 4. divis. 2.

Iacobum fratrem Domini scribentis personâ assumptâ, Petrum præcepisse fingit, [t] *in illis civitatibus in quibus olim apud Ethnicos primi Flamines eorum atq; primi legis Doctores erant, Episcoporum Primates poni vel Patriarchas; in illis autem civitatibus in quibus dudum apud prædictos erant Archiflamines, Archiepiscopos institui.* neq; ex alio fonte sunt hausta, quæ [u] Leo IX. [x] Gratianus, [y] Petrus Lombardus, [z] Guilielmus Durandus, [a] Andreas Dominicus Floccus Florentinus (qui falso *L. Fenestellæ* nomine circumfertur) [b] Polydorus Vergilius, & reliqui recentiores hâc de re commemorant. Et de Hierarchiæ Ecclesiasticæ constitutione ista dixisse sufficiat.

[t] Pseudo-clement. epist. 1.
[u] Leon. IX. epist. 4.
[x] Decret. distinct. 21. in ipso initio.
[y] Sentent lib 4 distinct 24.
[z] Durand. Rational lib 2. cap. 1. num. 21. 22.
[a] Fenestell. de potestatib. Roman. lib. 1. cap. 1.
[b] Polydor. de Inventor. rerum, lib. 4 cap. 13.

CAP. VI.

Fagani & Derwiani iter Romanum, & reditus in Britanniam. Eleutheri P. Epistola ad Lucium. Fagani & Derwiani res gestæ in insulâ Avalloniæ. Antiquitatis Ecclesiæ Glastonienſis assertio: & nova ab Inâ & Dunstano facta restauratio. Privilegia varia à Saxonicis regibus eidem concessa. Arthuri Donatio, & sepulchri inventio. Henrici II. & Edvardi III. Diplomata. Wintonienſis ecclesiæ Antiquitates. Possessiones & libertates Ecclesijs à Lucio tributæ. Fundatio Ecclesiæ S. Petri Westmonasterienſis, B. Mariæ Doverenſis, & S. Martini Cantuarienſis. De Cantabrigienſi & Bannochorenſi gymnasio: & Lucij regis exitu.

[a] Histor. Britannic. lib. 2. cap. 1. edit. Ascensian. lib. 4. cap. ult. edit. Heidelberg.

AD res reliquas, quæ à Fagano & Dwiano sive Derwiano hîc gestæ referuntur, jam progredimur: de quibus ita Galfridus Monemuthensis. [a] *Restauratis omnibus, redierunt antistites*

tistites Romam; & quæ fecerant à beatissimo Papâ confirmari impetraverunt. Confirmatione verò factâ, reversi sunt in Britanniam complurib⁹ aliis comitati: quorum doctrinâ gens Britonum in fide Christi in brevi corroborata fuit. Eorum nomina & actus in libro reperiuntur, quem Gildas de Vitâ Aurelij Ambrosij inscripsit. Quod autem ipse tam lucido tractatu paraverat, nullatenùs opus fuit ut inferiori stylo renovaretur. Similia habet Rogerus Wendoverius, qui hæc ad annum gratiæ CLXXXIIII. necnon Matthæus Parisiensis, Matthæus Westmonasterienſis, & Roffensis historiæ collector, qui ad annum CLXXXVI. referunt. quibus addantur & illi, alterius personati Gildæ, malè tornati versiculi.

-----sic dispositâ regione,
Doctores Romam repetunt: confirmat eorum
Dictus Apostolicus factum. sunt inde reversi
Cum sanctis aliis; quorum doctrina fideles
Reddit & informat in Christi lege Britannos.

Ab his Româ redeuntibus ad Lucium perlatas fuisse existimant aliqui literas illas, quæ Eleutheri Romani Episcopi circumferuntur nomine. Habentur eæ inter leges Edvardi Confessoris; tùm in Ἀρχαιονομίᾳ Guilielmi Lambardi, Londini anno 1568 editâ, tùm in veterum *Legum* exemplari quod, circa Edvardi I. tempora descriptum, olim in prætorio Londinensi, nunc in Bibliothecâ Cottonianâ asservatur: atque etiam in vetusto libro *Regum* MS°, qui *Breton* nominatur. Anglicè quoq; ex varijs antiquis exemplaribus ea transtulit [b] Guilielmus Harrisonus: & datas fuisse asserit *Commodo & Vespronio Consulibus.* cujus hîc fidem [c] Guilielmus Camdenus est secutus: licèt horum Consulum nomen in MSS. quos mihi videre contigit nusquàm occurrebat adscriptum. Constat verò Commodum unâ cum Vespronio secundum Consulatum gessisse anno Christi CLXXIX. quod Eleutheri P. temporibus meliùs quadrat, quàm sequens ἐπιγραφή, ab interpolatore Legum Edvardi (qui has literas

[b] Harrison. Descript. Britann. lib. 1 cap. 9.

[c] Camden. Britann. pag. 47.

primus nobis dedisse videatur) Epistolæ huic præfixa. *Anno centesimo sexagesimo nono à passione Christi, scripsit Dominus Eleutherius Papa Lucio Regi Britanniæ, ad correctionem* (vel *petitionem* potiùs, ut in Lambardi edito, & Bretonico MS° legitur) *Regis & Procerum regni Britanniæ.* ubi notandum, authorem more Gallico annos vulgatæ nostræ æræ à *passione Christi* denominare; quos nos, multo ad veritatem propiùs, à *nativitate* vel incarnatione ejusdem dinumerare consuevimus. Sed en tibi ipsam Epistolam, ex quinque codicibus inter se collatis expressam.

Eleutheri P. Rescriptum ad Lucium Britanniæ Regem.

PEtîstis à nobis leges Romanas & Cæsaris vobis transmitti, quibus in regno Britanniæ uti voluistis. Leges Romanas & Cæsaris semper reprobare possumus, legem Dei nequaquàm. Suscepistis enim nuper miseratione divinâ in regno Britanniæ legem & fidem Christi. Habetis penès vos in regno utramq; paginam: ex illis Dei gratiâ per consilium regni vestri sume legem, & per illam Dei patientiâ vestrum regę Britanniæ regnum. Vicarius verò Dei estis in regno. juxta prophetam Regem: *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo.* & rursùm juxta prophetam Regem. *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* & rursùm juxta prophetam Regem: *Deus judicium tuum* &c. Non enim dixit judicium neq; justitiam Cæsaris.

Psalm. 24.1.

Psalm. 45.7.

Psalm. 72.1.

Filij enim Regis gentes Christianæ & populi regni

gni sunt, qui sub vestrâ protectione & pace in regno degunt & consistunt: juxta Euangeliũ; *Quemadmodum gallina congregat pullos sub alas.* Gentes verò regni Britanniæ & populi vestri sunt; quos divisos debetis in unum ad concordiam & pacem & ad fidem & ad legem Christi & ad sanctam Ecclesiam congregare, revocare, fovere, manu tenere, protegere, regere, & ab injuriosis & malitiosis & ab inimicis semper defendere. Matth. 23. 37.

Væ regno cujus Rex puer est, et cujus principes manè comedunt. Non voco regem [puerum] propter parvam & minimam ætatem; sed propter stultitiam & iniquitatem & insanitatem. juxta prophetam Regem: *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos* &c. Per comestionem intelligimus gulam, per gulam luxuriam, per luxuriam omnia turpia & perversa & mala. juxta Salomonem regem: *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Eccles. 10. 16. Psalm. 55. 23. Sapient. 1. 4.

Rex dicitur à regendo, non à regno. Rex eris dum bene regis: quod nisi feceris, nomen Regis non in te constabit, & nomen Regis perdes, quod absit. Det vobis omnipotens Deus regnum Britanniæ sic regere, ut possitis cum eo regnare in æternum, cujus Vicarius estis in regno prædicto.

---

[f] Censuram verò non aliam hîc adjicere libet, quàm Herefordensis Episcopi: brevem quidem illam, sed liberam & ingenuam. [d] *De hâc Epistolâ si me oporteat sententiam ferre; non nimis profectò sapere secundum Eleutherianum confitendum reor.* [d] D. Godwin. de Convers. Britann. pag. 34

Non

Non prætereundum tamen, quod in Analectis suis Anglo-britannicis monuit, vir non magis nostri Iuris quàm universæ Antiquitatis consultus, Iohannes Seldenus; [e] non Lucio soli *Vicarij Dei* titulum esse tributum, sed posterioribus etiam temporibus Anglorum subsequentes Reges hoc nomine potitos esse. id quod Henrici de Bracton primarij Angliæ Iurisconsulti testimonio confirmat: qui libro 1° de legib. & consuetudinib. Angliæ cap. 8. ita scripsit. *Quod sub lege Rex esse debeat, cùm sit Dei Vicarius, evidenter apparet; ad similitudinem Iesu Christi, cujus vices gerit in terris. quia verax Dei misericordia, cùm ad reparandum humanum genus ineffabiliter ea multa suppeterent; hanc potissimam elegit viam, quasi ad destruendum opus Diaboli, ut non virtute uteretur potentiæ, sed justitiæ ratione.* cui nos & aliud adjicimus, ex eodem Bractono desumptum, lib. 2. cap. 24. *Habet etiam Rex justitiam & judicium, quæ sunt jurisdictionis: ut ex jurisdictione suâ, sicut Dei Minister & Vicarius, tribuat unicuique quod suum fuerit.* & aliud, ex textu Legum Eduardi Confessoris petitum. [f] *Rex autem, quia Vicarius summi Regis est, ad hoc est constitutus, ut regnum terrenum, & populum Domini, & super omnia sanctam ejus veneretur Ecclesiam, & regat, & ab injuriosis defendat, & maleficosab eâ evellat.*

[e] Selden. Analect. lib. 1. cap. 6.

[f] MS. Cottonian. & Argum. Guil. Lambardi, fol. 13 o. b.

De rebus à Fagano & Derwiano apud Glastonienses gestis, longiorem narrationem in libro de Ecclesiæ illius antiquitate pertexit Guilielmus Malmesburiensis. *Prædicando* (inquit) *& baptizando Britanniæ partes peragrantes, in insulam Avalloniæ* (*more Moysi legislatoris interiora deserti penetrantes*) *sunt ingressi: ubi antiquam, Deo dictante, reppererunt Ecclesiam, manibus discipulorum Christi* (*ut ferunt*) *constructam, & humanæ saluti à Deo paratam: quam postmodum ipse cœlorum fabricator multis miraculorum gestis multisq; virtutum mysteriis sibi sanctæque Dei genitrici Mariæ se consecrâsse demonstravit. Fluxerant autem ab adventu discipulorum sancti Philippi in Britanniam usq; ad adventum sanctorum memoratorum* CIII, *anni. Igitur prædicti*

dictis sanctis Phaganno & Deruuiano, oratorio illo sic reperto, ineffabili sunt referti gaudio, ibidem in Dei laudibus moram protrahentes diuturnam, per nouem videlicèt annos; locum etiam diligenter perscrutantes, figuram nostræ redemptionis, aliaque signa manifesta reppererunt, quibus bene cognouerunt, quòd Christiani priùs locum inhabitauerant: postèà cœlesti perpendentes oraculo, quòd Dominus ipsum locum præ cæteris Britanniæ specialiter elegerit ad nomen gloriosæ genitricis suæ ibidem invocandum. Omnem etiam narrationem in antiquis scriptis inuenerunt, qualiter sanctis Apostolis per universum orbem dispersis, sanctus Philippus Apostolus cum multitudine discipulorum in Franciam veniens, duodecim ex ipsis in Britanniam misit ad prædicandum. Qui prædictam capellam, angelicâ docti revelatione, construxerunt: quam postmodùm filius Altissimi in honorem suæ Matris dedicavit. Ipsisque duodecim tres reges, licèt Pagani, duodecim portiones terræ dederunt ad eorum sustentationem. Insuper gesta eorum scripta inuenerunt: ideoque locum ipsum præ cæteris dilexerunt. Qui etiam in memoriam primorum duodecim, ex suis socijs duodecim elegerunt, & in præfatâ insulâ, rege Lucio consentiente, habitare fecerunt. Qui postèà in diuersis locis, sicut Anachoritæ manserunt ibidem; in eisdem videlicèt locis, in quibus primi duodecim primitùs habitauerant. In vetustam tamen Ecclesiam ad diuina obsequia devotiùs complenda crebrò convenêrunt. Et sicut tres reges Pagani dictam insulam cum adjacentijs suis, duodecim primis Christi discipulis dudùm concesserant; ita prædicti Phaganus & Deruuianus ipsis duodecim socijs, & alijs in posterum secuturis, ab eodem Rege Lucio eandem confirmari impetrabant. Sic autem multi alijs succedentes, semper tamen in numero duodenario, per multa annorum curricula, usque ad adventum S. Patricij Hibernensium Apostoli, in memoratâ insulâ permanserunt.

Habentur ea quoque ab anonymo quodam Glastoniensi monacho concioni de cœnobij sui antiquitate inserta; & in magnâ Glastonienſi Tabulâ eiſdem verbis deſcripta, unâ cum additamento iſto. *Illic duo ſancti Phaganus & Deruuianus multum tempus perendinaverunt; & ab Eleutherio Papâ, qui eos in terram iſtam miſerat, decem annos indulgentiæ omnibus ſuorum locum piè viſituris perquiſierunt. Hi verò duo ſancti regionem iſtam in principio ad fidem Chriſtianã converterunt: ſed utrùm ibi requieſcunt, vel inde redierunt, nõn invenimus ſcriptũ. Ibi multi ex diſcipulis ſanctorum Phagani & Deruuiani requieſcunt, qui per ducentos ſexaginta & ſeptem annos quidẽ alij poſtalios, uſq; ad adventũ ſancti Patricij, in præfatâ inſulâ ſient anachoritæ habitaverunt. Illic XII. ſocij magnæ ſanctitatis viri requieſcunt, quos ſanctus Patricius in primo adventu ſuo ibidem invenit, & eos poſtea congregavit, & monaſticè vivere inſtruxit. Horum verò nomina in Chartâ ſancti Patricij reperies deſcripta.* videlicèt, *Brumban, Hyregaan, Brenwal, Wencreth, Bantommeweng, Adelwolred, Lowor, Welias, Breden, Swelwer, Hinloernius, & alius Hin.* quorum nonnulla meræ *Anglo-ſaxonica*, ideoque ſuſpectioris eſſe fidei, jamdudùm me monuit perſpicaciſſimus Camdenus.

Faganum & Derwianum *prædictum Oratorium in inſulâ Avallonia reparaviſſe, & pra omnibus alijs locis honoraviſſe*, ad annum Chriſti CLXVI. ſcribit alius anonymus Glaſtonienſium Chronographus. & relictos ibidem XII. illorum ſocios *in inſulâ illâ, rege Lucio favente, ædificia conſtruxiſſe*, ex eorundem libris refert in Vitâ B. Patricij Johannes Tinmuthenſis. *Horum ergo reſtaurata fuit operâ Vetuſta S. Mariæ in Glaſtoniâ Eccleſia*, inquit Guil. Malmesburienſis; *omnium quas quidem noverim* (ait idem) *antiquiſſima in Angliâ, indeq; cognomen ſortita: quæ primò virgea, neſcio quid divinæ ſanctitatis jam inde à principio redoluit ſpiravitq; in omnem patriam; quamvis*

—ex deformi grandis reverentia cultu.

Vid. ſuprà, cap. 2. pag. 20.

Ejus verò antiquitatem aſtruere nititur, partim ex *illis non exiguæ*

exiguæ (ut affirmat is) *fidei literis apud sanctum Edmundum repertis*, (hoc est, in Burienſi S. Edmundi Bibliothecâ) in hanc ſententiam. *Eccleſiam Glaſtoniæ non fecerunt aliorum hominum manus; ſed ipſi diſcipuli Chriſti eam ædificaverunt.* partim ex quodam *Britonum Hiſtoriographo*; quem & ibi & *apud ſanctum Auguſtinum Anglorum Apoſtolum* ſe vidiſſe dicit. non quòd ipſe *Auguſtinus* ſcripti illius eſſet author (ut g aliquos ſenſiſſe videō) ſed quòd Cantuariæ in monaſterij S. Auguſtini Bibliothecâ fuiſſet repoſitum: inter cujus veteres libros anno 1565. à Iohanne Iofſelino repertum, nos in Muſæo Cottoniano non ſemel perlegimus.

Vixit author tempore Dunſtani Cantuarienſis archiepiſcopi; cujus ille Vitam in hoc deſcripſit Opuſculo: fuitq; non ex *Britonum* (uti Malmesburienſis innuit) ſed ex genere *Anglo-ſaxonum*. quod verba illa ſatis produnt: *Sumpſit ſecum ex more cytharam ſuam, quam linguâ paternâ Hearpam vocamus.* & iſta quoque. *Omnis* HÆC *Anglica terra doctrinâ ejus ſanctâ repleta eſt.* Verba autem ejus ad Glaſtonienſis eccleſiæ antiquitatem ſpectantia, hæc ſunt. *Erat quædam regalis in confinio* (Weſt-Saxonum) *inſula, antiquo vicinorum vocabulo Gleſtonia nuncupata; latiùs locorum dimenſa ſpatiis, piſcoſis aquis ſtagneiſq; circumducta fluminibus, & pluvialis humanæ indigentiæ apta uſibus, atq; ſacris* (quod maximum eſt) *Dei dicata muneribus. In eâ ſiquidem ipſius loci primi Catholicæ legis neophytæ antiquam, Deo dictante, reppererunt Eccleſiam; nullâ hominum arte* (ut ferunt) *conſtructam, immò humanæ ſaluti cœlitùs paratam: quam poſtmodùm ipſe cœlorum fabricator multis miraculorum geſtis, multiſq; virtutum myſterijs, ſibi ſanctæq; Dei genitricis Mariæ conſecratam fore demonſtravit. Huic etiam alind addiderunt opere lapideo Oratorium, quod Chriſto ejuſq; ſancto Petro apoſtolo dedicaverunt.*

Non *Britonum* verò *neophytos* ſed *Anglorum* rectè hîc Malmesburienſis accipit: qui ab Inâ Occiduorum Saxonum rege Eccleſiam Petri & Pauli extructam docet, & in

[g] Matth. Parker. Antiquit. Britannic. Eccleſ. pag. 4. Franc Godwin. de Conveiſ. Britann pag. 12. Edvard. Maihew, Congregat. Anglican. ordinis Benedict. Tabul. 2. pag. 1087. 1088 1103.

supremâ præcinctione inscriptos esse versus à [b] Camdeno memoratos; qui ex epigrammate 7° libri III. & 11°. libri II. Poëmatum Venantij Fortunati desumpti sunt. Verùm ubi apud Fortunatum legitur.

Hæc pius egregio rex Childebertus amore
Dona suo populo non moritura dedit.

hîc positum est:

Hæc pius egregio rex Ina refertus amore, &c.

& ubi apud Fortunatum;

Gallia plaude libens, mittit tibi Roma salutem,
Fulgor Apostolicus visitat Alobrogas.

hîc est adscriptum:

Anglia plaude libens, mittit tibi Roma salutem,
Fulgor Apostolicus Glastoniam irradiat.

Qui versus (ut hoc obiter moneam) si ipsius Inæ exarati sunt temporibus, ostendunt [l] etiam sub Saxonum Heptarchiâ auditum fuisse nomen *Angliæ*; quod [m] ab Egberto Monarchâ primùm fuisse introductum existimatur vulgò.

Ibi etiam *primò rex Ina, consilio beatissimi Aldelmi, monasterium ædificavit; multa illuc prædia, quæ hodieq; nominantur, largitus*: ut habet Guilielmus Malmesburiensis, in gestis Pontificum Anglorum, lib. 2. & in gestis Regum Anglorum, lib. 1. cap. 2. de eodem. Monasterium Glastoniense, *nostris quoque diebus insignissimum, in quodam paludstri recessu construxit; ut scilicet eo tenaciùs Monachi supernis inhiarent, quo castigatiùs terrena haurirent: cui quantum splenderis adjecerit, libellus ille docebit, quem de Antiquitate ejusdem Monasterij elaboravi.* Quod autem [n] *primò regem Inam monasterium hîc ædificavisse* narrat; *de Monasterio redditibus stabilito, cui Abbas ab Episcopo consecratus præfuit*, [o] est qui intelligendum existimet. Videndum tamen, an non de Monasterio potiùs *suis diebus insignissimo* loqui putandus sit Guilielmus; quòd primò ab Inâ constructū, posteà à Dunstano magnificè fuerit restauratum: sic enim ille subjicit. *Quicquid turbo bellorum obtriverat, reparavit egregiè*

[b] Camden. in *Somerset-shire*, pag. 165.

[l] Bibliothec. Patr. tom. 6. part. 2 pag. 326 (edit. Colon. an. 1618.) ubi tamen *prius* malè excusum est, pro, *pius*.

[m] Ibid. pag. 330.

[l] Vid. Iohan. Sarisburiens. Policratic. lib. 6. cap. 17. Matth. Florilegum, ad annum Dom. 586. & Girald. supra, pag. 93.

[m] Humfred. Lhuyd fragment. Britan. descript. fol. 11. b. Histor. Cambriæ, ad ann. 829. Camden. Britan. pag. 99. Verstegan. Restitut. Antiquitat. Anglic. cap. 5. pag. 148. &c.

[n] Vid. supr. cap. 3. pag. 18.

[o] Eduard. Maihew, in Additionib. ad Tabul. 2. Congregat. Anglican. Benedictin. pag. 91.

egregiè Dunstanus, qui priùs eo loci vitam solitariam monachus actitârat; postmodùm verò liberalitate regis Edmundi omnia quondam appendicia & ijs multo plura nactus, Abbatiam composuit, qualis nusquàm in Angliâ sit fuerit ve. tanta est diffusio & opportunitas fundorum, tanta librorum pulchritudo & antiquitas exuberat. Hæc in 2° illo de gestis Pontificum Guliel mus: qui 2° etiam libro de Regum gestis, cap. 7°. integram Edmundi regis Donationem inseruit, anno Dom. DCCCCXLIIII. Indictione I. Ecclesiæ S. Mariæ Glastoniæ & Dunstano Abbati à se ibidem constituto concessam: *scriptamq; literis aureis in libro Euangeliorũ, quem eidem Ecclesiæ obtulit eleganti opere satis compositum*: in quâ privilegia eorum antiqua redintegrat: *quemadmodũ mei antecessores*, inquit, *concesserunt & statuendo confirmaverunt; videlicèt Edwardus pater meus, & Elfredus pater ejus; & Cenwines, Iues, & Cuthredus, & alij complures, qui locum illum honorantes gloriosum habuerunt.*

De eodem Ingulphus Croylandensis quoque in suâ Historiâ. [p] *Rex Edmundus Dunstano sancto tunc presbytero suo Monasterium Glasconiæ, tunc in desolatione à paucis Clericis occupatam, cum omnibus pertinentijs contulit restaurandum, & Monachorum ordinem, prout antiquitùs habuerat, in illo revocandum. Qui Floriacum adiens, & monachus ibidem factus, cùm regulares observantias plenius didicisset, valefaciens fratribus, Glasconiam est reversus: Abbasq; factus ibidem, fratres sui stemmatis accipiens, sanctissimum in brevi Collegium adunavit.* Posteriores Vitæ Dunstani scriptores, quos secutus est Capgravius, *primum abbatem effectum* adjiciunt: indeq; [q] Camdenus, eum hûc *recentiorum institutu monachos Benedictinos induxisse, ipsumque primum numeroso Monachorum gregi hic præfuisse* asserit. Vetus ille, de quo diximus, Vitæ ejus descriptor paulo restrictiùs, ipsum *saluberrimam S. Benedicti secutum institutionem, primum abbatem Anglicæ nationis enituisse* ait. Sed Glastonienses CCL. ante Dunstanum annis, primum Anglicæ gentis abbatem sibi præfuisse tradunt

[p] Ingulph. histor. pag. 871. edit. Francofurt.

[q] Camden. in Somerset. shire. pag. 165.

Beorwaldum vel Brithwaldum: primum verò simpliciter *B. Patricium* nostrum; de quo, in Additionibus ad Guil. Malmesburiensis librum de cœnobij illius antiquitate, ita legimus. *Certissimum est, S. Patricium Hibernienſium Apostolum apud nos requieſcere, & nostri Monasterij primum Abbatem fuisse, tam ex ſcripturis antiquis, quàm etiam ex ejusdem ſancti Chartâ.* & pòst. *Glaſtoniam veniens anno Domini* CCCCXLIX. *duodecim fratres anachoritìcè viventes ibidem reperiens congregavit: Abbatiſq;, omnium voluntate & electione, licèt invitus ſuſcipiens officium, eoſdem vitam agere docuit cœnobialem. Per hunc enim religio Monachorum in Glaſtoniâ ſumpſit exordium; vitam ducentium monachorum more Ægyptiorum. Nondum enim exactum erat ſidus aureum, ſcilicet pater Benedictus, quod orbem terræ ſuâ doctrinâ & exemplo ſiret illuſtraturum.* & in ipso Malmesburiensis libello. *His diebus mortuo Vortigerno, regnabat ſupra Britones Aurelius Ambroſius: & Saxones invaleſcebant, & multiplicati ſunt valde. Sanctus verò Patricius Hibernienſium Apoſtolus, & in inſulâ Avallonìæ Abbas primus, poſtquàm prædictos fratres regularibus diſciplinis convenienter informaverat, & eundem locum terris & poſſeſſionibus de dono Regum ac aliorum principum competenter ditaverat; poſt annos* XXXIX. *ab adventu ſuo in inſulam Avallonìæ decurſos, naturæ ceſſit.* Illi *S. Benignum* succeſſiſſe affirmat ibidem Guilielmus: ac deinde addit. *Succeſſerunt ibidem plures de natione Britonum abbates; quorum tam nomina quàm geſta & memoriam oblivionis nubilo obducens delevit antiquitas. Ipſam tamen Eccleſiam apud magnates Britonum in maximâ fuiſſe veneratione, oſtendunt eorum exuviæ ibidem requieſcentes.* Item: *Effluxis à tempore S. Patricij annis* CCLXVII. *regnante poſt Kynegilſum filio ſuo Kenwalco, qui & Cenwalli eſt dictus, primus de Anglis præſedit in Glaſtoniâ abbas Britwaldus.*

[a] MS. libell. de reliquijs cœnobij Glaſton. circa temp. R. Henrici III. ſcript. Iohan. Tinmuthenſis in Vitâ Patricii, Tabula magna Glaſtonienſ. &c.

[b] MS. in Bibliothecâ Collegij S. Trinitatis, Cantabrig.

[c] Io. Balæ. ſcript. Britann. Centur. 1. cap. 75. & Centur. 10. cap. 7.

[c] Balæus, ex Iohannis Lelandi Collectaneis, primum abbatem Glaſtoniæ circa annum DCXXX. Worgreſium fuiſſe refert, Britannici generis virum: habuiſſique ex

eodem

eodem cœnobio socium eruditum, *Mawornum* episcopum, qui Annales suæ patriæ composuerit. [a] Abbatem verò à Worgresio isto quartum designatum esse *Brithwaldum*; qui anno DCXCIII. Cantuariensis ordinatus est Archiepiscopus. Et eum quidem [x] Malmesburiensis inter septem illos qui è Glastoniensi cœnobio ad Cathedram Cantuariensem sunt evecti connumerat: sed Abbatis munere functum apud Cantianos, in monasterio Regulbij (quod Saxonibus *Raculf-minster*, hodie *Reculver* appellatur) ex [y] Bedæ liquet Historiâ. Magnæ Glastonienſis Tabulæ exarator trium *Archiepiscoporum* corpora in insulâ Avalloniæ requiescere perhibet (*S. Patricij* videlicèt Hibernienſium, *S. Davidis* Legionum, & *S. Dunstani* Cantiorum archiepiscopi) *Episcoporum* verò novem; quorum unum *Brichtwoldum* nominat. At ejus nominis ego nullum in veteribus Anglo-saxonicorum Episcoporum Indiculis invenio: & Archiepiscopum, Doroberniæ defunctum in ecclesiâ S. Petri (sive S. Augustini Cantuar.) sepultum fuisse, in ipso Annalium quibus Bedam continuat initio docet Hovedenus. ut primus ille è gente Anglorum Glastonienſis abbas, non tàm *Brithwaldus* sub Kenewalchio, quàm *Beorwaldus* sub Inâ rege censeri possit videatur. ille nimirùm Beorwaldus, quem Glastonienſem abbatem post *Hemgiselum* extitisse, & nomen in pyramide juxta *vetustam ecclesiam* positâ insculptum habuisse, notat [x] Malmesburiensis.

[a] Ibid Centur 1. cap. 99.

[x] Guil. Malmesbur. de gest. Reg. Anglor. lib. 2. cap. 11.

[y] Bed. lib. 5. cap 9.

[x] Guil. Malmesbur. de ant. quit. eccles. Glaston.

Hemgisli autem sive Hemgiseli illius tempus duæ Chartæ regiæ nobis patefaciunt. una *Baldredi* reguli, ex consensu Heddæ Wintonienſis episcopi & Aldelmi Malmesburiensis abbatis, anno DCLXXXI. illi donata; *ad supplementum honorabilis ecclesiæ B. Mariæ & B. Patricij quæ sita est in Glastingaburi*: altera *Inæ* regis, consilio Aldelmi Schireburnensis tunc episcopi, anno DCCIIII. confirmata *monachis qui in Ecclesiâ beatæ Dei genitricis Mariæ & beati Patricij omnipotenti Deo sub abbate Hemgisio famulantur in prisfinâ urbe quæ dicitur Glastingay*. quâ utrâq; duæ etiam

antiquiores.

antiquiores extant regum West-saxonicorum Donationes: prior *Kenewalchi* illius de quo dictum est, data anno Domini DCLXX. regni sui XXIX. posterior octavo post anno concessa à *Kentwino*; de quo magnæ Glastonienſis Tabulæ consarcinator. *Illic*, inquit, *requieſcit rex Centuinus, vel Kentwinus, in pyramide ſaxeâ in cimiterio Monachorum. Hic de regibus Anglorum primus fuit, qui inſulam Glaſtoniæ liberam ab omni regali ſervitio veteris Eccleſiæ conceſſit; ſicut reges Britonum ante eum jampridem confirmaverunt.* Item: *Hedda epiſcopus in ſuperiori cimiterio monachorum, in pyramide ſaxeâ quondam nobiliter exculptâ, ibi hunc requieſcit. Hic regiam libertatem inſulæ Glaſtoniæ de rege Centwino ad veterem Eccleſiam impetravit: & liberam electionem fratribus ibidem Deo ſervientibus ab eodem Rege perquiſivit, ut haberent jus eligendi & conſtituendi ſibi Rectorem, ſecundum Regulam S. Benedicti.* Quod maximo argumento est, non modò ante Dunſtani præfecturam, ſed ante Inæ regnum quoque, Monachorum conventum ſub Benedicti Regulâ viventium ibidem extitiſſe.

Privilegij autem, quo hujuſmodi electionis Glaſtonienſibus conceſſa eſt poteſtas, ut & Donationis Kenewalchianæ, & alterius ab Heddâ epiſcopo, cum conſenſu Cedwallæ tùm pagani (qui poſteà, Chriſtianam fidem amplexatus, Kentwini in regno ſucceſſor fuiſſe videtur) anno DCLXXXI. factæ, mentio fit in ipſius Inæ *Magno* hoc *Privilegio*, anno Dominicæ Incarnationis DCCXXV. (vel DCCXXI. potiùs, ſi IIII^a. appoſita Indictio rectè ſe habeat) conſignato.

Ego Inæ *regali fretus dignitate à Domino*, (*cum conſilio* Sexburgæ *reginæ, & licentiâ* Beorthwaldi *Dorobernenſis eccleſiæ Pontificis & omnium ſuffraganeorum ſuorum, necnon & hortatu* Baltdredi & Athelardi *ſubregulorum*) Eccleſiæ veteris, *quæ eſt in loco qui dicitur* Glaſteie, (*quam magnus Sacerdos & Pontifex ſummus, angelorum obſequio, ſibi ac perpetuæ virgini Mariæ, beato David multis & inauditis miraculis olim ſe ſanctiſicâſſe innotuit*) *ex ijs quæ paternâ*

hereditate

hæreditate possideo, & in dominium peculiare teneo, locis continuis & congruentibus secedo, ad supplementum vitæ regularis & ad usum monachorum; Brente *decem hidas*, Sowi *duodecim hidas*, Pilton *viginti hidas*, Dulting *decem hidas*, Bledeni *unam hidam. cum ijs omnibus quæ antecessores mei eidem Ecclesiæ contulerunt*; Kenewalchius *qui, sancto Theodoro archiepiscopo interveniente*, Ferlingmere, Beokerie, Godenie, Martinesie, Edredesie; Kenwinus *Rex (qui* Glastingeie Matrem Sanctorum *vocare solitus fuerat, & eam ab omni seculari & ecclesiastico obsequio immunem statuit; & hanc privilegij dignitatem concessit, ut habeant fratres ejusdem loci potestatem eligendi & constituendi sibi rectorem juxta Regulam S. Benedicti.)* Hedde *episcopus, qui* Cedwallâ *annuente & propriâ manu (licet paganus) confirmante*, Lantokai; Baltdrec, *qui* Penard 6. *hidas*; *Adthelard, qui* Pceld 60. *hidas, me annuente & confirmante dederunt. Quorum ego devotioni & benignæ petitioni assentio, & contra malignantium hominum & oblatrantium canum insidias regalium munimine invigilo litterarum: quatenùs Ecclesia Domini nostri Iesu Christi & perpetuæ Virginis Mariæ, sicut in regno Britanniæ est prima & fons & origo totius religionis, ita & in ipsâ supereminentem privilegij obtineat dignitatem; nec ulli omninò hominum ancillare obsequium faciat in terris, quæ super choros Angelorum dominatur in cœlis.*

Illam verò de *B. Davide* fabellam hîc perstrictam (quod fundamentum est reliquarum quæ de Glastoniensis ecclesiæ primordijs posteà invaluerunt traditionum omnium) Guilielmus Malmesburiensis in libro de antiquitate Glaston. Iohannes Tinmuthensis (& ex eo Capgravius) in Vitâ Patricij, & magnæ Glastoniensis Tabulæ concinnator, latiùs explicârunt. quibus & ista addantur, ex minore Tabulâ æneâ, [a] de vetere illâ Ecclesiâ à Christo consecratâ, *sancto David Menevensium Archiepiscopo hoc testante: cui Dominus Ecclesiam illam dedicare disponenti in somnis apparuit, & eum à proposito revocavit; necnon in signum quòd ipse Dominus Ecclesiam illam*

[a] Supr. cap. 2. pag. 16. D. Godwin. de Convers. Britann. pag. 13.

illam primus cum cœmiterio dedicârat, manum Episcopi digito perforavit: & sic perforata, multis videntibus, in crastino apparuit. Posteà verò idem Episcopus, Domino revelante, ex sanctorum numero in eâdem crescente quendam cancellum in Orientali parte huic Ecclesiæ adjecit, & in honore beatæ Virginis consecravit; cujus altare inæstimabili sapphiro in perpetuam hujus rei memoriam insignivit. Et ne locus aut quantitas prioris Ecclesiæ per tales augmentationes oblivioni tradatur; erigitur hæc columna, in lineâ per duos Orientales angulos ejusdem Ecclesiæ versùs meridiem protractâ & prædictum cancellum ab eâ abscindente. Et erat longitudo ab illâ lineâ versùs Occidentem XC. pedum, latitudo verò ejus XXVI. pedum, distantia centri istius columnæ à puncto medio inter prædictos angulos XLVIII. pedum.

Ecclesiolam illam à Davide adjectam, *Seint Marie le petite*, sive *Sanctam Mariam parvam*, fuisse nominatam; veterem verò à Paulino novo opere postea instauratam, in magnâ Tabulâ legimus. *Anno* (inquit author) *Domini* DCXXV. *S. Paulinus Northanhumbrorum archiepiscopus Glastoniam ad perendinandũ venit. Hic muros vetustæ Ecclesiæ ligneo tabulatu construere fecit, & extrà à summo usq; deorsum in terram plumbo undiq; cooperire fecit: & sic illud sanctum Oratorium in eâdem factum usque ad combustionem ejusdem Ecclesiæ perduravit.* Unde lucem accipit subscriptio prioris Privilegij ab Inâ rege huic cœnobio concessi. *Actum publicè & confirmatum in ligneâ Basilicâ, anno Domini* DCCIIII. & alterius, [b] quo à Cnutone antecessorum suorum (*Cenwini, Inæ, Cuthredi, Aslredi, Alfredi, Edwardi, Ethelredi, Ailstani, Edmundi*, & *Edgari*) Donationes confirmantur. *Scripta est hujus Privilegij donatio & promulgata in ligneâ Basilicâ, sub præsentiâ regis Cnutonis, anno ab Incarnatione Dominicâ* MXXXII. Præ cæteris verò rex Edgarus Glastoniense cœnobium amplificare studuit: non solùm privilegia concessa à prædecessoribus (*Cenwino, Inâ, Ethelardo, Cuthredo, Elfredo, Edwardo, Ethelstano*, & *Edmundo*) confirmando, sed nova etiam complura

[b] Guil. Malmesbur. de gestis Reg. Anglor. lib. 2. cap. 11.

plura adjiciendo; quæ ex Glastonienſium *antiquâ ſchedulâ* recitat [c] Malmesburienſis.

[c] Id. ibid. cap. 8

Extat adhuc ejus [d] Diploma, datum *anno Dominicæ Incarnationis* DCCCCLXXI. *Indictione* XIIII. *præſentibus & conſentientibus Dunſtano archiepiſcopo Cantuar. & Oſwaldo Eboracenſi, & Athelwoldo Wintonienſi, & Brithelmo Fontanenſi, & reginâ Edgiuâ, & multis aliis Ducibus & principibus, & aliis innumeris.* in cujus Proœmio leguntur iſta. *Dignum videtur, ut Eccleſia beatiſſimæ Dei genitricis ſemperq; virginis Mariæ Glaſtonienſis, ſicut ex antiquo principalem in regno meo obtinet dignitatem, ita ſpeciali quâdam & ſingulari Privilegij libertate per nos honoretur.* deinde, inter alia privilegia, confirmatur & illud. *ut, quod hactenus ab omnibus anteceſſoribus diligenter obſervatum eſt,* [*] *Fontanenſis epiſcopus vel ejus miniſtri ſuper hoc monaſterium vel ſuper parochiales Eccleſias ejuſdem* (videlicèt Strete, Mereliuch, Budecleth, Shapwyke, Solwi) *aut ſuper eorum Capellas; nec etiam ſuper eas quæ in inſulâ continentur* (ſcilicèt Bekerye, *quæ Parva Hibernia dicitur*, Godenye, Martineſye, Pathenebyrge, Adzedſye, [*] Ferlingende) *nullam omninò poteſtatem habeant.*

[d] Id. in lib. de Antiquit. Eccleſ. Glaſton.

[*] *Wellenſis vulgo dictus.*

[*] *Ferlingmere.*

Hæc omnia eo ſtudioſiùs à me ſimul huc ſunt congeſta; ut intelligi poſſet, quænam de Glaſtonienſis eccleſiæ antiquitate Anglo-ſaxonum temporibus opiniones receptæ fuerint. nempè, I. *Primam in regno Britannia* eam fuiſſe habitam, ac *fontem & originem totius religionis* (ut Ina inquit) atq; *ex antiquo* (ut loquitur hîc Edgarus) *principalem in eo regno obtinuiſſe dignitatem.* II. A diſcipulis Chriſti ædificatam, & ab ipſo Chriſto conſecratam primitùs fuiſſe. III. Glaſtoniam *Matrem Sanctorum* fuiſſe nominatam. IV. Præ aliis Sanctis ita celebrem fuiſſe *Patricij* noſtri in eâ memoriam; ut vetuſta illa Eccleſia B. Mariæ ſimul & B. Patricij nomen acceperit. quemadmodum ex Baldredi & Inæ Chartis liquet: quibus addi poteſt & *Ealredi* cujuſdam Donatio; quâ conſtat ſunt *Eccleſiæ B. Dei genitricis Mariæ & S. Patricio, ſub ſeſtimo-*

nio regis Edgari optimatumq; suorum, XI. hidæ de Cliſan.

Atque ex hiſce demùm eſt prognata illa *B. Patricio* aſſicta Epiſtola: in quâ non ſolùm quæ de Vetuſtâ Eccleſiâ *S. Mariæ* à XII. diſcipulis Philippi & Iacobi conſtructâ ſuperiùs recitavimus, ſed etiam de Oratorio *S. Michaelis* in montis cacumine à Fagano & Deruuiano ædificato leguntur iſta. *Invenimus volumen unum, in quo ſcripti erant actus Apoſtolorum, pariter cum actis & geſtis ſanctorum Phagani & Deruuiani, ex magnâ parte conſumptum: in cujus tamen fine voluminis invenimus ſcripturam, quæ dicebat, quòd prædicti ſancti Phaganus & Deruuianus per revelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti idem Oratorium ædificaverunt in honore ſancti Michaelis archangeli; quatenus ibi ab hominibus haberet honorem, qui homines in perpetuos honores jubente Deo eſt introducturus. At cùm delectaret nos illa ſcriptura, nitebamur eam ad finem legere. Dicebat etenim eadem ſcriptura, quòd venerandi Phaganus & Deruuianus moram ibi fecerunt per novem annos: & quòdipſi etiam perquiſierant triginta annorum indulgentiam, omnibus Chriſticolis locum ipſum ob honorem beati Michaelis piâ voluntate viſitantibus.* Neq; adhuc tamen rerum ad Ioſephum Arimathæenſem ſpectantium facta eſt illa acceſſio: de quibus, uti de ipſâ etiam commentitiâ hâc Epiſtolâ, in ſcriptis ante Normannorum adventum editis (quemadmodum [f] antè ſubindicavimus) altum eſt ſilentium.

[a] Supr. cap. 2. pag. 10.

[f] Ibid. pag. 12.

[g] Ibid. pag. 18.

Ab [g] *Arthuro* quoq; & alijs Chriſtianis Britonum regibus, cœnobium ſuum *dotatum fuiſſe pluribus poſſeſſionibus*, affirmant monachi Glaſtonienſes. *Anno* DXLII. (inquit eorum unus) *inclytus Arturus obiit: & ſepultus in inſulâ Avalloniæ in Domino requieſcit, qui è regibus Britonum octavus decimus fuit, qui Chriſtiani fuerunt; & illam Eccleſiam à diſcipulis ſanctorum Philippi & Iacobi in inſulâ Avalloniæ olim conſtructam nimis dilexerunt, de terris & poſſeſſionibus eam valde ditaverunt, libertamque ab omni ſeculari ſervitio per Privilegia & Regalia ſcripta confirmaverunt.*

maverunt. Arturum verò regem, dicto illo anno, *lethaliter vulneratum, ad sananda vulnera sua in insulam Avallonis advectum, cognato suo Constantino diadema Britanniæ concessisse,* refert [h] Galfridus Monemuthensis: in quâ etiam insulâ (mortuo jam Galfrido) sepulchrum illius inventum fuisse, cùm ab alijs proditum est, tùm in magnâ Glastonien si Tabulâ hoc modo.

[h] Histor. Britannic. lib. 11 cap. 3

In hâc insulâ, quæ insula Avallonia dicitur, immò in hoc Tumulo Sanctorum, apud Glastoniam requieverit inclytus rex Arthurus flos regum Britanniæ, & Guenhavera ejus Regina. qui post decessum eorum, juxta vetustam Ecclesiam, inter duas pyramides lapideas quondam nobiliter insculptas, honorabiliter sepulti fuerunt: & ibidem per multa annorum curricula requieverunt, (videlicèt DCXXVIII. *annos) usq; ad tempus Henrici de Soili; qui post combustionem ejusdem Ecclesiæ abbas fuit illius loci. Prædictus verò Abbas à compluribus sapissimè admonitus, jussit inter prædictas pyramides fodere, si Regum corpus valerent invenire: & antequàm fodere inceperunt, cortinis totum locum circumdederunt. Foderunt igitur in profundum valdè, & ad extremum ingens sarcophagum ligneum totum clausum invenerunt: & illud quàm citiùs potuerunt cum eorum utensilibus aperuerunt; & Regum corpus intrò invenerunt, & quandam Crucem de plumbo totam in unâ parte ita descriptam.* HIC IACET SEPVLTVS INCLITVS REX ARTHVRVS IN INSVLA AVALLONIA. *Deinde tumbam Reginæ aperuerunt, & crines capitis sui per similitudinem sicut noviter ibidem sepultæ erat, circa corpus suum jacuerunt: sed cùm eos tetigerunt, totum in pulverem devenerunt. Abbas verò & Conventus cum ingenti gaudio & honore maximo eorum exuvias inde transtulerunt, & in mausoleo intùs bipartito & extrà nobiliter in petrâ excisò, in majori Ecclesiâ eos ita collocaverunt: Regium videlicèt corpus per se ad caput tumbæ, & Reginam in orientali parte imposuerunt. Et hi versus circa Epitaphium subtiliter exsculpti sunt.*

Hic jacet Arthurus, flos regum, gloria regni;
Quem mores, probitas, commendant laude perenni.

Arthuri jacet hic conjunx tumulata secunda;
*Quæ meruit cœlos virtutum prole * secunda.*

* al. secunda.

Henricum abbatem, cujus in hâc historiâ facta est mentio, [l] Iohannes Lelandus *Bleſenſem* alias *Soliacenſem* dictum fuisse ait; Henrici II. regis ex Adelâ nepotem & Richardi regis consanguineum, ex abbate Bermundianæ insulæ Glastonienſem primum Præsidem, ac deinde Wintonienſem Episcopum designatum. Verùm sciendum est, duos fuisse *Henricos* abbates Glastonienses, à Lelando hîc in unum conflatos. Prior *Bleſenſis* fuit, Henrici (non secundi, sed) primi ex sorore Adelâ nepos, Stephani regis & Theobaldi Comitis Bleſenſis frater; qui anno MCXXIX. ad Wintonienſem Episcopatum promotus, anno MCLXXI. vivere desijt. Atq; huic librum de Glastonienſis ecclesiæ antiquitate dicavit Guilielmus bibliothecarius Malmesburienſis, proprio cognomine *Somerſet* dictus; quem [k] Balæus anno MCXLII. vitam, [l] Matthæus Parisiensis Anglorum historiam terminavisse asserit: licèt principia gestorum anni MCXLIII. ipse exponat in Novellâ suâ Historiâ. Posterior, Henricus *Soliacenſis* (de *Soili* vel *Sully*, & quibusdam *Suineſius* appellatus) post combustionem Glastonienſis ecclesiæ (quam anno MCLXXXIIII. contigisse notat Hovedenus) Abbatiam adeptus, anno (ut ex eodem intelligimus) MCXCIII. Wigornienſis factus est episcopus, & MCXCV. obijt. Ab eo Arthuri & uxoris ipsius inventæ sunt reliquiæ, atq; in marmoreo monumento conditæ; appositis duobus illis jam commemoratis distichis. ex quo scalmo navigium compingens [m] Pitsius; *ex multis quæ & oratorio stylo scripsit & poëtico, nullum titulum apud scriptores invenisse* se fingit, *præter diversi generis Poëmatum librum unum.*

[l] Leland. Assert. Arturij, fol. 25. a. & 26. b.

[k] Balæ, script. Britann. Centur 2. cap. 73.

[l] Matth. Paris. in histor. anni 1142.

[m] Io. Pits. de illustrib. Angliæ scriptorib. num. 367.

[m] Balæus

[a] Balæus quoq;, illâ duorum Henricorum confusione, quam à Lelando hausit, non contentus, de suo adjecit, *scripsisse Soliacum plura, tam prosâ quàm carmine; & inter alia ad avunculum Regem, adjutore Giraldo Cambrensi, De inventione corporis Arthuri librum* 1. addens, se *reliqua ejus opuscula nec tetigisse unquam, nec vidisse.* quasi vel ille, vel alius quisquam mortalium, alterum illum librum aut tetigisset uspiam, aut aspexisset: quem tamen (hoc commenti genere, quod Balæo nimis familiare est, haud satis perspecto) *extare etiamnum hodie,* pronuntiat [o] Godwinus noster. Historiam quidem Arthuriani sepulchri ab Henrico abbate Glastoniæ inventi, & in libro de Institutione Principis & in Speculo Ecclesiastico fusiùs enarrat Giraldus; atq; ab eodem Abbate tùm Arthuri ossa, tùm Crucem illam plumbeam ostensa sibi fuisse agnoscit: sed de eo argumento librum aliquem ab illo fuisse compositum, neq; ipse dicit, neq; ante Balæum ullus alius.

[a] Balæ. centur. 13. cap. 28.

[o] Fr. Godwin in Wintoniensium episcop. catalogo, num. 37.

Giraldi verba de Arthuri ossibus hæc sunt. *Os tibia ipsius appositum tibiæ longissimi viri (quod & nobis Abbas ostendit) & juxta pedem terræ illius adfixum, largè tribus digitis trans genu ipsius se porrexit. Os etiam capitis, tanquam ad prodigium vel ostentum, capax erat & grossum; adeò ut inter cilium & oculos palmalem amplitudinem largè continere. Apparebant in hoc decem aut plura vulnera: quæ cuncta, præter unum majus cæteris quod hiatum grandem fecerat quodque solum lethale videretur, in solidam concreverant cicatricem.* de plumbeâ Cruce, ista. *In lapide quodam lato tanquam ad sepulchrum à fodientibus invento, quasi pedibus sepulchrum sub terrâ (cùm tamen sepulchrum Arthuri novem pedibus inferiùs inventum fuerit) reperta fuit Crux plumbea, non superiori sed potiùs inferiori parti lapidis inserta, literas has inscriptas habens.* HIC IACET SEPVLTVS INCLITVS REX ARTHVRIVS IN INSVLA AVALLONIA CVM WENEVERIA VXORE SVA SECVNDA. *Crucem autem hanc extractam à lapide, dicto Abbate Henrico ostendente, perspeximus, & literas has legimus.*

gimus. Ubi ex inscriptione demendæ videntur postremæ quinque dictiones: quippe quæ neque apud Glastonienſem monachum inveniuntur qui totam hanc narrationem ipsissimis Giraldi verbis expressit, neque in Protypo [r] Crucis ipsius; quæ in Glastonienſis ecclesiæ gazophylacio usq; ad cœnobij illius dissolutionem est conservata. de quâ Iohannes Lelandus. *Erat ex laminâ plumbeâ confecta, longa plus minus pedem unum: quam & ego curiosissimè contemplatus sum oculis, & solicitis contrectavi articulis, motus & antiquitate rei & dignitate. Literis Romanis majusculis illis, sed parum dexterè insculptis, hæc verba continet.*

HIC IACET SEPVLTVS INCLYTVS REX ARTVRIVS IN INSVLA AVALONIA.

[r] Leland in Assert. Arturij, fol. 22. 23. & Camden. in Somer-setshire, pag. 166.

Tempus inventæ hujus Crucis & Sepulchri, in rhythmicis versibus quos de Arthuro scriptos habeo, ita notatum comperi.

Annis millenis bis centum connumeratur,
Tollitur undenus numerus; tunc extumulatur.
In tumulo cujus Crux plumbea scripta reperta,
Facti tunc hujus reddebat singula certa.

Ex 1200. sublato undenario, relinquitur annus 1189. ad quem à Malmesburiensis quoq; interpolatore ista referuntur: qui etiam *in die Veneris Pentecostes*, sive XXV. die Maij, ann. MCLXXXIIII. Glastonienſis cœnobij combustionem, post quam Henricum de Soliaco Abbatem factum fuisse audivimus, contigisse confirmat. *In æstate* (inquit) *die videlicèt S. Urbani totum monasterium (præter Cameram cum suâ Capellâ à Roberto abbate constructam, & Campanarium ab Henrico episcopo constructum) consumpsit incendium.* ubi, *reliquiarum confusio, thesauri (tam in auro & argento, quàm in pannis sericis, libris & cæteris Ecclesiæ ornamentis) direptio, etiam remotos hæc audientes non immeritò posset ad lamenta provocare.* quod sententiam refellit, & [q] Nicolai Harpsfeldij, in annum MCLXXVII & [s] Iohannis Caij, in annum MCLXXX. translationem reliquiarum Arthuri conferentis.

[q] Harpsfeld. histor Eccleſiast. Anglican. lib. 1. cap. 24.
[s] Cai. Antiquit. Cantebrig. lib. 1. pag. 53.

Matthæus

Matthæus uterq;, Parisiensis & Westmonasterienſis, cum Iohanne Bevero (quem Castoreum & Fiberium vocant) earum inventionem in annum conjiciunt MCXCI. quo Rogerus Hovedenus & Gualterus Coventrenſis gladium Arthuri, quem Britones *Caliburne* vocant, Tancredo Siciliæ regi à Richardo I. donatum fuisse ſcribunt. Sed regnante Henrico II. (quem VI. die Iulij, anno MCLXXXIX. vitâ exceſſiſſe conſtat) Arthuri oſſa effoſſa fuiſſe, ex Giraldi Cambrenſis narratione intelligitur: cujus hoc Exordium eſt. *Regnante noſtris in Angliâ diebus Henrico II. contigit ut apud Glaſtonienſe cœnobium, quondam* (ante combuſtionem ſc.) *nobile, ſepulchrum Arthuri, dicto Rege monente & Abbate loci ejuſdem Henrico (qui ad Cathedram Wigornienſem tranſlatus poſteà fuit) procurante, diligenter quæſitum, in cœmiterio ſacro à S. Dunſtano dedicato, inter duas Pyramides altas & literatas in Arthuri memoriam olim erectas, multis laboribus effoderetur; & corpus ejuſdem in pulverem & oſſa redactum, ab imis ad auram & ſtatum digniorem transferretur.* Concluſio verò iſta. *Dictus autem Abbas corpore reperto, monitis quoque dicti regis Henrici, marmoreum ei ſepulchrum fieri fecit egregium, tanquam Patrono loci illius præcipuo: qui ſcilicèt Eccleſiam illam pra ceteris regni cunctis plùs dilexerat, terriſque largis & amplis locupletaverat. Ideoque non immeritò, ſed juſto quoque Dei judicio (qui bona proculdubio cuncta, non ſolùm in cœlis verumetiam in terris, ſive in vitâ ſive poſt mortem gloriam conferendo plerumque remunerat:) in cœnobiali demùm Eccleſiâ, antiquâ pra ceteris regni totius & authenticâ, corpus Arthuri egregiè ſepultum fuit; & glorificè, ſicut debuit & tantum virum decuit, collocatum.*

Inter terras, quibus Arthurum eccleſiam Glaſtonienſem locupletaviſſe ait hîc Giraldus, Wentmarſh

marsh nominat Iohannes Rossus: quam alij *Renarum palustrium regianem* interpretantur; Malmesburiensis à *Bregdeno* illo derivat, cujus nomen in duarum Pyramidum (inter quas Arthuri corpus fuit repositum) majore insculptum repperit. *Certè* (inquit) LOGWOR *ita pro certo asseritur esse, de cujus nomine* Logweresbeorh *dicebatur, qui nunc* Mons Acutus *dicitur*: * BREGDEN *à quo* Brentaknolle, *qui nunc* Brentemers *dicitur*. Donationis verò Arthurianæ tabulas, inter aliorum Regum alias complures exhibitas sibi fuisse testatur Henricus II. in Chartâ anno MCLXXXV. novæ Ecclesiæ Glastonienſi (post veteris incendium à se fundatæ) concessâ: quam vidisse se affirmat ‡ Iohannes Caius *silvam atq; integram, equite in cerâ viridi configuratam, sigillo de filo serico albo atque rubro pendente confirmatam.* Eam & nos, inter Archiva Regia in Arce Londinensi asservata, † quinquies transcriptam invenimus: indeque illas decerpsimus.

* *A Lelando, in Assert. Arturii, fol. 24. & qui ex eo exscripsit, Camdeno, pag. 167. hoc omissum est.*

‡ *Cai Antiquit. Cantebrig. lib. 1 pag. 54.*

† *Inspeximus Chart. an. 6. Edward. II. num. 13. & an. 7. ejusd. num. 29. & an. 1. Eduard. III. num. 67. & & an. 6. ejusd. num. 27. & Patent. an. 1. Eduard. IIII. part. 6. membran. 21.* Eam etiam Ecclesiasticæ suæ historiæ libro 1 cap. 2. inseruit Harpsfeldius.

Henricus Dei gratiâ Rex Anglia, Dux Normanniæ, Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ; Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Iusticiarijs, Baronibus, Vicecomitibus & omnibus fidelibus suis Francis & Anglis totius Angliæ, Salutem. Quoniam quæ seminaverit homo, hæc & metet: Ecclesiæ Glastonia fundamentum jaciens, quæ dum in manu meâ fuerat incendio consumpta in cinerem resedit, eam Domino volente (persuadentibus. Eraclio Patriarchâ Hierosolymitano, Baldewino Archiepiscopo Cantuariensi, Richardo Wintonienſi Episcopo, Bartholomæo Exoniensi Episcopo, Randulfo de Glanvill, cum multis aliis) per me aut per hæredes meos consummandam, magnificentiùs reparare decrevi. Quæcunque etiam à prædecessoribus meis Willielmo primo, Willielmo secundo, & Henrico avo meo; sed & ab antiquioribus, videlicèt sancto Eadgato patre sancti Edwardi, ab Eadmundo & patre ipsius Edwardo, & Ælfredo avo ejusdem, Bringwalchio, Kenthwino,

Kenthwino, Baldredo, Inâ, inclito Arturo, Cudredo, & multis alijs Regibus Christianis, sed etiam à Kenewallâ quodam Rege pagano (quorum Privilegia & Chartas feci diligenter inquiri, & coram me præsentari & legi) confirmata sunt prædicta Ecclesiæ (quæ olim à quibusdam Mater Sanctorum dicta est, ab alijs Tumulus Sanctorum; quam ab ipsis discipulis Domini ædificatam, & ab ipso Domino dedicatam primò fuisse, venerabilis habet antiquorum auctoritas) ego quoque in honorem Dei & beatissimæ Virginis Matris suæ (quæ locum illum sibi specialem & primum in hoc regno elegit) & omnium Sanctorum ibidem quiescentium, pro salute animæ meæ & antecessorum & hæredum meorum concedo, & hâc meâ Chartâ confirmo omnes libertates & dignitates, privilegia & liberas consuetudines, quæ à prædictis nobilibus viris collata sunt præfatæ Ecclesiæ, & Apostolicis sanctionibus munita, & à beatis Ealfego & Dunstano Archiepiscopis, & quondam loci illius monachis, & à prædecessoribus eorum & posteris roborata, &c. Sed præcipuè villa Glaston. in quâ vetustæ Ecclesiæ genitricis Dei sita est (quæ fons & origo totius religionis Angliæ pro certo habetur) præ cæteris sit liberior cum Insulis suis, scilicèt Becariâ quæ parva Hibernia dicitur, Godeneyâ, Martenesiâ, Ferramere, Patheneberga, & Adredesiâ, &c. Testibus Eraclio Patriarchâ Hierosolymitano, Willielmo Remensi Archiepiscopo, Baldewino Archiepiscopo Cantuariensi, Richardo Wintoniensi Episcopo, Bartholomæo Exoniensi Episcopo, Reginaldo Bathoniensi Episcopo, Willielmo Comite de Mandevill, Randulfo de Glanvill, & multis aliis, apud Westmonasterium.

Huic Henrici II. *Magno* (ut appellatur) *Privilegio*, Diplomatis alterius, ab Edvardo III. die 27°.

[a] *Inspeximus.* Patent. an. 1. Richard. II. part. 3. membran. 13.

Februarij, anno regni 3°. dati, Procœmium ex [a] ijsdem archivis descriptum adjungam. *Edwardus Dei gratiâ Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, & Dux Aquitaniæ; Omnibus ad quos præsentes litera pervenerint, Salutem. Ad decorem & tranquillitatem Glastonienſis Ecclesiæ (quæ, ut veterum tradit authoritas, primò à Discipulis Domini ædificata extitit, & ab ipso Domino consecrata; ac Sanctorum Tumulus vocabatur, propter Sanctorum multitudinem quorum corpora ibidem referuntur humata: quam etiam progenitores nostri Reges catholici propter loci sanctitudinem de suis fundârunt patrimoniis & ditâ unt largissimè, & variis privilegiis & libertatibus munire piis desideriis studuerunt) nostræ considerationis intuitum convertentes, ut ab eâ cujuslibet inquietudinis submoveatur occasio, & inserti in vite palmites viroscant & fructificent, vepribus à vineâ extirpatis; eo solertiùs agimus & ferventiori desiderio æstuamus, quo ardentiùs cupimus cultum divini nominis & regularis disciplinæ observantiam nostris semper augeri temporibus, & personas divinis mancipatas obsequijs quietis plenitudine præpotiri.*

Fervente inter Glastonienses monachos & Iocelinum Bathonensem ac Wellensem episcopum contentione, circa annum MCCXV. facta est de pluribus Articulis *Inquisitio*: [x] quorum primus hic fuit. *An omnibus Ecclesijs Angliæ Glastonienſis ecclesia sit antiquior & vetustior, saltem per famam, inquiratur.* Secundus iste. *An omnibus monasterijs Angliæ esset quondam laudabilius & excellentius, & cum primo Abbate præsideretur? & an omnium Abbatum extet memoria, vel extare possit?* Cui de Abbatibus quæstioni Chronologicam hanc σύνοψιν, ab ejusdem cœnobij monacho post 44. annos literis memoriæq; mandatam, responsionis loco subjiciam: & cum eâ totam de monasterij illius antiquitate disquisitionem tandem finiam.

[x] Secret. Domini Abbatis, fol. 43. in Bibliothecâ Arundelliana.

Ab

Ab Incarnatione Domini usque ad adventum S. Patricij Hibernienſium Apoſtoli in Glaſtoniam, CCCCXXXIII. *anni. Hic fratres, in diebus illis in diverſis locis habitantes congregavit, & ſecundùm Regulam ſanctam communiter vivere inſtruxit: & poſteà ipſi fratres prędictum ſanctum unanimiter elegerunt, & primum Abbatem illius loci conſtituerunt.*

A tempore S. Patricij uſq; ad Beorwaldum abbatem de Anglicis primum, CCXXXVII. *anni. Et ſciendum eſt, quòd inter S. Patricium & Beorwaldum plures abbates de gente Britannorum in Glaſtoniâ fuerunt; quamvis anteceſſores noſtri nomina eorum in catalogo Abbatum non ſcripſerint.*

A tempore Beorwaldi uſq; ad S. Dunſtanum, CCL. *anni. Et hoc quoq; notandum eſt, quòd inter Beorwaldum & S. Dunſtanum* XVIII. *Abbates in Glaſtoniâ fuerint.*

A tempore S. Dunſtani uſq; ad Turſtinum Abbatem de Normannis primum, CXL. *anni. Et hoc ſimiliter ſciendum eſt, quòd inter S. Dunſtanum & Turſtinum ſex abbates in Glaſtoniâ extiterint.*

A tempore Turſtini uſq; ad abbatem Michaëlem, CLXX. *anni. Et hoc quoq; adjiciendum eſt, quòd inter Turſtinum & Michaëlem ſeptem Abbates in Glaſtoniâ fuerunt.*

Sed ſi quis numerum annorum à S. Patricij tempore primi Abbatis Glaſtoniæ uſq; ad S. Dunſtanum ſcire voluerit: ſecundùm Chronica Antiquorum, DVII. *annos; & a tempore S. Dunſtani uſq; ad tempus noſtrum ſc.* 1259. CCCXIX. *annos invenire valebit. Hæc autem ſcripta in anno poſt Incarnationem* 1259.

Sed nimis diu in Glaſtonienſibus antiquitatibus explicandis hæſimus. Ad Lucium jam regredimur: de quo in Britannicâ Hiſtoriâ porrò legimus. [y] *Gloriosus ille Rex Lucius, cùm infra regnum ſuum cultum veræ fidei magnificatum eſſe vidiſſet; maximo gaudio fluctuans, poſſeſſiones & territoria quæ priùs templa idolorum poſſederant in meliorem uſum vertens, Eccleſijs fidelium permanere conceſſit. Et quia majorem honorem ipſis impendere debuerat, augmentavit illas*

[y] Galfrid. Monemuth. lib. 2. cap. 2. edit. Aſcenſian. lib. 5. cap. 1. edit. Heidelberg.

illas amplioribus agris & manſis, omniq; libertate ſublimavit. & in ejuſdem Metaphraſi, Gildæ temerè attributâ.

Lucius interea regnum lucere coruſcâ
Luce nova fidei gaudens, convertit in uſus
Eccleſiæ quæ templa priùs tenuere Deorum.

Breviùs, ad Othonem IV. Imperatorem, Gervaſius Tillesburienſis: *His Lucius omnia territoria, Templis pridem collata, contulit Eccleſijs & ampliavit.* [2] Rogerus Wendoverus, & alij eum ſecuti: *Poſſeſſiones largas ac prædia Eccleſijs & viris Eccleſiaſticis abundanter diſtribuit, atq; munimentis omnia & privilegijs communivit. Eccleſias quoq;, cum ſuis cœmiterijs, ita eſſe liberas conſtituit; ut quicunq; malefactor ad illa confugeret, illæſus ab omnibus maneret.* Quibus addantur quæ de Wintonienſis Eccleſiæ fundatione, in ejuſdem eccleſiæ [a] Hiſtoriolâ circa annũ MCCCCXL. conſcriptâ, & majore Thomæ Rudburni [b] Chronico, iiſdem verbis habentur expreſſa.

[2] Rog. Wendov. ad annum grat 184. Math. Pariſ. Matth. Weſtmonaſt & Hiſtor. Roſſenſ. ad ann. 187.

[a] MS. in Bibliothecâ Cottonianâ.

[b] MS. in Bibliothecâ Lambethanâ.

Aſpiciens utroq; homine glorioſus ac Chriſtianiſſimus rex Lucius cultu veræ fidei mirificè ſuum regnum eſſe magnificatum, maximoq; gaudio repletus, poſſeſſiones & territoria quæ priùs Templorum flamines poſſederant in meliorem uſum vertens, ipſa Eccleſijs fidelium permanere conceſſit; augmentandoq; eas, amplioribus agris & manſis omniq; libertate ſublimavit. Eccleſiam verò Wintonienſem quam quâdam ſpeciali prærogativâ dilexit ſolummodo à fundamentis renovavit: ut ſcribit Vigilantius in libro de Baſilicâ Petri, capitulo 1. Monachis verò, quouſq; perficeretur opus pro poſſe conſummandum, manſiunculam cum oratorio, dormitorio, ac refectorio conſtruxit: ut ſcribit idem Vigilantius. Completo renovationis opere quinto anno converſionis regiæ, dedicaverunt eam prædicti antiſtites & monachi Faganus & Duuianus in honore ſancti Salvatoris, IIII. Calend. Novembris, anno gratiæ CLXIX. *& monachis ipſam repleverunt Deo devotè famulantibus: Abbatemq; loci conſtituerunt monachum quendam vocabulo Devotum. Statuit inſuper inclytus princeps Lucius Epiſcopo & monachis Wentanæ eccleſiæ dari poſſeſſiones & prædia*

prædia quæ quondam erant ejusdem civitatis flaminum, cum privilegijs eorundem. Quorum limites extendebantur (ut scribit ille antiquus Britannorum conscriptor Moracius, libro 1. capitulo 9.) per duodecim millia passuum per gyrum civitatis Wentæ: scilicèt ab unaquâque plagâ civitatis in duodecim millia passuum. Insuper (ut scribit idem Moracius ibidem) dedit prædictus Christianissimus rex Lucius prædictæ Ecclesiæ, quam de novo fundaverat, suburbana civitatis ejusdem cum privilegio Dunwallonis Molmutij. Iste Dunwallo (ut scribit idem Moracius, & Gildas historiæ suæ capitulo 19. & Gaufridus Monemuthensis in historiâ Britonum) cùm sextus decimus esset Britonum rex & paganitate nimiis obvolutus, leges sancivit quæ Molmutinæ dicebantur, usq; ad tempora Willielmi Conquestoris satis celebres. Inter quæ statuit, ut civitates & templa Deorum, viæ ad illa ducentes, ac ara tia colonorum immunitate confugij conganderet: ut quicunq; fugitivus sive reus ad ea confugeret, cum veniâ coram inimico suo abiret. In diebus illis latronum mucrones cessabant; nec erat qui violentiam alicui usquàm ingereret. Erantq; ab unaquâque plagâ civitatis in quolibet duodenario numero passuum octo viculi optimi. Requievit extunc religio monastica in ecclesiâ Wintonienſi, quietè in pace & pacificâ possessione Domino jugiter conjubilans, centum duobus annis: videlicèt à primo anno regni Lucij Christianissimi principis, usq; ad annum secundum Diocletiani tyranni.

* lib. 2. cap. ult. edit. Heidelberg.

In magnâ Wintonienſis ecclesiæ Tabulâ leguntur consimilia. *Tali sacrâ lotione terso Lucio rejectoq; infidelitatis velamine, construitur de novo insigne Wintanæ civitatis cœnobium, quod Vetus nominatur. Monastica religionis inibi constituuntur professores, adauctâ Pontificalis apicis cathedrâ: dedicatumq; est illud monasterium à supranominatis Doctoribus* (Fagano & Damiano) *in honorem sancti Salvatoris; ut scribit Moracius libro 1. cap. 7. & Vigilantius in libro de Basilicâ Petri cap. 1. Possessiones verò & prædia cum reditibus, quæ quondam erant flaminū, additis suburbanis mansionibus civitatis, ad Pontificis & monachorum stipendia largissimâ*

gissimâ manu Princeps inclytus commendavit. Evidentissimo dilectionis titulo insuper concessit prædictæ Ecclesiæ insignis Princeps, sicut & aliis omnibus sacris locis regni sui, privilegium Dunwallonis Molmutij. & in Antiquitatum ejusdem ecclesiæ libello. *Paganitas deleta est in Britanniâ anno gratiæ* CLXIIII. *anno primo regni Lucij regis Britannorum, qui Lucius rex primus fundavit Ecclesiam Wintoniensem, quæ modò Vetus nominatur cœnobium; ipsam faciens Ecclesiam cathedralem, Monachos in eâ constituendo. Prædia & possessiones flaminum, qui parùm antè erant in Britanniâ, Monachis non solùm dedit, sed etiam munificè ampliavit. Fundata est prædicta Ecclesia Wintana & dedicata à Fagano & Duuiano episcopis & monachis in honore sancti Salvatoris* IIII. *Kalend. Novembris, anno gratiæ* CLXIX. *A primâ fundatione & dedicatione Wintonienſis ecclesiæ florent anni* 1265. *Duravit Christianitas in Britanniâ à tempore (videlicèt à primo anno) Lucij regis primi Britannorum Christiani usq; ad primum annum Diocletiani principis quietâ in pace; videlicèt centum annis. Et tam diu monachi Deo servientes prædictum Vetus cœnobium quietè inhabitabant.* Istos autem monachatum professos esse addit [c] Rudburnus, *secundùm Regulam à S. Marco Euangelistâ traditam; de quâ scribit Cassianus, de institutis monachorum,* (libro 2. cap. 5.) Atq; hæc sunt quæ recentiores Chronographi Wintonienses de Ecclesiæ suæ antiquitate proferunt: quorum fides penès ipsos esto.

[c] Rudburn, histor. major. lib. 1. cap. 3.

Sunt qui Lucio regi assignent templum D. Petro positum, extra urbem Londinum: ut notat [d] Polydorus. De primâ illius constructione liber extat à Sulcardo monacho scriptus ad abbatem suum Vitalem; qui Westmonasterienſi huic collegio sub Guilielmo Normanno præfuit, atq; anno MLXXXII. vitâ functus, in australi parte claustri sepultus est, cum hoc Epitaphio.

[d] Polyd. Vergil Anglic. histor. lib. 2.

Qui nomen traxit à vitâ, morte vocante
Abbas Vitalis transyit, hicq; jacet.

Ex hoc Sulcardi scripto sunt [e] qui referant, Apollinis delubrum

[e] Io. Stowæus, in Londini Perlustratione: & Camdenus, in *Middlesex.* pag. 308.

delubrum olim hîc extitisse, & Antonino Pio imperante terræ motu corruisse; indeq; Lucium regem in honorem Christi alterum erexisse. Sed neq; in eo quo ego sum usus Sulcardi codice, neq; in ijs quæ ex eo recitat Iohannes Fletus (qui de ejusdem ecclesiæ Westmonasterienſis fundatione anno MCCCCXLIII. alium librũ edidit) hoc invenio. In eandem verò sententiam, ex *quodam libro vetustissimo Chronicorum, veteri Anglorũ sive Saxonum lingnâ conscripto*, Fletus producit illa. *A primitivo tempore Christiana fidei inter Britones habita, hoc est, à diebus Lucij regis eorundem, qui primus in hoc regno (id est, sub anno gratiæ* CLXXXIIII.) *legem divinam, simul & sanctæ regenerationis lavacrum legitur suscepisse; iste locus ad honorem Dei fundatus & consecratus fuerat, atq; ad regiam sepulturam regalium repositorium specialiter erat deputatus.*

Radulphus Niger ad annum Mundi 5358. similiter. *Tunc fundata est Abbatia Westmonasterij, ultimo anno Antonini*; (Marcum Aurelium Antoninum intelligit:) *sed postmodùm præfata Abbatia diu destructa, ab Eadvardo rege reparata est, & nobiliter dotata.* & Iohannes de Taxster, monachus Burienſis, ad annum Christi (secundùm Dionysium) CLXX. *Lucius rex Britannorum ecclesiam sancti Petri Westmonasterij construxit.* et Mathæus Westmonasterienſis MS. ad annum gratiæ CLXXXV. *Circa idem tempus subversum est templum Apollinis apud Westmonasterium, quæ tunc* Thorneie *vocabatur; & cœpit ædificari Eccl sia sancti Petri.* quæ eadem de *destructo templo Apollinis* apud Thorneiam, & *Ecclesiâ S. Petri* tunc ædificatâ, in *Chronicâ Britonum abbreviatâ reperiuntur.* de anno etiam, in inedità ad libros de gestis Pontificũ Appendice, Guilielmo Malmesburienſi non dissentiente; ſi (ut Guilielmus Harrisonus eum citat) anno ante adventum Saxonum CCLXIIII. & Augustini Monachi CCCCXI. factum fuisse hoc ille scripserit.

Quòd tempore Lucij sacellum in Doverensi Castro Servatori Christo positum sit, *ex ejusdem urbis annalibus*

venerandam antiquitatis præ se ferentibus imaginem, refert [f] Lelandus. Et ita quidem in Commentario de Dorensis castelli initijs legitur. *Anno* CLXI. *Lucius rex in summitate castri Dorensis templum Christo ædificat, & maris tributo donat.* Illud B. Mariæ à Lucio fuisse dicatum, affirmat recentius Chronicon ecclesiæ S. Martini de Dover verbis hisce. *Inter alia beneficia quæ fecit Deo & Ecclesiæ, construi fecit in castro Dover ecclesiam in honorem gloriosæ Dei genitricis Mariæ: ubi ipse Rex, & plebs sua catholica, sua sacramenta & sacramentalia habuerunt, & eorum catholici successores.*

[f] Iob. Leland. Assert. Arturij, fol. 75

Tunc etiam *constructa est extra Cantuariam ecclesia sancti Martini*: si Radulpho de Diceto & Combensium Annalium scriptori credimus. non quòd ante Lucium *Martini* alicujus episcopi in Britanniâ celebrata fuerit memoria (quod suspicatus est quidam:) sed quòd antiquum nomen, oblivione jam deletum, novo à Martino Turonensi deducto subsequentibus temporibus fuerit commutatum. *nam templorum nomina mutari novum non est; & Martini præsertim memoria Franci multis post seculis, quòd eum enixè colerent, vetera persæpe addixerunt:* quemadmodum in rerum Augustanarum Vindelicarum libro 7. confirmat doctissimus Velserus. Cùm autem Cantuariæ ad Augustini usque adventum duæ Ecclesiæ tempore Romanorum extructæ superfuerint, [g] *Christi*, in urbis medio, & *Martini* prope urbem posita: in alterâ hâc Luidhardum Francorum episcopum, [h] Berthæ reginæ è regiâ Francorum stirpe adjutorem fidei datum, sacra peragere solitum ex Bedâ intelligimus. [i] *Erat* (inquit ille) *prope ipsam Civitatem ad Orientem Ecclesia in honorem sancti Martini antiquitùs facta, dum adhuc Romani Britanniam incolerent: in quâ Regina orare consueverat.* Quantam verò amicitiæ conjunctionisq; necessitudinem Galliæ & Britanniæ Doctores secum olim habuerint, commemorare nihil est opus.

[g] Bed. libr. 1. hist. cap. 33.

[h] Ibid. cap. 25.

[i] Ibid. cap. 26.

Lucium regem *viros doctos summâ prosecutum esse benevolentiâ*

volentiâ & honoribus, in 4° Britannicæ historiæ libro, affirmat Ponticus Virunnius. Præ alijs verò Cantabrigienses [k] ab illo ornatos fuisse, sunt qui ex duabus chartis regijs probare contendunt; Arthuri alterâ, quæ *anno ab Incarnatione Domini* DXXXI. *septimo die Aprilis in Civitate Londinensi*, [l] Cadwalladri regis alterâ, quæ *Cantabrigiæ anno ab Incarnatione Domini* DCLXXXV. data fuisse fingitur: in quâ utráq; Privilegij *à Lucio* rege Academiæ indulti fit mentio. cujusmodi ab *Eleutherio* quoq; Papâ concessum fuisse, ex illâ [m] Honorij I. Romani Pontificis nomine venditatâ Bullâ astruere nituntur; quæ *apud Sanctum Petrum anno ab Incarnatione Verbi* DCXXIIII. *vicesimo die mensis Februarij*, scripta fuisse dicitur. Cui & aliud ex *Memoriali Historiarum* petitum testimonium adjungit Iohannes Caius, in libro de Cantabrigiensis academiæ antiquitate 1°. [n] per Elvanum & Medwinum *Academiæ Cantabrigiensi Generalis studij confirmationem, aliaq; privilegia Eleutherium misisse.*

At in illo exemplari, quod in honoratiss. Domini Lumlæi bibliothecâ vidit, nihil hujusmodi inveniri testatus est [o] Brianus Twinus: & commentitia esse res ipsa clamat, tùm ista, tùm quæ istis consimilia in Historiæ Cantabrigiensis [p] libro. 1. ab eodem Caio referuntur. Lucium regem Cantabrigiam venisse: eiq; ex sanctorum virorum, qui Christum professi sunt & Cantabrigiæ studebant, prædicatione persuasum esse, non fuisse vana quæ de Deo & Trinitate divulgata sunt. Elvanum item & Medwinum Româ reversos, Cantabrigiam parentem suam adijsse: ibi eq; anno Dom. CLXXVIII. postquam multum varieq; cum philosophis disputâssent, uno die & philosophos omnes & tria hominum millia baptizâsse. Vbi ad *Elvanum* & *Medwinum* trahit, quæ de *Fagano* & *Damiano* scripserat, quem hîc solum authorem ille habuit, Nicolaus Cantelupus Carmelita. Sic enim ille in Historiolâ Cantabrigiæ. *Ad eam civitatem rex Lucius cùm venisset, & de trino Deo simplici & uno cùm esset informatus*

[k] Caius de antiquit. Cantabrig. academ. libr. 1. pag. 51. Twynus, Antiquitat. Oxoniens. academ. libr. 1. pag. 45. (qui deinde usque ad pag. 60. diploma hoc falsi convincit.) Vid. supr. cap. 4. pag. 50.

[l] Caius, ibid. pag. 72. Twynus, pag. 89. quî de hujus diplomatis fide deinceps differit, utrq; ad pag. 95

[m] Caius, ibid. pag. 8. 59. Twynus, pag. 61. qui hujus Bullæ examen subjicit, utrq; ad pag. 77.

[n] Cai. ibid. pag. 76.

[o] Twynus, Antiquit. Oxon. lib. 1 pag. 56.

[p] Cai. Histor. pag. 22. 33.

matum dictis Poëtarum & oraculis Prophetarum; mysterium fidei scire cupiens, ad Papam Eleutherium epistolas direxit, petens ab eo Christianitatem recipere. At beatus Pontifex duos religiosos Doctores, Faganum & Damianum misit ad illum: qui Christi incarnationem prædicantes, ipsum sacro baptismate abluebant, & ad Christum converterunt. Nec mora, philosophi civitatis Cantabrigiæ venientes, veniam de commissis petentes, fidem baptismatis cum effectu debitè recipientes, gloriam dederunt cum laudibus Altissimo: quorum exemplis populi undiq; mundati cœlesti regno restituuntur. Tandem Doctores prædicti, cùm per Insulam verba vitæ seminâssent, accesserunt Cantabrigiam: ubi post multas & varias disceptationes cum philosophis, baptizati sunt uno die ex ipsis tria millia virorum, deinceps in Christo per fidem credentes; qui in amore fraternitatis legem Christi jugiter prædicaverunt, signa & prodigia pariter ostendentes. Hæc ille.

Academiam quoq; *Banchorensem, in gratiam bonarum artium & virorum litteratorum, fundavisse* Lucium affirmat [q] Pitsius. Eam *sub Lucio inchoatam, postea à Congello Bangorensi in Monasterium Monachorum mutatam fuisse, ciem annos* CCCL. *perstitisset*, ex Guolphgango Insto refert [r] Caius. De Bangorensi nempe cœnobio, ad marginem Gildæ à se editi, Polydorus Vergilius ista annotaverat. *In eo fuisse ferùs amplius duo millia monachorum; qui circiter annũ salutis* CLXXXII. *Lucio rege, Christianum dogma receperunt retinuerunt q; in posterum tempus.* et de Congello addidit postea [s] Balæus; atq; eum, uti solet, secutus [t] Pitsius. *Bannochorense Christianorum philosophorum collegium, quod à Lucij regis tempore trecentos circiter & quinquaginta duraverat annos, in monachorum sub Apostolici ordinis titulo cœnobium permutavit, ex illius Præposito anno Christi* DXXX. *primus Abbas effectus.* Atqui Congellus, sive Comgallus, Hibernus fuit non Britannus; & Bangorense cœnobium ab ipso institutum, non illud in Britanniâ, sed alterum in Ultoniâ juxta sinum Fergusiæ Petræ positum: de quo, suo loco.

[q] Pitf. de Brit. scriptor. num. 22.

[r] Cai. de antiquitat. Cantebrig. lib. 1. pag. 149. Franc. Sweertius, in Academiarum Catalogo, Athenis Belgicis præfixo.

[s] Bal. scriptor. Britan. Centur. 2. cap 53.

[t] Pitf. de Brit. scriptor. num. 96.

Neq;

Neq; minori etiam errore, Bangorense hoc monasterium in Flintensi agro situm cum sede episcopali Bangorensi in Arvonia ad Menaium fretum constitutâ confudit Guilielmus Malmesburiensis. Sub finem enim libri 4^i. de gestis Pontificum, Hervæum primum Eliensium episcopum, *causatum quòd sibi & Wallensibus non conveniret*, spe majorum divitiarum sedem Bancorensem dimisisse docens, subjicit. *Est enim Bancor in ipsis Wallis monasterium quondam nobile, & tot habitatoribus plenum ut, sicut* * *Beda refert, si in septem partes divideretur, non minùs quæq; portio quàm trecentos homines haberet: sunt certè adhuc ibi tot semiruti parietes Ecclesiarum, tanta turba ruinarum quanta vix alibi.* Et libr. 1. de Regum gestis, cap. 3. Ethelfridi Northanhumbrorum regis res enarrans. *Testis*, inquit, *est Legionum civitas, quæ nunc simpliciter Cestra vocatur, quæq; ad id temporis à Britannis possessa, contumacis in regem populi alebat superbiam: ad cujus oppugnationem cùm intendisset animum, oppidani qui omnia perpeti quam obsidionem mallent, simul & numero confisi, effusè in bellum ruunt; quos ille insidijs exceptos fudit fugavitq; prius in Monachos debacchatus, qui pro salute exercitus supplicaturi frequentes convenerant. Quorum incredibilem nostrâ etate numerum fuisse indicio sunt in vicino cœnobio tot semiruti parietes Ecclesiarum, tot anfractus porticuum, tanta turba ruderum, quantum vix alibi cernas. Vocatur locus ille Banchor, tunc Monachorum famosum receptaculum, nunc mutatus in Episcopatum.* Sed rectiùs novam illam Bangoriam à vetere distinxit Iohannes Rossus. *Mailgo rex erexit novam civitatem Bangor super flavium Meanath in Walliâ. Erat enim altera Bangor super Dee fluvium; ubi Ethelfridus monachos occidit in Wotton non longè à Cestriâ.* et Iohannes Caius. [u] *Cùm Bangoriam dico, Monachorum intelligo, quæ circiter* * *octo passuum millibus à Cestriâ urbe distat; non Apostolorum, quæ hodie sedes episcopalis est propter mare in Cambriæ parte septentrionali. Hæc Academia ab urbe Bannochoriâ aberat mille passibus, ut audio: sicuti olim*

* Bed. histor. lib. 2. cap. 2.

[u] Cai. de antiquit. Cantabrig. lib. 1. pag. 149.

* decem milliaria numerat Ranulphus Cestrensis. in Polychronic. libr. 4. cap. 31.

Athenienſis Academia, quæ in agro Athenienſi loco ſylveſ-
(ut Horatius, it) poſita, mille paſſibus ab urbe diſtabat.

Quid autem Caium moverit, ut alteram Bangoriam *Monachorum*, alteram *Apoſtolorum* appellet, haud facilè dixerim: niſi quòd in poſteriore (quæ ad prioris differentiam Bancho; vaur, id eſt, Bangoria magna à Britannis dicta fuit) *eruditorum Apoſtoliciq; ordinis collegium* à Daniele primo loci illius epiſcopo inſtitutum, apud [x] Balæum fortaſſe legerit. quanquam in priore quoq; illâ [y] *Apoſtolicorum hominum collegium* & [z] *Apoſtolici ordinis Monachos* apud eundem invenire ſimiliter potuiſſet. Stetit verò celeberrimum hoc monaſterium in regiunculâ quam Cambrobritanni Maelor Saeſneg ſive *Mailoriam Anglicam* vocant: nihilq; ſui hodie habet reliquum, præter duarum portarum, pluſquam dimidiati miliarij ſpatio diſjunctarum, nomina. quarum borealior Port Hegan, auſtralior Port Clais appellatur: medio inter utrāq; loco intercurrente Devâ fluvio, & antiquis ædificijs in agros conversis; à quorum cultoribus monachorum oſſa & veſtimenta, cum ſaxis quadratis & Romanorum nummis, erui aliquando ſolita, ex Iohannis Lelandi Commentarijs refert [a] Guilielmus Harriſonus.

[x] Io. Bal. Cent. 3. cap. 59.
[y] Ibid cap. 74. & 70.
[z] Ibid. cap. 53.
[a] Harriſon. De ſcript. Britan. lib. 1. cap. 14.

Defuncto, vel, ut alibi traditum, *non comparente* Lucio, regiam ſtirpem in Britanniâ defeciſſe, ex Scotichronico [b] ſuprà retulimus. Et quidem *comparere deſiiſſe* ſcribit Galfridus Malmesburienſis: in patriâ *defunctum* eſſe, Galfridus Monemuthenſis & reliqua Britannicorum ſcriptorum turba affirmat. quod *neque cum annalibus privatis noſtris*, inquit [c] M. Velſerus, *neq; cum tabulis eccleſiæ Curienſis, quæ nonnullis publici juris auctoribus juvantur, convenit. His quippe relatum, Lucium relicto regno (cujuſmodi exempla priſca ætas plura tulit) magna terrarum ſpatia obiviſſe, ut pietatem quâ ipſe imbutus alios doceret.* In privatis quos commemorat annalibus eſt Sig. Meiſterlini manuſcriptum Chronicon: inter auctores verò publici juris

[b] Sub fin. cap. 3. pag. 43.
[c] Velſer. Rerū Auguſt. Vindelic. lib. 6. ad annum Dom. 179.

ris factos præcipuum locum obtinet Romanum Martyrologium; in quo, III. Nonas Decembris, *Curiæ in Germaniâ S. Lucij Britannorum Regis, qui primus ex ijs Regibus Christi fidem susceperit tempore Eleutherij Papæ*, memoria celebrari dicitur. quo eodem etiam die notat d Hertmannus Schedelius celebrem haberi festivitatem Lucij *Anglorum regis*, Coilli regis filij, quem *totam Bavariam & Rhætiam inter Alpes Christo acquisivisse* ait. *Relictâ* enim *patriâ regnoq;, Galliam ingressum* esse narrat, *deinde Rhætiam petijsse, per Augustam civitatem ad Curiensem urbem profectum, hos populos Domino subjugavisse, atq; virtute ac miraculis clarum ibi in pace quievisse.* de quo etiam author vetustior Notkerus Balbulus in Martyrologio suo, ad VIII. Kalendas Iunij similiter scribit. *Lucius, spretis omnibus mundialibus rebus nudus & expeditus peregrinatione susceptâ, partem Baioariorum & totam Rhætiam inter Alpes sitam miraculis & prædicationibus ad fidem Christi convertisse creditur. Cujus sepulchrum (id est, qui in Rhætiâ requieverit, sive Rex quondam ille, sive quicunq; servus Dei fuerit) creberrimis virtutibus illustratur.*

d Schedel. Chronic. in sextâ ætate Mundi.

Hinc verò *contra Anglos validum* scilicet *ex Anglis ipsis argumentum* torquet e Dempsterus. De Oswaldo Northanhumbrorum rege, anno DCXLII. perempto, scripserat Guilielmus Malmesburiensis, libr. 1. gest. Reg. Anglor. cap. 3. fuisse illum, *qui genti suæ primitias sanctitatis dederit: quippe nullus*, inquit, *ante illum Anglus miraculis quod sciam claruerit.* Unde concludit disputator subtilis, sequi alterutrum: *Vel S. Lucius miracula non patravit, vel Anglus non fuit.* Latebat nimirùm illum hoc volentem, ex aliâ gente fuisse Lucium, ex aliâ Oswaldum: *Anglum* hunc, *Britonem* illum. Vt enim demus in eâ Britanniæ parte, quæ hodie *Anglia* dicitur, regnavisse Lucium, eaq; ratione à Schedelio & alijs *Anglorum* regem κατ' ἐξοχὴν esse appellatum: nostrarum tamen rerum admodùm imperitum esse oporteat, qui Anglorum gentem illis temporibus in ullâ Britanniæ

e Dempster. Apparat. ad Histor. Scotic. pag. 144.

parte

parte confediſſe ſibi perſuaſerit. Adde, quòd in Britanniâ Lucium miracula patraviſſe nuſquam ſit proditum: ut ſive Britonum ſive Anglorum regem quiſquam illum fuiſſe ſtatuerit, non aliud inde inferri poſſet, quàm quod ab Achille Gaſſaro [f] in Auguſtanæ urbis deſcriptione eſt aſſertum; Lucium qui Vindelicis & Rhætis Chriſtum annunciavit, diverſum fuiſſe *à Britannie illo rege, qui circiter annum Domini* CXC. *floruit, & patriâ nequaquàm exiens, piè apud ſuos obdormivit.*

[f] Munſter Coſmographia. libr. 3. pag. 603

Verùm iſtâ in medio relictâ controverſiâ; quæ de Lucij hujus peregrinatione & martyrio [g] à Iohanne Stumpfio (ex tabulis eccleſiæ Curienſis) & alijs [h] authoribus ſparſim tradita reperi, Lectori conſideranda hîc exhibeo. Non tam regno quàm omni mundi cultu relicto, Gallias prædicandæ veritatis cauſsâ primùm petijt. inde tranſmiſſo Rheno in ſuperiorem Germaniam con. eſſit; ut Chriſtũ Germanis adhuc idololatris concionaretur, & eos ad Chriſtum converteret. tùm in Bavariam perveniens, Salisburgi prædicavit: & ad Danubium hærens, ejus regionis incolas in verâ religione inſtituit. Deinde Auguſtam Vindelicorum celebrem urbem petijt: ibiq; & in Sueviâ paſſim prædicavit Chriſtum. Cui cùm multi crederent (inter quos Campeſtrij viri primarij nomen hodieq; celebratur) ædiculam illam Auguſtæ poſitam ferunt quæ, multis pòſt ſeculis aucta, à Leone XI. Pontifice anno Chriſti MLI. Sancto Gallo dicata eſt. Cùm verò plures eſſent, qui Sylvani & Cybeles cultum novæ huic doctrinæ præferrent: pium Chriſti præconem primò convitijs inceſſerunt, lapidum deinjactu petierunt, in puteum demum malè mulctatum deturbárunt; unde piorum auxilio ægrè ſemianimis extractus, & ſanatus, in

[g] Stumf. Chronic. Helvet. libr. 10. cap. 15.

[h] Hartman. Schedel. ætat 6 Ægid. Tſchud. in Rhætiæ Alpinæ deſcript. (tomo 1° ſcriptor. German. à Sim. Schardio edit pag. 643.) Achill. Gaſſar. apud Munſter. (loco jam notato) & Martin. Cruſium, in Sueviæ Annalium Paralipomen cap. 8. Gaſp. Bruſchius, de German. Epiſcopat. cap. 3. & 8. Io. Bal. ſcript. Britan. Cent. 1. c. 9. Magdeburgēſ. Cent. 2. cap. 2. col. 9. Guil. Eiſengreyn Centenar. 1 part. 4. diſt. 7 Henr. Pantaleon, de viris illuſtr. German part. 1. Baron. notat in Martyrolog. Roman. Decemb. 3. M. Velſer. rer. Auguſt. Vindelic. lib. 6. ad annum Dom. 179. Franc. Guillimanni de rebus Helvetiorum, libr. 1. cap. 15. Petrus Meriſſæus Cratepol. in libello de Sanctis Germaniæ (in Lucio:) & in Trevirenſium archiepiſc. Catalogo. (num 20)

Alpinam

Alpinam Rhætiam concessit. Iter autem ingressus periculosum, colliem illum supra arcem Gutenbergam transcendit, qui usq; ad tempora nostra S. Lucij * clivus appellatur: atq; in regione, ubi jam est urbs Chura sive Curia, & pago Tigurino strenuum se Evangelij prætonem gessit; & Curiensis ecclesiæ Episcopus effectus, plures homines à tenebris ad lucem convertit. Est Churæ extrà urbis muros cœnobium S. Lucij pervetustum, in vitifero colle situm, quod ab eo cœptum & Oratorij loco conditum aiunt. * Stig

Cum autem in Churiensi provinciâ, in quâ potissimùm vixit, idololatricas opiniones reprehenderet, & fidem Christi cum suis amplificare ac propagare non desineret; atq; Romani eam religionis mutationem ferre non possent: Antoninus Verus Imperator, qui Christianos tum persequebatur, eum de religione tentavit; & cùm nollet abnegare, occidi jussit. Continuit is se aliquamdiu in quâdam montis cavernâ supra Curiam: sed tandem ab infideli populo & Præfecto regionis illius ex speluncâ suâ ad Martis castrum sive arcem Martiolam perductus, juxta urbem Curiensem tertio die Decembris martyrio occubuit. Trimis quoq; sive Trimontij pro Christi nomine ignis supplicium passa est soror ejus Emerita; quæ totam ferè Rhætiam ad cultum Christi adduxisse fertur. Philippus Ferrarius, in Catalogo Sanctorum qui in Martyrologio Romano desiderantur, *ex Tabulis & Breviario Ecclesiæ Curiensis*, Decembris die 4°. Curiæ in Rhætiâ, sed ex *Kalendario & Breviario Scotico*, Maij 26°. Trimontij in Scotiâ, Sanctæ Emeritæ Virginis memoriam celebrari notat: addens, *Trimontium oppidum esse in orâ Occid. Scotiæ, ab ostio Solvei ad sex millia passuum, hodie Atterith* appellatum. in quo à Dempstero (quem in Scoticis ducem maximè infidum sequi solet) in errorem proculdubio est inductus. Trimontium enim illud, sive Trimas, ubi martyrium Emerita subijsse dicitur, *Castellum urbi Curiensi finitimum* fuisse docet Schedelius; ab eâ videlicèt

unius horæ spatio distans, ut (qui loca ista optimè novit) Ægidius Tschudus clariùs confirmat.

[i] Dempster. Histor. Eccles. Scotor. lib. 5. num. 482.

Dempsterus [i] verò Emeritam, fratrem in Helvetios secutum, religioso fine Eremitidem ibi decessisse ait, anno CLXXVIII. At Lucium anno CLXXVI in Bavariam venisse, Tschudus; CLXXVII in Rhætiâ & pago Tigurino Evangelium prædicâsse, Guillimannus; anno circiter CLXXXIIII Augustæ docuisse, significat Martinus Crusius. Annum circiter CLXV martyrio ejus Petrus Cratepolius; CLXXVI tribuit Henricus Pantaleon. Neq; de principio & fine regni apud Britannos major est consensio. Cùm enim Galfridus Monemuthensis, & alij [k] capc. 3°. à nobis commemorati, anno ab Incarnatione Domini CLVI. Lucium ab hâc vitâ migravisse asserant: circa illum annum regnare cœpisse, Malmesburiensis monachus amonymus, in 5°. Eulogij sui libro, significat. Iohannes Caius, Historiæ Cantabrigiensis academiæ libro 1°. eodem illo anno, quem regni XIIIum. numerat, consilium suum de recipiendâ fide cum Eleutherio Romano Pôtificecum cômunicavisse narrans, initium regni in anno CXLIIII eâ ratione collocat. Polydorus Vergilius, anno quidem regni XIII°. mentem suam Regem Pontifici aperuisse non diffitetur: sed annũ illum salutis humanæ CLXXXII fuisse statuens, atq; annos alterum & XX regnavisse eum adjiciens, in annum CLXX initium, in annum CXCI finem regni conjicit. Iohannes Stowæus anno CLXXIX regnum adijsse, & annos XII regnavisse dicit: in numero annorum regni cum Caxtono, Balæo, Graftono, & Richardo Vito Basinstochio; in anno mortis (qui hâc quoq; ratione CXCI consurgit) cum Polydoro Vergilio conveniens. Matthæus Florilegus, anno gratiæ CXV natum illum affirmat, anno CXXIIII regni diademate insignitum, & anno CCI vitâ functũ: Sarisburiẽsis quoq; ecclesiæ Chronico & Tabulâ pensili ecclesiæ S. Petri in Cornehill, consentientibus; in quibus, anno gratiæ CXXIIII. *Coronatio Lucij regis*

[k] Supr. pag. 34.

Chris

Christiani, regnantis LXXVII *annis* adscripta legitur. Totidem etiam regni annos, ex Paulinæ ecclesiæ apud Londinenses Tabulâ pensili, assignat illi [l] Robertus Fabianus. [m] Ranulpho Cestrensi, *circa primum annum Marci* Antonini, qui illi est Christi *CLXII. Lucius cœpit regnare apud Britones.* Annum *CLXIIII* Antiquitatum Wintonien-sis ecclesiæ Collector ejus principio assignat; *CLXV* Guilielmus Harrisonus & Raphaël Holinshedus; *CLXXX* Petrus Pictavensis eumq; secutus Fabianus, Lanquetus & Graftonus; *CLXXXIIII* scriptor Annalium, quos ad annum 1364. produ-ctos MSS. habeo. In defiorationibus Galfridi, quæ Alphredo Beverlacensi tribuuntur, anno ab Incarnatione Domini *CLXXXVI* ab hâc luce migravisse dicitur. Iuxta Fabiani rationes, circa annum *CXCII* decessisset. Alij (apud Nauclerum) anno CLXX alij (apud Holinshedum) anno CCVIII obijsse malunt. Robertus Glocestrensis circa annum CLXVI potiùs. Anno enim CLXII baptizatum, & circiter quadriennium postea Glocestriæ decessisse scribit. *A plurimis historicorum nostrorum* (inquit Fr. Godwinus) *traditum comperi, mortem obijsse Gloccstriæ, anno postquàm Christianæ religioni per baptismum initiatus est decimo quarto, aut ut quidam volunt decimo.* Regni sui anno *LXVII* in Halensis monasterij Chronico, *XLIII* in genealogico de gestis Anglorum, vitam finijsse scribitur. Author Chronici, quod appellatur *Brutus*, mortuum scribit, *postquàm regnaverat L. annos*: alij, postquàm XXX Iohannes Hardingus annos regni *LIIII* illi tribuit: ac inter illius obitum & Severi adventum in Britanniam quadriennij interstitium constituit. quod posterius à Matthæi quoq; Florilegi & Polydori Vergilij rationibus non est alienum: licèt Fabianus & Graftonus, & Richardus Vitus quindecim, Caxtonus quinquaginti, Eulogij author plurium etiam quàm quinquaginta annorum spatium interponendum censeat. Nos in tantâ scriptorum dissensione eò potissimùm inclinamus, ut tertij a Christo sæculi anno

[l] Fabian. chronic. Anglic. part. 3. cap. 60.
[m] Ranulphi Polychronic. lib. 4. cap. 16.

primo Lucium vitâ excesisse dicendum existimemus; annis post susceptam fidem XXV. atq; sexennio ferè ante expeditionem Severi Britannicam. quandoquidem in annum illum *CCI.* non Sarisburiensis solùm ecclesiæ Annales, & Chronicam Britonum abbreviatam, & Tabulas quas citavimus Londinenses; sed etiam Rogerum Wendoverium, Matthæum utrumq; (Parisiensem & Westmonasterienſem) unâ cum Roffensi Historiâ, consentire animadvertimus.

Ad sepulturæ locum quod attinet: ex Rhætiâ *ejus corpus in Britanniam reportatum, Claudiocestriæ honorificè sepultum esse fertur*; si Richardo Vito credimus. nam Britannici historici Claudiocestriæ, sive Glocestriæ, & mortuum & sepultū esse ferunt. *Secundùm quædā Chronica Lŏdini sepultus est; secundùm alia Glocestriæ, eo in loco ubi nunc Ordo S. Francisci consistit*: ait Londinensis Cornhillanæ Tabulæ exarator. quod tamen de Londinensi Lucij sepulturâ in unico Sarisburiensis ecclesiæ Chronico reperire me memini. Scripserat nimirū [n] Galfridus Monemuthensis (eumq; secuti, Matthæus Parisiensis & Westmonasterienſis, & alij plures) *in urbe Claudiocestriæ ab hâc vitâ migrasse, & in Ecclesiâ primæ sedis honorificè sepultum esse*. unde fortasse in unâ è tribus archiepiscopalibus sedibus tumulo mandatum suspicati sunt aliqui. quùm non aliud voluerit Galfridus, quàm quod in magnâ Wintonienſis ecclesiæ Tabulâ est expressum; *Regem Lucium sepultum esse Glocestriæ in Ecclesiâ primæ sedis*, id est, in urbis Glocestrensis ecclesiâ cathedrali. quo sensu *Ecclesia primæ sedis Wintoniæ* [o] alibi apud eundem facta habetur mentio. sicut & Glocestrensium episcoporum, [p] *Eldadi* & [q] *Theoni*: ne quis ab Henrico VIII. Glocestriam sede Episcopali primùm ornatam fuisse hîc objectet. Epitaphij vero locum suppleverint canonici isti, à superioris ævi monachis conscripti [r] versiculi.

Lucius in tenebris priùs idola qui coluisti,
Es meritò celebris ex quo baptisma subisti.

[n] Galfrid. hist. Britannic. lib. 5. cap. 1.

[o] Id. lib. 8. cap. 17.

[p] Id. ibid. cap. 7.

[q] Id. lib. 11. cap. 3.

[r] apud Iohannem Fiberium sive Beuer; & Chronicam Britonum abbreviatam.

Cœlestis

Cœlestis medici meritò curam meruisti,
Omine felici, lotus baptismate Christi.

CAP. VII.

De fide à Britannis usq; ad Diocletiani tempora conservatâ: cum Origenis & Tertulliani eâ de re testimonio. De Mellone Britanno, Rothomagensium præsule. De saevissimâ hîc à Maximiano Herculio excitat à persecutione; & passis in eâ Albano, Amphibalo, Iulio, Aarone, Socrate, Stephano, Augulio, & alijs innumeris. De pace Britannicis ecclesijs, altero post cœptam persecutionem anno, à Constantio Chloro Aug. Constantini Magni patre restitutâ.

BRitannos susceptam fidem usq; ad Diocletiani tempora integram & intemeratam in pace servavisse, & nostri tradiderunt authores & exteri. Beda, lib. 1. histor. Ecclesiastic. cap. 4. Annales Anglo-Saxonici, Ivo Carnotensis in Chronico, Gotcelinus Bertinianus, in majore historiâ vitæ Augustini, cap. 32. Florentius Wigornensis, Galfridus Monemuthensis, Britannic. histor. lib. 5. cap. 5. Henricus Huntingtonensis histor. lib. 1. Radulphus de Diceto, Iohannes de Taxster, Radulphus de Baldoc Londinensis episc. Ranulphus Cestrensis, in Polychronic. lib. 4. cap. 16. Thomas Rudburnus in minore Chronico, Abingdonensis liber, Annales de Winchcombe, Lacok, Kirstall, &c. Henricus Marleburgensis, Iohannes Geerbrandus Leydensis, in Chronic. Hollandiæ, lib. 2. cap. 1. Ponticus Virunnius, historiæ Britannicæ libro 5. Iohannes Major, de gestis Scotorum lib. 1. cap. 13. & Polydorus Vergilius, historiæ Anglicæ libro 20. Quos omnes in re non admodùm necessariâ testes advocare libuit; ut duorum recentiorum scriptorum, Britannicæ gentis gloriæ iniquorum, Guilielmi

lielmi Paradini & Thomæ Dempsteri, comprimeretur audacia.

[a] Paradin. Anglicæ descript. compend. cap. 22.

Eorum enim alter [a] *post Lucium ita fidem refrixisse* affirmat, *ut tractu temporis divini cultus Barbari sint oblíti, & ad Deorum gentilium nugas revoluti: etq; in eâ caecitate vixisse* addit, *usq; ad tempora Edvyni Regis Angliæ*, & annum *salutis humanæ* DCVIII. Alterius, eo dementior quo confidentior, est hæc assertio. [b] *Si vera est de Lucio Britannorum rege relatio: certum est, Regem fidem amplexo, populum infidelem quingentis annis totis permansisse, ut sequenti capite dicetur.* deinde in illo capite multa accumulat testimonia, quibus probet Gregorij I. temporibus, Augustini & sociorum operâ, Anglos Christianam fidem suscepisse: ac demùm, quasi re planè confectâ, hunc sibi canit triumphum. *Hæc satis arbitror ad refellendas aniles de Lucio Rege fabulas, ex Gallis, Germanis, Italis, ipsis Anglis.* neq; interim advertit, insanire se solennia, ridendumq, se omnibus propinare; dum diversissimas gentes inter se confundit, & conversionem *Britonum* à conversione *Anglorum* vel nescivit vel noluit distinguere.

[b] Dempster. Apparat. ad Histor. Scotic. cap. 6.

De *Anglis* quidem Sigebertus Gemblacensis in Chronico ad annũ DXCIX ea scripsit, non quæ ex eo citavit hic Dempsterus. *Nondum verbum vitæ audierant Edilbertus Rex Anglorum qui Cantuarij vocantur; ita nec Mercij, nec gens Nordanymbrorum, sub Regibus Adilfrido & Aelle.* sed ista. *Edilbertus Rex Anglorum, qui Cantuarij vocantur, prædicante Augustino, cum gente suâ, baptizatur. Porrò gens Anglorum qui Mercij dicuntur & gens Nordanymbrorum (qui, quòd ad aquilonarem partem Humbri fluminis habitent, ita vocantur) sub Regibus Edilfrido & Aelle nondum audierant verbum vitæ.* De veteribus tamen *Britannis* scripserat jam idem, in ipso Operis Proœmio. *Hi tempore Marci Antonini Veri, instantiâ Lucij Britanniarum Regis, per Legatos Eleutherij Papæ mysteria Christianitatis susceperunt; in quâ aliqui eorum usq; ad martyrij coronam provecti sunt.* Eandem etiam distinctionem observavit,

observavit, inter exteros, Alanus de Insulis. [c] *Cùm Britones à tempore Eleutherij (qui fuit decimus quartus à B. Petro Apostolo) per gloriosa memoriæ Lucium regem suum Christianitatem suscepissent: Saxones in cultu Dæmonum usq; ad adventum Augustini, à beato Papâ Gregorio missi, perstiterunt.* & Martinus Polonus, in Chronico. *Anno decimo quarto Mauricij, B. Gregorius misit in Angliam Augustinum monachum, pro conversione Saxonum, qui de novo Britanniam intraverant. Nam Britones, de quibus adhuc Galenses remanserunt, ab Eleuthero Papâ diu antè Christiani facti fuerunt.* Ex quo deducit Alphonsus Garsias de sanctâ Mariâ (Castellani regis nomine cum legatis Anglicanis in Basileensi Concilio disceptans,) [d] *quòd illud quod dicitur de temporibus Gregorij, intelligitur de Britannis qui & Anglici dicuntur: illud verò quod dicitur de temporibus Eleutherij, intelligitur de Britonibus Britonantibus* (ita enim loqui illi libuit) *seu Galensibus.* & hoc quoq; modo ad argumentum Anglorum, de antiquitate fidei jam inde ab Eleutherij temporibus apud ipsos receptæ, responderi posse addit. *Illa tota gens quæ tunc erat in Angliâ fuit expulsa per Saxones, qui erant infideles, & susceperunt fidem temporibus Gregorij Papæ & Mauricij Imperatoris; ut patet in Chronicis. Non ergo sunt tempora computanda à gente primâ quæ totaliter est expulsa, sed à tempore Saxonum qui Angliam occupârunt, & de quorum genere Anglici descendunt.*

[c] Alan. explanat. prophet. Merlin. lib. 1.

[d] Ex Actis Concilij Basileensis MSS.

At antiquitatem illam fidei apud ipsos Britannos aliquantulum minuere videri posse: Origenis hoc testimonium, tractatu 28° in Matthæum. *Quid dicamus de Britannis, aut Germanis, qui sunt circa Oceanum, vel apud Barbaros, Dacos, & Sarmatas, & Scythas? quorum plurimi nondum audierunt Evangelij verbum; audituri sunt autem in ipsâ seculi consummatione.* Verùm præterquàm q; òd docti dubitent, an ista tribui debeant Origeni; non aliud hinc elicitur, quàm in hisce gentibus extitisse *plurimos qui nondum audiverint Evangelij verbum*, quod ut nos facilè concedimus;

concedimus; ita nec Origenem negaturum scimus, complures in ijsdem gentibus Euangelij verbum suscepisse. Sic enim scribit ipse, in Ezechielem homiliâ 4. *Quando enim terra Britanniæ ante adventum Christi in unum Dei consensit religionem? quando terra Maurorum? quando totæ semel orbis? Nunc verò propter ecclesias, quæ mundi limites tenent, universa terra cum lætitiâ clamat ad Dominum Israël, & capax est bonorum secundùm fines suos.* & in Lucæ cap. 1. homiliâ 6. *Virtus Domini Salvatoris & cum his est qui ab orbe nostro in Britanniâ dividantur, & cum his qui in Mauritaniâ, & cum universis qui sub Sole in nomine ejus crediderunt.*

A Tertulliano quoq; ante Origenem, in censum gentium suo tempore Christo credentium referuntur [e] *Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & Galliarum diversæ nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca Christo verò subdita; & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium; & provinciarum & insularum multarum nobis ignotarum, et quæ enumerare minùs possumus. In quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit, regnat:* inquit ille. & paulò interjectis. *Germani adhuc usq; limites suos transgredi non sinuntur. Britanniæ intra Oceani ambitum conclusæ sunt. Maurorum gens & Getulorum barbaries à Romanis obsidentur, ne regionum suarum fines excedant. Quid de Romanis dicam, qui de legionum suarum præsidijs imperium suum muniunt, nec trans istas gentes porrigere vires regni sui possunt? Christi autem regnum & nomen ubique porrigitur, ubiq; creditur, ab omnibus gentibus suprà enumeratis colitur, ubiq; regnat, ubiq; adoratur.*

[e] Tertull. lib. adversus Iudæos, cap. 7.

Neq; multum tribuendum est fabulosæ Legendæ reginæ Helenæ à Iohanne Capgravio editæ; in quâ, *Selepiodoti* (qui *Allectum*, purpuram in Britanniâ adversùs Diocletianum sumentem, è medio sustulit) *temporibus, ut multum extincta in regno Britanniæ fides catholica* esse dicitur. Etsi enim (ut ibi additur) *à tempore Lucij, qui primus fuerat*

quæ inter Britones rex Christianus, regnum Britannicum usq; ad præfatum Æsclepiodotum Romanis qui gentiles erant & pagani pro majori parte fuerat subjectum: tamen, ut reliquas gentes ijsdem Romanis subjectas, ita & Britannos nostros inviolatam fidem Christo conservâsse, satis testatum reliquit, in immani illâ Diocletiani persecutione (quam ipsius Æsclepiodoti diebus ortam [f] Britannica narrat historia) sustinendâ, Martyrum invicta constantia. *Hæc enim persecutio* (ut in Chronico suo Beda, ejusq; insistentes vestigijs [g] Ado, & [h] Freculphus, [i] & Ordericus Vitalis, retulerunt) *tam crudelis & crebra flagrabat; ut intra unum mensem* * XVII *millia martyrum pro Christo passi inveniantur. & Oceani limbum transgressa, Albanum, Aaron & Iulium Britanniæ, cum alijs pluribus viris ac feminis, felici cruore damnavit.* ita quidem ut, præter illos nominatos, *alios octingentos octogintà novem* numeret [k] Notkerus Balbulus, *Christi confessatores innumeros* fuisse referat [l] Iohannes Nauclerus, qui in unâ hac insulâ martyrium perpessi fuerint. ubi tamen non multum ultra unius anni spatium in Christi athletas sævitum fuisse ostendemus.

[f] Galfrid. Monemuth. lib. 5. cap. 5.
[g] Ado in Chronic. ætat. 6. & Martyrolog. Iun. 22.
[h] Freculph. [i] Chronic. tom. 2. lib. 3. cap. 15.
[i] Orderic. histor. eccles. lib. 1.
* XVIII. legunt. apud Adonem & Orderic. um. sed XVII. habet liber Pontificalis in vitâ Marcellini, unde hoc hausêrunt reliqui.
[k] Notker. Martyrolog. X. Kalend. Iuli
[l] Naucler. chronograph. vol. 2. generat. 6.

Ante hanc verò persecutionem, S. *Mellonis* Britanni (*Malloni, Melanij* & *Melonini* alijs nuncupati) celebris extitit memoria: qui, relictâ patriâ, [m] *primus Rothomagensem ecclesiam archiepiscopus rexisse* dicitur; relicto successore *Avidiano* sive *Avitiano*, qui Synodo Arelatensi anno CCCXIIII habitæ subscripsisse reperitur. De his habentur veteres illi [n] Rothomagensis Cleri versiculi:

Antistes sanctus Mellonus in ordine primus
Excoluit plebem doctrinâ Rothomagensem.
Post hunc præcipuus devotus & Avidianus
Obtinuit regimen, curam quoq; rexit herilem.

[m] Molan. in Vsuard. Octob. 22. ex vetere Martyrologio Romano.
[n] Orderic. lib. 5. hist. pag. 557. 558.
[o] Id. ibid. pag. 555.

Primus quidem ad Rothomagenses S. Nicasius episcopus destinatus fuisse legitur: sed *prisca gentilitas* (inquit [o] Ordericus Vitalis) *martyrisatos prædicatores, Rothomagum diu*

possedit; & innumeris idolorum spurcitijs usq; ad sanctum Mellonem Archiepiscopum replevit. Hunc ex majori Britanniâ Romam venientem, à Stephano I. Pontifice in fide Christianâ instructum, baptizatum, clericum & gradatim sacerdotem ordinatum, atq; divino oraculo Rotomagensem Episcopum consecratũ fuisse anno Domini CCLVI. in Natalibus Sanctorum Canonicorum refert Constantinus Ghinius: Actis etiam ejusdem consentientibus; quæ ita rem gestam narrant. [p] *Tempore Valeriani Imperatoris Mellonus quidam de majore Britanniâ oriundus Romam venit; ut patria sue tributum solveret, & Imperatori serviret. Ibiq;, sicut mos erat, cum socijs suis ad templum Martis ductus est ut sacrificaret. Audiens autem Stephanum Papam puncta Christianæ Euangelium Christi prædicantem, verba ejus attendit & credidit; baptismum ab eo petijt & accepit.*

A Stephano quoq; Papâ ordinatum, & Rotomagum ad prædicandum Euangelium missum esse, Martyrologium Romanum (ad diem 22. Octobris) & [q] Breviarium Rotomagense confirmant: ut & [r] Balæus, [s] Baronius, ac recentiorum alij. quibus etiam Damasum in Pontificali accenset [t] Dempsterus: sed eâdem fide, quâ [u] Antonium Possevinum in Apparat. Sacr. pag. 433. *Scotum* illum fuisse, affirmare ait. quum de eo Pseudo-Damasus verbum omnino nullum; hæc autem tantùm habeat in citato loco Possevinus. *Mellanium Probus, Britannus, scripsit quasdam Homilias. Vivebat anno* CCLX. Nam *Scotum* ipse Dempsterus & primus & solus fuisse somniavit. Ordericus verò Vitalis [x] tempore Constantij patris Constantini Magni *Mellonum cum alijs quibusdam fidelibus Rothomagum incoluisse* scribit, *& primum sibi volente Deo Pontificalem Cathedram obtinuisse: tempore Eusebij Papæ & Melchiadis claruisse, undecimoq; Kalendas Novembris ad Dominum migravisse, in Cryptâ basilicæ S. Gervasij martyris extra urbem sepulum.* Quam temporis consignationem si sequi volumus; Diocletianæ persecutioni superstitem illum vixisse dicamus necesse est.

[p] Vincent. Specul. historial. lib. 11. cap. 74. Johan. Tinmuthens. & Capgrav. in vitâ S. Mellonis. Petr. de Natal. lib. Catalog. lib. 9. cap. 93. Legenda aurea Anglicana, edit. Londinian 1512. in vitâ S. Melonini.

[q] Claud. Robert. in Rotomag archiepiscop. Catalogo.

[r] Bal. scriptor. Britan. Centur. 1. cap. 31.

[s] Baron. Annal. tom. 2. ad ann. 360. §. 6.

[t] Dempster in Menolog. Scotic. octob. 22.

[u] Id. in histor. Ecclesiastic. Scotor. lib. 12. num 914.

[x] Orderic. histor. lib. 5. pag. 557. 558.

Cœpta

Cœpta ea est (ut ex [7] Eusebio liquet) decimo nono anno Diocletiani, mense Martio, per eos dies quibus Dominicæ passionis memoria celebrabatur, anno æræ Antiochenæ CCCLI. vulgaris nostræ Christianæ CCCIII. in Britanniâ & reliquo Occidente non minorem crudelitatem exercente Maximiano Herculio, quàm in Oriente ipso Diocletiano. Quomodo autem hæc persecutio *Britanniam* (ut [z] Beda loquitur) *cum plurimâ confessionis Deo devotâ gloriâ sublimavit*; ita explicat Gildas, Britannicorum scriptorum antiquissimus. *Ne penitùs crassâ atræ noctis caligine Britannia obfuscaretur, clarissimas lampades sanctorum Martyrum nobis accendit DEUS: quorum nunc corporum sepulturæ, & passionum loca, si non lugubri divortio* * *barbarorum quamplurimæ ob scelera nostra civibus adimerentur, non minimum intuentium mentibus ardorem divinæ charitatis incuterent. Sanctum Albanum Verolamiensem, Aaron & Iulium Legionum urbis cives, cæteroſq́, utriuſq́, sexus diversis in locis summâ magnanimitate in acie Christi perstantes dico.* deinde, descripto S. Albani certamine, de reliquis subdit. *Cæteri verò sic diversis cruciatibus torti sunt, & inauditâ membrorum discerptione lacerati; ut absq́, cunctamine glorioſi in egregijs Hierusalem veluti portis martyrij sui trophæa defigerent. Nam qui superfuerant, sylvis ac desertis abditiſq́, speluncis se occultavere; expectantes à justo rectore omnium Deo carnificibus severa quandoq́, judicia, sibi verò animarum tutamina.*

[7] Eusseb. Chronic. & histor. Ecclesiastic. lib. 8. cap. 2. al. 3.

[z] Bed. histor. Ecclesiastic. lib. 1. cap. 6.

* Anglo-Saxonas intelligit, qui ipsius tempore adhuc infideles erant.

Purpurati hujus agminis dux fuit ille primo loco nominatus *Albanus*, Verolamij (quod Britannorum erat oppidum, suis quidem usum legibus sed, [a] *Municipij* quo donatum erat jure, [b] munerum & honorum publicorum cum populo Romano particeps) generosus civis: de quo Venantius Fortunatus, in [c] Carmine de Virginitate;

Egregium Albanum fœcunda Britannia profert.

& longo post illum intervallo Alexander Necchamus, de Verolamio suo canens;

Hic est martyrij roseo decoratus honore

[a] Supr. cap. 5. pag. 59.

[b] A. Gell. Noct. Attic. lib. 16. cap. 13.

[c] Fortunat. lib. 8. Carm. 4.

Albanus, civis, inclyta Roma, tuus.

[d] Breviar. Sarisbur. in Officio S. Albani.

& Hymnus,[d] die memoriæ illius dicato decantari solitus;

Ave Protomartyr Anglorum,
Miles Regis Angelorum;
O Albane, flos Martyrum.

Hoc enim *Protomartyris Anglorum* titulo, quòd in ea Britanniæ parte, quæ ab Anglis posteà possessa & Anglia dicta est, omnium primus Christi fidem sanguine suo obsignavit, non apud Ingulphum Croylandensem solùm & alios Anglicanos scriptores passim insignitus reperitur; sed etiam in vetere Inscriptione, anno MCCLVII. in ecclesiâ S. Albani à cementariorum ministris erutâ: de quâ, in anni illius historiâ, Matthæus Parisiensis: *In mausoleo inventa est quædam lamina plumbea, in quâ secundùm antiquorum consuetudinem, scriptus est hic titulus. In hoc mausoleo inventum est venerabile corpus Sancti Albani Protomartyris Anglorum.* Matthæus Westmonasterienſis ad annum DCCXCIIII. *Anglorum sive Britonum Protomartyrem* nominat. ubi ad vocem * *Britonum* criticus aliquis notulam hanc appositi, quæ in libris impressis ex margine irrepsit in contextum. * *quod solum verum est; quia certum est eum Britonem, non Anglicum extitisse, unde malè dicitur, Anglorum Protomartyrem.* indeq; alteram illam magis propriam appellationem retinuit Thomas Walsinghamius, communne Conventus S. Albani sigillum describens: *in quo* (ut inquit [e] ille) *vetustissimo opere imago gloriosi Protomartyris Britannorum Albani figurabatur, tenens in manu palmam.* [f] Thomas Dempsterus *Scotum* fuisse contendit: eam in rem producto *Hartmanni* apud Canisium testimonio.

[e] Walsingham. in histor. Richard. II. ann. 1381.

[f] Dempster. histor. ecclesiast. Scotor. lib. 1. num. 21.

Scotia se Albano fœlicem Martyre clamat;
Victima qui Christo prima Britanna fuit.

verùm quum in tomis Canisianis hoc frustrà quæsiverim; non magis hîc apud me fidem suam liberat, quàm in illo quod in eodem ipso loco non minori confidentiâ asseverat; pervenisse ad se Albani opusculum inscriptum, *Chri-*

stianorum

stianorum puritas, cujusmodi libellum, neq; ab illo, neq; à mortalium omninò quoquam, conspectum fuisse unquàm, quovis pignore ausim contendere.

In edito Bedæ Martyrologio *Albinus* hic vocatur; à Germano aliquo antiquario scripturâ immutatâ. § Eo enim nomine Germani Britannicum nostrum ab Albano Moguntino martyre distinguendum censuerunt: de quo ita Colonienses S. Pantaleonis cœnobitæ, in libello anno MDII. ad Henricum VII. Anglorum regem scripto. *Theophana Imperatrix, ob affinitatem S. Brunonis Coloniensis archiepiscopi, Colonienſe Benedictinum S. Pantaleonis monasterium summo honore coluit; & ad illud S. Albani reliquias Româ, quò eas ex Angliâ tulerat S. Germanus, pertulit. Ea verò Moguntiam cùm venissent, licèt ejusdem sedis antistes Augustam cum memoriâ martyris venerabiliter excepisset, donarijs quoq; non spernendis honorâsset; verebatur tamen, & auctoritate regiâ & martyris memoriâ recèns adducti, per cognationem vocabuli, sui martyris Albani gloriam extenuari: nam uterq; eorum vocabatur Albanus. Hunc ergo protomartyrem Angliæ Albinum vocari obnixè rogavit; & cum optimatum regni consilio simul & auxilio impetravit.*

§ Io. Molan. in Vsuardi, & Petr. Galesin. in Roman. Martyrolog. 11. & 10. Kalend. Julij. Erhard. Winheim, in Sacrario Agrippinæ, pag. 141. Nic. Serarius, rer. Moguntiac. lib. 2. pag. 275. & lib. 5. pag. 7. 8. 719.

Hujus Britannorum Protomartyris agonem breviter his verbis perstrinxit Gildas. *Postquàm, charitatis gratiâ Confessorem persecutoribus infectatum, & jam jamq; comprehendendum (imitans & in hoc Christum, animâ pro ovibus ponentem) domo primùm ac mutatis dein mutuò vestibus occuluit, & se discrimini in fratris supradicti vestimentis libenter persequendum dedit: ita Deo (inter sacram confessionem cruentamq;, coram impijs Romanæ tum stigmata cum horribili phantasiâ præferentibus) placens, signorum miraculis mirabiliter adornatus est ut, oratione ferventi, illi Israelitica arenti viæ minasq; tristi (stante diu * Arcâ prope glareas Testamenti in medio Iordanis canali) similiter ignotum trans Thamesis nobilis fluvij alveum cum mille viris sicco ingrediens pede, suspensis utrinq; * modo præruptorum fluvialibus montium gurgitibus, aperiret; & priorem carnificinam*

* Ios. 3. 17.

* al. more.

tanta prodigia videntem in agnum ex lupo mutaret, & unâ secum triumphalem martyrij palmam sitire vehementiùs & excipere fortiùs faceret.

Sed quæ angustiùs & obscuriùs ille attigit, plenius & planiùs in primo Ecclesiasticæ suæ historiæ libro explicavit [h] Beda: ex quo novem illæ lectiones sunt excerptæ, quæ die S. Albani apud Angios publicè recitari consuevêrunt. sive eas primùm Sarisburiensi Breviario à se compositio Osmundus inseruerit; sive ab [i] Alfrico abbate (sub finem decimi post Christum sæculi) ita ordinatas acceperit. Sic enim de eo in Historiâ Abbatum S. Albani à Matthæo Parisiensi conscriptâ legimus. *Leofrico, [*] qui ex abbate S. Albani factus est archiepiscopus Cantuariensis, successit in abbatiâ frater ejus uterinus Alfricus. Iste, visione præmonitus, S. Albani quæ nunc cantatur composuit historiam, & eidem notam melicam adaptavit, & auctoritate fratris sui Archiepiscopi multis locis Angliæ fecit publicari, diemq; ejusdem martyris honorari: statuens ut die Jovis, nisi præoccupetur legitimis temporibus, Missa de ipso cum pertinentijs, solemniter celebretur.*

[h] Bed. lib. 1. h. c. cap. 7.

[i] Jo. Bal. Centur. 10. cap. 52.

[*] Meminit ejus idem Matthæus, in Historiâ majore, ad annum Dom. 1214. Alijs Ælfricus & Auricius dicitur.

In hisce Actis, Confessoris illius vestimentum, quo indutus Albanus militibus capiendum se exhibuit, *caracalla* vocatur: quam monasticam fuisse vestem confirmat [k] Thomas Rudburnus, ex Saxonico Bedæ interprete, qui *habitum monachalem* reddidit; ex Dolensi, qui passum Albanum scripsit *sub caracallâ & cuculiâ magistri sui Amphibali monachi & doctoris egregij*; & ex Thoma Walsinghamio, qui feretrum in quo vestimentum hoc apud Elienses servatum fuisse existimabatur, anno MCCCXIIII. à rege Edvardo II reclusum referens, quid in eo inventum fuerit, hunc in modum explicat. *Ecce videns locellum illum à summo usq; deorsum quodam panno villoso ita occupatum, ut nihil posset aliud continere. In superiori verò parte vestimenti conspiciunt cruoris coagula dense respersa; ita nova, ita recentia, quasi pridie fuissent effusa.* Verum pro eo quod in Walsinghamio sequitur. *Constat hanc vestem fuisse caracal-*

[k] Rudburn. histor. major. lib. 1. cap. 4.

caracallam, quam sanctus Albanus in conversione acceperat à sancto Amphibalo magistro suo in signum religionis, in quo idem martyr sententiam subijt capitalem. substituit Rudburnus, *cum eo panno inventam esse scripturam antiquam, ita se habentem. Hæc est* * *cuculla sancti Amphibali monachi & sancti Albani præceptoris; sub quâ passus est sanctus Albanus Angliæ Protomartyr, sub persecutione Diocletiani Imperatoris in omnes Christianos sævissimâ.*

* caracalla.

Et ad *caracallam* quidem quod attinet: [l] Hieronymus & [m] Eucherius, *Ephod* indumentum Sacerdotale ita describentes, ut *in modum caracallæ* fuisse dicant, *sed sine cucullo*; caracallas fuisse pænulas cucullatas satis indicant: indeq; diminutivum Καρακάλλιον in Glossario Græco-latino, Cyrillo adscripto, *Cuculla* exponitur. Sed *Amphibali* vocabulum (quod huic ipsi vestimento magis quàm illius possessori convenire, suo loco fumus ostensuri) ex Britannicâ [n] Galfridi Monemuthensis historiâ acceptum esse, ne ipsi quidem monachi dissimulant. Ita enim ad annum 304. Rogerus Wendoverius, & ad annum 303. annotat Matthæus Florilegus. *Illius clerici nomen, licèt Romana taceant historiæ, in historiâ Britonum tamen continetur expressum.* & ante eos, Guilielmus Albanensis monachus, in Præfatione ad Albani Vitam ex Anglico sermone in Latinum à se conversam. *Sciendum, quòd huic operi beati Clerici nomen adjecerim: quod non in libro quem transtuli, sed in historiâ quam Ganfridus Arturus de Britannico in Latinum se vertisse testatur, inveni.*

[l] Hieronym. epist. 128. ad Fabiolam.
[m] Eucher. Instruction lib. 2. cap 10.
[n] Galfrid. Hist. lib. 5. cap. 5.

In prolixioribus quoq; illis Actis, nomen fluvij, quem ficco pede Albanus cum mille viris pertransisse dicitur, haudquaquàm est expressum: licèt in quibusdam Gildæ exemplaribus *Tamesis* & *Temesis* vox apparet. nam à codice Gildæ MS° cui in publicâ Cantabrigiensis academiæ Bibliothecâ habetur, ea abest, sicut à Bedâ, & aliis omnibus Actorum Albani descriptoribus. neq; aliter ferri potest, quàm si Colo fluvio in Tamisim illabenti, tanquam profluenti inde derivato, Tamisis nomen à Gildâ communicatum

municatum fuisse dicamus. Colus enim à Tamisi discedens,& *Colbroke* oppido nomen tribuens, Buckinghamienses à mediterraneis Saxonibus disterminat; indeque Hertfordienses visitans, vetus Verolamium & novam S. Albani villam intermeat,& Redburnam alluit. Matthæus verò Parisiensis, ex navalibus armamentis & conchyliorum testis Ældredi abbatis temporibus (circa annum Christi DCCCCLX.) hîc effossis, marinas etiam aquas huc olim accessisse colligit. *Fossores* (inquit) *juxta ripam asseres quernos, cum clavis infixis, pice navali delinitos quales solent esse in carinis invenerunt: nec non & quædam navalia armamenta, utpote anchoras rubigine semirosas & remos abiegnos (in certum ac manifestum signum aquæ marinæ, quæ quondam Warlamcestrense vexit navigium) reperernnt. quæ unda quomodo in primum rivulum nunc contrahatur, & quo mimculo; Historia de Sancto Albano explanat evidenter. Conchylium verò conchas quales littus maris solet educare vel progcere, cum arenis aquoreis (quas insolito vestigio cives Verolamiæ, properantes ad martyrium novi Martyris, quondam calcârunt) non sine admiratione invenerunt.*

Atqui conchylia Verolamiensibus suppeditabant loca mari quàm ipsi essent vicinia: ut nihil necesse sit eo argumento marinas aquas ad eorum mœnia arcessere. neq; deerat illis lacus amplissimus (licèt hodie ingestâ terrâ obstructus, & in prata conversus) qui regiorum piscatorum vehebat navigia; unde Offam regem non minimum commodum percepisse, ipse testis est Matthæus: ne navales asseres,& anchoræ,& remi, quenquam hîc permoveant. Illud etiam verum est, in Albani actis à Bedâ descriptis *arenæ* mentionem esse factam. sed fluminibus quoq; sua est arena: & arenam terram aridam quandoq; denotare, ad primum Georgicorum monuit nos Servius. In ijsdem præterea Actis fluvius ab Albano exsiccatus, *ministerio persoluto, reversus ad naturam* esse dicitur. Sed neq; illud, neq; in totâ Albani Historiâ aliud quicquam, marinas undas huc influxisse arguit.

Duo

Duo verò in illâ Historiâ commemorantur miracula, quæ Gillas omninò non attigit: fontis nimirùm in montis cacumine Albani precibus producti; & oculorum excæcati carnificis in terram cum beati Martyris capite decidentium. Prioris, in anni DXVI. historiâ, meminit Matthæus Florilegus: posterioris, in Martyrologijs suis ad X. Kalendas Iulij, Beda, Ado, Rabanus & Notkerus. quibus & illa • Erricī Autissiodorensis addi possunt de Albano nostro carmina.

• Erric. Autissiod. de vitâ Germani, lib. 1.

Millia pœnarum Christi pro nomine passus
Quem tandem rapuit capitis sententia casu.
Sed non lictori cessit res tuta superbo:
Utq; caput sancto, ceciderunt lumina sævo.

Atq; hæc fuerunt antiqua martyrij S. Albani Acta, à Bedâ historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum inserta, & in ecclesijs Anglorum solenni more olim recitari solita: cum quibus & vetustissimum de ijsdem volumen, primævo Verolamiensium idiomate conscriptum, planè consensisse, in Historiâ Abbatum S. Albani refert Matthæus Parisiensis. Quod opus quia nondum in lucem est editum; ex gestis Ædmari (qui Ældredo illi, de quo diximus, circa annum DCCCCLXX. in Albanensis cœnobij regimine successit) integrum locum non pigebit adscribere: narrationis fide ipsi authori relictâ.

Istius Abbatis tempore, dum fossores muros & absconditas terræ rimarentur, in medio civitatis antiquæ, cujusdam magni palatij fundamenta diruerunt. & cùm tantorum vestigia ædificiorum admirarentur, invenerunt in cujusdam murô concavo depositô quasi armariolo, cum quibusdam minoribus libris & rotulis, cujusdam codicis ignotum volumen, quod partim fuit ex tam longævâ morâ demolitum; cujus nec litera, nec idioma alicui tunc invento cognitum præ antiquitate fuerat. venustæ tamen formæ & manifestæ literæ fuerat: quarum epigrammata & tituli aureis literis fulserunt: redimitâ asseres querni, ligamina serica, pristinam in magnâ parte foeditudinem retinuerunt. De cujus libri notitiâ cùm multò

longè lateq; fuerat diligenter inquisitum: tandem unum senem jam decrepitum invenerunt, sacerdotem literis bene eruditum, nomine Unwonam: qui, imbutus diversorum idiomatum linguis ac literis, legit distinctè & apertè scripta libri prænominati; similiter quæ in alijs codicibus, in eodem armariolo & in eodem habitaculo repertis, legit indubitanter & exposuit expressè. Erat enim littera, qualis scribi solet tempore quo cives Werlamecestrani inhabitabant; & idioma antiquorum Britonum, quo tunc temporis utebantur: aliqua tamen in Latino. sed his non opus erat.

In primo autem libro, scilicèt majori, cujus priùs fecimus mentionem, scriptam invenit Historiam de sancto Albano Anglorum Protomartyre, quam Ecclesia diebus hodiernis recitat legendo: cui perhibet egregius Doctor Beda testimonium, in nullis discrepando. In alijs verò libris passim inventis reperit lector prædictus invocationes & ritus idolatrarum civium Warlamcestrensium. in quibus comperit, quòd specialiter Phœbum Deum Solis invocaverunt & coluerunt (quod perpendi potest per historiam S. Albani, si eam sedulus lector intelligat;) secundariò verò Mercurium (Wloden Anglicè appellatum, à quo quartus dies septimanæ intitulatur) Deum videlicèt mercatorum; quia cives & compatriota (propter navigium civitatis, & commodum loci situm, per unam diætam tantùm à Londonijs distantem) ferè omnes negotiatores & institores fuerunt. Abjectis igitur & combustis libris in quibus commenta Diaboli continebantur; solus ille liber, in quo historia sancti Albani continebatur, in thesauro carissimè reponebatur: & sicut prædictus presbyter illam antiquo Anglico vel Britannico idiomate conscriptam, in quo peritus extitit, legerat; Abbas iste Ædmarus per prudentiores fratrum in Conventu fecit fideliter ac diligenter exponi, & plenius in publico prædicando edoceri. Cùm autem conscripta Historia in Latino pluribus, ut jam dictum est, innotuisset; exemplar primitivum ac originale (quod mirum est dictu) irrestaurabiliter in pulverem subitò redactum cecidit annullatum.

Præter ista Albani Acta, Unwoni presbyteri operâ ex veteri

vetere Britannicâ linguâ in Latinam traducta; post annos ducentos prodierunt alia, ex vulgari Anglicano in Latinum sermonem à *Guilielmo* Albanensi monacho conversa. quibus ne ob novitatem derogaretur fides: placuit ut author ex historico repentè Propheta fieret; & de futurâ Anglorum conversione, ipse adhuc catechumenus & Romam ad suscipiendum baptismum profecturus, vaticinaretur. unde claruisse illum anno gratiæ DXC. Lelandus et Balæus conjecerunt. Interpres autē Guilielmus ille Martellus sacrista Albanensis fuisse videatur, quē post Simonis mortem Abbatis dignitatem frustrà ambiviſſe, in historiâ Abbatum S. Albani refert Matthæus Parisiensis. Simonis enim hujus (qui ab anno MCLXVII. usque ad MCLXXXIII. Albanensi monasterio Abbas præfuit) jussu, Guilielmus opus hoc aggressus est: sicut Guilielmi deinde rogatu, idem heroicis versibus expressit Radulphus Dunstapulensis; de quo, in Albanensis cœnobij virorum illustrium Catalogo, ita legimus. *Radulphus de Dunstaplia non impar Maroni floruit: qui scripsit metricè vitas sanctorum Albani & Amphibali; modernis & futuris meritò commendandus.* fallitur enim p Balæus, cùm Radulpho Gubio, abbati Albanensi anno MCLI. defuncto, Poëma hoc attribuit. Acta verò illa, solutâ oratione edita, *typis Frobenianis prodiisse* q Dempsterus affirmat: eâdem fortasse credulitate, quâ authorem *in opere eo non semel se Scotum fateri* somniavit; quum *Scoti* mentio in toto illo opere ne semel quidem occurrat. Ego ex duobus MSS. Cottonianæ Bibliothecæ codicibus illud descripsi: unde si Prologum (nec authoris illum tantùm, sed utriusq; simul Latini interpretis) junctim cum Epilogo hîc apposuero; rem Lectori omninò non ingratam facturus mihi videor.

p Io. Balæ. Centur. 2. cap. 84.

q Dempster. hist. Eccles. Scotor. lib. 4. num. 764.

Præfatio Guilielmi Interpretis.

Reverendo Patri, & Domino charissimo, Simoni Willelmus in Domino Salutem.

Cùm liber Anglico sermone conscriptus, passionem beati martyris Albani continens, ad nostram notitiam pervenisset: ut cum verbis Latinis exprimerem præcepistis. Ego verò vobis non obedire nefas existimans, dicto parui: non tamen ex aliquâ præsumptione, sed ne contemni jubentis auctoritas videretur. Quod opus nomini vestro credidi consecrandum; non invexiens cui magis oris mei primitias offerrem quàm Domini sacerdoti. Si quid minùs Latinè fortè sonuerit apud doctas aures: interpretem novum obedientia, quæ viribus plerumq; majora præsumit, excusabit. Sciendum autem quòd huic operi beati clerici nomen adjecerim: quod non in libro quem transfero, sed in Historiâ quam Gaufridus Arturus de Britannico in Latinum se vertisse testatur, inveni. Sed ne verborum prolixitas homini displiceat occupato: restat nunc qualiter author operis sui Præfationem dirigat audiatur.

PROLOGVS AVTHORIS.

Quisquis beatorum martyrum gloriosa certamina tentaverit ad memoriam revocare: necesse est, si tamen evaserit, odia sustineat paganorum. Si quis enim de nece Martyrum, de gloriâ Sanctorũ narrationem cœperit ordinare: mox qui felicitati eorum invident, irasci, fremere, & usq; ad mortem persequi consueverunt. Inde est quòd passionem beati Albani martyris qualicunq; stylo posteris proditurus, Operi titulum non præponx malens tacendo nomen omittere, quàm loquendo nomen pariter & vitam amittere. Quamvis igitur insidiantium laqueis plena sint omnia: suppresso tamen nomine, quid viderim, quid audierim, non tacebo. Cives quondam Verolamij, ob elationem cordis sui declarandam, qualiter passus sit beatissimus

beatissimus Albanus in * *murum suæ civitatis sculptum reliquerunt. Quam sculpturam longo post tempore in muris eorum jam rimosis & ad ruinam inclinatis inveni: vidiq; mœnia præ vetustate jam labi, infra quorum ambitum beatus Albanus graves in corpore pertulit cruciatus. Vidi locum repleri arborum densitate, in quo Martyr invictus quondam pro Christo sententiam subiit capitalem. Illic inter cetera multorum relatione cognovi, qualiter vir sanctus fontem in vertice montis orando produxerit; ut inimicis siti laborantibus, & jam de vitâ desperantibus, aquarum beneficio subveniret. Omnem rei seriem diligenter inquisivi, didici, & (ne lateret posteros) in hunc modum stylo memoriæq; mandari curavi.*

* al. murii

Cùm persecutio, quæ sub Diocletiano mota est, in Christianos longè lateq; desæviret: vir quidam meritis & doctrinâ clarus (nomine * Amphibalus) *transiens in Britanniam, Verolamium Domino ducente pervenit. Quo ingressus urbem, in domum divertens Albani hospitium postulavit. Erat autem Albanus civis Verolamius, vir eminens in civitate, ex illustri Romanorum prosapiâ originem ducens: in quo divitiarum gloria & dignitas secularis, nobilitati generis respondentes, honorabilem virum omni populo reddiderunt. Hic sanctum virum hospitio benignè suscipiens, vitæ necessaria ministravit. &c.*

* ab Interprete additum: ut ipse in Præfatione indicavit.

EPILOGVS.

Hæc & alia multa, quæ divina pietas noluit hominibus occultare, diligenter literis commendavi. Benedictus Deus. Decessit omnis ille cœtus infidelium qui in beatum Albanum mortis quondam tulere sententiam: nec jam de eis multùm tractant homines aut loquuntur. Albani memoria non delebitur: sed ejus laudabile meritum, si quid mea carmina possunt, longè lateq; per orbem diffundetur. Tempus erit, ut confidimus, quo viri religiosi Christiani ad prædicandum gen-

tibus venient in Britanniam. Isti cùm venerint, Dei magnalia hoc modo libris inserta reperient, legent, & ad notitiam deferent plurimorum. Tunc veritate cognitâ, latabitur insulæ tunc gentiles errorum vinculis absoluti, multiplici gaudio replebuntur. Verùm tempus prædictæ visitationis & gratiæ quando venturum sit, quia certum non habeo, istic hujus lætitiæ magnitudinem non expecto. Sed ne posteri super meo nomine reddantur omninò solliciti: sciant, quia si voluerint verum mihi ponere nomen, me Miserum, me Peccatorem ultimum nominabunt. Romam autem proficiscor; ut illic gentilitatis errore depositò, veniam merear assequi delictorum. Libellum quoq; istum qui habetur in manibus offeram examini Romanorum: ut si quidin eo secus quàm debui fortè prolatum fuerit, hoc per eos dignetur in melius commutare Dominus noster Iesus Christus; qui vivit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Præfatio Radulphi Dunstapulensis.

Albani celebrem cœlo terrisq; triumphum
Ruminat inculto carmine Clio rudis.
Ardua res poscit pectus studiumq; Maronis:
Non Maro sum, fateor, sed neq; Codrus ego.
Non acie mentis, non artis luceo cultu;
Ut metricè martyr martyris esse queam.
Martyris interpres me martyris ire poëtam,
Tu Guillelme mihi dux stimulusq; cies:
Quem de barbarie veteri novitate Latinâ
Evolvis, versu me recitare volens.
Qui cupis Amphibali fortis sublime trophæum,
Quod socias prosâ, me sociare metro:
Allegans quòd eos fidei schola fœdere primo,
Et nunc consorti nectat honore polus.
Me plus discipulo doctorem carmine pulsat
Jungere, quòd jungat me tibi pignus idem.
Hoc me compellit ad quod petis, & magis urget

Quolibet

Quolibet imperio, quod pius orat amor.
Sis igitur clypeus plus ausо paupere venâ:
Æacidæ Chiron, non mihi tendo chelym.

Sequitur & altera Præfatio; quam hoc disticho Radulphus claudit:

Difficiles igitur fragili rate remigo fluctus;
Quò mea Guillelmi carbasa flatus agit.

Ipsius Operis Epitomen si quis legere desideret: apud Matthæum Florilegum in anni CCCIII. historiâ, Iohannem Capgravium in Legendâ Albani & Amphibali, ac Nicolaum Harpsfeldium Ecclesiasticæ suæ historiæ lib. 1. cap. 8. & 10. eam inveniet. Inter alia, siccato Albani precibus rapidissimi fluminis alveo, infideles Verolamienses dixisse hîc feruntur. *Nos Deum Solem colimus, & illi præ ceteris reverentiam deferimus ampliorem. hinc, nostræ non immemor devotionis, propter nos aquam fluminis vi caloris absumpsit; ut sani & numero integri necem inimici nostri latiùs oculis cerneremus.* atq; iterùm, fonte in montis cacumine producto. *Laus Deo magno Soli, qui servis in arcto constitutis tale dignatus est providere remedium, ut aquarum rivulus subitò de terrâ prosiliens nobis occurreret ad salutem.* Quò respexit Matthæus Parisiensis, in loco quem ex Ædmari abbatis gestis suprà jam produximus. Hoc enim dramate tantopere delectatus est Matthæus, ut illud in metrum Gallicum novâ metaphrasi transfuderit.

Hîc etiam Clericum hospitio ab Albano exceptum (quem *Amphibalum* fuisse appellatum, à Galfrido Monemuthensi primùm accepimus) ex Confessore Martyrem effectum legimus: de cujus tamen martyrio, non modò in Gildâ & Bedâ, sed in ipso quoq; Galfrido, & Sarisburiensi Breviario, & antiquis omnibus Martyrologijs altissimum est silentium. In hoc verò *libello passionis ejus, scripto antiquis temporibus apud sanctum Albanum,* (eo enim nomine à [r] Matthæo Parisiensi laudatum inveni) narratio ita pertexitur. Nocte Albani cædem insecutâ, *columna lucis è tumulo*

[r] Matth. Paris. histor. major. ad ann. 1178.

à tumulo beati Martyris in cœlum usq; tendebatur: per quam descendentes Angeli & ascendentes, noctem totam in hymnis & laudibus deducebant. Inter cætera verò quæ canebant, vox ista frequentiùs est audita: Albanus vir egregius, martyr extat gloriosus. Ex Verolamiensibus mille viri, hoc spectaculo commoti, Christi fidem suscipiunt: ad quam plenius perdiscendam, in Walliam pergunt, ubi eam *Wallensibus & Pictis* prædicantem inveniunt Amphibalum. Infidelium Verolamensium exercitus cives suos illuc insecutus, eorum trecentos nonaginta & novem, quòd religionem Christianam abnegare nollent, simul ibidem obtruncat. *Ad perpetuandam quoq; memoriam cædis eorum, ab ipsis incolis eorum numerus & nomina describuntur.* Milites, eâ suorum cæde factâ, Amphibalum vinctum abducunt: & cùm *suæ jam possent mœnia cernere civitatis, paululùm in loco deserto fame & labore confecti requieverunt.*

Reditus eorum nuncio Verolamium perlato, & totâ ad spectaculum effusâ civitate; quidam *ingressi semitam, cujus compendio* * *strata publice obliquitatem declinarent, citiùs ad virum Dei in vinculis constitutum & à socijs suis longiùs remotum pervenerunt. Quem mox arripientes, & tractantes atrociùs, expoliaverunt: viscera q; ejus ferro patefacta, palo in terram defixo circumligantes, & flagellis nimijs sanctum Dei consecidentes, in circuitu ejusdem pali ambulare fecerunt. Cumq; beatus martyr Dei munere inter tot angustias constitutus nulla daret doloris indicia: illi acriores effecti, eum quasi ad signum statuunt; & cultellis lanceolisq; quod reliquum erat corporis confodiunt. Vir autem Domini, tanquam nihil mali pateretur, vultu hilari stabat constantior; & signa sui martyrij toto jam corpore præferebat: prodigiosum exactis de se præbens spectaculum, quòd post tanta supplicia, post tot mortis genera, adhuc vivere potuisset. Eâdem horâ plurimi, quorum corda Deus tetigerat, compuncti sunt corde; renunciantesq; idolis, Christianæ se fidei subdiderunt.* Qui mox omnes, judicis mandato, à speculatoribus eodem in loco interfecti sunt, *mille* numero: ipsoq; Amphibalus à

* Watlingestreat.

turbâ

tumbâ obrutus est lapidibus.

Ita ex uno Verolamiensium municipio duæ Martyrum chiliades prodijssent: altera in Walliâ, altera non procul ab ipsâ Urbe trucidata. Ut ad earum neutram magnus ille Christianorum numerus referri possit quem, quòd Amphibalum prædicantem audiviſſet, Iohannes Roſſus Warwicensis (in libro de Wigornienſibus epiſcopis) impiorum telis occubuiſſe narrat, in loco qui ab eventu *Lich-field*, id est, *Cadaverum campus* appellatur. quâ vocis etymologiâ nixi Lichfeldenſes, pro civitatis ſuæ inſignibus Campum occiſorum cadaveribus conſtratum etiam nunc uſurpant. Nec deſunt qui mille & ducentorum monachorum Bangorenſium cædem ab Ethelfrido Northanhumbrorum rege factam eò trahant: ſed contra Hiſtoriæ fidem, quæ non juxta Lichfeldiam, ſed prope Urbem Legionum, quæ hodie Occidentalis vocatur Geſtria, interemptos illos fuiſſe confirmat.

Simonis verò illius Albanenſis abbatis, qui jam dictum Albani & Amphibali paſſionis libellum Latinè divulgandum curavit, authoritate atq; induſtriâ, reliquias Amphibali & trium ſociorum ejus anno MCLXXVII. in colliculo juxta villam Redburnam, à S. Albani monaſterio tribus ferè paſſuum millibus diſtante, inventas fuiſſe prodit author anonymus, qui ſingularem hâc de re tractatum edidit; ita incipientem. *Opera Dei omnipotentis magnifica, quæ in ſanctis ſuis mirabiliter operatur, multo conſul ius literarum induſtriâ quàm ſuccedentium ſibi populorum relatione tranſmittuntur ad poſteros*. Ex hoc ea penè omnia deſcripta ſunt, quæ in majore Matthæi Pariſienſis hiſtoriâ ad annum 1178. hâc de re leguntur: ſed præter *tres* illos, quorum alter ille meminit, additum eſt hîc; *inventos eſſe prope locum illum numero ſex ex ſocijs Martyrum prædictorum; ita quòd beatus martyr Amphibalus decimus haberetur*. Unde Thomas Rudburnus, in majoris hiſtoriæ lib. 1. cap. 5. & Wintonienſis eccleſiæ hiſtoriola, capitulo 6. *Non multo poſt paſſionem S. Albani martyrizantes eſt*

[f] Io. Balæ. Centur. 1. num. 34.

[g] Humfred. Lhuyd. Britann. deſcript. fol. 28.

[h] Bed. hiſtor. eccleſiaſt. lib. 2. cap. 2. Ranulph. Polychronic. lib. 5. cap. 48. & lib. 4. cap. 31. Vide ſupr. pag. 133.

S. Amphibalus, cum novem sociis suis, apud villam de Redburne, per tria miliaria à villâ S. Albani. & magna Wintonienſis eccleſiæ Tabula: *S. Amphibalus Doctor & monachus paſſus eſt ſub Dioclesiano, cum novem ſociis, in urbe Verolamiâ, quæ modò vocitatur Villa Sancti Albani.* De corporibus verò reliquorum DCCCCXCI. qui eodem cum illis tempore interempti fuiſſe dicuntur, neq; Redburnæ, neq; in totâ illâ viciniâ, fando quicquam eſt auditum.

Ad ipſum autem Amphibalum quod attinet: hominem fuiſſe illum *tranſmarinum* affirmant ſuperiora illa Acta à Guilielmo Albanenſi edita, & ſæviente Diocletiani perſecutione *tranſijſſe in Britanniam.* In Britanniâ tamen, ex *Urbe legionum*, ſive *Cair-Leon* ad Iſcam fluvium, extitiſſe oriundum; [x] Giraldus Cambrenſis & [y] Ranulphus Ceſtrenſis tradiderunt. Quò ſpectat & *Dolenſis* ille locus, ex libro illius *de laude Britonum*, capᵉ. 150. à [z] Rudburno & [a] Wintonienſis hiſtoriolæ authore productus. *Paſſus eſt ſanctus Albanus Verolamius ſub caracallâ & cuculla magiſtri ſui Amphibali, monachi & doctoris egregij, oriundi in Urbe legionum in Walliâ, Britannico ſermone* Kaer Uſk *nominatâ: in cujus urbis eccleſiâ cathedrali, ac totius Walliæ metropolitanâ, monachus ac ad officium clericatus promotus eſt.* Iohannes Caius, [b] illius quidem urbis *originè natalitiâ civem* cum fuiſſe ait, *ſed urbis ſcholarium Cantabrigiæ rectorem*, ab Herculio Maximiano non multo pòſt exuſtæ. cujus fabellæ authorem ille habuit Nicolaum Cantelupum, in Hiſtoriolâ Cantabrigiæ hâc de re ita ſcribentem. *Civitas præclara, mater philoſophia Cantabrigia, habitaculis pulchra, turribus munita, muro ex quadratis lapidibus cincta, à Maximo Herculio principe militiæ Dioclesiani Imperatoris igne conſumpta eſt. Cujus imperio omnes philoſophi civitatis prædictæ, & cuncta ſancta ac catholica ſcripturæ quæ inveniri poterant in medio fori exuſtæ ſunt; atq; electi ſacerdotes, cum fidelibus ſuis ſibi ſubditis atq; commiſſis, trucidati agnine denſo ad amœna cœlorum regna feſti-*

[x] Giral. Itinerar. Cambriæ, lib. 1. cap. 5.
[y] Ranulph. Polychronic. lib. 1. cap. 48.
[z] Rudburn. hiſtor. major. lib. 1. cap. 4.
[a] Winton. eccleſ. hiſtor. cap. 6.
[b] Cai. Hiſtor. Cantebrig. lib. 1. p. 23, 24, 25.

festinârunt. Inter quos cum Albano, Verolamiensis civitatis præposito, passus est Dei athleta Amphibalus, civitatis scholarium Cantabrigiæ Rector. Verùm omnes omnium ineptias longissimè superavit *Tractatus de nobilitate, vitâ & martyrio S. Albani & Amphibali, de quodam libro Gallico excerptus & in Latinum translatus:* ex cujus initio hîc apposito, ὡς ἐκ τοῦ κρασπέδου περὶ τοῦ ὑφάσματος, de reliquo toto scripto Lector facere poterit conjecturam.

Regnante igitur in hâc terrâ (Britanniâ scilicèt) *Severo, missi sunt Romam ad placendum Imperatori Diocletiano, unâ cum filio regis Severi nomine Bassiano, filij Dominorum & nobilium totius Cornubiæ, Cambriæ, Albaniæ & Hiberniæ, ad numerum * mille quingentorum & quinquaginta: inter quos filius principis Cambriæ missus est cum maximo apparatu, Amphibalus appellatus; juvenis in Latinâ linguâ, Gallicâ, Græcâ & Hebreâ satis instructus. Missus est etiam inter illos filius Domini civitatis Verolamiæ, dictus Albanus nomine, pro recipiendo ordine militari; juvenis elegans corpore, & opere circumspectus. Hi omnes pervenientes Romam prosperè, ab Imperatore cum honore maximo sunt suscepti. Eo tempore, sanctus Zepherinus Papa Romæ sedit: qui videns tantam juvenum pulchritudinem, quantum potuit laboravit convertere eos ad fidem Christi. Et quidem filium principis Walliæ secretè convertit, & fidem docuit, & citò posteà baptizavit. Qui, abjectis pompis mundi, voluntariam pro Christo assumpsit paupertatem; & in omni perfectione posteà continuavit vitam suam. Conversi sunt autem & de præfatâ turbâ nonnulli sub eisdem diebus. Quod cùm comperisset Diocletianus, iratus est vehementer; jussitq́; ut per terras & per mare requirerentur, & ejus præsentiæ sisterentur. Sed cùm nullo sensui potuissent inveniri: Diocletianus, omissâ inquirendi diligentiâ, statuit diem in quo novi tyrones susciperent arma militaria per manus suas. Quos omnes manu suâ cinxit, informans eos de statu suscepti ordinis & militaribus disciplinis: jubens ut de cætero essent viri perfecti, & corpora sua ab omni stultitiâ*

* 1540. habet Legorda aurea Anglicana: 1500. Geraldus Leghus.

custodirent & delectationibus incompositis & inordinatis; audaciam sumerent & vecordiam devitarent, pugnarent pro justitiâ & (si instaret necessitas) morti se offerrent hilariter pro eâdem. de cetero non gestarent arma contra eum qui eos tali donâsset honore; & pro nullâ re mundi cuiquam injustè facerent calumniam sive damnum.

Severum Imperatorem Eboraci in Britanniâ anno Christi CCXI. defunctum, filium habuisse Bassianum, qui Imperator Antoninus Caracallus dictus est; & sub imperio utriusq; Zephyrinum Romæ vixisse episcopum, non est dubium. ut stuporis fuerit non ferendi, ad Diocletiani usq; imperium eorum tempora velle protrudere. Et superioris tamen sæculi hominibus ridicula ista commenta adeò placuerunt: ut ea *Legenda aurea*, linguâ Anglicanâ Londini anno MDXII. à Winando de Worde impressæ, intexenda censuerint; ijsq; non Gerardus solùm Leghus sua [c] Insignium gentilitiorum Rudimenta, sed illum quoq; secutus Iohannes Wilsonus [d] Anglicanum Martyrologium, tanquam emblemate aliquo vermiculato, decorari potuisse existimaverit.

[c] Accedens et Armorp. fol. 65. edit. Londin. ann. 1562.

[d] Anglic. Martyrolog. Iun. 25

Addantur huc & quæ à Wintoniensibus monachis de hisce temporibus sunt notata. *Post centenorum annorum curriculum quo Christi fides resplenduit cum gente Britannicâ, prævaluit vesana rabies persecutionis Dioclesianæ: sub quo turbine urbs Wentana ab inimicis crudeliter depopulatur, Ecclesia cathedralis ad solum destruitur; magna Monachorum multitudo quæ capta est occiditur, cæteris deserta petentibus.* Ita habet magna Wintoniensis ecclesiæ Tabula. Similiter & Thomas Rudburnus junior in majore historiâ, lib. 1. cap. 4. & Wintoniensis ecclesiæ Historiola, cap. 6. *Anno gratiæ* CCLXVI. *interfecti sunt Monachi in Wentanâ ecclesiâ omnes, præter paucos qui fugam inierunt; & destructum est illud nobile cœnobium à ministris Diocletiani infideles Christi crudelissimi persecutoris; quando iniquissima & à retro seculis inaudita in Christianos executa est persecutio.* & qui de ejusdem ecclesiæ Antiquitatibus

anno

anno MCCCCLII. libellum edidit: *Interfecti sunt Monachi in Wintanâ Ecclesiâ, destructâq; est eadem Ecclesia à ministris Diocletiani persecutoris, anno imperij sui secundo, anno gratiæ* CCLXVI. *A primâ occisione Monachorum in prædictâ Ecclesiâ, & destructione ipsius usq; ad solum, concurrunt anni* 1160. (vel potiùs 1186. usq; ad tempus quo ab authore scripta sunt ista.) *Passio sanctorum Albani & Amphibali juxta civitatem Verolamium (quæ aliàs Werlanchestre sive Watlingchester à Saxonibus vocabatur) anno gratiæ* CCLXXII. *anno Diocletiani & Maximiani octavo. Eodem anno passus est S. Amphibalus Monachus & Doctor in Ecclesiâ Kaer-merdyn (aliàs nominatâ Civitas Merlini) in Walliâ, Asclepiodoti regis Britanniæ quinto. A passione sanctorum Albani & Amphibali concurrunt anni* 1150. ubi utrumq; *juxta civitatem Verolamium* passum ille indicat: licèt e Iohannes Caius (ex hoc ipso, ut videtur, loco minùs diligenter considerato) Amphibalum *Caermerlini* infectum fuisse scripserit.

e Cai. Histor. Cantebrig lib. 1. pag 25.

Et de *Albano* quidem c'arè testatur f Beda, passum fuisse illum *juxta civitatem Verolamium*, quæ ipsius tempore *à gente Anglorum Werlam-cester sive Watlingacester appellabatur*: priore nomine (ut ad annum 313. à Matthæo Florilego est notatū) *ab alveo* deducto *qui Warlame dicitur, & ad orientalem civitatis plagam defluit*; posteriore *à viâ Regiâ, quæ Watling-Strete nuncupatur, & ad partem civitatis jacet occidentalem*. Locum quo martyrium ille pertulit, *vulgi consuetudine* Holm-hurst *vocatum* Acta illa referunt, quæ à Guilielmo Albanensi ex Anglico sermone in Latinum sunt conversa. Hurst verò linguâ Anglo-saxonicâ *sylvam* denotat: & sylvestrem fuisse locum, illa in Prologo ejusdem authoris verba satis indicant. *Vidi locum repleri arborum densitate, in quo Martyr invictus quondam pro Christo sententiam subijt capitalem.* Posterioribus temporibus *Derswoldina sylvæ* nomen obtinuisse Stowæus ait, ibidemq; *S. Albani* oppidum esse extructum; quod ex *Verolamij* ruinis accrevisse, videmus,

f Bed. histor. lib. cap. 7.

cujus præter nomen & mœnium rudera nihil hodie factum est reliqui. Non procul autem *Verolamio* ex parte unâ, & *Annable* oppido (quod ab *Amphibalo* nomen accepit) ex alterâ, sita est *Redburna*: ubi Amphibalum martyrio vitam finijsse, ex his ipsis Wintonienſium antiquitatum descriptoribus jam antè audivimus; ejusq; memoriæ Ecclesia est dicata, cujus in anni 1217. historiâ Matthæus Parisiensis meminit, & sequens hæc ἐπιγραφὴ Iohannis Tinmuthensis Sanctilogio Britanniæ in MS. Cottoniano præfixa. *Hunc librum dedit Dominus Thomas de la Mare, Abbas monasterij S. Albani Anglorum protomartyris, Deo & Ecclesiæ B. Amphibali de Redburne; ut fratres ibidem in cursu existentes per ejus lectionem poterint cœlestibus instrui, & per Sanctorum exempla virtutibus insigniri.*

In tempore verò Persecutionis designando observandum est, à Wintonienſibus istis monachis initium imperij Diocletiani ab anno Christi CCLXV. repeti; quod juxta veriorem Chronologiam ab autumno anni CCLXXXIIII. fuisse deducendum. Beda libro 1. historiæ Ecclesiasticæ cap. 6. ad annum CCLXXXVI. refert: quo & Annales Anglo-saxonici, & Latini Asserio Menevensi attributi, Thomas Rudburnus senior (in minore Chronico) Iohannes Tinmuthensis & Capgravius (in Albani Vitâ) Sarisburiense Breviarium, Annales Combenses & alij, B. Albanum martyrij palmam accepisse tradiderunt. à quo Matthæi Parisiensis & Westmonasterienſis rationes non multum recedunt: quum *hic*, Albani reliquias ab Offâ rege inventas esse scribit, *à passione ejus anno* DVII. *ab adventu Anglorũ in Britanniam** CCCXLIIII *Indictione primâ, Kalend. Augusti.* (anno videlicèt æræ nostræ Christianæ DCCXCIII. quo prima numerata est Indictio, & corpus S. Albani levatum retulit etiam in illius Legendâ Iohannes Tinmuthensis et Capgravius; non proximo, quo Westmonasterienſis hoc factum prodidit.) *ille*, veterem ejus tumbam repertam, in Octavis S. Stephani,

* MS: CCCXLIII.

Stephani, ineunte anno Christi MCCLVII. postquàm *fluxissent anni à passione Martyris* DCCCCLXX. *id est, mille, exceptis duntaxat triginta annis*. In alijs Wintoniensis ecclesiæ Annalibus anno CCXCVI. in alijs CCCV. in Stowæi Chronico CCXCIII. in Wendoverij CCCIIII. (quem ille Diocletiani XIX^nm numerat) Albanus passus fuisse legitur.

Illud certum, in immani illâ persecutione passum fuisse quam, ex s Paulo Oroſio, *per decem annos incendijs Ecclesiarum, proscriptionibus innocentium, cædibus Martyrum, inæstabiliter actam* esse, in loco citato notavit Beda. *Persecutionem Diocletiani tyranni novennem* appellat Gildas: sed quum *bilustro necdum ad integrum expleto*, cessaviſſe eam addit; decimi etiam anni partem occupaviſſe non diffitetur. Cœpisse eam mense Martio, labente anno Diocletiani XIX. Christi CCCIII. ex Eusebio jam ostendimus: & licèt in alijs provincijs ad decimum usq; annum protracta fuerit, in Galliâ & Britanniâ, ubi degebat Constantius Augustus, ipso sequente anno penitùs cessaviſſe, mox sumus ostensuri. Rectissimè igitur interanni CCCIII. res gestas S. Albani martyrium in Floribus historiarum & Rossensi Historiâ est expositum: hoc quoq; adjecto Corollario. *Eodem tempore passi sunt in Britanniâ Aaron & Julius, cum alijs pluribus viris & fœminis, qui ad desiderabile cœlestis Hierusalem gaudium per martyrium convolârunt: existente tamen beato Albano Anglorum protomartyre, qui Britanniam primitivo sanguine purpuravit.*

s Oroſ. histor. lib. 7. cap. 25.

Passus est autem B. Albanus *die decimo Kalendarum Julium*: ut in historiæ suæ libro 1. cap. 7. annotavit Beda. quo etiam die, in vetustissimo Romanæ Ecclesiæ Martyrologio ab Adone edito, Natalis ejus habetur consignatus. In Romano novo (sicut etiam in Bedæ, Ulvardi, Adonis, Rabani & Notkeri Martyrologijs) eodem die συμμάρτυς ei adjungitur miles ille, qui ferire eum jussus recusavit: cui ne nomen deesset, *Heraclium* fuisse appellatum, in Legendâ suâ prodidit Capgravius. In eodem

Roma-

Romano Martyrologio novo, ad *Kalendas Iulias* refertur *Iuly* & *Aaronis* passio: de quâ Petrus Equilinus.[a] *Aaron & Iulius urbis Legionum (quæ est civitas in Britanniâ) cives, & alij plures martyres utriusq; sexus in eâdem civitate passi sunt sub persecutione Diocletiani & Maximiani: quâ propter multa & insignia miracula, quæ in passione beati Albani martyris ostensa sunt, cõversi sunt ad Christũ; & prosiusdem fidei ac confessionis gloriâ, & ipsi ab infidelibus martyrium passi, triumphatorum cœlestium numero sociati, Kalendis Iuly.* & Giraldus Cambrensis, in Itinerario Cambriæ lib. 1. cap. 5. de urbe Legionum, ad Oscam fluvium sitâ, verba faciens. *Iacent hîc duo nobiles, & post Albanum & Amphibalum præcipui Britanniæ majoris protomartyres, & ibidem martyrio coronati, Iulius scilicet & Aaron: quorum utriq; ecclesiam in urbe insignem habebat suo nomine decoratam. Tres enim egregiæ in hâc urbe antiquis temporibus fuerunt ecclesiæ. Una Iulij martyris; virgineo Deo dicatarum regularium choro venustata. Altera verò beati Aaron socij ejusdem nomine fundata, & Canonicorum ordine præclaro nobilitata. Tertia verò, Metropolitanâ sede Cambriæ totius insignita.* licèt Galfridus Monemuthensis (ut dictum aliàs) duas tantùm Ecclesias hîc constituat: [k] unam *S. Aaronis* quam, respectu ad *Londinensem* & *Eboracensem* habito, *tertiam Metropolitanam sedem Britanniæ* fuisse ait; *S. Iulij* alteram (ubi nunc Herbertinæ *S. Iuliani* ædes patantur consistere) Virginum cœnobio ornatam, in quo [l] Gueneveram Arthuri regis uxorem post admissum adulterium monasticam vitam suscepisse narrat.

Iisdem *Iulijs Kalendis, in Britanniâ sancti Leonorij episcopi & confessoris*, memoriam celebrari [m] Iohannes Molanus ex Martyrologio quodam annotavit; sed hîc, ut opinor, mutilato. Scriptum enim in eo primitùs fuisse potius crediderim: *In Britanniâ [sanctorum martyrum Iulij & Aaron. Augustoduni depositio] sancti Leontij episcopi & confessoris.* In Romano quoq; Martyrologio & aliis, die XV. *Kalend. Octobr. in Britanniâ sanctorum martyrum*

[a] Petr. de Natalib. lib. 6. cap. 35.

* quem in hujus urbis ecclesiâ cathedrali ac totius Walliæ metropolitanâ monachum ac clericum suprà fecit Dolensis (pag. 162.) & magistrum quoq; *Iulij* & *Aaronis* Balæus, Centur. 1. cap 34.

[k] Supr. pag. 79.

[l] Galfrid. Britannic. histor. lib. 9. cap. 12.

[m] Id. lib. 11. cap. 1. Matth. Florileg. ad ann. 541.

[n] Molan. in additionib. ad Vsuard. Iuli. 1.

tyrum Socratis & Stephani natalis commemorari dicitur: de quibus, ad eundem diem.[n] Petrus Equilinus. *Socrates & Stephanus martyres ipso die in Britannijs palmas percipiunt.* Eorum verò apud Britannos obsolevit memoria: nisi *Stephanus* is fortè fuerit, qui in Londinensium archiepiscoporum Catalogo [o] supra loco septimo est positus. licèt hoc tempore alium (in illo Catalogo minimè nominatum) Londinensium præsulem fuisse, idem Petrus innuat; quum *Augulium Pontificem Augustæ civitatis Britanniæ* martyrium passum esse scribit. Nam & hujus & Stephani passionem ad persecutionem hanc, quæ numeratur decima, potiùs quàm ad præcedentium aliquam referamus necesse est; si à communi scriptorum nostrorum consensu non discedamus, qui primum omnium *Albanum* in Britanniâ pro Christo sanguinem fudisse statuit. *Augustam* verò non aliam quàm *Londinensem* fuisse civitatem, ostendunt illa Ammiani Marcellini; libro 27. *Tendens ad Lundinium vetus oppidum, quod Augustam posteritas appellavit.* & 28. *Ab Augustâ profectus, quam veteres appellavere Lundinium.*

[n] Petr. de Natalib. lib. 11. cap. ult. §. 250.

[o] Supr. cap. 5. pag. 67.

De *Augulio*, quem alij *Augulum*, Ricemarchus *Agulinum* nominat, Petri Equilini verba sunt ista. [p] *Augulius episcopus in Britanniâ martyrium passus est. Hic enim pontifex Augustæ civitatis Britanniæ, ætate ac viribus provectus, cursum temporis per martyrum complens, æterna meruit suscipere præmia,* VII. *Idus Februarij; ut ait Ado.* ad quem diem, non in Adonis solùm & Ricemarchi, sed etiam in Bedæ, Usuardi, Rabani, Wandelberti, Romano, nec non & MSS. tum Sarisburiensis ecclesiæ tum Eueshamensis & Winteneiensis monasterij Martyrologijs, ejusdem quoq; Episcopi commemorationem factam invenimus. ex quibus defectus in Notkeri Balbuli martyrologio ita supplendus. [q] VII. *Id. Febr. in Britannijs* [*civitate Augustâ, natale sancti Auguli episcopi & martyris. In Ægypto,*] *sancti Moyscis vel Moysis venerabilis Episcopi.* ne quis vulgatâ lectione deceptus, Moysem episcopum Saracenorum

[p] Petr. de Natalibus, lib. 3. cap. 105.

[q] Tom. 6. Antiqu. lect. Henr. Canis. pag. 778.

norum in Britanniam noſtram traducendum opinetur.

[1] Polydor. Anglic. hiſtor. lib. 2
[2] Galfrid. Britannic. hiſtor. lib. 5 cap. 5.

Hîc verò, [1] *ob immanitatem perſecutionis, religionem itâ refrixiſſe, ut ſit penè extincta*, Polydorus Vergilius *Gildam* teſtem advocat: [2] eâq; *ferè deletam fuiſſe Chriſtianitatem in totâ inſulâ*, Galfridus Monemuthenſis aſſerit; non aliâ & ipſe authoritate quàm Gildæ nixus, ex quo hujus perſecutionis hiſtoria ad verbum penè ab illo eſt tranſcripta. In eâ enim, ut apud Gildam habetur, *ſubverſæ per totum mundum ſunt Eccleſiæ, & cunctæ ſacræ ſcripturæ quæ inveniri potuerunt in plateis exuſtæ, & electi ſacerdotes gregis Domini cum innocentibus ovibus trucidati: ita ut ne veſtigium quidem, ſi fieri potuiſſet, in nonnullis provinciæ locis Chriſtianæ religionis appareret.* vel, *in nonnullis provinciis*, potiùs; ut in Cantabrigienſis academiæ exemplari MS. legimus. non enim ſpeciatim (quod minùs videtur animadverſiſſe Galfridus) de Britanniæ provinciâ Gildas iſta ſcripſerat; ſed de *novenni* illâ perſecutione univerſim, in quâ, *ad amœna cœlorum regna* (ut ille loquitur) *quaſi ad propriam ſedem tota feſtinavit Eccleſia.*

[1] Euſeb. Chronic. & Hiſtor. eccleſiaſt. lib. 8. cap. 17. cap. 25. & de Vitâ Conſtantini, lib. 1. cap. 12.
[2] Oroſ. hiſtor. lib. 7. cap. 25.
[3] Zoſim. Hiſtor. lib. 2.
[4] Id. ibid. & eam ſecutus Suidas in Καισαρίνος.

Secundo autem perſecutionis illius anno, (teſtante [1] Euſebio & [2] Oroſio) Diocletianus & Maximianus purpuram depoſuerunt; illo (ut indicat [3] Zoſimus) *nonum, hoc octavum* jam Conſulatum gerente: anno videlicèt æræ noſtræ Dominicæ CCCIIII. Unde Auguſtus declaratus Conſtantius Chlorus, in ſuæ ditionis provincijs, Hiſpaniâ & Galliâ & noſtrâ Britanniâ (in quâ illum συνεχέστερον ἐνδημοῦντα notavit idem [4] Zoſimus) Chriſtianis pacem reſtituit: τὰς ὑπ' αὐτὸν θεοσεβεῖς ἀβλαβεῖς καὶ ἀνεπηρεάστους φυλάξας, ut inquit [1] Euſebius, μήτε τῶν ἐκκλησιῶν τὰς οἰκους καθελὼν, μήθ' ἕτερόν τι καθ' ἡμῶν καινοτομήσας. *pios Chriſtianos, qui ſub ipſo vitam degebant, à damno contumeliâq; penitùs immunes conſervans; neq; eccleſiarum ædificia demolitus, neq; aliquod ſcelus in nos machinatus.* Indeq; Donatiſtæ, in libello ſupplice filio ipſius porrecto. [2] *Rogamus te, ô Conſtantine optime Imperator, quoniam de genere juſto es, cujus pater inter cæteros Imperato-*

[1] Euſeb. hiſtor. lib. 8. cap. 13. edit. Græc. 16. Ruffin. 16. Chriſtophorſ. Vid. eund. de Vitâ Conſtantini, lib. 1. cap. 9. 11. & Nicephor. Calliſt. lib. 7. hiſtor. cap. 19.
[2] Optat. de ſchiſm. Donat. lib. 1.

corum

tores persecutionem non exercuit. & Sozomenus, libro 1. histor. Ecclesiastic. cap. 6. Διωκομένων τῶν ἀνὰ τὴν ἄλλην οἰκουμένην ἐκκλησιῶν, μόνος Κωνσάντιος ὁ Κωνσταντίνου παῖς ἀθλεῖν συνεχώρησε τοῖς Χριστιανοῖς. *Cùm Ecclesiæ in aliis orbis partibus persecutionum fluctibus jactarentur, solus Constantius Constantini pater* permisit *Christianis potestatem liberè suam religionem excolendi.* ἐνταῦθεν εἰκότως, ἔτι Κωνσάντιος περιόντος, ὃν ἐξῆν παράνομον χριστιανίζειν τοῖς Ἰταλῶν ἐπέκεινα Γαλάταις τε καὶ Βρεττανοῖς, καὶ ὅσοι περὶ τὸ Πυρηναῖον ὄρος οἰκοῦσι, μέχρι τῆς πρὸς ἑσπέραν ὠκεανοῦ. *quamobrem hinc capere conjecturam licet, neq; Gallis, neq; Britannis, qui ultra fines Italiæ habitant, neq; aliis qui circiter montes Pyrenæos ad Oceanum occidentalem usq; incolunt, contra leges visum esse, Christianam religionem, dum adhuc vita suppeditabat Constantio, profiteri.*

Addit Regino Prumiensis, [b] *Constantij temporibus pace Ecclesijs redditâ, Episcopos privatis sedibus restitutos, & alia plura Christianæ religioni profutura* fuisse concessa. Nec tamen idcirco episcopalem sedem [c] *Eboraci* ab illo constitutam magis crediderim, quàm à *Constantio rege* (sive hoc, sive alio) esse *conditam Warwici ecclesiam, in honorem Iohannis Baptistæ:* quod à Rosso Warwicensi proditū invenio. Quanquam [d] *Eboraci* extremum spiritū duxisse Constantium non ignorem: ubi *in medio filiorum pariter & filiarum* (ut refert [e] Eusebius) *ipsum instar chori undiq; cingentium se statuens, & in ipsâ regiâ inq; regio cubili decumbens; regni hæreditate filio, qui reliquos ætate anteibat, communi lege naturæ traditâ, decessit è vitâ.* Unde ad novum Imperatorem [f] Eumenius Rhetor. *Sacrum istud Palatium non candidatus imperij, sed designatus intrâsti: confestimq; te illi paterni Lares successorem vidêre legitimum. Neq; enim erat dubium quin ei competeret hæreditas, quem primum Imperatori filium Fata tribuissent.* quâ in re non naturæ tantùm legi obsecutum, sed summo etiam patrem usum fuisse judicio, in Basilico suo Libanius observavit.

[b] Regin. Chron. lib. 1.

[c] ut supr. pag. 78.

[d] Eutrop. histor. libro. & Hieronymi in chronic. Vid. supr. pag. 60.

[e] Euseb. de Vita Constantini, lib. 1. cap. 15.

[f] Ad Constantinum Aug. Panegyric.

Cùm enim plures liberos haberet, animadvertit eum qui diligentior regni custos foret: καὶ τὴν ἡσυχίαν ἐκείνοις ἐπιτάξας, ὃν ἐπιτηδειότερον ᾔδει, τοῦτον ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἐκάλει, *& reliquis in quiete manere jussis, quem aptiorem noverat, eum ad imperium vocavit.* quod Deum quoq; ipsum suo comprobavisse judicio, in Edicto ad Palæstinæ provinciales ita profitetur filius. 8 Τὴν ἐμὴν ὑπηρεσίαν πρὸς τὴν ἑαυτοῦ βούλησιν ἐπιτηδείαν ἐζήτησέ τε καὶ ἔκρινεν. ὃς ἀπὸ τῆς πρὸς βρεττανοῖς ἐκείνοις θαλάσσης ἀρξάμενος, καὶ τῶν μερῶν ἔνθα δύεσθαι τὸν ἥλιον ἀνάγκη τινὶ τέτακται, κρείττονι τινὶ δυνάμει ἀπωθούμενος καὶ διασκεδαννὺς τὰ κατέχοντα πάντα δεινὰ ἐκ ποδῶν ἐποιήσατο. ἵν' ἅμα μὲν ἀνακολοῖτο τὸ ἀνθρώπινον γένος εἰς τὴν περὶ τὸν σεμνότατον νόμον θεραπείαν, τῇ παρ' ἐμοῦ παιδευόμενον ὑπουργίᾳ. ἅμα δ' ἡ μακαριστὴ πίστις αὔξοιτο ὑπὸ χειραγωγῷ τῷ κρείττονι. *Cùm Deus meum ministerium quale esset explorâsset, idemq; ad ipsius voluntatem explendam idoneum censeret; eodem utens, & à mari Britannico, illisq; partibus ubi Sol rato cursu confecto necessariò occidit, initium faciens, eximiâ quâdam potentiâ & virtute omnia mala quæ homines premebant profligavit, & è medio prorsus sustulit: adeò ut meâ operâ ac diligentiâ tum humanum genus ad cultum augustissimæ legis & disciplinæ revocatum esset, tum fides sanctissima permagnas ipso Deo duce faceret progressiones.*

8 apud Euseb. de Vit. Constant. lib. 2. cap. 28.

CAP. VIII.

De patriâ Constantini Magni, & matris ejus Helenæ, variæ & discrepantes authorum sententiæ: quam alij Britanniam, alij Galliam, alij Bithyniam, nonnulli etiam Daciam fuisse volunt. Guil. Camdeni & Iusti Lipsij de Britannicâ Constantini origine amica concertatio. De pace Ecclesiæ redditâ: deq; Basilicâ S. Albani quam Verolamij, & S. Amphibali quam

Winto-

Wintonia tunc constructam aiunt. De Britannicis episcopis qui Concilio Arelatensi interfuerunt; & Britannorum cum patribus Nicænis in Paschatis observatione & Arianæ hæreseos condemnatione consensu. De Britannicis episcopis qui in Synodo Sardicensi & Ariminensi adfuerunt. Quamdiu ab Arianâ perfidiâ immunis manserit Britannia, & quando eâ contaminari cœpta. De Maximo in Britanniâ tyrannidem arripiente; Britannicâ coloniâ in Armoricam deductâ, & LXXI. fœminarum millibus quibus eâ occasione insula hæc exhausta fuisse fingitur.

AConstantio dilectum filium Constantinum pietatem edoctum, & in Britannicis insulis imperij relictum fuisse successorem, in [a] Menæis suis tradunt Græci. Et quidem *in Britanniâ creatum esse Imperatorem, & in locum patris exoptatissimum moderatorem accessisse*, scribit [b] Eutropius. Cujus rei, præter [c] alios, locupletissimus testis est, in Oratione ad ipsum Constantinum habitâ, Augustodunensis Rhetor Eumenius: istâ demùm ad Britanniam factâ apostrophe. [d] *O fortunata, & nunc omnibus beatior terris Britannia; quæ Constantinum Cæsarem prima vidisti!* Eum locum ad natale solum Constantini adstruendum producunt Britanni nostri, nec sine probabilitate magnâ: utcunq; illud *Cæsaris* additamentum adversùs eos urgeat [e] Iohannes Livineius, quod illum ipsum premit maximè. Etsi enim de Constantino morientis patris sententiâ *Imperatore* declarato, & à Britannico exercitu Imperatoriâ purpurâ mox vestito, in præcedentibus verba fecerit Orator: tamen *Cæsarem* factum Constantinum non primam vidisse Britanniam, sed Galliam, pluribus hîc confirmat, ipsius Livineij in hâc causâ vel Dux vel saltem σύμμαχος, [f] Iustus Lipsius. Id Nicephorus, Drepanicæ Constantini originis ab utroq; prolatus assertor unicus, disertè perhibet: ipsiq; temperum suadet ratio ut, priùs quàm

[a] Menæa Mai. 21.

[b] Eutrop. histor. lib. 10.

[c] Aurel. Victor. in Epitome, Hieronym. in Chronic. Socrat. lib. 1. histor. ecclesiast. cap. 1. (alij 2.) Oros. lib. 7. cap. 25. & 28.

[d] Panegyric. 9.

[e] *Notasti mihi additamentum*, CÆSAREM, Livinei, not. in Panegyric. 5.

[f] Lips. not. in Admiranda, lib. 4. cap. 11.

quàm in Britanniam ad morientem patrem accederet, Constantinum *Cæsarem* fuisse designatum existimemus.

Nam *eodem tempore Constantinum Cæsarem effectum*, quo Severus & Maximinus, prodit Aurelius Victor. Hos verò à Galerio Maximiano Augusto, anno qui Constantij mortem antecessit, creatos esse Cæsares, in Eusebij Chronico est annotatum. Neq; si à posteriore aliquo anno regni Constantini epocham deducat idem Eusebius; quod alibi, g *paucis & mensibus & diebus demptis annos duos & triginta* implevisse illum dicit, haud scio quo modo cum historiæ veritate conciliari possit. quandoquidem à XXV°. die Iulij mensis quo in sexto & postremo Consulatu suo mortem obijt Constantius, usq; ad XXIIdam diem Maij in Feliciani & Titiani Consulatum incurrentem, quo Constantinum filium interijsse constat, non plures quàm XXX. annos, IX. menses, & dies XXVIII. Fasti Romani nobis hîc exhibeant. Quibus addit & Lipsius alterius Panegyrici scriptoris sermonem illum, in nuptijs Constantini habitum. h *Cùm tibi pater imperium reliquisset, Cæsaris tamen appellatione contentus, expectare maluisti ut idem te qui illum declararet Augustum.* Cæsaris nimirùm appellatione illâ, *quam jam antè habebat*: ut haud inscitè interpretatur ille. ille, inquam, Lipsius eodem ipso in loco, quo adversus Britannicam Constantini originem ex professo disputat, & præcedentia ejusdem Panegyristæ verba (quæ de eâ, non nostri solùm, sed etiam Beatus Rhenanus & Cæsar Baronius, sunt interpretati) de Imperij ortu accipienda contendit. i *Liberavit ille* (pater videlicèt Constantius) *Britannias servitute; tu etiam nobiles illic oriendo fecisti.*

In Britanniâ autem natum fuisse Constantinum, ex patrijs quoq; traditionibus docuit k Guilielmus Malmesburiensis: & ante illum, scriptor Anglo-saxonicus vitæ Helenæ; quam *fœminam primariam Britanniæ* extitisse, in Chronico quod Fl. Lucio Dextro attribuitur, *filiam*

g Δύο πρὸς τοῖς τριάκοντα τῆς βασιλείας ἐνιαυτοῖς, μηνί τε καὶ ἡμέραις βραχείαις δέουσιν, ἐπλήρου. Euseb. de vitâ Constantini, lib. 4. cap. 53.

h Panegyric. 5. ad Maximian. & Constantin.

i Ibid.

k Malmesbur. lib. 4. de Regib. Anglor.

filiam Regis Britanniæ fuisse, in Martini Poloni Chronico legimus. de quâ etiam [1] Henricus Huntingdonienſis *Helena Britanniæ nobilis alumna Leudoniam muro, quod adhuc superest, cinxisse fertur; & Colecestriam omnibus adornâsse.* & de filio ejus: *Constantinus flos Britanniæ, regravit* XXX. *annis &* X. *mensibus. Hic igitur Britannicus genere & patriâ; ante quem nec post similis est egressus de Britanniâ.* ad quem & illa Iohannis Sarisburienſis ſpectant, in Polycratici ſui Prologo. *Arcus triumphales tunc proficiunt illustribus viris ad gloriam, cùm ex quibus causis, & quorum sint, impressa decet inscriptio. Liberatorem patriæ, fundatorem quietis, tunc demùm inspectores agnoscit; cùm titulus triumphatorem, quem nostra Britannia genuit, indicat Constantinum.* & Ioſephi Exonienſis, in Antiochеide ſuâ Britanniæ laudes ita decantantis:

[1] Huntingdon. hiſtor. lib. 1.

Inclyta fulsit
Posteritas ducibus tantis, tot dives alumnis,
Tot fœcunda viris; premerent qui viribus orbem,
Et famâ veteres. Hinc Constantinus, adeptus
Imperium, Romam tenuit, Byzantion auxit.

[a] Is enim *Britannicâ matre genitus, in Britanniâ natus, in Britanniâ imperator creatus, haud dubiè magnitudinis suæ gloriæ natale solum particeps effecit:* inquit homo Italus, inclinatione animi in nominis Britannici gloriam non admodùm propendens, Polydorus Vergilius.

[a] Polydor. hiſtor. Anglic. lib. 2.

Natum *Eboraci* fuisse affirmant Regis Angliæ Oratores, qui in Concilio *Constantiensi* cum Gallicani, & *Basileensi* cum Caſtellani Regis legatis de πρεσβείας concertârunt. è quibus priores illi Conſtantienſes. *Domus regalis Angliæ (inter plures sanctos palmites quos protendit, qui de facile numerari non poterunt) sanctam Helenam cum suo filio Constantino Magno Imperatore, nato in urbe regiâ Eboracensi, educere compertæ est.* Editum *Londini*, in Urbis illius Deſcriptione, mavult Guilielmus Stephanides: quòd Londinum fortaſſe ille, *rogatu Helenæ matris, primùm mœnibus è lapide lituthli & latere Britannico obsepserit*;

rit; quemadmodum ex patrijs Historijs retulit [a] Guil. Camdenus, & ipse Londinensis. Ab ipsâ Helenâ hoc factum tradunt Henricus Huntingdonensis & Simeon Dunelmensis: quod & [b] *Helenæ nummi sub mœnibus sæpe reperti* videntur confirmare. Colcestrenses tamen, uti idem [c] alibi monuit Camdenus, Helenam *suam alumnam fuisse asserunt, ex Coelo regè natam: & in memoriam Crucis ab illâ repertæ, crucem nodosam inter quatuor coronas interpositam publico in dignate gerunt*. quo facit & illud Alexandri Nechami, ab eodem productum, tetrastichon:

Effulsit sidus vitæ, Colcestria lumen
Septem climatibus lux radiosa dedit.
Sidus erat Constantinus, decus imperiale:
Servijt huic flexo poplite Roma potens.

& Henrici Huntingdonensis testimonium: qui Helenam, & fuisse *filiam regis Britannici de Colecestre, cui nomen erat Coel*; & *Colecestriam mœnibus adornâsse*, asserit. quam urbem ab ipso quoq; rege Coelo, patre Helenæ, fuisse ædificatam, narrat [g] Radulphus Niger, [h] Iohannes Nauclerus, & [i] Iohannes Bouchetus. *Coel* verò *regem Britonum, matrem Helenæ*, Glastoniæ sepultum fuisse, in Glastoniensium reliquiarum Indiculo, Henrici III. Anglorum regis temporibus confecto, invenimus.

In Britannicâ historiâ, quæ (paulo post editam Guilielmi Malmesburiensis historiam) Galfridi Monemuthensis operâ in publicam lucem est producta, [k] Coelum *Colecestriæ Ducem* fuisse legimus. Eum, imperante Diocletiano, Asclepiodotum prælio conserto peremisse, Britanniæ regnum occupavisse, illudq; unicæ quam habebat filiæ Helenæ hæreditario jure possidendum reliquisse. Illâ igitur in uxorem ductâ, Constantium regni Britannici diademate sese insigniviss; & suscepto ex eâ filio Constantino, *cùm undecim anni præterijssent, apud Eboracum morti subjacuisse, regnumq; filio donaviss*. Quæ quidem temporibus admodum perversè esse distincta, nemo non videt. Quis enim tam rudis est, ut undecim tantum annorum

[a] Camden in Middlesex, pag. 391.
[b] Id. ibid. in margine.
[c] Id. in Essex, pag. 325.
[g] Radulphi Chronic. MS.
[h] Naucler. Chronograph. volum. 2. generat. 6.
[i] Bouchet, Annal. Aquitan. part. 1. cap. 5. ubi *Ciel* per epenthesin pro *Coel*; & *Chestre* per metathesin ponitur pro *Colcestre*.
[k] Galfrid. lib. 5. cap. 6. & 11. Roger. Wendover, ad annum gratiæ 302. & Matth. Florileg. ad annum 302. Io. Capgrav. in Legendâ Helenæ. Pontic. Virunn. histor. Britannic. lib. 5. &c.

sorum Constantinum fuisse existimet, quum defuncto patri in regno successit? Nam non ante Diocletiani modò sed Taciti quoq; imperium fuisse illum natum, ideoq; tricesimum saltem ætatis annum, quum pater moreretur, numeravisse; integer annorum vitæ numerus evincit, à temporum illorum scriptoribus consignatus: quorum convenienter rationibus congruenterq;, [u] Camdenus, unâ cum [x] Baronio, Britannicam historiam eatenùs emendat; ut Constantium Chlorum, Aureliano imperante Helenam in uxorem duxisse dicat, & ex eâ Constantinum illum Maximum in Britanniâ genuisse. Ut nullo modo [y] Iacobus Philippus Bergomensis audiendus sit, qui Constantium repudiatâ Theodorâ *Helenam, Anglorum regis filiam captivam, uxorem duxisse* fabulatur: cùm ex Romanorum annalibus certò constet, Helenam illum coactum repudiâsse, ut Theodoram Maximiani Augusti privignam conjugem acciperet.

[u] Camden. Britann. pag. 51.
[x] Baron. Annal. tom. 3. ad ann. 306. §. 16.
[y] Bergom. Supplement. Chronic. lib. 8.

Ex *Theodorâ* Constantium *sex liberos Constantini fratres habuisse*, author est [z] Eutropius, (eumq; secuti, [a] Hieronymus, [b] Orosius, & [c] Iornandes:) quot etiam (& eosdem quoq;, ni fallor) ex *Helenâ* illum genuisse vult [d] Capgravius. [e] Bouchetus, ex Hymno de Lucionensis Ecclesiæ fundatione composito (cujus initium; *Gaude Lucionum*) duos, præter Constantinum, filios Helenam Constantio peperisse narrat. eorum alterum *Lucium*, seniore fratre interfecto, patriâ expulsum & ad monasticam vitam damnatum esse. indeq; à patre navigio cum multis presbyteris & viris religiosis impositum, ducentibus ventis, ad locum inter Pictavienses Aquitanico Oceano vicinum appulisse: atq; ibi Abbatiam & Ecclesiam B. Mariæ dicatam extruxisse, & à nomine suo *Lucionum* appellâsse. Ea verò Ecclesia à Iohanne Papâ XXII. ex Abbatiali postea facta est Episcopalis: cui nuper præfuit Armandus Iohannes Plessæus, Cardinalis de Richelieu; qui hodie universi regni Gallicani habenas moderatur.

[z] Eutrop. hist. Rom. lib. 9.
[a] Hieronym. in Chronic.
[b] P. Oros. lib. 7. cap. 25.
[c] Iornand. de regnor. succession.
[d] Capgrav. in Legendâ Helenæ.
[e] Io. Bouch. Annal. Aquitan. part. 1. cap. 52.

Constantinus Porphyrogenitus, in libro de administrando

strando imperio, cap. 13. interdictum Constantini Magni in sacrâ mensâ Ecclesiæ S. Sophiæ perscriptum fuisse simulat; ne unquàm Imperator Romanus affinitatem contraheret cum gente quæ peregrinis & à Romano statu diversis moribus uteretur: exceptis duntaxàt *Francis*. Τούτους γὰρ μόνους (inquit) ὑπεξείλετο ὁ μέγας ἐκεῖνος ἀνὴρ Κωνσταντῖνος ἅγιος. ὅτι καὶ αὐτὸς πρὸς γένεσιν ἀπὸ τῶν τοιούτων ἔσχε μερῶν. *Hos enim solos excepit magnus ille vir sanctus Constantinus: quòd ex illis partibus ipse esset oriundus.* Notum verò est, *Francorum* nomine à posterioribus Græcis, uti etiam ab hodiernis * Turcis, Occidentales omnes Europæos nostros generatim atq; universè comprehendi. Ut nihil sit necesse, voluisse Porphyrogenitum (quod eruditus illius Interpres Iohannes Meursius existimavit) *in Gallijs natum esse Constantinum Magnum*; & ab ijs qui in Britanniâ ortum censuerunt dissensisse. Magni tamen Constantini matrem *Helenam*, *quidam ex patriâ Treverorum oriundam asserunt*; *alius de regno Persarum, ubi Constantius ad tributa colligenda transmissus, eam legitur contigisse*: ut habet in Chronico suo ‡ Gottefridus Viterbiensis presbyter.

* Vid. Isac. Pontan. Origin. Francic. lib. 5. cap. 7. pag. 386.

‡ Gotfrid. Chronic. part. 15. sect ult.

De priore sententiâ, § Otto Frisingensis: *Hanc Helenam ex pago Treverorum oriundam dicunt*: *unde eandem ecclesiam plurimùm eam dotâsse tradunt.* & ‖ Ranulphus Cestrensis: *Hanc Helenam dicit Ambrosius fuisse stabulariam apud urbem Trevirensem in Galliâ*; *& ob insignem pulchritudin m à Constantio Cæsare ductam.* Et fuisse quidem illam *Stabulariam*, non ipse dicit Ambrosius, sed ab alijs dici affirmat: & de dicti illius sensu varij sentiunt variè. Richardus Vitus Basinstochius ¶ *Helenæ patrem Cæsari fuisse Comitem stabuli* ait, idq; *officium in Imperatoris aulà præstantissimum* fuisse: (cujusmodi est *Angliæ aut Franciæ Conestabularij, qui vulgò dicitur:*) *quod ignorantes quidam, ausi sint ex contemptu dicere, illam esse filiam stabularij.* ‖ Petrus Equilinus, inscio patre Cloele rege Britanniæ, Romæ peregrinatam esse, & post conceptum ibi ex

§ Ott. Frising. Chronic. lib. 3. cap. 45.

‖ Ranulph. Polychronic. lib. 5. cap. 26.

¶ Vit. ad lib. 5. Antiquitat. Britannic. not. 26.

* Petr. de Natalibus, lib. 7. cap. 78.

Constantio

Constantio Constantinum, *habitu indutam vilissimo in villam secessisse*, atq; in domo *quàdam quæ olim stabulum fuerat equorum* habitavisse, indeq; *stabulariam dictam* fuisse fingit. Guil. Camdenus, [l] à Iudæis & Gentilibus *stabulariam* ignominiosè appellatam fuisse ait; quia *præsepe in quo Christus natus quæsivit, & ubi stabulum fuit, Ecclesiam fundavit*, quod etiam ante eum, in Legendâ Helenæ, tradidit Iohannes Capgravius: Iudæos *ipsam inter se ex invidiâ Stabulariam vocavisse; eo quòd supra stabulum & tam vilem locum, eis admodùm exosum, tam nobilem Ecclesiam ædificavisset*. Cæsar Baronius, [m] contempus gratiâ, *stabulariam* nominatam putat, *quòd hospitis, apud quem divertit Constantius in Britanniâ, filia fuisset*; licèt talis hospitis, *qui Ducem totius exercitus domi exciperet*. Et nota sunt quæ, ex odio ac livore in Constantinum, adversùs matrem ab ethnicis confictæ sunt calumniæ. ut quòd impius illius nepos, apostata Iulianus, [n] ἐξ Ἑλένης φαύλης τινος γυναικὸς καὶ ἀσήμου, natum illum dicat; & [o] Zosimus ἐξ ἀσέμνου μητρὸς, atq; ἐξ ὁμιλιάς γυναικὸς οὐ σεμνῆς οὐδὲ κατὰ νόμον συνελθούσης κωνσταντίῳ τῷ βασιλεῖ γεγεννημένον.

[l] Camden. Britann. pag. 51.

[m] Baron. ann. 306. §. 20. 21.

[n] Act. Artem. ij. apud Metaphrastam, Octob. 20.

[o] Zosim Histor. lib. 2.

Ex hujusmodi hominum rumusculis disseminatum dispersumq; de Helenâ *stabulariâ* sermonem, ad summam illius laudem pio hoc sensu convertit S. Ambrosius. [p] *Stabulariam hanc primò fuisse asserunt, sic cognitam Constantio seniori, qui postcà regnum adeptus est. Bona stabularia, quæ tam diligenter præsepe Domini requisivit. Bona stabularia, quæ stabularium non ignoravit illum qui vulnera curavit à latronibus vulnerati. Bona stabularia, quæ maluit existimari* [*] *stercora, ut Christum lucrifaceret*. De urbe verò *Treverensi* nullum hic extat verbum. Primusq; (quantum ego investigando comperire potui) abbas Berengosius [q] *B. Helenam Trevirorum quondam indigenam civitatis* fuisse affirmavit: [r] ibidemq; Constantium Cæsarem eam sibi sociavisse in connubium, & ex eâ Constantinum magnum generavisse. de ejusdem Helenæ antiquâ nobilitate

[p] Ambros. orat. de obitu Theodosij.

[*] Philip. 3. 8.

[q] Berengos. de Inventione Crucis, lib. 2. cap. 1.

[r] Id. lib. 3. cap. 1.

ista etiam adjiciens. [f] *Licèt in historijs parentum illius generosa fileatur nobilitas; nobilitatem tamen ejus apud Treviros ædificiorum suorum adhuc antiqua testatur gentilitas: ubi pavimentum domus illius varijs marmoribus & Pario quondam lapide stratum, bene declarat, quantum ibi præ alijs videretur habere primatum. Præterea verò ipsa planicies parietum fulvo auro velut hyacinthino textu depicta bene testabantur insignia nobilitatis ejus invictæ: insuper etiam prædiorum ejus copiæ Ecclesijs Dei olim undiq; collata bene declarant, quàm nobilissimâ generis polleret antiquitate.* Sed neq; palatium Trevericum ibi fuisse procreatam, neq; illius munificentia & tot Ecclesijs collata donaria in veteri dignitate fortunaq; natam eam fuisse arguit. Neq; enim privatam habuisse illam ista apparet, & à majoribus accepta: sed quando [t] *Augusta cum filio conregnabat;* & [u] *prompto filij Imperatoris adsensu* (ut loquitur Paulinus) *mater Augusta, patefactis ad opera sanctia thesauris, toto* * *abusa fisco est.* Cùm enim Treveris [x] Cisalpinarum urbium maxima, [y] imperatorum in illis partibus clarum esset domicilium: nihil mirandum est, eo in loco matrem Imperatricem ædes incoluisse splendidissimas; undecunque demùm ortus illa traxerit originem.

Quod de *Persarũ* verò regno Gottefridus attexuit, à Nicephoro Callisti lucẽ aliquam accipit: qui [z] Constantiũ, legatum ad Persas à Diocletiano missum, Drepanum divertisse, & ex Helenâ hospitis sui filiâ Constantinum genuisse narrat: ubi *Bithynicam* tamen Helenæ, potiùs quàm *Persicam*, tribuit ille originem. Verùm hanc Nicephori fabellam, ex temporis ratione, satis refutavit [a] Baronius: vulgataq; illa de Bithynicâ Helenæ patriâ opinio, partim ex apocryphis Silvestri Actis, partim ex Helenopoleos

[f] Id. ibid. cap. 2.

[t] Sulpit. Severi. sacr. Histor. lib. 2.

[u] Paulin. epist. 11. ad Severũ: *Vid.* Eusèb de Vitâ Constantini, lib. 3. cap. 46.

* id est, *usa*, quomodo accipiendus est & Hieronymus in Quæstionib. in Genesim; ubi *Apollos* ait *ijs plerumq; testimonijs abuti, quæ jam fuerant in gentibus divulgata*. & ipse Tullius, lib. 2. de Natur. Deor. ubi nos scribit *sagacitate canum ad utilitatem nostram abuti.*

[x] Ἐστι δὲ αὕτη πόλις μεγίστη τῶν ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ἰθνῶν. Zosim. histor. lib. 3. Ammian. Marcellin. histor. lib. 15. Gelas. P. epist. 13 ad episcopos Dardaniæ. Vid. Aub. Miræi Fastos Belgic. & Burgundic. septemb. 14. pag. 535. 536.

[y] Nicephor. histor. Ecclesiast. lib. 7. cap. 18. & lib. 8. cap. 2.

[z] Baron. Annal. tom. 3. ad ann. 306. §. 14.

[a] Baron. Annal. tom. 3. ad ann. 306. §. 14.

nomine

nomine Drepano posteà imposito, primam duxisse videtur originem. Cùm enim à Silvestro baptizaretur Constantinus (quod nunquam factum) matrem in *Bithyniâ* versatam, *unde orta erat*, in Actis Silvestri apud [b] Simeonem Metaphrastam legimus. Ex aliâ tamen Silvestri Legendâ, *apud Britannias* eam tunc constitisse, refert [c] Ranulphus Cestrensis: Mariano Scoto quoq; astipulante; cujus in Chronico hæc sunt verba. *Constantino à Papâ Silvestro baptizato, scripsit de Britanniâ sibi sua mater Helena, ut negando Christum Iudæos sequeretur.* quæ, in favorem Helenæ, editum Florentij Wigorniensis Chronicon ita immutavit. *Constantino à Papâ Silvestro baptizato, scripsit ei sua mater Helena de Britanniâ, ut negantes Christum Iudæos persequeretur.*

[b] Ianuar. 2. (tomo 5° Lipomani, fol. 357.)

[c] Ranulph. Polychronic. lib. 4. cap. 26.

De *Helenopoli* sic scribit, in libro 5° de ædificijs Iustiniani, Procopius Cæsariensis. Ἔστι τὶς ἐν Βιθυνοῖς πόλις, Ἑλένης ἐπώνυμος οὖσα τῆς Κωνσταντίνου βασιλέως μητέρος. Ἐκ ταύτης γὰρ τὴν Ἑλένην ὡρμῆσθαι φασι, κώμης οὐκ ἀξιολόγου τὰ πρότερα οὔσης. ἥπερ τὰ τροφεῖα Κωνσταντῖνος ἐκτείνων, ὀνόματι μὲν καὶ ἀξιώματι πόλεως τὸ χωρίον ἐδεδώρηται τοῦτο· οὐ μέν τοι οὐδὲν οὐδὲ βασιλικὸν οὐδὲ μεγαλοπρεπὲς τῇδε πεποίηται. *Est apud Bithynos urbs quædam, Helenæ Constantini regis matri cognominis, nam ex hâc Helenam oriundam aiunt, vico olim ignobili, cui Constantinus nutricationis officium exolvens, hunc locum nomine quidem & dignitate Urbis decoravit; nihil tamen regium, nihil magnificum in eâ extruxit.* Ex hoc Constantini facto falsam illam plerorumq; (quos voce φασὶ innuit Procopius) de ipsius & matris Helenæ patriâ conceptam esse sententiam, non malâ suspicatus est conjecturâ [d] Stephanus Forcatulus.

[d] Forcatul. de Gallorum imper. & philosoph. lib. 7.

Atqui non hanc solùm Bithyniæ, sed aliam quoq; in Palæstinâ *Helenopolim* (ubi nemo natam Helenam somniavit) in matris honorem à Constantino denominatam testatur, [e] Sozomenus: & præter ortus rationem, alia redditur causa, ob quam matris in Drepano decorando meminisse

[e] Sozomen. lib. 2. histor. eccle. cap. 1. ἐν β.

nisse potuerit Constantinus. si quidem illud verum sit, quod in Actis Luciani martyris legitur. [f] *Veneranda Helena, quando revertebatur Hierosolymis, locum honorans; & in eo condidit civitatem (convocatu habitatoribus ex ijs quæ circũcirca erant regionibus, & effectis operis participibus) & validis eam cinxit mœnibus, & Martyri templum ædificavit maximum, quod nunc quoq; insigne & pulchrè extructum cernitur ab ijs qui & terrâ & mari ingrediuntur ac navigant.* unde & ipse [g] Nicephorus, Helenam hâc urbe delectatam fuisse narrat; non tam *quòd ibi orta esset* (quod hîc in Latino legimus interprete, non in textu Græco) quàm *quòd Lucianum post martyrium obitum eò à delphine deportari contigerit.* Luciani certè martyris, magis quàm suæ vel maternæ patriæ, memoriam spectavisse Constantinum, matris nomine urbem hanc insignientem, fidem mihi quidem facit B. Hieronymus; qui in Chronico suo, omni patriæ mentione penitus omissâ, rem simpliciter ita enarravit. *Drepanam Bithyniæ civitatem in honorem martyris Luciani ibi conditi Constantinus instaurans, ex vocabulo matris suæ Helenopolim nuncupavit.* ut & Constantinopolitanus Chronographus, Alexandrini nomine à Radero editus. Δρέπανον ἐπωνύμασας ὁ βασιλεὺς Κωνσταντῖνος ἐν Βιθυνίᾳ εἰς τιμὴν τοῦ ἁγίου μάρτυρος Λουκιανοῦ, ὁμώνυμον τῇ μητρὶ αὐτοῦ Ἑλενόπολιν κέκλικε, δωρησάμενος ἄχρι τοῦ νῦν ἕως φανερᾶς περιοχῆς πρὸ τῆ πόλεως, εἰς τιμὴν τοῦ ἁγίου μάρτυρος Λουκιανοῦ, ἀτέλειαν. *Constantinus in honorem sancti Luciani martyris instauratâ Drepani urbe in Bithyniâ, illam à matre suâ Helenopolim nuncupavit; donatâ civitati, in Martyris honorem, quousq; patet ante urbem prospectus, immunitate vectigalium ad hodiernum usq; diem.* &, ex Theophane, Cedrenus. Δρεπανῶν τὸν ἐν Νικομηδείᾳ ἐπωνύμασας, εἰς τιμὴν Λουκιανοῦ τοῦ ἐκεῖσε μαρτυρήσαντος, Ἑλενόπολιν διὰ τὴν μητέρα ἐκάλεσεν. *Drepanam apud Nicomediam in honorem Luciani, qui ibi martyrium subierat, condidit; & à matre Helenopolim appellavit.*

[f] Metaphrast. Octob. 15. Sur. Januar. 7.

[g] Nicephor. histor. eccles. lib. 8. cap. 32.

Sed

Sed de Bithynicâ Constantini patriâ novam hîc litem movet [h] Lipsius, ex depravato Iulij Firmici testimonio: apud quem [i] *Constantinus Maximus, Divi Constantini filius, apud Tharsum genitus, à primo ætatis gradu imperij gubernacula retinuisse*, vulgò legitur. Hîc enim Constantinum magnum Divi (non *Constantini*, sed) *Constantij* filium ille intelligit, genitum ad sinum & curvaturam maris (cujusmodi loca communi nomine *Drepana* Græci, quasi *Falces*, à similitudine, vocaverint) juxta Nicomediam Bithyniæ, ubi *Tarsum* hanc à Stephano de Urbibus, Nicetâ, & Porphyrogennetâ, poni notat. Verùm codices manuscripti pro *Tharso* habent hîc *Naisum*. ut si locus hic de Constantino Magno fuerit accipiendus; non Lipsio, sed (cui ille aurem hîc non præbet) Georgio Cedreno sit auscultandum potiùs, qui in *urbe Dacia* genitum illum fuisse asserit. de quo & Cuspinianus, in Cæsaribus. *Constantinus natus est in Britannijs: licèt alij apud Dacos natum scribant; quod verisimilius est*. eo videlicèt, quòd & patri Constantio *Illyricum patriam* fuisse Aurelius Victor, & avum Eutropium *nobilissimum gentis Dardanæ virum* extitisse, testetur Trebellius Pollio in Claudio. Ut enim Naissus, sive Nesus, [k] urbs est Dardaniæ; ita [l] Daciæ pars est Dardania, & Illyrici Dacia. Mutilum verò Cedreni locum ita supplendum esse, ut περὶ τὴν [Ναισὸν] τῆς Δακίας πόλιν in eo legi debeat, ex Constantino Porphyrogenito demùm deprehendi: apud [m] quem, in præfecturâ Daciæ mediterraneæ Ναισός, ἡ πόλις τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου, *Naisus* vel *Nasus*, *patria magni Constantini*, expressè collocatur. Quod enim idem, [n] in libro de administrando Imperio, ex *Francorum* partibus oriundum illum retulit, fictè & simulatè ab eo factum quæ præcesserunt satis indicant; in quibus Romanum filium edocet, quo prætextu uti illum oporteret, si Turcæ aut Russi, aut aliæ quæpiam gentes Boreales ac Scythicæ cum Imperatore affinitatem contrahere desiderarent. *Naisi* verò natum fuisse Constantinum, tradidit etiam author illo longè antiquior, Stephanus

[h] Lips. Admirand. de Magnitud. Rom. lib. 4. cap. 11. edit. Antuerp. an. 1598.

[i] Iul. Firmic. Matheseos, lib. 1. cap. 4.

[k] Ptolem. Geograph. lib. 3. cap. 9.

[l] Notitia Orientalis Imperij. Sext. Rufus in Breviario. Iornandes de regnor. successionib. unde Nicolao Damasceno (apud Stobæum) Δαρδανεῖς, Ἰλλυρικὸν ἔθνος. & Æliano (lib. 4. Var. histor. cap. 1.) Δαρδανεῖς οἱ ἀπὸ vel ὑπὸ τῆς Ἰλλυρίδος.

[m] Constantin. Themat. 9. lib. 2. (pag. 98.)

[n] Suprà, pag. 178.

nus vel saltem, qui illius quam habemus epitomen ad Iustinianum Imperatorem edidit, Hermolaus Constantinopolitanus grammaticus: licèt is Thraciæ urbem illam faciat; Ναισσὸς, inquiens, πόλις Θράκης, κλίσμα καὶ πατρὶς Κωνσταντίνου τοῦ βασιλέως. *Naissus, urbs Thraciæ, structura & patria Constantini Imperatoris.*

At eâdem libertate criticâ, quâ *Constantinum Divi Constantij filium* in Iulio Firmico legit Lipsius, *Constantium Divi Constantini filium* legendum contendit Camdenus noster; eumq; *Naisi* natum fuisse confirmat. Licèt enim in Zosimi historiâ, tres eodẽ tempore Cæsares à Constantino creatos fuisse legamus; *Crispũ* è Minervinâ concubinâ natum, ἤδη νεανίαν ὄντα (*qui jam adoleverat*) καὶ Κωνσάντιον, ὃ πρὸ πολλῶν ἡμερῶν ἐν Ἀρελάτῳ τῇ πόλει τεχθέντα, (*& Constantium, in Arelatensi oppido ante non multos dies in lucem editum*) & *Licinianum* Licinij filium, quũ jam ætatis mensem vicesimum ingressus erat: tamen *Constantinum* (qui post Crispum Constantini Magni filiorum natu erat maximus) reponendum hîc esse pro *Constantio* (uti in notis rectè monuit Frid. Sylburgius) ex Chronicis Eusebij, Aurelij Victoris, Idatij, & Orosij, manifestum est. è quibus Victor, eodem quo Zosimus modo; *Filium suum*, inquit, *Crispum nomine, ex Minervinâ concubinâ susceptum, item Constantinum eisdem diebus natum oppido Arelatensi, Licinianumq; Licinij filium, mensium ferè viginti Cæsares effecit.* & Eusebius de Vitâ Constantini, lib. 4. cap. 40. *Primus, qui patris erat cognominis, decimi paterni Imperij anno honorem hunc adeptus est. Secundus, avi nomine appellatus Constantius, anno ferè vicesimo.* quem quidem non in Galliâ sed Illyrico natum fuisse, extra controversiam ponit ejusdẽ in imperio successor Iulianus, his ipsis ad eũ ipsum usus verbis. Ἰλλυριοὶ, ὅτι παρ' αὐτοῖς γέγονας, ἐν ἀνέξονται τὸ καλλίστων εὐτυχημάτων στερόμενοι, εἰ τις ἄλλῳ σοι πατρίδα προσνέμοι. *Illyrici, quòd in eorum solo natus sis, tam felici sorte ac conditione privatos se esse non patientur, si quis aliam tibi patriam attribuerit.*

a Zosim. histor. lib. 2. pag. 679. edit. Græcolat.

b Iulian. Orat. 1. in laudem Constantij.

fuerit. Esse autem Illyrici civitatem *Naisum*, (præter Orientalis imperij Notitiam, quæ urbem *Naissatensem* statuit in Illyrico) testem damus Marcellinum Comitem Illyricianum; qui in Chronico, *Hunnorum Reges*, Bledam & Attilam fratres, *cum numerosis suorũ millibus in Illyricũ irruentes, Naisum, Singidunum, aliasq́; civitates, oppidaq́; Illyrici plurima excidisse* narrat. ª Prisco quoq; Rhetore (qui eodẽ, quo hæc clades accidit, tẽpore ipse vixit) in Gothicâ historiâ similiter attestante, ab Attilâ dirutã esse *Naissũ*, urbem quinq; dierum itinere ab Istro flumine distantem.

ª Ἐκλογ. πρεσβειῶν: à D. Hœschelio an. 1603. edit.

Sed quid vetat integram doctissimi Camdeni hâc de re Epistolam, hactenùs ineditam, huc apponere?

CL. V. Iusto Lipsio, Guil. Camdenus S.

Ex quo ADMIRANDA illa tua, te dignissima, in lucem prodierunt, V. CL. gestijt mihi animus tecum paucis de loco natali Constantini Maximi agere; non altercandi vel calumniandi studio (quod à nobis, qui Musis & Modestiæ litamus, susceptamq; inter nos benevolentiam conservamus, procul absit) sed cupiditate quâdam cognoscendi, & veritatem, si fieri possit, ab injuriâ vindicandi. Cumq; jam mihi vacet scribere quæ subinde mecum hâc de re animo agitavi; utinam & tibi per operosa negotia liceat huic disquisitioni tantisper immorari: licèt illa sanè levicula, & omninò supervacanea. *Non enim*, inquit Vopiscus, *summa sciendi est, ubi quisque magnorum Principum sit genitus, sed qualis in Republicâ fuerit.*

Historici omnes qui de loco natali Constantini Max. scripserunt unâ voce, præter duos Græculos

Cedrenum & Nicephorum, in Britanniâ natum asserunt: & historiæ fides ut certa favenda, cùm in idem plures ut testes consentiunt. Cedrenum, qui natum circa urbem Daciæ tradit, ut vanitatis manifestum ipse rejicis: Nos itidem Nicephorum, qui Drepani Bithyniæ natum, cùm ut vanum, tùm ut ætate minorem ad testimonium perhibendum rejicimus. Præscriptoribus enim qui contrà eunt, nuperus ille & novitius; ab anno sc. 1340. sub Andronico Iuniore. Cui (præter vitam Helenæ Anglo-saxonicè circa annum 940. scriptam) Henricum Huntingdonensem, Guiliel. Malmesburiensem, Ioannem Sarisburiensem, ejusdem ævi, cum denso scriptorum agmine opponamus; qui Nicephoro judicio non inferiores, tempore antiquiores. Quo autem quisq; tempore antiquior & rei gestæ loco propior, majorem & potiorem fidem meretur.

Nec de loco audiendus, qui in modo genituræ aniliter ineptit, & temporis ratione omninò aberrat. Ait patrem ejus Constantium Claudij ex filio nepotem (quod minimè verum docet Pollio) legatum ad Persas à Diocletiano missum, Drepani in Bithyniâ hospitem ei filiam suam prostituisse, cui pallium regium purpurâ intextum (quid privato cum pallio regio?) donârit; eademq; nocte Solem ex Occidente in somnijs illuxisse. Deinde anno Diocletiani quarto Cæsarem fuisse designatum Constantinum ex hâc natum; ostenso regio isto pallio patri innotuisse, qui eum in Galliâ (imò in Britanniâ) Cæsarem creavit.

At

At quando ille genitus? cùm Diocletianus bellum Persis minaretur: ad annum sc. Domini 286. ut, hâc initâ ratione, tantùm XX. fuerit annorum cùm Imperium cœperit. Tricesimum tamen tunc attigisse annum Eusebius & Victor Schotti, qui eiùnc vixerunt, docent. Ad quod tempus ipse etiam proximè accedis, qui Nicephori fidem in hoc concidentem libenter statumines.

Ad Nicephori tamen fidem firmandam adhibetur testis vetus ab ipsius Constantini ævo, fide plenus & omni exceptione major, Iulius Firmicus. Sed examinetur primùm tempus quo Firmicus scripsit, deinde testimonium quod profert.

Quòd Firmicus non sub Constantino Maximo scripsit, sed sub Constantio ejus filio, circa XVIII. scilicèt ab excessu Constantini Maximi annum, ipse testis fide dignus in Præfatione quâ Mauortio Lolliano jam Consuli ordinario designato librum inscripsit. Cujus Consulatum in annum XIX. Constantij incidisse, ex Fastis manifestò constat. Nec quenquam ante tot annos Consulem ordinarium designatum me legere memini. Ad hæc de postremis annis Constantini Maximi ut tunc transactis loquitur, ubi meminit Solaris deliquij Optato & Paulino Coss. vix uno & altero anno ante mortem ipsius Constantini.

Quod ad testimonium: si adesset & audiret ipse Firmicus, ut corruptum & interpolatum, & non ut suum agnosceret; & non de loco natali Constantini Maximi, sed Constantij ejus filij, sub quo Lolliano ordinario Consuli designato librum obtulit,

sc loqui clamitaret. At verba ipsa pensiculatiùs examinemus, ex duobus Manuscriptis, altero ex Bibliothecâ Collegij Lincolnienſis Oxonij, altero Thomæ Alani Mathematici Oxonienſis; non ex illo impresso & mendoso, qui tibi imposuit, & in Tharso indagandâ negotium facessit. Ecce autem verba ipsa fide antiquâ; parentheſi tantùm à me interjectâ, & *Constantius* pro *Constantinus*, Criticâ licentiâ substituto.

> *Dominus & Augustus noster ac totius orbis Imperator Pius, Felix & providus Princeps, CONSTANTIVS* scilicèt *Maximus, Divi Constantini filius augustæ & venerandæ memoriæ Principis (qui ad liberandum orbem à tyrannicis immoderationibus, et ad cõprimenda domestica mala favore propitiæ majestatis electus, ut per ipsum servitutis squallore deterso, secura nobis libertatis munera redderentur; ut captivitatis juga fatigatis jam & oppressis cervicibus poneremus: quem pro nostrâ semper libertate pugnantem incertissima inter casus humanos nunquam belli fortuna decepit) apud Naisum genitus, à primo ætatis gradu imperij gubernacula retinens quæ prosperis nactus fuit auspicijs, Romanum orbem salubri gubernatoris moderatione sustentat.*

Quæ parentheſi hìc intercluſa, ad Constantinum Maximum referenda videntur. Ille enim ad liberandum orbem à tyrannis, ad comprimenda domestica mala &c. divinitùs electus. *Illicò*, inquit Panegyristes, *atque pater terris fuerat exemptus, universus in te consedit exercitus, te omnium mentes oculique*

que

quæ signârunt: & quanquam tu ad seniores de summâ Reipublicæ, quidnã fieri placeret, retulisses; prævenerunt tamen studio, quod illi mox judicio probaverunt. Purpuram statim tibi, cùm primùm copiam tui fecit egressus, milites utilitati Reipublicæ magis quam tuis affectibus servientes injecere lacrimanti, &c.

Cætera autem quæ præcedunt & subsequuntur, parenthesi exclusa, perpendas quæso an non appositè Constantio Constantini filio conveniant. Ille post fratres Constantinum & Constantem totius orbis Imperator, ille solus Imperator: Ille MAXIMI agnomen habuit, ut nos in ejus nummis vidimus, & tu apud Occonem videas. Ille Divi Constantini fuit filius. Ille à primo ætatis gradu, id est, à pueritiâ (ut ego capio ex Firmici præfatione) gubernacula retinuit. novennis enim vel octennis vicennalibus patris Cæsar fuit designatus, & Orientis imperio præpositus: cùm pater gubernacula illa non susceperit ante annum tricesimum. Quòd autem Constantius noster Naisso (ut libri nostri præ se ferunt) genitus fuerit; ipsius ætas probare videatur. Si enim ille obijt, ut habet Victor, anno ætatis quadragesimo quarto; natus fuit anno salutis 317. Gallicano & Basso Coss. Quo quidem anno & subsequentibus in illis partibus egit Constantinus Maximus; ut rescripta Sirmio, Sardicâ, & etiam Naisso data demonstrant.

Hactenùs secundo æstu provehi videor: sed hîc tu subridens ἀνὰ ῥῶν irruas, quòd Firmicus Constantinum Maximum, & ejus invictissimos liberos Cæsares & Dominos appellat; cùm Constantius

liberos habuerit nullos. Vela obliquo; nec confugio ad Gallum vel Iulianum, quos cùm Cæsares dixerit in liberos adoptavit. Sed facio limatissimi tui judicij, an illa Firmici verba satis commodo sensu intelligi non possint illum precari erratica nomina, ut Constantinus sit Maximus Princeps, liberosq; habeat qui sint invictissimi Cæsares & Domini, qui posterorum posteris imperent. &c.

Hæc quæcunq; me inhibent quo minùs Constantinum Maximum Tarsi Bithyniæ natum credam: & ignoscas si illum Firmici locum non facere ad patrium solum Maximi illius Constantini, donec solidiora proferantur, existimem. Interim fraudi nobis non sit, si scriptoribus antiquis patrijs, vicinis, ijsque pluribus, potiùs quam uni eidemque novello, & eruditæ commentationi ex mendoso libro hâc in parte credamus; & pro nostrâ Helenâ & Constantino depugnemus, ut conjecturis eripi non patiamur. Nôsti illud: aberranti conjecturæ qui non resistit, approbare videatur. Vale vir Cl. & salve ab eo qui te unicè colit & admiratur. Londini, xviij. Augusti stilo veteri. MDCIIII.

---

[a] Lipsius in posteriorib. Notis ad Admiranda sua, edit. Antuerp. an. 1605. pag. 220.

[a] Huic dissertationi publicè [a] posteà, (tacito tamen illius adversùs quem scripsit nomine,) & priùs in privatâ hâc ad ipsum Camdenum Epistolâ, respondit Lipsius.

I. Lipsi-

I. Lipsius Guilielmo Cambdeno V. C. S. D.

LEgi quæ pro Constantini patriâ, & veteri de eâ sensu, scripsisti. Inquisitè & eruditè, non nego: sed in quibus parùm etiam comperti esse, mihi videbatur. Vestri ita Britanni, scio: (quis aliorum adsentit?) Non Bedas: quod jure observes. Ille antiquus & fidus, an gloriæ gentis suæ non favit? Atqui ubi locus dicendi erat (Hist. lib. I. cap. VIII.) duntaxat ex Eutropio, *creatum in Britanniâ Imperatorem*, scripsit. Ceteri vestri quàm fabulosa misceant, non nescis. Scribis Firmicum sub Constantio scripsisse eos libros. Edidisse, hoc fateor: scripsisse diu antè, & per partes, ipse in Præfatione satis dicit. Neq; nescis Alloquia illa in ultimis solere adscribi. De *Nesso* etiam natali Constantij, pariter incertum: & illud de *liberis*, urgere & premere mihi videtur, quidquid ingeniosè, mi Cambdene, excusas. Sed altercari non libet (absit litigare) & hæc talia pro judicio suo quisque arbitrator.

Considerare te velim, quòd iterùm *Dominum atque Imperatorem Constantinum* appeller, initio libri: cur non *Divum*, si jam obierat? Nam ita tu legis in loco, quem ad Constantinum ducis. Et de *Lolliano Consule*, non etiam palàm scribit: sed *Ordinarium Consulem designatum* fuisse. Potuit sub Constantino

tino designatus esse,& caussâ aliquâ dilatus. Sed & Fasti ejus ævi,quod te non fugit, obscuri aut defecti. Sed tui judicij res esto. non pertendo : nec meum est ingenium. Ego te jam olim amo, & præclarè meritum cùm de aliâ antiquitate, tùm de patriæ tuæ,animo sentio & voce prædico. Redde mihi affectum.neque enim factio, plebeiorum ingeniorum venenum,imminuet aut tollet. Languor me habuit,atq; is jam trimestris, cùm hæc scripsi. is breviorem me facit. Vale vir doctissime. Lovanij, X. Kal. Octobr. MDCIIII.

[illegible]c Justus Lipsius: cujus è *Bedâ* illud neminem mo[illegible]re movebit,qui consideraverit ex *Anglo-saxonum* gente fuisse illum; qui & Britannicarum antiquitatum inscij,& à rebus Britonum ornandis animo fuerunt alienissimo. Neq; verò soli vel Angli vel Britones in insulâ suâ natum fuisse Constantinum tradiderunt: idem senserunt inter exteros etiam, in antiquitatis investigatione haud indiligenter versati; Pomponius Lætus, Polydorus Vergilius,Beatus Rhenanus, Iohannes Huttichius,Franciscus Balduinus,Stephanus Forcatulus, Onuphrius Panuinius, Cæsar Baronius, Antonius Possevinus, Adolphus Occo, Octavius de Stradâ. & matrem Helenam Britannici regis filiam fuisse,Iohannes Veronensis (in Chronico à Petro Equilino lib.7.cap.73.citato)Gobelinus Persona (in Cosmodromio) Iohannes Nauclerus, Philippus Bergomensis, Ponticus Virunnius, Iohannes Trithemius, Valerius Anselmus Ryd, Christianus Massæus, Iohannes Bouchetus, Gilbertus Genebrardus, retulerunt. quibus adde,si liber, & Iacobi Januensis illud. f *In quâdam Chronicâ satis authenticâ legitur, quòd Helena fuit filia Cheeli*

f Iacob. de Vorag. Legend. cap. 64.

Choeli regis Britonum, quam * *Constantinus in Britanniam veniens, cùm esset unicus patri suo, duxit uxorem: unde insula post mortem Choelis sibi devenit. Hoc & ipsi Britones attestantur: licèt alibi legatur, quòd fuerit Trevirensis.* * Constantius

Sed à patriâ Constantini (de quâ satis superq; dictum) ad pacem Eccl. siæ ab eo redditam reducendus est sermo. de cujus læto successu ita noster Gildas. *Bilustro supradicti turbinis necdum ad integrum expleto, emarcescentibusq; nec sui authorum nefariis edictis: latis luminibus omnes Christi tyrones, quasi post hyemalem ac prolixum noctem, temperiem lucemq; serenam aurę cœlestis excipiunt. renovant Ecclesias ad solum usq; destructas; Basilicas sanctorum Martyrum fundant, construunt, perficiunt, ac velut victricia signa passim propalant: dies festos celebrant, sacra mundo corde oreq; conficiunt; omnes exultant filij gremio ac si matris Ecclesiæ confoti.* Eo tempore * *Basilicam in honorem B. Albani Anglorum Protomartyris constructam* asserit Matthæus Florilegus, *decem annis post passionem ejus elapsis:* Bedæ eam in rem producto: testimonio, * qui Verolamij, *redeunte temporum Christianorum serenitate, Ecclesiam mirandi operis atq; ejus martyri condignam extructam* fuisse ait. * Flor. histor. ad ann. Chr. 313.

* Bed. lib. 1. hist. cap. 7.

Tunc etiam Wintonienses Ecclesiam suam secundò fundatam, & in eam monachos denuò introductos fuisse fabulantur. Sic enim in magnâ illorum Tabulâ legimus. *Mortuo Diocletiano cessanteq; crudelissimâ persecutione in Christianos, fideles ad statum pristinum respirant; Ecclesiam Wintonienſem iterùm à fundamentis construunt, & ipsam monachis replent: & dedicatae est in honorem sancti Amphibali.* & in Antiquitatibus Wintonienſis Ecclesiæ. *De novo fundatum est Vetus in Wintanà monasterium à Christi fidelibus, & Monachi illud iterùm ingrediebantur ad inhabitandum. Idus Martij dedicatum est illud cœnobium in honore sancti Amphibali, qui nuper pro Christo martyrio rubricatur* XVI. *Kalend. Octobris, à Constante ejusdem Ecclesiæ Pontifice; hoc petente Deodato ejusdem monasterij Abbate: ut scribit Vigilantius in libro de Basilicâ Petri, capitulo tertio. In tan-*

tum enim tunc Christianorum fervebat erga matricem suam Ecclesiam Wintoniensem readificandam; quòd infra annum & triginta dies tota Ecclesia cum officinis Monachorum opere gaudebat perfectissimo. A secundâ ædificatione Ecclesiæ Wintoniensis & secundo ingressu Monachorum resultant anni 1168. usque ad tempus videlicèt, quo libellus iste est conscriptus.

In Thomæ Rudburni majore Chronico, lib. 1. cap. 6. & Wintoniensis ecclesiæ Historiolâ, capitulo 7. & 8. paulo adhuc plenior hujus rei pertexitur narratio. *Orationes ac deprecationes justorum assiduæ cùm nullùm valeant apud justum judicem Deum; ascenderunt lachrymæ eorum fidelium in conspectu Conditoris altissimi: & sedatum est gravissimæ persecutionis ac percussionis jaculum fulmineum; completo videlicèt spatio viginti duorum annorum, unde Christiani, qui priùs in sylvis opacissimisq; locis se posuerant in absconso, in publicum se ostentantes, renovant Ecclesias quæ usq; ad solum undiq; erant destructæ. Quo in tempore readificata est Ecclesia Wintoniensis secundò ab Christi fidelium oblationibus: non tamen tantum spatium continebat Ecclesia, neq; situs Monasterij nec ejusdem loca, sicut prius Monasterium à Lucio rege fundatum continebat. Constructâ sic denuò Ecclesiâ Wintanâ, Monachi secundò ipsam reintrant: scilicèt anno Dominicæ Incarnationis* [b] CCXCIII. *Et tunc adquisitionem Deodati Abbatis, de novo vetus cœnobium in honore sancti Amphibali sociorumq; ejus consecratum est: ministerium dedicationis solemniter perficiente Constante tunc in eâdem Ecclesiâ pontificante (Nonas Junij*, addit hîc Rudburnus) *ut scribunt Giraldus Cornubiensis de gestis Britonum libro* 3. *capitulo* 8. *& Vigilantius in libro de Basilicâ Petri, capitulo* 5. *Dedicatâ sic ac renovatâ Ecclesiâ Wintoniensi in honore S. Amphibali martyris (quæ extunc hoc nomen sumpsit, scilicèt Vetus cœnobium:) requieverunt in eâ Monachi, in hymnis & spiritualibus canticis Domino devotissimè vacantes, fermè ducentis decem annis, usq; ad adventum Cerdicij Saxonici, qui primus extitit Occidentalium Saxonum rex.*

[b] De Wintoniensium monachorum anachronismis dictum aliquid in capite præcedente, pag. 165.

Sub

Sub Constantino duo majora collecta sunt Episcoporum Concilia: Arelatense in Galliâ anno CCCXIIII. & Nicænum in Bithyniâ anno CCCXXV. habitum. In Arelatensi, ad causam Donatistarum cognoscendam, x *plurimos Episcopos ex locis diversis & propè infinitis convenire mandavit* pius Imperator: ut ipse in epistolâ ad Chrestum Syracusiorum episcopum significat. Interfuerunt illi ex Britanniâ nostrâ:

y *Eborius Episcopus, de civitate Eboracensi, provinciâ Britanniâ.*

Restitutus Episcopus, de civitate Londinensi, provinciâ suprascriptâ.

Adelfius Episcopus, de civitate * *Coloniâ Londinensium. exinde Sacerdos Presbyter, Arminius Diaconus.*

In Nicænâ Synodo & Paschalis observantiæ constitutum est tempus, & impia Arianorum hæresis condemnata: cum reliquâ Ecclesiâ Catholicâ consentientibus hîc etiam Britannis. De priore enim testis est ipse Imperator Constantinus, in epistolâ ad Alexandrinos, & orthodoxos omnes Episcopos qui Concilio non interfuerunt, transmissâ; Pascha eodem modo observatum, (μιᾷ καὶ συμφώνῳ γνώμῃ, *unâ & consentiente sententiâ*) cùm in alijs omnibus nationibus quas ibi commemorat, tùm in nostris quoq; z *Britannijs*. De posteriore, & magnum Athanasium authorem habemus, & Hilarium Pictavorum episcopum; apud quem *Kebium* Britannum (de quo a suprà diximus) postquàm viginti annis apud Cornubienses suos liberalibus disciplinis incubuisset, per quinquaginta annos mansisse, graduq; episcopali ab eo accepto in patriam suam posteà remeâsse, referunt in ejus Vitâ Iohannes Tinmuthensis & Capgravius.

Sardicensi enim Concilio, anno CCCXLVII. à Constantio & * Constante, Constantini Magni filijs, in Thra-

x πλείστους ἐκ διαφόρων καὶ ἀμυθήτων τόπων ἐπισκόπους εἰς τὴν Ἀρελατησίων πόλιν εἴσω καλανδῶν Αὐγούστων συνελθεῖν ἐκελεύσαμεν. Constantin. apud Euseb. lib. 10. histor. Ecclesiastic. cap. 5.

y Tom. 1. Concilior. Galliæ, edit. Paris. an. 1629. pag. 9.

* Colcestriâ. Vid. supr. cap. 5. pag. 60.

z κατὰ τὴν Βρεττανίαν. Constantin. epist. apud Euseb. lib. 3. de Vitâ Constantin. cap. 18. Socrat. lib. 1. cap. 6. & lib. 5. cap. 21. Theodoret. lib. 1. cap. 10. Gelas. Cyzicen. Act. concil. Nicæn. lib. 3. & Nicephor. lib. 8. hist. cap. 25.

a Supr. cap. 5. pag. 91.

* De ejus navigatione in Britanniam videndus Libanius in Basilico, & Iulius Firmicus Maternus, de errorib. profan. relig. cap. 29.

ciæ & Mysiæ confinijs coacto, [b] *Britanniarum* Episcopos cum alijs interfuisse, & damnatis Arianis Athanasium absolvisse; sub initium secundæ suæ contra Arianos Apologiæ, ostendit ipse Athanasius. Ab Hilario vero anno CCCLVIII. in Phrygiâ, ubi is exul tum degebat, editus est liber de Synodis adversùs eosdem Arianos: cujus initium. *Dominis & beatissimis fratribus & coepiscopis provinciæ Germaniæ primæ & Germaniæ secundæ, &c. & provinciarum Britanniarum episcopis; Hilarius servus (hristi, in Deo & Domino nostro æternam Salutem.* & paulo pòst. *Beata fidei vestræ literis sumptis (quarum lentitudinem ac raritatem de exilij mei & longitudine & secreto intelligo constitisse:) gratulatus sum in Domino incontaminatos vos & illæsos ab omni contagio detestandæ hæreseos persti:isse.*

[b] Basilius. Athanas. Græcolat. tom. 1. pag. 560. edit. Commelin.

Anno sequente, CCCLIX. à Constantio Ariminensis in Italiâ convocata est Synodus; quò (ut libro 2. Historiæ sacræ rem narrat Sulpitius Severus) *accisi aut* * *inacti quadringenti & aliquanto amplius Occidentales Episcopi: quibus omnibus annonas & cellaria dare Imperator præceperat. Sed id Aquitanù, Gallis, ac Britannis indecens visum: repudiatis fiscalibus, proprijs sumptibus vivere maluerunt. Tres tantùm ex Britanniâ, inopiâ propriâ, publico usi sunt; cùm oblatam à ceteris collationem respuissent: sanctius putantes fiscum gravare, quàm singulos.* Etsi verò hîc Episcopi *in Arianum dogma fuerant subacti* (ut [c] Facundus loquitur) *opprimente Constantio:* Britanniam tamen, & reliquas unde illi acciti sunt provincias, sub toto & Constantij hujus Ariani & apostatæ Juliani imperio ab Arianâ labe immunes sese conservâsse; evincunt quæ de Nicæno Symbolo, in literis anno CCCLXIII. ad Jovianum Imperatorem datis, scripserunt Athanasius & reliqui episcopi, qui nomine omnium Ægypti, Thebaidis & Libyæ episcoporum in unum convenerunt. [d] Ταύτῃ πίστιν ὡμολόγησαν οἱ ἐν νικαίᾳ συνελθόντες πάτερες. καὶ ταύτῃ σύμφωνοι τυγχάνουσι πᾶσαι αἱ κατὰ τόπον ἐκκλησίαι· αἵ τε κατὰ τὴν Σπανίαν, καὶ Βρεττανίαν, καὶ Γαλλίας, &c. καὶ αἱ

* Basilii.

[c] Facund. Hermianens. lib. 5. cap. 3.

[d] Athanas. Græcolat. tom. 1. pag. 359. edit. Commelin. Theodorit. lib. 2. histor. eccles. cap. 3. & Nicephor. Callist. lib. 10. cap. 43.

αἱ κατ' ἀνατολὰς ἐκκλησίαι, πάρεξ ὀλίγων τῶν τὰ Ἀρείου φρονούντων. Πάντων γὰρ τῶν προειρημένων τὴν πίστιν ἐγνώκαμεν τῷ γνώμῳ, καὶ γράμματα ἔχομεν. *Hanc fidem professi sunt qui Nicæa convenere Patres: & suffragijs suis eam comprobant omnes omnibus locis Ecclesiæ; ut Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ, &c. Orientis deniq; Ecclesiæ, exceptis paucis quæ secta favent Arianæ. Nam istarum omnium reipsâ exploratè cognitam habemus sententiam; literasq; ab illis accepimus.*

Post hæc tamen, Ariana hæresis *non solùm Orientis & Occidentis partem maculavit; sed & Meridianam & Septentrionis plagam, & ipsas Insulas suâ perfidiâ irretivit*: quemadmodum sub finem Chronici sui notavit Iohannes Biclarensis Abbas. & de insulâ Britannicâ nominatim Beda: [e] *Mansit hæc in Ecclesijs Christi, quæ erant in Britanniâ, pax usq; ad tempora Arianæ vesaniæ; quæ, corrupto orbe toto, hanc etiam Insulam extra orbem tam longè remotam veneno sui infecit erroris.* quæ ex Gildâ ille hausit: cujus hâc de re verba sunt ista. *Mansit hæc Christi capitis membrorumq; consonantia suavis; donec Ariana perfidia, atrox ceu anguis transmarina nobis evomens venena fratres in unum habitantes exitiabiliter faceret sejungi: ac sic quasi viâ factâ trans Oceanum, omnes omninò bestiæ feræ, mortiferum cujuslibet hæreseos virus horrido ore vibrantes, letalia dentium vulnera patriæ novi semper aliquid audire volenti, & nihil certi stabiliter obtinenti, infigebant.* Quod factum viderunt, quum Gratianus Imperator, qui Britanniam (unâ cum Galliâ & Hispaniâ) obtinebat, anno CCCLXXVIII. legem tulisset, fuit quilibet; liberè quamcumq; religionem vellet sectaretur; & quæq; secta, nullo habito discrimine, in Ecclesijs conventus ageret: solis Manichæis, Photinianis & Eunomianis exceptis: Contigisse id certè ante annum CCCLXXXIII. quo Maximus, arreptâ in Britanniâ tyrannide, per Andragathium ducem eundem Gratianum interfecit; satis clarè Gildas indicat, illis jam dictis statim subjiciens.

[e] Bed. histor. lib. 1. cap. 8.

[f] Socrat. histor. lib. 5. cap. 2. Sozomen lib. 7. cap. 1. & Iohan. Antiochenus, in Chronico.

Itemq; tandem tyrannorum virgultis crescentibus, & in immanem sylvam jam jamq; erumpentibus, insula nomen Romanum, nec tam in morem legemq; tenens, quin potiùs abjiciens, germen suæ plantationis amarissimæ, ad Galliæ magnâ comitante satellitum catervâ, insuper etiam Imperatorijs insignibus (quæ nec decenter usquàm gessit) non legitimè, sed ritu tyrannico & tumultuante militate, Maximum misit. Qui callidâ primùm arte potiùs quàm virtute finitimos quosq; pagos vel provincias contra Romanum statum, per retia perjurij mendacijq; sui, facinoroso regno adnectens, & unam alarum ad Hispaniam alteram ad Italiam extendens, & throno iniquissimi Imperij apud Treveros statuens, tantâ insaniâ in Dominos debacchatus est, ut duos Imperatores legitimos, unum Româ, alium religiosissimâ vitâ pelleret. Nec mora, tam feralibus vallatus audacijs, apud Aquileiam urbem capite nefando caditur, qui decorata totius urbis capita regni quodammodo cervicibus dejecerat. Hæc Gildas de Maximo: de quo multo moderatiùs, qui propiùs illum noverat, Sulpitius Severus. g *Maximus Imperator Rempublicam gubernabat, vir omni vitæ merito prædicandus, si ei vel diadema non legitimè tumultuante milite impositum repudiare, vel armis civilibus abstinere licuisset. Sed magnum Imperium nec sine periculo retinetur, nec sine armis potuit retineri.* & Paulus Orosius. h *Maximus, vir quidem strenuus & probus, atq; Augusto dignus, nisi contra sacramenti fidem per tyrannidem emersisset, in Britanniâ invitus propemodùm ab exercitu Imperator creatus in Galliam transijt: ubi Gratianum Augustum subitâ incursione perterritum, atq; in Italiam transire meditantem, dolis circumventum interfecit, fratremq; ejus Valentinianum Augustum Italiâ expulit.*

Maximus autem, cùm natione i *Hispanus* esset, à Gildâ tamen *germen plantationis* Britannicæ, uti ab Ausonio k *Rutupinus latro*, nominatur, quòd l *apud Britanniam tyrannidem arripuisset*, inde q; in *Gallias transmisisset*. Nec alia mens Socratis, quum scripsit. m Μάξιμος ἐν τῶν περὶ τὰς Βρεττανίας μεγάλῃ ἐπανέστη τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ. *Maximus*

* *Duos Imperatores, unum regno, alterum vitâ expulit.* S. Martin. vit. per Sulpit. Sever. cap. 23. *Occidit namq; Gratianum, Valentinianum verò urbe Româ expulit.* Gloss. Gild. MS. in Cantabrig. academ. Bibliothec.

g Sulpit. Sever. Dialogo 1. cap. 7.

h Oros. histor. lib. 7. cap. 34. & cum secutus Beda, lib. 1. hist. cap. 9.

i Zosim. histor. lib. 4.

k Auson. de claris Urb. b. Vid. Camden. in Cantio. pag. 240. 241.

l Aurel. Victor. in Epitome.

m Socrat. lib. 5. histor. eccles. cap. 11.

mus ex partibus Britanniæ arma contra imperium Romanum exulit. licèt [n] alij Latinum interpretem sentiant, patriâ illum Britannum fuisse hinc colligerint. [o] Historia Britannica, fuisse illi *patrem Britannum, Laelinum Constantini M. avunculum; matre verò & natione Romanum* fuisse ait. [p] Henricus Huntingdonensis, *à Britanniâ oriundum*, [q] Fabius Ethelwerdus & Annales Anglo-saxonici, *natum in Britanniâ* asserunt. Verùm qui tùm vixit, Latinus Pacatus Drepanius, [r] *homines insulanos totius incendium continentis adeleviſſe, & regali habitu exulem ſuum illos exules orbis induiſſe* affirmans, ipsumq; Maximum *orbis extorrem patriæq; fugitivum* appellans; inter nostros *toto diviſos orbe Britannos* (& eâ ratione *orbis exules* atq; *exterres* ab isto Oratore habitos) relictâ propriâ patriâ, advenam illum vixisse non obscurè significat.

Ninius, cui in plerisq; MSS. Gildæ nomen est impositum, ex uno hoc Maximo effecit duos. *Sextus*, inquit, *Maximus Imperator regnavit in Britanniâ.* [s] *A tempore illius Conſules eſſe cœperunt, & Cæſares nunquam poſteà appellatiſunt. & ſanctus Martinus in tempore illo claruit in virtutibus & ſignis, locutuſq; eſt cum eo. Septimus Imperator regnavit in Britanniâ dictus Maximianus. Ipſe perrexit cum omnibus militibus Britonum à Britanniâ, & occîdit Gratianum regem Romanorum, & imperium tenuit totius Europæ. noluitq; dimittere milites, qui cum eo perrexerunt à Britanniâ, neq; ad uxores ſuas neq; ad filios neq; ad poſſeſſiones ſuas: ſed dedit illis multas regiones, à ſtagno quod eſt ſuper verticem montis Iovis uſq; ad civitatem quæ vocatur Cantguic, et uſq; ad cumulum Occidentalem, id eſt, Cruc-echidieint. Hi ſunt Britones Armerici; & nunquam reverſi ſunt ad proprium ſolum uſq; in hodiernum diem. Propter hoc Britannia occupata eſt ab extraneis gentibus; & cives ejus expulſi ſunt, uſq; dum Deus auxilium dederit illis. In veteri traditione Seniorum noſtrorum ſeptem Imperatores fuerunt à Romanis in Britanniâ; Romani autem dicunt novem fuiſſe.*

Addit Galfridus Monemuthensis, [t] Maximianum (sic enim

[n] Baron. an. 383. §. 1. Octavius de Stradt. in Imp. vitis & nummis.

[o] Galfrid. Monemuthens. lib. 5 cap. 9 Matthæus Florilegad ann. grat. 379. Io. Trithemius, in Annalibus, & de Origine Francorum.

[p] H. Huntingd. histor. l. b. 1.

[q] Ethelwerd. Chronic. lib. 1.

[r] Panegyric. dict. Theodosio Aug.

[s] Ridiculum: ut hujus autoris multa alia.

[t] Histor. Britannic. lib. 9. cap. 14. 15. 16.

enim Gratiani Imp. interfectorem & ipse appellat) Armoricam, Britannico populo oppletam, Conano Meriadoco donaviſſe: qui à Dionoto rege Cornubiæ (cui Britanniæ inſulæ principatum Maximianum commendaviſſe refert) non ſolùm filiam ipſius Urſulam ſibi matrimonio copulandam, ſed etiam *nobilium filias, numero undecim millia, & ex infimâ gente creatis ſexaginta millia*, quæ novis colonis jungerentur, per nuncios impetraverit. Harum majorem partem, ortâ tempeſtate, in mari perijſſe; reliquas ab exercitu *Guanij* Hunnorum, & *Melgæ* Pictorum regis, partim *trucidatas* partim *mancipatas* fuiſſe narrat. Chriſtianas fuiſſe omnes mulieres iſtis Britannicas, numero 71000. *præter infantes & parvulos*, ait Iohannes Trithemius. reliquam verò totam fabulam (dempto immani illo fœminarum numero, qui fidem etiam poëticam ſuperare videbatur) hoc carmine alius, & Gildæ quoq; nomine ab aliquibus nobilitatus, ſic expreſſit.

(Poëm. lib. 5.

Interea Galli nimiâ feritate feruntur
Contra Conanum: Conanus mente feroci
Armoricum regnum defendit, & effugat hoſtes;
Cumq; carere ſuos uxoribus ipſe videret;
Regi Cornubiæ, cui tota Britannia major
Commiſſa eſt, ſcribens Diodoco, mandat ut ipſe
Armoricis nymphas generoſas & mediocres
Deſtinet uxores per claſſem. præparat illam,
Implet virginibus: dat navita carbaſa ventis,
Littus ad Armoricum tendit. contrarius Euro
Miſſus ab Æolijs aquor movet undique auſter.
Obruit unda rates: percunt cum claſſe puellæ.
Pars tamen illarum, rabie rapiente procellæ,
Fertur in hoſtiles agmen miſerabile terras.
Vanius has & Malga reci, vel fortè pudende
Tradunt ſervitio: qui toto corde faventes
Principibus Latijs, fautores Maximiani
Acriter infeſtam. His tota Britannia major

Succum-

Succumbit: quoniam vires subtraxerat illi
Armoricos adiens jampridem Maximianus.

Hanc narrationem, ut vulgatam illam de *Undecim millibus Virginum*, earumq; Cynosurâ *Ursulâ* (Sorbonicorum Parisiensium patronâ) traditionem aliquo modo tueretur, avidè arripuit Baronius: &, quasi rarum aliquid & nemini adhuc perspectum in lucem protulisset, pro thesauro carbones istos ita nobis venditavit. [a] *Ego quidem cùm in hujus rei veritate investigandâ plurimum laboris insumpsissem; exoptato evenit, ut invenerim tandem codicem Vaticanum pervetustum, in quo tractatus erat inscriptus de rebus Britannicis, auctore Gaufrido episcopo Asaphensi, sub notâ numeri nongentesimi quadragesimi quarti: in quo agens auctor de rebus Maximi tyranni, qui temporibus Gratiani Imperatoris invasit imperium, de Ursulâ quoq; perbrevem contexit historiam.* quam tamen non ex ipso Gaufrido (ut videri voluit, & doctissimo [x] Velsero persuasit) sed ex nupero illo, ni fallor, auctore ex quo idem [y] *Lucij Acta* alio in loco expressit, descriptam nobis hîc exhibuit: Sigeberti quoq; ad Galfridi fidem suffulciendam, adjuncto testimonio; qui *de eâdem incursione Gauni Hunnorum & Melga Pictorum Ducum* ad annum Domini 389. meminerit. Verùm Sigeberti nequaquàm esse ista, sed ex ipso [z] Galfrido (ut alia multa) in illius Chronicon esse intrusa, scimus: & hujus de Armoricis à Maximo sedibus suis expulsis, & deductis illuc è Britanniâ virorum ac fœminarum colonijs (quod Galfridianæ narrationis est fundamentum) figmenti vanitas à [x] Christophoro Browero ita est detecta; ut amplius quid addere nihil sit necesse. nisi quis multo adhuc vanioris figmenti accessionem audire aveat, quam in [a] Anglicano suo Martyrologio Iohanni Wilsono libuit adjungere; de Coloniensi solo, in quo Virginum harum lipsana condita dicuntur, alia omnia cadavera, etiamsi infantium recenter baptizatorum ea

[a] Baron. in Notis ad Roman. Martyrolog. Octobr. 21.

[x] M. Velser. in Notis ad Tabulam Itinerar. Peutengerianam.

[y] Supr. cap. 4. pag. 46.

[z] *In tuo exemplari sunt quædam inserta ex historiâ Britannicâ Galfridi Monemuthensis (ex antiquissimis Britannici sermonis monumentis in Latinum sermonem traducta:) quæ quia sic reperi intexta dimisi.* ait Antonius Rufus in epistolâ ad Guilielmum Parvum, præfixâ primæ editioni Sigeberti, quæ prodijt Parisijs anno 1513.

[x] Brower. in Notis ad Venantij Fortunati lib. 3. epigramm. 8.

[a] Anglic. Martyrolog. I. W. Octob. 21.

fuerint, suscipere defugiente : id quod *sæpiùs probatum* esse, seriò nobis narrat ille nugivendulus. Nam ut omittam Galfridi (quam ille quoq; sequitur) narrationem cum Coloniensium, de cæsis apud se Virginum Ursulanarum turmis, traditione consistere omninò non posse: etiam qui in ipsâ Agrippinensium Urbe rei tam mirabilis veritatem curiosiùs indagârunt, ejusmodi experimentum ullum sibi compertum fuisse negant. Imò *stare non posse*, inquit eorum [b] unus, *inde colligi potest; quòd in Ecclesiâ Machabæorum, in quâ magno numero ex societate SS. Virginum corpora reperta inde ab initio passionis coluntur, quotidie adhuc Christi fideles, quos tamen certaminis arena non evomit, sepulturæ mandãtur: ita ut fidem meam pro obside interponere ausim, Virgines illas non tam lividas, ut in Domino obdormientes, regni Dei cohæredes, confratres & consortes, multo minùs modo genitos, à suis cubilibus excludant.*

[b] Erhard. Winheim, in Sacrario Agrippinæ, num. 9. pag. 206.

Frequens erat his temporibus Hierosolymitana peregrinatio: de quâ & in proprio tractatu sententiam suam aperuit Gregorius Nyssenus, & suam quoq; in epistolâ 13. ad Paulinum ita breviter subindicavit Hieronymus. *Et de Hierosolymis & de Britanniâ æqualiter patet aula cœlestis. Regnum enim Dei intra vos est. Antonius, & cuncta Ægypti, & Mesopotamiæ, Ponti, Cappadociæ, & Armeniæ examina monachorum, non vidêre Hierosolymam: & patet illis absq; hâc urbe paradisi janua. Beatus Hilarion, cùm Palæstinus esset, & in Palæstinâ viveret, uno tantùm die vidit Hierosolymam; ut nec contemnere loca sancta propter viciniam, nec rursùs Deum loco claudere videretur.*

Britannicas tamen etiam nostras, inter alias gentes, huc confluxisse, tùm ex ijs quæ de *Melaniâ* in Lausiacâ historiâ retulit Palladius, tùm ex epistolâ quam *Paulæ* & *Eustochij* nomine ad Marcellam scripsit Hieronymus, intelligimus. De Melaniâ seniore, ita in Chronico Hieronymus. *Melania nobilissima mulierum Romanarum & Marcellini quondam Consulis filia, unico prætori tunc urbano filio derelicto, Hierosolymam navigavit; ubi tanto virtutum præcipueq;*

cipuèq; humilitatis miraculo fuit, ut Tecla nomen acceperit. licèt ilta Hieronymum *de exemplaribus suis erasisse* calumnietur [c] Ruffinus, *cùm actus suos vidisset districtioris disciplina fœminæ displicere.* De eâdem, unâ cum eodem hoc Ruffino, [d] comite ipsius individuo, peregrinos hospitio Hierosolymis excipiente; qui utriq; familiaris & [e] Origenis quoq; errorũ simul particeps fuit, Palladius Galata. [f] Τοῦτο δὲ ὐκ ἐμὸν ἐστι διηγήσασθαι, ἀλλὰ καὶ τῶν τὴν Περσίδα, καὶ Βρεττανίας, καὶ τὰς πάσας νήσους οἰκούντων. Τῶν γὰρ εὐποιῶν καὶ ἐπιδόσεων ἡ ἀθανάτου ταύτης, ὃ δύσις, ὐκ ἀνατολὴ, ὐκ ἄρκτος, ὅτε μεσημβρία ὐσχοκε. *Hoc autem non est meum solum narrare, sed etiam eorum qui Persidem & Britanniam, & omnes habitant insulas. Beneficiorum enim & largitionum hujus immortalis fœminæ non Occidens, non Oriens, non Septentrio fuit expers, nec Meridies.*

[c] Ruffin. Invectiv. in Hieronym. lib. 1.
[d] Hieronym. epist. 1. ad Florent. Paulin. epist. 9. ad Severi. Pallad. histor. Lausiac. cap. 118.
[e] Epiphan. in fine epistol. ad Iohannem Hierosolymitan. inter Hieronymianas, ordine 60.
[f] Pallad. histor. Lausiac. cap. 119.

Paulæ verò & Eustochij nomine ita scripsit Hieronymus. [g] *Divisus ab orbe nostro Britannus, si in religione processerit, occiduo Sole dimisso, quærit locum famâ sibi tantùm & scripturarum relatione cognitum.* & paulo pòst: de alijs convenis. *Concurrunt ad hæc loca, & diversarum nobis virtutum specimen ostendunt. Vox quidem dissona, sed una religio: tot penè psallentium chori, quot gentium diversitates.* quam religionis unitatem. & Britannorum in eâ non tam cum particulari Romanâ Ecclesiâ quàm cum Catholicâ & Universali (cujus potior authoritas) consensum, in Epistolâ ad Euagrium ita declarat idem. [h] *Nec altera Romanæ Urbis Ecclesia, altera totius Orbis existimanda est. Et Gallia, & Britannia, & Africa, & Persis, & Orient, & India, & omnes barbaræ nationes unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis. Si authoritas quæritur, Orbis major est Urbe. Ubicunq; fuerit episcopus, sive Romæ, sive Eugubij, sive Constantinopoli, sive Rhegij, sive Alexandriæ, sive Tanis; ejusdem meriti, ejusdem est & sacerdotij.* Urbem tamen, cum alijs provincialibus, identidem invisebant Britanni: & è Portu Romano solventes, non in Pa-

[g] Hieronym. tom. 1. epist. 17.
[h] Id tom. 3. epist. 85.

lestinam solùm trajiciebant, sed etiam in vicinam Syriam; ubi Symeonis Stylitæ celebris tùm fama apud exteras nationes omnium sermone percrebuit. Ad Symeonem hunc spectat illud Theodoreti, qui Acta ipsius adhuc viventis conscripsit. [i] *Venerunt multi quoq; qui habitant extrema Occidentis, Hispani inquam, & Britanni, & Galli, qui quod est intermedium occupant.* ad Portum Romanum illud Hieronymi, in Epitaphio Fabiolæ. [k] *Xenodochium in porta Romano situm totus pariter mundus audivit. Sub unâ aliate didicit Britannia, quod Ægyptus & Parthus noverant vere.*

[i] Theodoret. Φιλόθεος, sive 55. Patrum histor. cap. 14.
[k] Hieronym. ad Oceanum, epist. 30.

Ille verò, cujus jam meminimus, Ruffinus ([l] triginta ferè annis in Oriente transactis) sub finem Pontificatus Siricij domum rediens, *navem plenam blasphemiarum*, ut loquitur [m] Hieronymus, *Romano intulit portui*, & *venenata spurcaq; doctrina Romæ invenit, quos inficeret.* [n] Neq; *uni urbi, sed orbi blasphemias Origenis & περὶ ἀρχῶν libros, quantum in se fuit*, *intulit* Ruffinus: harum opinionum pravitate priùs imbutus à magistro Evagrio, de quo, in epistola ad Ctesiphontem, Hieronymus: *Evagrius Ponticus Hyperbaritæ, qui scribit ad virgines, scribit ad monachas, scribit ad eam, cujus nomen nigredinis testatur perfidia tenebras* (eâ nominis notatione *Melaniam* designat; quæ, [o] *ex Hierusalem post quinq; lustra remeans*, [p] cum Ruffino suo Origenicorum errorum adversus Hieronymum suscepit patrocinium) *edidit librum & sententias περὶ ἀπαθείας; quam nos impassibilitatem vel imperturbationem possumus dicere; quando nunquam animus nullo perturbationis vitio commoveatur, & ut simpliciter dicam, vel saxum vel Deus est. Hujus libros per Orientem Græcos & interpretante discipulo ejus Ruffino, Latinos plerisq; in Occidente lectitant.* Eundem Ruffinum ob sparsos Origenis errores Romæ damnavit Siricij successor Anastasius: eundemq; *in aliquibus de arbitrij libertate notatum* ab Hieronymo fuisse, in Romano LXX. episcoporum Concilio ostendit Gelasius. atq; ab eodem Originalis peccati inficiationem Romæ se-

[l] Ruffin. Apolog. ad Anastas. P. Hieronym. Apolog. advers. Ruffin. lib. 2 cap. 1, lib. 3 cap. 3. & 7.
[m] Hieronym. in epitaphio Marcellæ, epist. 16.
[n] Id. Proœm. in Dialogos advers. Pelag.
[o] Paulin. ad Severum, epist. 10.
[p] Hieron. sub finem epistol. ad Pammachium.

dum

ctum, in Ca[illegible]aginiensi Africanorum episcoporum conventu ita professus est Celestius. [q] *Sanctus presbyter Ruffinus Romæ, qui mansit cum S. Pammachio, id dixit. Ego enim audivi illum dicentem, quòd tradux peccati non sit.*

[q] apud Augustin. de peccat. Original. cap. 3

Anno autem CCCXCVIII. mortuâ uxore Paulinâ, nuncium seculo remisit Pammachius: & Ruffinus, relictâ Româ, in patriam Aquileiam habitationem transtulit anno proximè sequente; quo ab Hieronymo ad eum scripta legitur Epistola hoc initio. [r] *Diu te Romæ moratum, sermo proprius indicavit.* Celestij quoq; magistrum Pelagium [s] *in urbe Româ diutissimè vixisse*, atq; in hæreticis his fuisse *sermonibus contentionibusq́, versatum*, docet Augustinus: qui & se [t] *Romæ constituti Pelagij, nomen cum magnâ ejus laude cognovisse* confitetur. Extantq; adhuc hujus rei testes sequentes literæ. [u]

[r] Hieron. epist. 66. ad Ruffin.
[s] Augustin. de Peccat. Origin. contra Pelag. cap. 21.
[t] Id. de gestis Palæstinis, in causâ Pelagij cap. 22.
[u] Ibid. cap. 27. 28.

Domino dilectissimo, & desideratissimo fratri Pelagio, Augustinus in Domino Salutem.

GRatias ago plurimùm, quòd me literis tuis exhilarare dignatus es, & certum facere de salute vestrâ. Retribuat tibi Dominus bona, quibus semper sis bonus, & cum illo æterno vivas in æternum; Domine dilectissime, & desideratissime frater. Ego autem, etsi in me non agnosco præconia de me tua, quæ tuæ benignitatis Epistola continet; benevolo tamen animo erga exiguitatem meam ingratus esse non possum: simul admonens, ut potiùs ores pro me, quo talis à Domino fiam, qualem me jam esse arbitraris. Memor nostri, incolumis Domino placeas, Domine dilectissime & desideratissime frater.

Hoc enim artificio in primis suis scriptis usum fuisse Pelagium notat Augustinus; ut prava illa dogmata [x] *non ex personâ suâ posuerit, sed quid ab alijs diceretur exposuerit: quæ tamen posteà jam hæreticus pertinacissimâ animositate defendit.* quod in brevioribus inprimis in Pauli epistolas Commentarijs ab illo factitatum observat idem: juxta

[x] Id. Retractat. lib. 2. cap. 33.

Hieronym. Proœm. in lib. 1. Commentar. Hieremiæ.

receptas y *leges commentatiorum, in quibus multæ diversorum ponebantur opiniones, vel tacitis vel expressis auctorum nominibus; ut lectoris arbitrium esset, quid potissimum eligere deberet decernere.* Hæretica enim illa [a] *in ipsis quasi expositionibus*, inquit Augustinus, *non ex suâ personâ est ausus objicere: sed ibi hoc dicebat, ubi multùm notissimus erat, & quid sentiret ac diceret, latere non poterat.*

[a] Augustin. de peccat. Origin. cap. 21.

De eodem autem, quum jam patefactæ essent illius hæreses, in epistolâ 106. ad Paulinum Nolanum, ita scribit idem. *Pelagium (quem credimus, ut ab illo distingueretur qui Pelagius Tarenti dicitur, Britonem fuisse cognominatum) quòd ut servum Dei dilexeris, novimus: nunc autem quemadmodum diligas, ignoramus. Nam & nos non solùm dileximus, verumetiam diligimus eum: sed aliter nunc diligimus, aliter aliquando dileximus. Tunc enim, quia nobis rectæ fidei videbatur: nunc autem, ut ab iis quæ inimica & adversa gratiæ Dei sentire dicitur, illius misericordiâ liberetur.* & Prosper, in Chronico. *Pelagius Brito dogma nominis sui contra gratiam Christi, Cœlestio & Iuliano adjutoribus, exerit.* Nec cognomento solo, sed etiam gente fuisse illum *Britonem*, ostendit idem in libro de *Ingratis*; quo nomine Semipelagianos ille designat, ex hæresiarchæ hujus cineribus exortos. ubi à parente primùm exorsus, enarrat

[a] *Dogma quod antiqui satiatum felle Draconis.*
Pestifero vomuit coluber sermone Britannus.

& in operis progressu, ad novam sobolem sermone conversо,

[b] *Vos soli ingrati, quos urit gratia: cujus*
Omne opus arbitrio vultûs subsistere vestro.
Et quòd non cuncti mortales atria vitæ
Ingrediuntur, ita ex ipsis pendere putatis,
Ut tam ex judicio constet cujusq; quòd intrat,
Quàm quòd non intrat: ceu par in utrumq; facultas
Suppetat, ut tam sit proprium bona quàm mala velle.

[a] Prosp. de Ingrat. cap. 1.

[b] Id. ibid cap. 34.

I ter-

I procul insana impietas, artesq́; malignas
Aufer; & authorem comitare exclusa Britannum.

Similiter in elegis, quibus B. Augustini obtrectatorem perstrinxit, è scholâ vel Pelagij Britanni vel Iuliani Campani prodeuntem:

Aut hunc fruge suâ æquorei pavêre Britanni;
Aut huic Campano gramine corda tument.

sive, ut in duobus antiquissimis [c] Bedæ codicibus, & [d] Henrico Huntingdoniensi, versum illum citatum invenio;

Aut hic Campano gramine corda tumet.

Accedat & illud Pauli Orosij, [e] *Dominus Christus summo præmio fide dignum judicat, si quis hæc filium Dei posse crediderit: & Britannicus noster mox ut voluerit se posse confidit?* Ita ille in Apologetico de Arbitrij libertate contra Pelagium: quem ut [f] *latos humeros gestantem robustamq́; cervicem, præferentem etiam in fronte pinguedinem*, sed & [g] *mutilum* quoq; & μονόφθαλμον ibi depingit.

Patrio nomine Morgan dictum fuisse aiunt. Morgan autem Britannis *Marigenam*, sive *Pelago ortum* denotat; unde & Latinum * *Pelagij* deductum est vocabulum. *Natum in Britanniâ citeriore* [h] Polydorus Vergilius, in eâ illius parte quæ *Cambria* vocatur, [i] Iohannes Balæus indicat: *eodemq́; die quo ille in Angliâ* (quod nomen citerior Britannia nondum tùm obtinuerat) *natus tenebras errorum toti Mundo effudit, summum Ecclesiæ lumen Augustinum in Africâ emicuisse*; ex Walfiâ nescio quo (vetustissimo tamen, si illi credimus, *historiæ Ecclesiasticæ scriptore*) refert [k] Dempsterus. *Cantabrigiensem* Doctorem illum faciunt [l] Nicolaus Cantelupus & [m] Iohannes Caius; Bangorensem Abbatem, alij. Sic enim de Cantabrigiâ suâ Cantelupus. *Cùm Pelagius ejusdem civitatis Doctor præcipuus in hæresim cecidisset, contra eum surrexerunt alij fideles: propter quod denuo vastata est civitas à Pelagij fautoribus, qui asserunt hominem sine gratiâ posse salvari.* De aliorum illorum sententiâ, Ranulphus Cestrensis in Polychronico. [n] *Tradunt nonnulli, Pelagium fuisse abbatem nard famosum*

[c] Bed. lib. 1. hist. cap. 10. MS.
[d] H. Huntingd. histor. lib. 1.
[e] Oros. Apolog. pag. 633. edit. Mogunt. ann. 1615.
[f] Ibid. pag. 656.
[g] Ibid. pag. 6, 9.
* פון ימורגאן Pelagij hæretici meminit etiam R. Abraham Zachutus in libro Iochasin, fol. 144.
[h] Polydor. Anglic hist. lib. 3.
[i] Bal. Centur. 1. scriptor. Britan. cap. 8.
[k] Dempst. histor. Scoter. lib. 15. num. 1012.
[l] Cantelup. in Cantabrig. Historiolâ.
[m] Cai. Histor. Cantabrig lib. 1 pag. 27.
[n] Polychronic. lib. 4. cap. 31.

*famosum illud monasterium de Bangor; quod per decem milia-ria à * Legecestriâ distat.* (alterum enim illud ejusdem nominis in Hiberniâ nostrâ, post Pelagij tempora, à Congello sive Comgallo institutum fuisse constat.) Atq; in horum numero Iohannes Tinmuthensis est reponendus: in vitâ Albani, ita de illo scribens. *Circa annum Domini quadringentesimum quartum Pelagius Brito abbas illius famosi monasterij de Bangor extitit; ubi duo millia monachorum & centum, laboribus manuum vitam suam ducentium, sub uno Abbate militârunt.*

* Westchester. Vid. supr. cap. 5. pag. 61. & cap. 6 pag. 113. & cap. 7. pag. 161.

Ut autem è *Britanniâ* Pelagium, ita è vicinâ nostrâ *Hiberniâ*, quæ vetus Scotia fuit, prodijsse illius *Phineam* (uti appellat ° Orosius) Celestium, ex Hieronymi in prophetam Hieremiam commentarijs colligimus. *Nuper*, inquit ille in primi libri Proœmio, *indoctus calumniator erupit, qui Commentarios meos in epistolam Pauli ad Ephesios reprehendendos putat. Nec intelligit, nimiâ stertens vecordiâ, leges Commentariorum*, &c. *nec recordatur stolidissimus & Scotorum pultibus prægravatus, nos in ipso dixisse opere. Non damno digamos, imò nec trigamos, & si fieri potest octogamos: plus aliquid inferam, etiam scortatorem recipio pœnitentem.* Atq; hujus Scoti *præcursorem* ibi dicit fuisse *Grunnium*: quo usitato sibi nomine designat is *Ruffinum*, jam vitâ functum; à quo, dum Romæ viveret, damnatum illud de negatâ peccati traductione dogma se accepisse, ipsũ Celestium ᵖ suprà confitentem audivimus. Sed clariùs in tertij libri Proœmio exprimit ista Hieronymus; de Pelagio, domestico & intimo Celestij magistro, verba faciens. *Hic jacet, alibi criminatur; mittit in universum orbem epistolas biblinas, priùs auriferas, nunc maledicas: & patientiam nostram, de Christi humilitate venientem, malæ conscientiæ signum interpretatur. Ipseq; mutus latrat per Alpinum canem grandem & corpulentum, & qui calcibus magis possit sævire quàm dentibus. Habet enim progeniem Scotica gentis, de Britannorum viciniâ: qui, juxta fabulas Poëtarum, instar Cerberi spirituali percutiendus est clavâ; ut æterno, cum suo*

° P. Oros. Apologetic. contra Pelagium, pag. 663.

ᵖ Supr. pag. 205.

magi-

magistro Plutone, silentio conticescat.

His enim [a] *ænigmaticis formulis describi Pelagium atq; Celestium*, rectissimè animadvertit Baronius: [r] quos in epistolâ etiam ad Ctesiphontem, producto illo (quod in ipso [f] Operis hujus vestibulo à nobis est positum) Porphyrij testimonio, *patriæ nomine expressisse* Hieronymum affirmat; *dum Britanniæ tyrannorum fertilis, & Scoticæ gentis meminit.* Ut enim Pelagium & *Britonem* & *Brittannum*, (ne quis inter hæc vocabula discrimen hîc aliquod cum [t] Christophero Browero aucupetur) à Prospero esse habitum [u] ostendimus: ita *Scotum* fuisse Celestium, ex Hieronymo non malè deducit [x] Robertus Personius. Nam qui Pelagium natione Scotum fuisse hinc eliciunt, non satis animadvertisse videntur, manifestè ab Hieronymo distingui hoc in loco Plutonem (ut illi vocare libuit) à Cerbero, mutum magistrum (cujus progeniem omninò non commemorat) à latrante discipulo (quem *Scoticæ gentis* fuisse asserit:) neq; etiam confideraſſe, quum ista scriberet Hieronymus, Pelagium adhuc post carecta latuisse; & callidè dissimulatâ suâ hæresi, eam per discipulos in publicum proposuisse. Vnde ad eum, in tertio Dialogorum libro, idem Hieronymus: *O te felicem! cujus præter discipulos nemo conscribit libros: ut quidquid videris displicere, non tuum, sed alienum esse contendas.*

[y] *Novam* hanc *ex vetere quæstionem*, & [z] *novam ex vetere hæresim*, atq; illius magistros [a] *novos ex veteribus hæreticos* appellat Hieronymus; quòd veteres illi errores non renovaverint modò, sed alijs etiam de suo appositis lacinijs egregiè interpolaverint. *Quis enim unquam*, inquit [b] Vincentius Lirinensis, *ante profanum istum Pelagium, tantam virtutem liberi præsumpsit arbitrij; ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adjuvandum, necessariam Dei gratiam non putaret? Quis ante prodigiosum discipulum ejus Celestium, reatu prævaricationis Adæ omne genus humanum negavit adstrictum?* Istos namque *vel authores*

[a] Baro. an. 410. §. 61.
[r] Id. an. 411. §. 44.
[f] Supr. cap. 1. pag. 1.
[t] Brower. not. ad Venant. Fortunat. lib. 3. epigram. 8.
[u] Supr. cap. 8. pag. 206. 207.
[x] Person. de convers. Angl. part. 1. cap. 3. §. 10.
[y] Hieronym. initio epistolæ ad Ctesiphont. contra Pelag.
[z] Id. lib. 1. in Hierem cap. 2. & 3. item lib. 6. in Hierem. cap. 30.
[a] Id. lib. 5. in Hierem. cap. 25.
[b] Vincent. Lirinens. adversus hæres. Commonitor. 1. cap. 34.

vel certè acerrimos notissimosq; suasores novæ hujus hæreseos extitisse, in epistolâ 157ª. ad Optatum affirmat Augustinus. qui de ijsdem etiam [c] alibi: *Hujus*, inquit, *perversitatis authores vel perhibentur vel etiam probantur; vel certè si authores non sunt, sed hoc ab alijs didicerunt, assertores tamen atq; doctores, per quos id latiùs reptaret & crescerent, & verbis & literis suis, & competentibus indicijs, & famâ ex his omnibus surgente & crebrescente jactantur.*

Postrema est hæc earum hæreseôn, quas in libro ejus argumenti ad Quodvultdeum scripto Augustinus commemorat. [d] *Pelagianorum* (inquit) *est hæresis hoc tempore omnium recentissima, à Pelagio monacho exorta. Quem magistrum Celestius sic secutus est, ut sectatores eorum Celestiani etiam nuncupentur.* Eam exortam etiam notat idem [e] in libro de gestis Synodi Palæstinæ contra Pelagium, *non ab episcopis, seu presbyteris, vel quibuscunq; clericis, sed à quibusdam veluti monachis.* Et cùm inter Clericos non numerarentur Monachi (quorum longè diversas fuisse rationes, ab [f] Hieronymo quoq; est notatum) in *laicorum* censu Pelagium à [g] Zosimo Papâ & [h] Orosio collocari neutiquam est mirandum. *Ministrum mensarum* quidem [i] Orosius illum vocat: non quòd *Diaconus* esset tamen, sed quòd *balneis epulisq; nutritus* (ut [k] alibi objectat idem) aliorum [l] *mensas*, quod illi Isidorus Pelusiota quoq; vertit vitio, studiosiùs consectaretur. Affirmat [m] Balæus, illum in Oriente *ex earum partium monacho præsulem ordinatum, sui nominis hæresim fabricâsse:* [n] Prateolus etiam, *à quibusdam Catholicis ad episcopalia munera obeunda esse perductum*; ejusq; rei authorem laudat ille divum Hieronymum. Sed neq; apud Hieronymum, neq; apud antiquiorem illorum aliquem, de episcopali vel etiam clericali Pelagij munere verbum occurrit ullum: ut nec de Episcopatu, quem pari liberalitate ibidem tribuit Balæus satelliti ipsius *Celestio*, sive, ut is (Gennadij corruptam lectionem

[c] Augustin. de peccat. Original. cap. 22.

[d] Id. de hæres. cap. 88.

[e] Id. de Gest. Palæst. cap. 35.

[f] Hieronym. ad Heliodor. epist. 1. & ad Paulin. epist. 13.

[g] Zosim ad African. epist. 4. tomo 1. Concil. pag. 607. edit. Colon. an. 1606.

[h] Oros. Apologetic. pag. 622. & 623.

[i] Id. ibid. pag. 613. fin.

[k] Ibid. pag. 666.

[l] ἐμυνῶν τὰς τραπέζας. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 314.

[m] Balæ. Cent. 1. cap. 38.

[n] Prat. Elench. hæres. lib. 14. cap. 14.

lectionem secutus) cum vocat. *Celestina.* Presbyterij quidem hic honorem, [o] in Africâ ob hæresis infamiam denegatum, [p] in Asiâ tandem est consecutus: sed quum primum in lucem producta est ista hæresis, simplex omninò monachus erat tam Celestius quàm Pelagius.

Et monachum quidem fuisse Pelagium, præter Augustinum, Synodi quoq; Palæstinæ [q] Acta, & [r] Iohannes Chrysostomus, & discipulus ipsius [s] Isidorus Peluſiota, & [t] Isidorus Hispalensis, & [u] Photius Patriarcha, & recentiorum plurimi consentiunt. E monasterio quoq; prodijsse *Celestium*, in Ecclesiasticorum scriptorum Catalogo testis est Gennadius. *Celestius,* [x] inquit, *antequàm Pelagianum dogma ixcurreret, imò adhuc adolescens, scripsit ad parentes suos de monasterio Epistolas in modum libellorum tres, omnibus Deum desiderantibus necessarias. Moralis siquidem in eis dictio: nihil ibi vitij postmodùm prodit, sed totum ad virtutis incitamentum tenuit.* De libris etiam à Pelagio ante publicatam hæresim exaratis ita scribit idem. [y] *Pelagius hæresiarcha, antequàm proderetur hæreticus, scripsit studiosis tres necessarios de fide Trinitatis libros: & pro actuali conversatione Eulogiarum ex divinis scripturis librum unum, capitulorum indicijs in modum S. Cypriani martyris præsignatum.* Hic enim [z] se, in scripturarum testimonijs sub titulis certorum Capitulorum digerendis, imitatorem imò expletorem Operis B. Cypriani ad Quirinum, fuisse gloriatus est: hoc se dicens facere ad *Romanum*, (ei enim librum dedicaverat) quod ille fecerit ad *Quirinum.* In quo tamen sive [a] *Testimoniorum* sive [b] *Capitulorum* opere (ex quo [c] Balæus trium librorum titulos videtur efformâsse; *De moribus clericorum*, lib. 1. *Pro vitâ actuali*, lib. 1. *Eulogiarium ex scripturis*, lib. 1.) expressa hæreseos illius deprehendi, vestigia, loca tùm in [d] gestis Palæstinis tùm in [e] Hieronymi

[o] Augustin. epist. 89. ad Hilarium. Oros. Apologetic. pag. 621.
[p] Concil. Milevitan. epist. ad Innocent. P. inter Augustinianum. num. 92. Zosimus P. epist. 3. & 4. ad Africanos, tom. 1. Concil.
[q] Augustin. de Gestis Palæstin. cap. 14. 19. 20. 33. & 35.
[r] Chrysost. ad Olympiad. epist. 16. tom. 7 edit. Savil.
[s] Isidor. Peluſiot. lib. 1. epist. 314.
[t] Isidor. Hispal. Origin. lib. 8. cap. 5.
[u] Phot. Bibliothec. num. 53.
[x] Gennad. Catalog. vir. Illust. cap. 44.
[y] Ibid. cap. 42.
[z] Hieronym. contra Pelag. lib. 1. cap. 9. & lib. 3. capitulum. Augustin. ad Bonifac. lib. 4. cap. 8. 9.

[a] Augustin. ibid. cap. 8. Oros. Apologetic. pag. 631. [b] Augustin. de Gest. Palæstin. cap. 3. & 30. [c] Balæus Centur. 1. cap. 38. [d] Augustin. gest. Palæstin. cap. 1. 3. 4. 5. 6. [e] Hieronym. contra Pelag. lib. 1. cap. 9.

contra Pelagium Dialogo inde producta satis ostendunt. quod idem de *Expositionibus in Psalm.* & libro *De liberi arbitrij vigore* sentiendum : quæ Balæus ante conditas hasce hæreses composuisse illum ait. Nam quod de libris duobus *ad Bonifacium Comitem*, & altero *ad Albinam & Melaniam* scripto subjungit idem ; ut omni authoritate penitùs destitutum meritò negligimus : utcunq; ex eo in Gesnerianæ Bibliothecæ Epitomen, indeq; in Possevini Apparatum, & istos & ejusdem generis alios quam multos commentitios titulos translatos esse videamus.

* Supr. pag. 305. 306.

Quando verò primùm eruperit ista hæresis, inter scriptores non satis convenit. Annales Anglo-saxonici, Maximi tyranni *tempore*, *Pelagianam hæresim ortam & divulgatam esse* tradunt. Sexennio post excessum hujus emersisse [f] Iohannes Major indicat. *Anno* enim CCCXCIIII. *post partum Virgineum*, secundùm illum, *virus pestiferum Pelagius Brito in ecclesiâ seminavit, gratiam Dei negans.* Sed seriùs apparuisse illam hæresim, maximo nobis argumento est ; quòd illi nondum adhuc exortæ occurrisse se dicit Augustinus, in libris à se jam [g] Episcopo conscriptis atq; editis. ut [h] *in primi libri posterioribus partibus, eorum duorum quos sui Episcopatus initio, antequàm Pelagiana hæresis appareret, ad Simplicianum Mediolanensem Episcopum scripsit* : & in libris Confessionum postea exaratis. *Quid* enim, [i] inquit, *meorum opusculorum frequentius & delectabilius innotescere potuit, quam libri Confessionum mearum ? cùm & ipsos ediderim antequàm Pelagiana hæresis exitiasset. In eis certè dixi Deo nostro, & sæpè dixi : Da quod jubes, & jube quod vis. Quæ mea verba Pelagius Romæ, cùm à quodam fratre coëpiscopo meo fuissent eo præsente commemorata, ferre non potuit ; & contradicens aliquanto commotiùs, penè cum eo qui illa commemoraverat litigavit.* Prosper autem Aquitanicus Augustinum, [k] & *ab exordio Episcopatus sui, multo priùs quàm impugnatores gratiæ exurgerent, pro gratiâ disputavisse*, & [l] in Olybrij & Probini Consulatu (id est, æræ nostræ

[f] Major de gest. Scotor. lib. 1. cap. 15.

[g] Augustini Retract. libr. 1. cap. 1. & 6.

[h] Id. de dono Perseverantiæ, cap. 21.

[i] Id. ib. cap. 20.

[k] Prosper contra Collator. cap. 43.

[l] Id. in Chronico.

Christianæ

Christianæ anno CCCXCV.) *Episcopum ordinatum* fuisse testatur, quando & mortuo Theodosio filij ejus, Arcadius & Honorius, in imperij administratione successerunt.

Horum igitur *temporibus Pelagium Britonem* [m] *Dei gratiam impugnavisse*, & [n] *contra auxilium gratiæ supernæ venena suæ perfidiæ longè lateq; dispersisse*, à Bedâ rectè est traditum: sed quoto potissimùm imperij ipsorum anno, nondum liquet. Ad VI^um. (qui æræ nostræ quadringentesimo respondet) in breviore Chronico, quod Tironi Prospero tribuitur, habetur annotatum. *Pelagius vesanus doctrinâ execrabili Ecclesias commaculare conatur.* In Isidori Mercatoris Conciliorum farragine, Synodus Milevitana Arcadio & Honorio V. Consulib. id est, anno Christi CCCCII. habita, octo habet hujus hæresi oppositos Canones: quorum quinq; primi postrema quinq; capitula constituunt *Distinctionis* 4æ. *de Consecratione*; à Gratiano producta *ex Concilio Milevitano cui interfuit Augustinus & Anselmus Romanæ ecclesiæ legatus contra Pelagianos.* Sed neq; Anselmi hujus apud alium aliquem ulla occurrit mentio: & ex 27. Isidori Canonibus, XIII^us. tantùm, cum duobus sequentibus, ad Milevitanum hoc Concilium pertinet. Reliqui enim omnes ex alijs Africanis Synodis huc sunt translati: & nominatim octo isti contra Pelagianos, ex magno [o] Concilio Carthaginiensi anno CCCCXVIII. congregato. cui & [p] *Romanæ ecclesiæ legationem interfuisse* legimus: à [q] Zosimo Papâ eò missis Faustino, Philippo & *Asello*; quem Gratiani *Anselmum* esse censet [r] Antonius Augustinus. Itaq; ad Pelagianæ hæreseos primordia investiganda ex Milevitanâ hâc Pseudo-synodo parùm ad nos provenit subsidij.

Inter posterioris ævi scriptores Matthæus Florilegus, *anno gratiæ* CCCCIII. *exortam esse hæresim Pelagianam* ait, *à Pelagio quodam natione Britannico inventam.* Eundem annum assignat & Sigebertus: licèt VII. Arcadiani & Honoriani imperij simul appositus, ad eum nos ducat annum, qui Milevitanum Concilium proximè antecessit.

[m] Bed. libell. de sex ætatibus.
[n] Id. in histor. lib. 1. cap. 10.
[o] Cod. Canon. Eccles. African. à Iustello edit. pag. 289. 290.
[p] Ibid. pag. 322.
[q] Ibid. pag. 38.
[r] Ant. Augustin. de emend. dat. Gratian. lib. 1. dialog. 2.

In vulgato Hermanni Contracti Chronico, à Sangallensi monacho interpolato, anno ejusdem imperij XII°. (qui illi CCCCVII. nobis CCCCVI. Christi annus est) *Pelagius Brito Dei gratiam impugnâsse* legitur. Pro quo facit & Chrysostomi epistola ad Olympiadem, in quâ Pelagij lapsum, re adhuc recenti, ita ille commemorat. [f] Σφόδρα ἤλγησα ὑπὲρ Πελαγίου τοῦ μονάζοντος. Ἐννόησον τοίνυν ὅσων στεφάνων ἄξιοί εἰσιν οἱ γενναίως στάντες, ὅταν ἄνδρες ἐν ἀσκήσει τοσαύτῃ διάγοντες καὶ καρτερίᾳ, οὕτω φανῶσιν ὑποσυρόμενοι. *De Pelagio monacho magno dolore affectus sum. Cogita igitur, quot quantisq; coronis digni sint, qui forti animo in acie steterunt; cùm viros qui tam piè ac sanctè tantaq; cum tolerantiâ vixerunt, abripi atq; in fraudem impelli videamus.* Data fuit hæc epistola ex Armeniæ oppido Arabisso; quò exul anno Dom. CCCCV. perductus est Chrysostomus: eodem videlicèt anno quo ad Paulinum Nolanæ urbis episcopum à Pelagio alia missa est epistola; cujus in literis ad Innocentium I. anno CCCCVII. scriptis, ita ipse meminit. *Legant illam epistolam, quam ad sanctum virum Paulinum episcopum ante duodecim ferè annos scripsimus; quæ trecentis fortè versibus nihil aliud quàm Dei gratiam & auxilium confitetur, nosq; nihil omninò boni facere posse sine Deo.* & de quâ subdit Augustinus. [t] *Hanc epistolam legi, & inveni eum penè per totam non immorari nisi in facultate & possibilitate naturæ, & penè ibi tantùm Dei gratiam constituere: Christianam verò gratiam tantâ brevitate, solâ nominis commemoratione, perstringit; ut nihil aliud videatur, quàm eam tacere timuisse.*

Neq; verò magis ex illâ ad Olympiadem epistolâ, colligere possumus, cum [u] Baronio, in Oriente tum fuisse Pelagium, quàm ex alterâ illâ ad Paulinum, vixisse in Italiâ. Urbe quidem post quinquennium ab Alarico captâ, transmarina illum loca petijsse, & Hierosolymis sedem tandem fixisse, in sequente Capite ostendemus: sed ante id tempus, & discipulum ipsius [x] Celestium Romæ à Ruffino in hæresi fuisse confirmatum; & ipsum Pelagium [y] *diu*, imò

[f] Chrysost. ad Olympiad. ep. 16. tom. 7. edit. Savil. pag. 103.

[t] Augustin. lib. de gratiâ Christi cap. 35.

[u] Baron. ann. 405. §. 7.

[x] Augustin. de de peccat. Original. cap. 3.

[y] Id. ibid. cap. 8. & epist. 95. ad Innocentium.

imò [a] *diutissimè* in Urbe vixisse, & prævorum ibi dogmatum sementem fecisse, ex Augustino jam ostendimus. [b] Unde cùm Pelagium posteà in Syriâ Palæstinæ (ubi primùm Monachum vixisse, & perfidiam suam animo concepisse, [c] recentiorum quidam crediderunt) Johannes episcopus Hierosolymitanus suo judicio vel absolvendum vel condemnandum postularet; ab [d] Orosio & alijs qui aderant Latinis contrà clamatum est, *Latinum esse hæreticum, & hæresim Latinis magis partibus notam Latinis judicibus differendam.* Neq; audiendi etiam Sigebertus Gemblacensis, Martinus Polonus, & alij, qui in Britanniâ execrabilem hanc doctrinam in lucem ab illo productam tradiderunt: licèt eò spectare videantur Thomæ Waldensis verba illa, in Doctrinalis sui ad Martinum V. Proœmio, patriam suam ab istius infamiæ labe vindicare laborantis. *Si ibi nata est Pelagiana perfidia, ibi damnata est, & exilio relegata in Asiam, ipsâ eâdem gente providente remedium.* Verùm de Pelagianâ hæresi è Britanniâ Germani & Lupi operâ expulsâ illum loqui, sequentia planè indicant: ut ipsum Pelagium *à suis Britannis in exilium pulsum fuisse,* [e] Balæus non rectè hinc intulerit. Cui neq; illud assentior; Pelagium, peregrinatione confectâ, *cum impostricis doctrinæ facibus in patriam suam reversum, omnem illam regionem conspurcavisse.* In quo authorem secutus ille fuisse videtur Catalogi Hæreticorum concinnatorem Bernardum Lutzemburgium: ut & Gabriel Prateolus, de eodem ita scribens. [f] *Tandem in patriam reversus, suis erroribus undiq; respersis, Britannicam insulam eisdem quoq; infecit: idq; Arcadij Imperatoris ac Innocentij hujus nominis primi summi Romanorum Pontificis temporibus, circa annum Domini* CCCCV. Sed ut eo tempore, & multis pòst annis, longè illum à patriæ finibus abfuisse, ex authorum qui tùm vixerunt certissimo constat testimonio: ita post diuturnam illam peregrinationem, domum aliquando redijsse, absq; omni veterum authoritate affirmatur.

[a] Id. de peccat. Original. cap. 21.

[b] Bernard Lutzemburg. & Gabr. Prateolus, in Hæreticorum catalog. Claud. Menard. in notis ad opus Augustini imperfectum contra Iulianũ: & Dionys. Petavius, in Rationar. tempor. part. 1. lib. 6. cap. 15.

[c] Oros. Apologetic. pag. 624. 625.

[d] Balæ. Centur. 1. cap. 38.

[e] Prateol. Elench. hæres. lib. 14. cap. 14.

CAP. IX.

CAP. IX.

Rerum adversùs Pelagium Britannum & Celestium Scotum, Innocentij Romani Episcopi temporibus, gestarum Historia. Quantum creverit perniciosa istorum hæresis; quibus potissimùm in locis propagata, quibus scriptis & artibus ab eis propugnata fuerit. Conventus Carthaginiensis in Celestij, Hierosolymitanus & Diospolitanus in Pelagij examine quid egerit. Scripta ab Augustino, Hieronymo & Orosio illi opposita: & damnationis ab utrâq; Synodo Africanâ (Carthaginiensi & Milevitanâ) atq; Innocentio Pontifice lata in eos sententia.

POst exortam in partibus Romanis Pelagij Britanni hæresim, & à Romanis [a] amissa est Britannia (è quâ Belgicis & Germanicis præsidijs [b] annonam advehere priùs solebant) & ipsa Roma ab Alarico Gotho capta est. Cujus cladis imaginem Demetriadi virgini ita graphicè repræsentavit ille ipse Pelagius. [c] *Recens factum est, & quod ipsa audîsti; cùm ad stridulæ buccinæ sonum Gothorumq; clamorem, lugubri oppressa metu Domina orbis Roma contremuit. Ubi tunc nobilitatis ordo? ubi certi & distincti illius dignitatis gradus? Permista omnia & timore confusa: omni domui planctus, & æqualis fuit per cunctos pavor. Unum erat servus & nobilis; eadem omnibus imago mortis; nisi quia eam magis timebant illi, quibus fuerat vita jucundior. Si ita mortales timemus hostes & humanam manum: quid faciemus cùm clangore terribili tuba intonare de cœlo cœperit; & ad illam Archangeli vocem omni buccinâ clariorem, totus simul remugiet mundus? cùm viderimus super nos non manufacta arma concuti, sed & virtutes cœlorum commoveri?* & ad eandem Demetriadem quoq; beatus Hieronymus. [d] *Dudum inter barbaras tremuisti manus, aviæ matrisq; sinu & pallijs tegebaris. Vidisti te captivam,*

[a] Zosim histor. lib. 6. Bed. lib. 1. histor. cap. 11. Irhelwerd. Chronic. lib. 1.
[b] Ammian. Marcellin. histor. lib. 18. Eunap. Sardian. in Eclogis legationum ab Hæschelio edit. Zosim. histor. lib. 3.
[c] Inter Augustinianas, epist. 142.
[d] Hieronym. ad Demetriad. epist. 8.

vam, & pudicitiam tuam non tuæ potestatis: horruisti truces hostium vultus; raptas virgines Dei gemitu tacito conspexisti. Urbs tua, quondam orbis caput, Romani populi sepulchrum est.

Mense post Urbem à Gothis captam decimo, apud Carthaginem celeberrima illa inter Catholicos & Donatistas habita est Collatio: quo tempore adfuisse ibi Pelagium, indeq; festinanter transmarina loca petijsse, ex Augustino didicimus, ita de eo scribente. [e] *Posteaquàm in Africam venit, me absente, nostro* (id est, Hipponensi) *littore exceptus est, ubi omninò nihil ab illo hujusmodi auditum est; quia & citiùs quàm putabatur inde profectus est. Postmodùm ejus faciem Carthagini, quantum recolo, semel vel iterùm vidi; quando curâ Collationis, quam cum hæreticis Donatistis habituri eramus, occupatissimus fui, ille verò etiam ad transmarina properavit.* Quænam loca illa fuerint, nominatim non explicat. *In Ægyptum & Syriam, aliasq; Orientis regiones pervenisse* illum ait [f] Balæus. Et per Ægypti certè monasteria aliquo tempore discurrisse, ex sequente hâc Isidori Pelusiotæ, ad ipsum Pelagium scriptâ, apparet epistolâ. [g] Τῷ Ἐφραὶμ ἐξήνθησαν πολιαὶ, ἀλλ' οὐκ ἔγνω, νεάζων τοῖς πάθεσι. Καὶ σε πολὺς ὄχλος ἐτῶν περιέστη, ἀλλ' ἔτι ἀκαμπὲς ἔχεις τὸ φρόνημα, ἄλλην μονὴν ἐξ ἄλλης ἀμείβων, καὶ πασῶν ἐρευνῶν τὰς τραπέζας. Εἰ οὖν κνίσσης μέλει σοι καὶ ὄψων καρυκείας, τοὺς ἐν τέλει μᾶλλον κολάκευε, καὶ τὰς πόλεις τοῖς καπνοδόχοις ἐρέυνα. ἐρημῖται γὰρ ἄνθρωποι σε δεξιοῦσθαι προσφιλῶς οὐκ ἀρκοῦσι. [h] *Cani effusi sunt in Ephraim, & ipse ignoravit; vitiosis nimirùm affectionibus juvenescens. Eodem modo tibi quoq; ingens annorum turba caniciem invexit: & tamen rigidum atq; inflexum animum habes; ex alio monasterio ad aliud subinde migrans, atq; omnium mensas perscrutans & explorans. Quamobrem si tibi carnium nidor, atq; obsoniorum condimentum cura est; ijs qui magistratus gerunt potiùs blandire, atq; urbium caminos vestiga. Neq; enim homines*

AN. CCCCXI.

[e] Augustin. de gest. Palæstin. contra Pelag. cap. 22.

[f] Balæ. Centur. 1. cap. 38.

[g] Isidor. Pelusiot. lib. 1. epist. 314.

[h] Osc. 7. 9.

eremitæ facultates eas habent, ut te, quemadmodum tibi gratum est, excipere valeant.

AN. CCCCXII. Hæsit autem in Africâ primarius Pelagij discipulus Celestius: ubi [i] *in Carthaginiensis civitatis Ecclesiâ jam ad presbyterij honorem surrepere cœperat; sed fidelissimâ libertate fratrum propter has contra Christi gratiam disputationes usque ad judicium Episcopale perductus est.* Cùm enim [k] *per ora eorum, qui* Pelagij *discipuli ferebantur, dogmata ista ferverent,* atq; [l] *ista hæresis plurimos decepisset, & fratres quos non deceperat conturbaret; Celestius ad judicium Carthaginiensis Ecclesiæ perductus, Episcoporum sententiâ condemnatus est.* Tempus quo habita est ista Synodus, ex Aurelij Carthaginiensis Episcopi (qui ei præfuit) & coëpiscoporum [m] epistolâ, sub exitum anni CCCCXVI. ex aliâ Carthaginiensi Synodo ad Innocentium P. scriptâ, innotescit; ubi Ecclesiasticum hoc judicium *ante ferme quinquennium apud Ecclesiam Carthaginiensem agitatum* fuisse dicitur. Accusationis libellus Concilio à Paulino Carthaginiensi diacono porrectus est: ex quo Celestius convictus est docuisse,

[i] Augustin. epist. 89. ad Hilarium.

[k] Id. de gest. Palæstin. cap. 22.

[l] Id. ibid. cap. 35.

[m] Inter Augustinianas epist. 96.

[n] I. *Adam mortalem factum; qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset.*

II. *Quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum.*

III. *Quòd Lex sic mittat ad regnum, quemadmodum & Euangelium.*

IV. *Quòd ante adventum Christi fuerint homines sine peccato.*

V. *Quòd infantes nuper nati in illo statu sint, in quo Adam fuit ante prævaricationem.*

VI. *Quòd neque per mortem vel prævaricationem Adæ omne genus humanum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus humanum resurgat.*

VII. *Hominem esse sine peccato, & mandata Dei facilè custodire, si velit.*

[n] Augustin. de gest. Palæstin. cap. 11. & de Peccato originali, cap. 11.

nam

nam & hoc quoq; in Celestio damnatum hîc fuisse confirmat Orosius: qui non aliam quam hanc ipsam per *Africanam Synodum* intelligere potuit; quandoquidem nulla alia contra Celestianos in Africâ fuerit habita, quum ille in Oriente Apologeticum suum literis consignaret. Nam ut ista præsens Synodus triennio scriptionem illam antecessit; ita plenaria illa Carthaginiensis altera (quam clarissimus [p] Vossius intellectam hîc putavit) triennio eam subsecuta est.

[o] Oros. Apologetic. pag. 623. et 645.

[p] Voss. histor. Pelag. lib. 1. cap. 45. pag. 98. et lib. 5. part. 1. pag. 496.

[q] De *primo* accusationis capite, Celestij & Paulini hæc habita est in Synodo altercatio. CELESTIUS. *Dixi de traduce peccati me dubium esse, ita tamen ut cui donavit Deus gratiam peritiæ consentiam: quia diversa ab ijs audivi, qui utique in Ecclesiâ Catholicâ constituti sunt presbyteri.* PAULINUS. *Dic nobis nomina ipsorum.* CELEST. *Sanctus presbyter Ruffinus, Romæ qui mansit cum sancto Pammachio. Ego enim audivi illum dicentem, quia tradux peccati non sit.* PAULIN. *Est aliquis alius?* CELEST. *Audivi & plures dicere.* PAULIN. *Dic nomina ipsorum.* CELEST. *Non tibi sufficit unus sacerdos?* De *quinto*, interponente se præside Aurelio, conflictio facta est ejusmodi. AUREL. *Docuisti, Celesti, aliquando (ut dixit diaconus Paulinus) quòd infantes qui nascuntur, in eo statu sint, in quo fuit Adam ante transgressionem?* CELEST. *Exponat quid dixit*, ante transgressionem. PAULIN. *Tu nega hoc te docuisse. Unum est ex duobus: aut neget se docuisse, aut jam damnet istud.* CELEST. *Iam dixi: exponat quomodo dixit*, ante transgressionem. PAULIN. *Nega te illa docuisse.* AVREL. *Rogo; quid collegerim ego ex hujus objectione? Dico; Adam constitutus in Paradiso, quòd antè dicatur inexterminabilis factus, postea per transgressionem præcepti factus sit corruptibilis. Hoc dicis, frater Paulline?* PAVLIN. *Hoc, Domine.* AVREL. *Statue certè infantium hodie baptizandorum utrùm talis sit, qualis fuit ante transgressionem Adæ; an certè de eâdem origine peccati, de quâ nascitur, transgressionis culpam trahat? Hoc vult*

[q] Augustin. de peccat. Original. cap. 3. et 4.

diaconus Paulinus audire. PAVLIN. *Vtrum docuit hoc, an non, neget.* CELEST. *Iam de traduce peccati dixi, quia intra Catholicam constitutos plures audivi destruere, necnon & alios astruere; licèt quæstionis res sit ista, non hæresis. Infantes semper dixi egere baptismo, ac debere baptizari. Quid quærit aliud?*

[r] In libello quoq; tuo, quem Synodo tunc exhibuit, per baptismum Christi parvulorum redemptionem fieri confessus est Cælestius; licèt ex Adam in eos transisse peccatum confiteri noluerit. [s] *Ubi quanquàm noluerit de originali peccato aliquid expressiùs dicere, tamen ipso redemptionis nomine non parùm sibi præscripsit. Vnde enim redimendi sunt, nisi à Diaboli potestate; in quâ esse non possent, nisi originalis obligatione peccati? aut quo pretio redimuntur, nisi Christi sanguine; de quo apertissimè scriptum est, quòd in remissionem effusus sit peccatorum?* [t] Breviter, quid actum hîc fuerit, expedit [t] Orosius; quum *Cælestium, jam ad honorem Presbyteri subrepentem, apud Carthaginem plurimis Episcopis judicantibus proditum, auditum, convictum, confessum, detestatumq; ab Ecclesiâ, ex Africâ profugisse* retulit. Quo speciosiùs tamen Episcopale judicium declinaret, fi- [u] mulatam ad Romanam sedem appellationem interposuisse videtur: quam vivente Innocentio nunquam prosecutum illum fuisse constat. Ab eo enim priùs Romæ repressam fuisse hanc hæresim, non solùm ex illo [x] Prosperi colligimus,

—— pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri;

sed etiam ex [y] Facundo Hermianensi episcopo, qui *primum Pelagianam hæresim condemnavisse* Innocentium expressè asserit.

Augustinum à Carthaginensi hâc Synodo abfuisse, ipse, cùm [z] alibi, tùm in Retractationum lib. 2. cap. 33. ita significat. *Cælestius discipulus* Pelagij *jam propter tales assertiones apud Carthaginem in Episcopali judicio, ubi ego non interfui, excommunicationem meruerat.* docetq; tum demùm

[r] Augustin. de peccat. Original. cap. 19 & contra Iulian. lib. 3. cap. 3. Concil. Carthagin. ad Innocentium P. (inter Augustinianas, epist. 90.)
[s] Augustin. epist. 89. ad Hilarium.
[t] Oros. Apologetic. pag. 621.
[u] Facund. Hermianens. lib. 7. cap. 3. Zosim. P. epist. 10. (tom. 1. Concil. pag. 611. edit. Colon. an. 1606.) & Paulin. in libello ad Zosimum. (apud Baron. an. 418. §. 15.)
[x] Prosp. de Ingratis, cap. 2.
[y] Facund. lib. 7. cap. 3.
[z] Augustin. de gest. Palæstin. cap. 11. & contra Iulian. lib. 3. cap. 8.

demùm scriptis adversùs hanc hæresim agere se cœpisse; editis tribus quos habemus, ad Marcellinum (qui Carthaginiensi Collationi præfuerat) de Peccatorum meritis & remissione, ac puerorum baptismo commentarijs. *Venit*, inquit ille ibidem, *necessitas, quæ me cogeret adversùs novam Pelagianam hæresim scribere; contra quam priùs, cùm opus erat, non scriptis sed sermonibus & collocutionibus agebamus, ut quisq; nostrùm poterat aut debebat. Missis ergo mihi à Carthagine quæstionibus eorum quas rescribendo dissolverem; scripsi primùm libros tres, quorum titulus est, De peccatorum meritis & remissione: ubi maximè de baptismate disputatur parvulorum propter originale peccatum, & de gratiâ Dei quâ justificamur, hoc est, justi efficimur; quamvis in hâc vitâ nemo ita servet mandata justitiæ, ut non sit ei necessarium pro peccatis dicere, Dimitte nobis debita nostra. Contra quæ omnia sentientes illi, novam hæresim condiderunt. In his autem libris tacenda adhuc arbitratus sum nomina eorum, sic eos facilius posse corrigi sperans: imò etiam in * tertio libro (quæ est epistola, sed in libris habita propter duos quibus eam connectendam putavi) Pelagij ipsius nomen non sine laude aliquâ posui, quia vita ejus à multis prædicabatur.* & in libro de gestis Palæstinis cap^e. 22°. post commemoratum item Ecclesiasticum judicium adversùs Cœlestium. *Salubriùs sanè*, ait, *adversùs eos agi putabamus, si hominum nominibus tacitis, ipsi refutarentur & redarguerentur errores; atq; ita metu potiùs Ecclesiastici judicij corrigerentur homines, quàm ipso judicio punirentur. Nec libros igitur adversùs mala illa differebe, nec popularibus tractatibus cessabamus.* & cap^e. 11°. *Coacti sumus sollicitudine charitatis, quam erga Ecclesiam Christi per gratiam Christi nos habere convenit, etiam ad beatæ memoriæ Marcellinum, (qui eos quotidiè disputatores molestissimos patiebatur, & me per literas consulebat) de quibusdam istarum quæstionibus scribere, & maximè de baptismo parvulorum.* & in imperfecti operis contra Iulianum libro 1. cap. 66. *Scis, in libris quos ad Marcellinum edidi, vehementer egisse contra insipientem*

* cap^a. 1. 3°. & 10°.

tunc surgere hæresim vestram; ne crederetur Adam, etiamsi non peccâsset, fuisse moriturum. Ad eundem quoq; Marcellinum scripsit Augustinus librum, qui in tertio Operum tomo legitur, *De spiritu & litterâ:* in quo [a] *acriter disputavit contra inimicos gratiæ.*

[a] Id. Retract. lib. 2. cap. 37.

Alijs deinde quæstionibus Carthagine ab Honorato missis, [b] contra *hæresim* illam *novam inimicam gratiæ Dei*, De gratiâ novi Testamenti scripsit. *Habet enim* [c] inquit, *adversarios; qui ejus profunditate turbati, non Deo tribuere, sed potiùs sibi volunt arrogare quòd boni sunt. Nec tales sunt quos facilè contemnas, sed continenter viventes, atq; in bonis operibus laudabiles: nec falsum Christum, sicut Manichæi alijq; plurimi hæretici, sed eundem verum æqualemq; Patri & coæternum veraciterq; hominem factum, & venisse credentes & venturum expectantes; sed tamen ignorantes Dei justitiam, & suam constituere volentes.* Hunc librum in manibus habuisse se indicat Augustinus, quum Epistolam 158.am scriberet ad Marcellinum: quem sequente anno ab hæreticis occisum ostendemus. Hoc verò anno (ut ex eodem Augustino in gestis Palæstinis cap. 6. colligimus) *Pelagij* nomine prodierunt *libri exhortatorij vel consolatorij, ad quandam viduam conscripti, cujus nomen non est expressum.* in quorum uno, post orationem Dominicam, aliam Pharisaicam orandi formulam sanctis præscribit; quam infrà in Palæstinæ Synodi actis objectam illi invenies. in altero, [d] *eidem adulans viduæ, non erubuit dicere, pietatem quæ nusquàm reperitur in terrâ, & veritatem quæ ubiq; peregrina sit, in illâ potissimùm commorari:* exclamans, esse illam *felicem nimiùm & beatam si justitia, quæ esse jam non nisi in cœlo creditur, apud illam solam inveniatur in terris.* in quem insurgens Hieronymus: *Docere ejs hoc, inquit, an occidere? levare de terrâ, an præcipitare de cœlo? id mulierculæ tribuere, quod Angelino audeant usurpare? Si autem pietas, veritas, atq; justitia non inveniuntur in terris, nisi in unâ muliere; ubi erunt justi tui, quos absq; peccato in terris esse jactabas? Quæ duo capita, orationis & laudis, soles cum tuis jurare discipulis non esse*

[b] Id. ibid. cap. 36.

[c] Id. epist. 120.

Rom. 10. 3.

[d] Hieronym. contra Pelag. lib. 3. cap. 5.

esse tua: cùm perspicuè in eis stylí tui splendor eluceat, & tanta sit vernaculæ eloquij Tullíani; ut testudineo incedens gradu, quæ secreto doces mitissq; venalia, publicè non audeas profiteri. Addit [e] Augustinus quorundam tanctorum fratrum testimonium, qui *se istos tanquam Pelagij libros habuisse, nec unquam utrùm ejus essent ab aliquo se audisse dubitari*, confirmârunt: licèt ipse Pelagius in Synodo Palæstinâ suos fuisse libros apertè negaverit. [e] Aug. de gest. Palæstin. cap. 6.

Eâ tempestate quâ *Heraclianus*, Lucij in Consulatu collega, *rerum in Africâ rerum reus & honorem amisit & vitam*, etiam *Pelagium Britonem dogma nominis sui contra gratiam Christi exeruisse, multosq; in errorem summum traxisse*, affirmat Prosper in Chronico. Et certè sub Lucij Consulatu interfectum esse Heraclianum, ex Idatij & Marcellini quoq; Fastis cognoscimus; licèt in hujus Chronico ad sequentem annum ejus interitum referri perperàm [f] Baronius annotaverit. Marcellinum illum, ad quem contra Pelagianos scripserat Augustinus, *sub invidiâ tyrannidis Heraclianæ ab hæreticis innocentem cæsum esse*, sub finem Dialogi 3ij. contra Pelag. ostendit Hieronymus: qui ad eundem epistolam 82am scribens, ex XIIII. quos habemus in Ezechielem Commentariorum libris, eo ipso quo Roma à Gothis capta est anno inchoatis, tres tantùm tùm perfectas fuisse agnoscit; interpositæ moræ hanc causam reddens. *Ezechielis volumen olim aggredi volui, & sponsionem ereberrimam studiosis lectoribus reddere: sed in ipsi dictandi exordio ita animus Occidentalium provinciarum, & maximè urbis Romanæ, vastatione confusus est, ut (juxta vulgare proverbium) proprium quoq; ignorarem vocabulum; diuq; tacui, sciens tempus esse lachrymarum.* AN. CCCCXIII. [f] Baron. an. 413. §. 2.

In primi verò Commentariorum illorum Proœmio, in quo de captâ Urbe nuncium sibi allatum ait, æmulum suum Rufinum defunctum fuisse in Siciliâ, ænigmatico loquendi genere (ut illius contuetudinis est) hunc in modum significat. *Scorpius inter Enceladum & Porphyrium Trinacriæ humo premitur, & Hydra multorum capitum contra*

nos

nos aliquando sibilare cessavit: datumq; tempus, quo non hæreticorum respondere insidijs, sed Scripturarum expositioni incumbere debeamus. Nec defuisse tamen Ruffino successores, & inimicitiarum cum Hieronymo gestarum similes sui hæredes; in libri sexti deinde Proœmio sic ipse conqueritur. *Putabam quòd medio serpente confosso, non reviviscerent Hydræ novella plantaria; & juxta fabulas Poëtarum, Scyllâ mortuâ, nequaquàm in me Scyllæi sævirent canes, qui latrare non cessant.*

* Al. * *Et hæreticis Dei percussis manu, ne tentarentur, si fieri potest, etiam electi Dei; hæresis ipsa non moritur, hæreditarijs contra nos odiorum suorum catulis derelictis: qui nostra simulantes, genitricis antiquæ & pellacis Ulyssis venena non deserunt.* de quibus etiam Demetriadem, virginitatem nuper professam, in 8a. epistolâ, hoc tempore (annis circiter triginta post editum à se librum g de Virginitate servandâ) exaratâ, ita commonet. *Dum esses parvula, & sancta ac beatæ memoriæ Anastasius episcopus Romanam regeret Ecclesiam; de Orientis partibus hæreticorum sæva tempestas simplicitatem fidei, quæ Apostoli voce laudata est, polluere & labefactare conata est: sed vir ditissimæ paupertatis & Apostolicæ sollicitudinis, statim noxium perculit caput, & sibilantia Hydræ ora compescuit. Et quia vereor, immò rumore cognovi, in quibusdam adhuc vivere & pullulare venenata plantaria: illud te pio charitatis affectu præmonendam puto, ut sanctæ Innocentij, qui Apostolicæ cathedræ & supradicti viri successor & filius est, teneas fidem; nec peregrinam, quamvis tibi prudens callidaq; videaris, doctrinam recipias.*

g Epist. 22. Hieron. ad Eustochium. Vid. Baron. ann. 382, §. 23.

Etsi autem *primum Pelagianam hæresim condemnavisse* Innocentium hunc, ex * Facundi dictum sit; & ex Origenis fœcibus à Ruffino in Vrbem illatis haustam illam fuisse non ignoremus: tamen non novam illam à Pelagio, sed veterem à Ruffino invectam hæresim ab Hieronymo hîc perstrictam esse facilè animadvertet, qui quæ in hâc ad Demetriadem epistolâ subsequuntur cum ijs quæ in 3o. libro Apologiæ adversus Ruffinum cap. 8o. leguntur, conferre voluerit. Neq; satis adhuc perspecta illi fuit

* Supra pag. 220.

nova

nova ista hæresis, quum Commentarios in Ezechiçlem & epistolam ad Demetriadem scriberet. Ut enim in hâc, tacito nomine, Heracliani tyrannidis; ita in [h] illis, defectionis ejusdem apertè meminit. Quum verò in Hieremiam Commentarios componeret, quos [i] statim post illos in Ezechielem aggressum illum fuisse constat, Pelagianam hæresim caput primùm extulisse & latè longeq; sese diffudisse (quæ Prospero quoq, mens, quum eâ rem, eitate Pelagium dogma suum *exeruisse*, *multosq; in suum errorem traxisse* dixit) affirmat Hieronymus. *Commentarios in Hieremiam*, inquit, *per intervalla dictabam, ut quod deerat otio superesset industriæ: cùm subitò hæresis Pythagoræ & Zenonis ἀπαθείας καὶ ἀναμαρτησίας, id est, impassibilitatis & impeccantiæ quæ olim in Origene, & dudùm in discipulis ejus Grunnio* (ita Ruffinum appellat) *Euagrioq; Pontico & Ioviniano jugulata est, cœpit revivisscere; & non solùm in Occidentis sed & in Orientis partibus sibilare, & in quibusdam insulis, præcipueq; Siciliæ & Rhodi, maculare plerosq;, & crescere per dies singulos, dum secretò docent, & publicè negant.* Hæc, in Procœmio 4i. libri Commentariorum in Hieremiam, Hieronymus: in ipso deinde Opere eorundem quoq; mentionem faciens, [k] qui *ἀπάθειαν & impeccantiam prædicant*. quibus duabus vocibus unum & eundem errorem expressum esse rectè observavit doctissimus [l] Vossius. Unde P. Orosius in Apologetico contra Pelagium (ubi [m] & *ἀναμάρτητος meus*, & *ἀπαθὴς noster*, ab illo nuncupatur:) *Si vis*, [n] inquit, *de immaculato qualem David orans quærit audire, vanam impassibilitatis* (ita enim legendum, non, ut habetur editum, *impossibilitatis*) *tuæ depone fiduciam; & prostratus in precibus cum Prophetâ oratione conjungere, flens pariter ac dicens.* [o] Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce servo tuo. Si enim mihi non fuerint dominati, tunc immaculatus ero. *Infelix ego homo, delicta, quæ nondum intelligo, quando vitabo?* & [p] Photius Patriarcha, in Bibliothecâ suâ:

[h] Id. lib. 9. in Ezechiel. cap. 18.

[i] Id fin Procem. lib. 1. & 14. Commentar. in Ezechiel. & initio Procem. lib. 1. in Hierem.

[k] Hieron. lib. 4. in Hierem. cap. 22.

[l] Vossius Histor. Pelagian. lib. 1. cap. 3. & lib. 4. part. 1. antithes. 7.

[m] Oros. Apologetic. pag. 638. 639.

[n] Id. ibid. pag. 642.

[o] Psalm. 19. 12. 13.

[p] Phot. Bibliothec. num. 53.

Ἔγραψε δὲ καὶ Ἱερώνυμος πρεσβύτερος πρὸς Κτησιφῶντα, κατὰ τῶν λεγόντων ἀπαθείαν, ἤτοι κατὰ Πελαγίου. *Scripsit Hieronymus presbyter ad Ctesiphontem, contra impassibilitatis assertores, sive contra Pelagium.*

Primum hoc fuit adversùs Pelagianos ab Hieronymo editum Opusculum: quod sub initia commentationum in Hieremiam susceptarum elaboratum à se esse, in eàrum 2i. Proœmio ita ipse indicat. *Secundum in Hieremiam librum celeri sermone dictavimus; avertentes parumper aures, ne audiamus judicium sanguinis, & interfectorum animas deploremus, qui opinione virtutum quotidie corruunt in superbiam, & Deo se similes arbitrantur: ut æqualitatem, quam impia Arianorum hæresis in Filio negat, cunctis hominibus tribuant; & ponant in cœlum os suum, & nihil futuræ sanctorum beatitudini amplius derelinquant. Quorum furori respondimus, ut potuimus: &, si Dominus vitam dederit, pleniùs responsuri sumus.* In hâc enim ad Ctesiphontem epistolâ justum adversùs Pelagianos promittit volumen: id quod tribus contra eos scriptis Dialogis posteà præstitit; quorum hoc exordium. *Scriptâ jam ad Ctesiphontem epistolâ, in quâ ad interrogata respondi, crebra fratrum expostulatio fuit, cur promissum opus ultrà differrem; in quo pollicitus sum, me ad cunctas eorum qui ἀπαθείαν prædicant quæstiuncolas responsurum.* sicut hoc, epistolæ ad Ctesiphontem. *Non audacter, ut falsò putas, sed amanter studioseq; fecisti, ut novam mihi ex vetere mitteres quæstionem; quæ ante literas tuas plerosq; in Oriente decepit, ut per simulatam humilitatem superbiam discerens.* ubi, paulo ante acceptas Ctesiphontis literas, novam illam ex vetere hæresim ab Occidente in Orientis partes, in quibus degebat Hieronymus, transijsse; atq; ita utramq; Orbis plagam pervasisse, nota. de quâ, in Bibliothecâ, [p] Photius: Ἡ Πελαγιανὴ ἤτοι Κελεστιανὴ αἵρεσις ἤμιχσεν ἐν τῇ ἀνατολῇ, διεδόθη δὲ καὶ ἐν τῇ δύσει. *Pelagiana seu Celestiana hæresis in Oriente viguit, propagata verò etiam est in Occidente.*

[p] Phot. Bibliothec. num. 54.

In

In Occidente *Sicilia*, in Oriente *Rhodus*, ex Hieronymo, præcipua discipulorum Pelagij schola fuisse videatur: magistro ipsi HIEROSOLYMIS habitationis sedem collocare libuit; quòd eò ex toto orbe peregrinantium turbis quotidie confluentibus, locum illum ad errores suos latissimè diffundendos, maximè opportunum futurum animadverteret. Atq; hinc cum Hieronymo, Bethlehemi tum commorante, instituto sibi certamine, adversùs eum *misit in universum orbem epistolas* illas *maledicas*, de quibus in Præfatione tertij libri Commentariorum in Hieremiam conquestum illum *audivimus. quò & illud referendum. in 4.º eorundem Commentariorum, ad Hierem. cap. XXIII. 15. *Utamur hoc testimonio adversùm eos, qui epistolas plenas mendaciorum & fraudulentiæ atq; perjurij in orbem dirigunt, ut & aures polluant audientium, & existimationem simplicium lædant; quòd impleatur in eis hoc, quod scriptum est:* A Prophetis HIERVSALEM est egressa pollutio in omnem terram. *Non enim eis sufficit iniquitatem propriam devorare, & proximos lædere:^o sed quos semel oderunt, per universum orbem infamare conantur, & ubiq; seminare blasphemias.* & in ejusdem libri Proœmio. *Cui respondere, diu tacens & dolorem silentio devorans, crebrâ fratrum expostulatione compulsus sum: nec tamen hucusq; prorupi, ut auctorum homina ponerem; malens eos corrigi quam infamari. Nec enim hominum, sed erroris inimicus sum: qui mihi ut vicem talionis & genuinum sui doloris illiderent, veteres magistrorum suorum (* Ioviniani scilicèt & Ruffini) *calumnias concinnantes, in tantum elingues & miseri demonstrati sunt, ut ne maledicere quidem suis verbis potuerint.*

* Supra cap. 5. pag. 108.

Respondit autem primùm, ut diximus, scriptâ illâ ad Theophontem epistolâ; in quâ ita institutum suum ipse aperit. *Nullius in hoc opusculo nomen propriè tangitur, adversùs magistrum perversi dogmatis locuti sumus: qui si iratus fuerit atq; rescripserit, tu quasi mihi prodetur indicio, ampliora in vero certamine vulnera suscepturus, non alium hîc*

magistrum intelligens, quàm Pelagium: quem ad Theologiam suam crypticam *palàm faciendam sic ibidem urget ac premit. *Loquere, quod credis; publicè prædica, quod secretò discipulis loqueris. Qui dicis te habere arbitrij libertatem, quare non liberè quod sentis loqueris? aliud audiunt cubiculorum tuorum secreta, aliud rostrorum populi. Etenim vulgus indoctum non potest arcanorum tuorum onera sustentare, nec capere solidum cibum, quod infantiæ lacte contentum est. Necdum scripsi, & comminaris mihi rescriptorum tuorum fulmina; ut scilicet hoc timore perterritus, non audeam ora reserare. & non animadvertis, idcircò nos scribere, ut vos respondere cogamini; & apertè aliquando dicere, quod pro tempore, personis & locis, vel loquimini, vel tacetis.* Nam, ut paulo pòst ab eodem est additum, *sola hæc hæresis est, quæ publicè erubescit loqui, quod secretò docere non metuit. Magistrorum silentia, profert rabies discipulorum. Quod audierunt in cubiculis, in tectis prædicant: ut, si placuerit auditoribus quod dixerint, referatur ad gloriam magistrorum; si displicuerit, culpa sit discipuli, non magistri. Ideò crevit vestra hæresis, & decepistis plurimos; maximeq; eos qui adhærent mulieribus.*

* Vid. Hieronym. in Proœm. lib. 4. Commentar. in Hieremiam.

Neq; ab istius labis suspicione prorsus immunem fuisse Ctesiphontis familiam, extremis illis Epistolæ hujus verbis declarat Hieronymus. *Illud, per te, sanctæ & illustris domus conciliabulum precor, atq; commoneo, ne per unum, aut, ut multum, tres homunculos suscipiant tantarum fæces hæreseon aut, ut parùm dicam, infamiam: ut, ubi primùm virtus & sanctitas laudabatur, ibi præsumptionis diabolicæ & sordidissimæ societatis turpitudo versetur. Sciantq; qui hujuscemodi hominibus opes suggerunt, hæreticorum multitudinem congregare, & Christi hostes facere, & enutrire adversarios ejus; frustraq; aliud linguâ prætendere, cùm manu sentire aliud comprobentur.* Vbi per *unum* illum homunculum, ipsum intelligit hæresiarcham: quem priùs ita compellaverat. *Fratrum inter se cernis jurgia: & rides atq; lætaris, quòd alij tuo nomine, alij Christi appellentur.* Duo reliqui, illi videntur.

tur fuisse à Prospero commemorati, Celestius & Iulianus: unus certè eorum est Celestius; de quo in hâc eadem epistolâ Hieronymus. *Unus discipulorum ejus, imò jam magister, & totius ductor exercitus, & contra Apostolum vas perditionis, per solœcismorum, & non, ut sui jactant, syllogismorum spineta decurrens, sic philosophatur & disputat.* „ Si nihil ago absque Dei auxilio, & per singula opera e- „ jus est omne quod gessero: ergo non ego qui laboro, „ sed Dei in me coronabitur auxilium. frustraque dedit „ arbitrij potestatem, quam implere non possum, nisi ipse „ me semper adjuverit: destruitur enim voluntas, quæ „ alterius ope indiget. Sed liberum dedit arbitrium „ Deus: quod aliter liberum non erit, nisi fecero quod „ voluero. *Ac per hoc ait.* „ Aut utor semel potestate „ quæ mihi data est, ut liberum servetur arbitrium: aut si „ alterius ope indigeo, libertas arbitrij in me destruetur. *Qui hæc dicit, quam non excedit blasphemiam? qua hæreticorum venena non superat?* Ita Hieronymus.

Ex Africâ autem fugatus Celestius, recepisse se putatus est in *Siciliam*: unde quinque ista Pelagianæ doctrinæ capitula, inter Syracusanos hoc tempore agitata, Augustino explicanda misit [q] Hilarius.

[q] Epist. 88. inter Augustinianas

I. *Posse esse hominem sine peccato; & mandata Dei facilè custodire, si velit.*

II. *Infantem non baptizatum, morte præventum, non posse perire merito; quoniam sine peccato nascitur.*

III. *Divitem manentem in divitijs suis, regnum Dei non posse ingredi, nisi omnia sua vendiderit; nec prodesse eidem posse, si fortè ex ipsis divitijs fecerit mandata.*

IIII. *Non debere jurare omninò.*

V. * *Ecclesiam hîc esse sine maculâ & rugâ.*

* Vid. Augustin. de gest. Palæstin. cap. 12. & 35.

Ad ista Augustini, in epistolâ 89.[a] (quam in Hierosolymitano episcoporum conventu, anno CCCCXV. habito, lectam à se fuisse testatur [r] Orosius) habemus responsum; ubi laborum, quibus in hoc negotio anteà perfun-

[r] Oros. Apologet. pag. 621. 622.

ctus fuerat, ita meminit. *Multa de ijs quæstionibus in aliis nostris opusculis & ecclesiasticis sermonibus diximus: quoniam fuerunt etiam apud nos quidam, qui ubicunq; poterant hæc suis erroris nova semina spargerent; quorum nonnullos per ministerium nostrum fratrumq; nostrorum misericordia Domini ab illâ peste sanavit. Nec tamen hîc deesse aliquos arbitror, maximè apud Carthaginem: sed jam occultè nassitant, timentes Ecclesiæ fundatissimam fidem.* Tum Cœlestium judicio Episcopali (ann. CCCCXII.) Carthagine damnatum commemorat. *Sed quia magis convictus & ab Ecclesiâ detestatus, quàm correctus & pacatus abscessit; veritus sum,* inquit, *ne fortè ibi sit ipse qui vestram fidem perturbare conatur. Idcò neminis ipsius commemorationem putavi esse faciendam. Sed sive ipse sit, sive alij consortes ejus erroris (plures enim sunt quàm sperare possumus, & ubi non redarguuntur, etiam alios ad suam sectam seducunt; & sic crebrescunt, ut nesciam quò sint erupturi) nos tamen malumus eos in Ecclesiæ compage sanari, quàm ex illâ corpore velut insanabilia membra resecari; si tamen hoc permittat ipsa necessitas.*

an. cccxiii. Ex *Siciliâ* quoque ad Augustinum perlatæ sunt *Definitiones* vel *Ratiocinationes* quædam, *Cœlestij* nomen præferentes (*Pelagij & Cœlestij Quæstiones* appellat Prosper) quibus ille respondit, de Perfectione justitiæ ad Eutropium & Paulum episcopos scriptâ Epistolâ: cujus eam ob causam in Retractationum libris mentionem author videtur prætermisisse, quòd eos (ut in fine ipsorum monuit) edidisset, *antequam Epistolas retractare cœpisset.* Est autem hujus Epistolæ hoc exordium.

[a] Prosp. contra Collator. cap. 43.

Sanctis fratribus & coëpiscopis, Eutropio & Paulo, Augustinus.

Charitas vestra qua in vobis tanta est & tam sancta, ut etiam jubentis servire delectet, petivi ut Definitionibus quæ dicuntur Cœlestij esse respondeam. Sic enim prænotata est eadem chartula quam dedistis: [Definitiones, ut dicitur, Cœlestij.] *quæ prænotatio credo, quòd non illius, sed eorum sit*

qui

*qui hoc attulerunt de Siciliâ, ubi Cœlestius non esse perhibetur. Sunt enim multi talia garrientes &, sicut ait Apostolus, ipsi errantes, & alios in errorem mittentes. Ex illius tamen hæc esse doctrinâ, vel etiam quorundam sectatorum ejus, & nos possumus arbitrari. Nam neq; ista breves definitiones, vel potiùs ratiocinationes, ab illius abhorrent ingenio, quod in *Opere alio ejus inspexi, cujus eum esse constat authorem: & non frustrà istos fratres, qui hæc attulerunt, in Siciliâ exilimo audisse, quòd ipse docuerit ista vel scripserit.*

* *Syllogismorum:* de quo suprà Hieronymus.

Quæstionum verò, Ratiocinationum, & Definitionum, more Socratico ab hæretico propositarum, forma erat ejusmodi.

I. *Ante omnia interrogandus est, qui negat hominem sine peccato esse posse; quid sit quodcunq; peccatum? quod vitari potest, an quod vitari non potest? Si quod vitari non potest, peccatum non est: si quod vitari potest; potest homo sine peccato esse, quod vitari potest. Nulla enim ratio vel justitia patitur saltem dici peccatum, quod vitari nullo modo potest.*

II. *Iterùm quærendum est: Peccatum voluntatis, an necessitatis est? Si necessitatis est, peccatum non est: si voluntatis est, vitari potest.*

III. *Iterùm quærendum est; quid sit peccatum? naturale, an accidens? Si naturale, peccatum non est: si autem accidens est, & recedere potest; & quod recedere potest, vitari potest, & quod vitari potest, potest homo sine eo esse quod vitari potest.*

IV. *Iterùm quærendum est; quid sit peccatum? actus, an res? Si res est, necesse est ut authorem habeat: & si authorem habere dicitur, jam alter præter Deum rei alicujus author induci videbitur. at si hoc impium est; confiteri necesse est peccatum omne actum esse, non rem. Si igitur actus est, imò quia verè actus est, vitari potest.*

V. *Iterùm quærendum est, utrùmne debeat homo sine peccato esse? Proculdubio debet. Si debet, potest: si non potest, ergo nec debet. Et si non debet homo esse sine peccato: debet ergo cum peccato esse; & jam peccatum non erit, si illud*

haberi

haberi debere constiterit. Aut si hoc etiam dici absurdum est: confiteri necesse est, debere hominem sine peccato esse; & conflat eum non aliud debere quàm potest.

VI. *Iterùm quærendum est; utrùm præceptum sit homini sine peccato esse? Aut enim non potest, & præceptum non est: aut quia præceptum est, potest. Nam cur præciperetur, quod fieri omninò non posset?*

VII. *Iterùm quærendum est; an velit Deus hominem sine peccato esse? Proculdubio vult, & proculdubio potest. Quis enim tam demens est, ut vel dubitet fieri posse quod Deum velle non dubitat?*

VIII. *Iterùm quærendum est; quomodo vult Deus hominem esse? cum peccato, an sine peccato? Proculdubio non vult esse cum peccato. Quanta hæc impietatis blasphemia sit, cogitandum est: ut dicatur hominem posse esse cum peccato, quod Deus non vult; & negetur posse esse sine peccato, quod Deus vult. quasi aliquem ad hoc Deus creaverit ut possit esse quod nolit, & non possit esse quod velit; & ut contra suam magis, quàm ut secundùm suam existeret voluntatem.*

IX. *Iterùm quærendum est; per quid efficitur homo cum peccato? per naturæ necessitatem, an per arbitrij libertatem? Si per naturæ necessitatem, culpâ carèt; si per arbitrij libertatem; quærendum est à quo ipsam arbitrij libertatem acceperit? Proculdubio à Deo. Deus autem quod dedit, certè bonum est: negari enim non potest. Quâ igitur ratione bonum probatur, si magis ad malum quàm ad bonum pronum fit? Magis enim ad malum quàm ad bonum pronum est, si homo per illud potest esse cum peccato, & non potest esse sine peccato. Proinde Deus bonum hominem fecit; & præter quam quod illum bonum fecit, bonum est insuper ut faceret imperavit. Quàm impium! ut confiteamur hominem malum esse, quod nec factus est, nec ei præceptum est; & negemus eum bonum posse esse, quod factus est, & quod est ut faceret imperatum est.*

X. *Iterùm quærendum est; quot modis constat omne peccatum? Duobus, ni fallor: si aut illa fiant quæ prohibentur, aut illa non fiant quæ jubentur. Jam certè omnia illa quæ prohibita*

hibita sunt vitari possunt, quàm quæ præcepta sunt perfici. Nam frustrà aut prohiberetur aut juberetur; quod vel cavere vel impleri non possit. Et quomodo negabimus posse esse hominem sine peccato; cùm confiteri necesse sit, cum tam omnia illa quæ vetantur posse cavere, quàm quæ imperantur efficere?

XI. *Iterùm quærendum est; quomodo non potest homo sine peccato esse? voluntate, an naturâ? Si naturâ, peccatum non est: si voluntate; perfacilè potest voluntas voluntate mutari.*

XII. *Iterùm quærendum est: Si non potest homo sine peccato esse; cujus culpa est? ipsius ne hominis, an cujuslibet alterius? Si ipsius hominis: quomodo culpa hominis est, si hoc non est quod esse non potest?*

XIII. *Iterùm quærendum est: Si natura hominis bona est (quod nullus negare nisi Marcion aut Manichæus audebit) quomodo igitur bona est, si malo ei carere non est possibile? Omne enim peccatum malum esse quis dubitet?*

XIIII. *Et hoc dicendum est: Certè justus est Deus. negari enim non potest. Imputat autem Deus homini omne peccatum. & hoc quoq; confitendum puto: quia utiq; peccatum est, quicquid non imputabitur in peccatum. Et si est aliquod peccatum quod vitari non possit; quomodo justus Deus dicitur, si imputare cuiquam creditur quod vitari non possit?*

Dum ita in Occidente rem suam ageret Celestius, procudit in Oriente Pelagius *lucubratissimam* illam (ut [a] Orosius appellat) ad virginem Demetriadem epistolam; cujus, in [b] literis ad Innocentium Papam, ita ipse meminit. *Legant epistolam, quam ad sacram Christi virginem Demetriadem in Oriente conscripsimus: & invenient nos ita hominis laudare naturam, ut Dei semper gratia addamus auxilium.* Matris verò Iulianæ rogatu eam à se scriptam esse indicat. *Nec veremur*, inquit, *ne temerè scribendo ad tantæ nobilitatis Virginem, ultrò nos morsibus tradamus invidiæ. Scribimus enim petente sanctâ matre ejus, imò jubente, idq; à nobis transmarinis mire cum desiderio animi flagitante: quæ*

[a] Oros. Apolog. pag. 661.

[b] apud Augustin. in lib. de gratiâ Christi, cap. 37.

facilè ostendit, quo studio quantaq; curâ in filiâ germen cœleste plantaverit, dum illud tam sollicitè cupit ab alijs irrigari.

* Habetur hæc epistola inter Augustinianas, numero CXLII. & inter Hieronymianas, initio tomi IIII. editionis Erasmi, IX. *Mariani* Victorij; qui & monuit hîc *Cœlestij nomen exemplaria quædam præ se tulisse.*

* Vide nostram Historiæ Pelagianæ Continuationem, cap. 1. pag. 3. 4.

Et quidem ex illius officinâ prodijsse tùm hoc, tùm alia etiam Pelagij nomine vulgata opuscula, innuit Paulus Orosius: *Goliath & Armigerum suum* x (quâ appellatione *Pelagium* ille designare solet & *Cœlestium*) hunc in modum nobis depingens. y *Stat immanissimus superbiâ Goliat, carnali potentiâ tumidus, omnia se per se posse confidens; caput minus, totum insuper corpus plurimo apparatu vestitus: habens post se Armigerum suum; qui etsi ipse non dimicat, cuncta tamen æris & ferri suffragia subministrat.* & de hâc epistolâ speciatim ipsum ita compellens Pelagium. z *quamquam hoc, quod neq; aptè neq; decorè dicitur, tibi imputare non debeamus, cui neq; natales dederunt ut honestioribus studijs eruditeris, neq; naturaliter provenit ut saperes; sed illis dictatoribus tuis, qui miserum sensum miserrimo sermone conscribunt, & te legendum cachinnis, quasi titulum confusionis, exponunt.* Eruditam tamen & disertam esse hanc epistolam jure negari non potest: id quod de alijs etiam Pelagij & discipulorum ejus scriptis profitentur ultrò Augustinus & Alypius, in epistolâ quam ad Iulianam Demetriadis matrem, ut Pelagianæ hujus antidotum, post aliquot annos transmiserunt. a *Satis enim* (inquiunt) *dici non potest, quantum cupiamus in eorum hominum scriptis, qui propter acrimoniam atq; facundiam legantur à plurimis, apertam confessionem illius gratiæ reperiri, quam vehementer commendat Apostolus.* ipseq; Pelagius tantâ scientiæ & eruditionis eminentiâ claruisse b quibusdam est visus; ut de ejus lapsu illud Apocalypseos exponendum putaverint. c *Cecidit de cœlo stella magna.*

x Oros. Apologetic. pag. 653.

y Ibid. pag. 620.

z Ibid. pag. 662.

a Augustin. epist. 144.

b Dionys. Carthusian. in 2. Sententiar. distinct. 28.

c Apocal. 8. 10. & in eum locum Nicolaus Lyranus & Petrus Aureolus.

Editus est à Pelagio & alius liber, in quo d *hominis untitulam contra Dei gratiam quâ justificatur impius, & quâ Christiani sumus, quantâ potuit argumentatione defendit.* In eo sententiam

d Augustin. Retractat. lib. 2. cap. 42.

tentiam suam de ἀναμαρτησίᾳ sive impeccabilitate, non de ipso non peccandi actu, sed de solâ possibilitate accipiendam esse, hujusmodi dialogismo indicat. *Ego dico posse esse hominem sine peccato: tu quid dicis? Non posse esse hominem sine peccato? Negq; ego dico hominem esse sine peccato: negq; tu dicis non* [posse] *esse hominem sine peccato. De posse & non posse; non de esse & non esse contendimus. Nam,* c Nullus mundus est à sorde; &, f Non est homo qui non peccet; g Non est justus in terrâ; &, h Non est qui faciat bonum: *& cætera his similia; ad non esse, non ad non posse proficiunt. Hujusmodi enim exemplis ostenditur, quales homines quidam tempore aliquo fuerint, non quòd aliud esse non potuerint; unde & jure inveniuntur esse culpabiles. Nam si idcircò tales fuerunt, quia aliud esse non potuerunt, culpâ carent.* Et quia in hoc plurimos se offendisse cernerem, quòd naturæ hîc omnia, gratiæ parum aut nihil tribuisse vitus esset; ad invidiam istam declinandam, duabus hâc in re tanquam ab adversario propositis objectionibus ita occurrendum esse censui.

c Lib 14. 4. juxta LXX. f 3. Reg 8. 46. g Ecclesiast. 7. 21. h Rom. 3. 12.

I. *Potest quidem esse, sed per gratiam Dei; inquies.* Resp. *Ago humanitati tuæ gratias, quòd assertionem meam, quam dudum oppugnabas, non modò non oppugnare aut confiteri solùm contentus non es; verumetiam non refugis comprobare. Nam dicere; Potest quidem, sed per illud: aut illud, quid aliud est quàm non solùm consentire quòd possit esse, verumetiam quomodo vel qualiter possit ostendere? Nullus itaq; magis alicujus rei possibilitatem probat, quàm qui ejus etiam qualitatem fatetur: quia neq; absq; re esse qualitas potest.* II. *Sed tu, inquis, hoc in loco Dei gratiam, quandoquidem eam non commemoras, videris abnuere.* Resp. *Ego ne abnuo, qui rem confitendo confiteor necesse est & per quod res effici potest: an tu, qui rem negando, & quicquid illud est per quod res efficitur proculdubio negas? Sive per gratiam, sive per adjutorium, sive per misericordiam, & quicquid illud est per quod esse homo absq; peccato potest, confitetur, quisquis rem ipsam confitetur. Nam si dixero, Homo disputare potest, avis volare, lepus*

pus currere; & non etiam per quæ hæc effici possunt commemorevero, id est, linguam, alas, pedes: num ego officiorum qualitates negavi, qui officia ipsa confessus sum?

[j] Augustin. de gest. Palæstin. cap. 10.

In summâ, [j] *apertissimè expressit hanc se dicere Dei gratiam; quòd possibilitatem non peccandi natura nostra cùm conderetur accepit, quoniam condita est cum libero arbitrio:* [k] *aliquando (idq; tenuiter, nec apertè) ei conjungens, vel legis adjutorium, vel remissionem etiam peccatorum.* De quo toto libro, [l] *ea prorsùs persuadere molliente, quæ gratiam Dei, per unum mediatorem Dei & hominum hominem Iesum Christum generi humano impertitam, de fidelium cordibus creditam deleant;* gravis hæc extat [m] Innocentij Romani Pontificis censura. In eo *multa blasphemia, nihil quod placeret, nihil quod non penitùs displiceret à quovis damnandum atq; calcandum: cui simile, nisi qui ista scripserat, nemo alter in mentem reciperet atq; sentiret.*

[k] Id. ibid. cap. 23.

[l] Id. epist. 106. ad Paulinum.

[m] Innocent. I. epist. 26. tomo 1.° Concil. & inter Augustinianas, 95.

AN. CCCCXV.

[n] Librum hunc Augustino refellendum dederunt Timasius & Iacobus, *adolescentes honestissimè nati, & institutis liberalibus eruditi;* ex discipulis Pelagij (cujus exhortatione, relictâ seculari, monasticam vitam sunt amplexi) orthodoxi jam effecti. Quod ille egregiè præstitit, edito ad eos libro De naturâ & gratiâ. *Nec sic tamen,* [o] inquit, *operi meo, quo eundem librum refelli, Pelagij nomen inferri: facilius me existimans profuturum si, servatâ amicitiâ, adhuc ejus verecundiæ parcerem, cujus literis jam parcere non debe-*[p] *rem.* veritus aliâs, p *ne offensus insanabilior redderetur.*

[n] Augustin. epist. 95. 106. & 252. De gestis Palæstin. cap. 10.

[o] Id. de gest. Palæstin. cap. 23.

[p] Id. epist. 106. ad Paulinum.

Accepto libro, rescripserunt adolescentes: gratias ei agentes, cujus operâ ipsi fuerant ab errore liberati; & benevolentiam præterea suam erga veterem magistrum significantes, dum eum cupiunt ab eodem liberari. ubi [q] *nomen, vel nomina, ipsi quoq; adhuc tacenda putaverunt; ut, vivente amicitiâ, error potiùs moreretur amicorum.* [r] Exemplum autem epistolæ, quia & brevis ea est, & Ecclesiasticis Annalibus necdum habetur intexta, subjiciendum hic putavi.

[q] Id. de gest. Palæstin. cap. 25.

[r] Ibid. cap. 24.

Domino

Domino verè beatissimo, & merito venerabili patri,
Episcopo Augustino, Timasius & Iacobus
in Domino Salutem.

Ita nos refecit & recreavit gratia Dei, ministrata per verbum tuum, ut prorsus germanè dicamus, [f] Mittit verbum suum, & sanavit eos; *Domine beatissime, & merito venerabilis Pater. Sanè eâ diligentiâ ventilâsse* * *sanitatem tuam textum ejusdem libelli reperimus, ut ad singulos apices responsa reddita studeamus: sive in his quæ refutare, detestari, aut fugere deceat Christianum, sive in illis in quibus non satis invenitur errâsse; quamvis, nescio quâ calliditate, in ipsis quoq; gratiam Dei credidit supprimendam. Sed unum est, quod nos in tanto beneficio afficit; quia tardè hoc tam præclarum gratia Dei munus effulsit. Siquidem contigit absentes fieri quosdam, quorum excitati ista tam perspicuæ veritatis illustratio deberetur: ad quos, etsi tardiùs, non dissidimus propitio Deo eandem gratiam pervenire; qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Nos verò, etsi olim, spiritu claritatis qui in te est docti, subjectionem ejus abjecerimus erroris; in hoc etiam nunc gratias agimus, quòd hæc quæ antè credidimus nunc aliis aperire didicimus, viam facilitatis uberiore sanctitatis tuæ sermone pandente. Incolumem beatitudinem tuam, nostriq; memorem, misericordia Dei nostri glorificet in æternum.*

[f] Psalm. 107. 20.

* sanctitatem.

Scribere verò cœpisse hunc librum Augustinum, quum Paulum Orosium ([t] *pro discendâ animæ ratione*) ad Hieronymum mitteret, atque edidisse dum idem Bethlehemi cum Hieronymo commoraretur; ex Augustini epistolâ ad Euodium, Orosij Apologetico contra Pelagium, & Hieronymi adversùs eundem Dialogis, uno & eodem anno CCCCXV. editis, promptum est colligere. Augustinus enim in fine epistolæ 102. ad Euodium, quum Orosio ut ad Hieronymum pergeret persuasisse se dixisset, & eâ occasione librum ad eundem de animæ origine conscripsisse; subjungit. *Scripsi etiam grandem quendam librum adversus Pelagij hæresim; cogentibus nonnullis fratribus, quibus*

[t] Gennad. Catalog. in Oroſio. Marcellin. Comes, in Chronico. Videipſius Auguſtin. epiſt. 28. ad Hieronymum.

contra gratiam Christi opinionem perniciosissimam ille persuaserat. De eodem in Apologetico ait Orosius; [a] *contra librum Pelagij B. Augustinum, discipulis ipsius Pelagij prodentibus ac perentibus, plenissimè respondere.* & ad ipsum Pelagium, in fine Dialogi tertij, de Augustini libris agens Hieronymus. *Alios quoq; (* præter tres videlicèt illos ad Marcellinum, & quartum ad Hilarium) *specialiter tuo nomini cudere dicitur, qui necdum in nostras venêre manus.*

Oros. Apolog. pag. 621.

Hoc verò anno Hierosolymis Palæstinorum sacerdotum habitum esse conventum osterdit Orosius: ad quem ex Latinis acciti sunt Avitus, Vitalis & Orosius presbyteri; ut quid contra Pelagium & Celestium in Occidente actum fuisset exponerent. quibus adjuncti sunt [x] *probati & Deo & seculo viri, Passerius presbyter & Dominus ex duce; ut pro experientiâ & fide suâ adesse interpretes dignarentur.* Quid verò in *Hierosolymitano* hoc conventu (quem cum *Diospolitano* non rectè confundit [y] Pennottus) actum fuerit, ipsum Orosium sacerdotibus qui illi interfuerant memorantem audiamus [z] *Latebam in Bethlehem, traditus à patre Augustino, ut timorem Domini discerem, sedens ad pedes Hieronymi: inde Hierusalem, vobis accersentibus, vocatus adveni. Debitc in conventum vestrum unâ vobiscum, Iohanne Episcopo præsipiente, consedi. Illicò à pusillitate meâ postulàstis universi, ut si quid super hâc hæresi, quam Pelagius & Celestius seminârunt, in Africâ gestum esset cognoscerem, fideliter ac simpliciter indicarem. Exposui coronæ vestræ breviter, ut potui.* &c.

x Oros. Apologetic. pag. 626.

y Gabr. Pennot. Propugnacul. humanæ libertatis. lib. 6. cap. 8. §. 4.

z Oros. Apologetic. pag. 621. 622. &c.

Ad hæc Iohannes Episcopus, ut Pelagius coràm intromitteretur expetijt. Cui & propter paternitatis ipsius reverentiam, & propter actionis utilitatem (dum præsentem ab Episcopo rectius credere tis confutandum) intromittendi consuetudo præstita est. Intromissum Pelagium unanimiter omnes interrogâstis: an hæc quibus Augustinus Episcopus respondisset, se docuisse cognosceret. Illicò ille respondit: Et quis est mihi Augustinus? Cumq; universi acclamarent, blasphemantem in Episcopum, ex cujus ore Dominus universæ Africæ

frica unitatis indulserit sanitatem, non solùm à conventu illo, verùm ab omni Ecclesiâ pellendum; Episcopus Iohannes illicò eum, hominem videlicèt laicum, in confessu presbyterorum reum hæreseos, manifestè in medio Catholicorum sedere præcepit: & deinde ait, Augustinus ego sum, ut scilicèt personâ quasi præsentis assumptâ, liberius ex authoritate ejus qui lædebatur ignosceret, & dolentium animos temperaret. Cui mox à nobis dictum est: Si Augustini personam sumis, Augustini sententiam sequere. Tunc idem episcopus nobis omnibus ait: Hæc quæ leguntur, in alios dicta sunt? aut de Pelagio suggerendum putas? Si in ipsum autem Pelagium; quid dicatis expromite. Ego autem vobis annuentibus dixi. Pelagius mihi dixit, docere se, hominem posse esse sine peccato, & mandata Dei facilè custodire, si velit. Respondit Pelagius, audientibus vobis: Hoc & dixisse me & dicere, negare non possum. Ego illicò prosecutus sum. Hoc in Celestio Africana Synodus detestata est: hoc Augustinus Episcopus scriptis suis, sicut audistis, exhorruit; hoc in ipsius nunc Pelagij scriptis suâ responsione condemnat. Hoc & beatus Hieronymus, cujus eloquium universus Occidens, sicut vos in vellus, expectat (multi enim jam hæretici cum dogmatibus suis, ipso oppugnante, supplosi sunt) & in epistolâ suâ quam nuper ad Ctesiphontem edidit, condemnavit; similiter & in libro, quem nunc scribit, collatâ in modum Dialogi altercatione confutat. Hoc est enim lubricum in Antichristo draconem tenere, nec possit effugere.

Porrò autem Episcopus Iohannes nihil horum audiens, à nobis exigere conabatur, ut accusatores nos, ipso judice, fateremur. Responsum sæpissimè est ab universis. Nos accusatores hujus non sumus, sed quid fratres tui, patres nostri, senserint & decreverint super hâc hæresi, quam nunc laicus vulgo prædicat, intimamus; ne Ecclesiam tuam præsertim, ad cujus sinum convolavimus, te ignorante conturbet. At ille, cùm sæpe nos docendi simulatione in aliquam professionis speciem tentaret inducere, dicebat; quia ad Abraham dictum esset à Domino, Ambula coram me & esto sine maculâ. & Zachariam Genes. 17. 1. Luc. 1. 6.

riam & Elizabet pronuntiatos esse justos ambos ante Dominum, incedentes in omnibus justificationibus Domini sine querelâ. *quod quidem ab Origene dictum, ab eo proferri, compluribus nobis notum erat. Cui responsum per me est: Nos filij Ecclesiæ Catholicæ sumus. Non exigas à nobis, pater, ut doctores super Doctores esse audeamus, aut judices super Judices. Patres quos universa per orbem Ecclesia probat, quorum communionis nos adhærere gaudetis, damnabilia hæc esse dogmata decreverunt: illis probantibus, nos obedire dignum est. Cur interrogas filios quid sentiant; cùm patres audias quid decernant?*

Quæ nunc sequuntur, hic ipse Iohannes Hierosolymitanæ antistes Ecclesiæ, à Diospolitanæ Synodi episcopis (in hujus anni exitu congregatis) de ijs quæ apud illum in causâ Pelagij gesta fuerant interrogatus, ita retulit. [a] *Illis instantibus & dicentibus, quia hæreticus est; dicit enim, quoniam potest homo, si voluerit, esse sine peccato: & ad hoc interrogantibus nobis eum, respondit* Pelagius. *Non dixi, quoniam recipit natura hominis ut impassibilis* (vel *impeccabilis*) *sit: sed dixi, quoniam qui voluerit pro propriâ salute laborare & agonizare, ut non peccet & ambulet in præceptis Dei, habere eum hanc possibilitatem à Deo. Tunc quibusdam susurrantibus & dicentibus, quòd sine Dei gratiâ diceret Pelagius posse hoc perfici: culpam super hoc etiam intuli, quia & Apostolus Paulus multum laborans, sed non secundùm suam virtutem, sed secundùm gratiam Dei, dixit*; Amplius omnibus illis laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum. *& iterùm:* Non est volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei. *& illud.* Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. *& alia multa similia diximus de Scripturis sanctis. Iis autem non suscipientibus quæ dicebantur à nobis de sanctis Scripturis, sed adhuc susurrantibus; dixit Pelagius. Et ego sic credo. Anathema sit, qui dicit absq; adjutorio Dei posse hominem ad profectum omnium venire virtutum.*

[a] Augustin. de gest. Palæstin. cap. 14. & 36. & epist. 106 ad Paulin. ex Actis Synodi Diospolitanæ.

1. Cor. 15. 10. Rom. 9. 16. Psalm. 127. 1.

Pergit Orosius. *Episcopus Iohannes ait. Si sine adjutorio Dei*

Dei hoc hominem posse diceret; pessimum & damnabile erat. Nunc autem cùm adjiciat, posse esse hominem sine peccato, non sine adjutorio Dei; vos quid dicitis? An forte vos Dei adjutorium denegatis? Cui respondiego: Anathema ei, qui negat adjutorium Dei. Ego certè non nego: præcipue cùm è contrario in hæreticis confutârim. etc. *Multisq; alijs actitatis, Iohannes Episcopus novissimam sententiam protulit, confirmans tandem postulationem intentionemque nostram; ut ad beatum Innocentium Papam Romanum, Fratres & Epistolæ mitterentur, universi quod ille decerneret secuturi: sed ut hæreticus Pelagius imposito sibi eatenùs silentio conticesceret, & ut nostri ab insultatione convicti Iohannis confusiq; temperarent. Universi in hanc sententiam consensimus: gratiarum actione celebratâ, pace factâ, & consummatâ ad pacis testimonium oratione, discessimus.*

Nunc autem post dies quadraginta & septem, cùm primo Encæniarum die, ut solitus eram quando aderam, ad obsequium Iohannis Episcopi cucurrissem; statim ab eo notam falsi criminis pro gratiâ salutationis accepi. Ait enim mihi: Quare ad me venis homo, qui blasphemâsti? volens, ne credo, intelligi; Noli me tangere, quia mundus sum & absque peccato. At ego nihil mihi conscius, interrogavi; quando, aut quo audiente, aut cujusmodi illud est dictum, quod blasphemiæ possit adscribi. Episcopus respondit: Ego te audivi dixisse; quia nec cum Dei adjutorio possit esse homo sine peccato. Ego quidem, beatissimi Sacerdotes, (sicut & vos testes estis, & universa fraternitas, & præterea sancti viri, qui huic testimonio amore veritatis assistunt) statim testificatus sum, dicens; quia ejusmodi verbum, quod nunc à me dictum Episcopus intenderit, nunquam de ore meo anteà processisset. Et istud jurgium Orosio Apologiæ suæ scribendæ occasionem præbuit.

Observandum verò, uno & eodem hoc anno trium fidei defensorum scripta prodijsse adversùs Pelagium: *Orosij* Apologeticum, librum *Augustini* de naturâ & gratiâ, atq; tres *Hieronymi* Dialogos; in quibus se *Attici*, Pelagium *Critobuli* nomine designat. quod quare fecerit, in

operis Proœmio ita ipse explicat. *Ut omnibus probarem me non odisse homines, sed errores, nec aliquorum infamiam quærere; magisq; dolere vicem eorum, qui falsi nominis scientiâ supplantantur: Attici & Critobuli nomina posui, per quos, & nostra pars & adversariorum quid sentiret, exprimerem.* Consultò enim hactenùs (ut in Apologetici sui initio notavit etiam [b] Orosius) *Augustinus & Hieronymus multa adversus hanc nefariam hæresim, absq; designatione nominum hæreticorum, scriptis probatissimis ediderunt.* Scriptæ etiam tum sunt amicissimæ illæ Hieronymi ad Augustinum literæ; quarum hoc initium. [c] *Virum honorabilem, fratrem meum, filium dignationis tuæ, Orosium presbyterum, & fui merito, & te jubente suscepi: sed incidit tẽpus difficillimum, quando mihi tacere melius fuit, quàm loqui; ita ut nostra studia tessarent &, juxta Appium, canina exerceretur facundia.*

[b] Oros. Apolog. pag 619.

[c] Hieronym. epist. 94.

Quibusdam deinde interjectis, in Epistolâ sequitur. *Nos inter nos eruditionis causâ disserimus. cæterùm æmuli, & maximè hæretici, si diversas inter nos sententias viderint; de animi calumniabuntur rancore descendere. Mihi autem decretum est, te amare, te suspicere, colere, mirari; tuaq; dicta quasi mea defendere. Certè & in Dialogo, quem nuper edidi, tuæ beatitudini, ut dignum fuerat, recordatus sum.* (in fine videlicèt libri tertij.) *magisq; demus operam, ut perniciosissima hæresis de ecclesijs auferatur, quæ semper simulat pœnitentiam, ut docendi in ecclesijs habeat facultatem: ne, si apertâ se luce prodiderit, foràs expulsa moriatur. Sanctæ ac venerabiles filiæ tuæ, Eustochium & Paula, & genere suo & exhortatione tuâ dignæ gradiuntur, specialiterq; salutant beatitudinem tuam: omnes quoq; fraternitas, quæ nobiscum Domino Salvatori servire conatur.*

Ejusdem anni mense ultimo Diospoli, quæ olim Lydda dicta fuit, Palæstinorum episcoporum Provincialis habita est Synodus: ut ex [d] Luciani libello liquet, de Stephani reliquijs tunc repertis; quem [e] *Avitus presbyter Hispanus* (quem Hierosolymitano conventui hoc anno interfuisse diximus) *in Latinum transtulit sermonem, & additâ epistolâ*

[d] apud Surium, vit. Sanctor. tomo 4. August. 3.

[e] Gennad. Catalog. cap. 47. in Avito.

eius go

tâ epistolâ suâ per Orosium occidentalibus edidit. Erant illi Episcopi numero quatuordecim: [f] *Eulogius* (Cæsariensis archiepiscopus, Synodi præses) *Iohannes* (Hierosolymitanus episcopus, qui in priori illo conventu Pelagij patrocinium in se suscepit,) *Ammonianus, Porphyrius* (Gazensis,) *Eutonius* (Hierichuntinus,) *Porphyrius, Fidus, Zosimus, Zebennus* (Eleutheropolitanus,) *Nymphidius, Chromatius, Iovinus* (Ascalonensis,) *Eleutherius* (Sebastiensis,) & *Clematius.* Hîc verò, [g] *Pelagius à quibusdam catholicis fratribus ad Episcopalia gesta perductus, eisq; absentibus qui de illo libellum dederant, quoniam ad diem Synodi non potuerunt occurrere, ab Episcopis* illis *quatuordecim auditus est: ubi eum dogmata ipsa damnantem, quæ inimica gratiæ Dei adversùs eum de libello legebantur, catholicum pronunciaverunt.* Accusatores, qui libellum contra Pelagium [h] *Eulogio* (provinciæ Palæstinæ Metropolitano) dederunt, erant Eros & Lazarus, episcopi Galli: quorum posterior in * Aquensium Episcoporũ reperitur Catalogo; prior, *vir sanctus, & beati Martini discipulus, quum Arelatensi oppido Episcopus præsideret,* ante triennium (ut Prosper narrat in Chronico) *à populo ejusdem civitatis insons & nullis insimulationibus noxius pulsus est.* Licèt autem ipsi, [i] *propter gravem unius eorum ægritudinem, præsentes esse minimè potuerunt*: libellus tamen eorum in Synodo recitatus est, & ex eo sequentes articuli objecti Pelagio;

[f] Augustin. cõtra Iulian. lib. 1. cap. 5. & 7.

[g] Id. Retractat. lib. 2. cap. 47. vid. eund. de gestis Palæstinis, cap. 29. & 35.

[h] Id. de gest. Palæstin. cap. 3.

* Claud. Robert. Galliæ Christian pag. 13. fin.

[i] Id. ibid. cap. 1. & 35. indeq; Photius in Bibliothecâ, num. 54.

I.

Ex ipsius Pelagij Capitulorum libro.

1. *Non posse esse sine peccato, nisi qui legis scientiam habuerit.* SYNODVS. *Tu hoc edidisti, Pelagi?* PELAGIVS. *Ego quidem dixi; sed non sicut illi intelligunt. Non dixi, non posse peccare qui scientiam legis habuerit, sed adjuvari per legis scientiam ad non peccandum; sicut scriptum est.* [k] Legem in adjutorium dedit illis. SYNODVS. *Non sunt aliena ab Ecclesiâ quæ dicta sunt à Pelagio.*

[k] Esai. 8. 20. Iuxta LXX.

2. *Omnes voluntate propriâ regi.* PELAG. *Et hoc dixi propter liberum arbitrium, cui Deus adjutor est eligenti*

bona; homo verò peccans, ipse in culpâ est, quasi liberi arbitrij. SYNOD. *Neq; hoc alienum est ab Ecclesiasticâ doctrinâ.*

3. *In die judicij iniquis & peccatoribus non esse parcendum, sed æternis eos ignibus exurendos.* PELAG. *Hoc secundùm Evangelium dixi, ubi dicitur de peccatoribus:* [l] Matth. 25. 46. Ilti ibunt in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam. *Et si quis aliter credit, Origenista est.* SYNOD. *Hoc alienum non est ab Ecclesiâ.*

4. *Malum nec in cogitationem venire.* PELAG. *Hoc non ita posuimus: sed diximus, debere studere Christianum, ne malè cogitet.* SYNODVS hoc quoq; approbavit.

5. *Regnum cœlorum etiam in veteri Testamento esse promissum.* PELAG. *Hoc & per Scripturas probari possibile est: hæretici autem in injuriam veteris Testamenti hoc negant. Ego verò scripturarum authoritatem secutus dixi: quoniam in Propheta Daniele scriptum est;* [m] Dan. 7. 18. Et accipient sancti regnum Altissimi. SYNOD. *Neq; hoc alienum est à fide Ecclesiasticâ.*

6. *Posse hominem, si velit, esse sine peccato.* quibus addita sunt & illa, ex libro ipsius ad Viduam. *Inveniat apud te pietas, quæ nusquàm invenit locum; inveniat, ubiq; peregrina, in te sedem justitia; veritas, quam jam nemo cognoscit, domestica tibi & amica fiat: & lex Dei, quæ ab omnibus propè hominibus contemnitur, à te solâ honoretur.* et iterùm ad eandem. *O te felicem & beatam, si justitia, quæ in cœlo tantùm esse credenda est, apud te solam inveniatur in terris!* & in alio ad ipsam libro. *Ille ad Deum dignè elevat manus, ille orationem bonâ conscientiâ effundit, qui potest dicere: Tu nôsti, Domine, quàm sanctæ & innocentes & mundæ sint ab omni* [n] *molestiâ & iniquitate & rapinâ, quas ad te extendo, manus; quàm justa & munda labia, & ab omni mendacio libera, quibus offero tibi deprecationẽ ut mihi miserearis.* PELAG. *Posse quidem hominem sine peccato esse & Dei mandata custodire, si velit, diximus: hanc enim possibilitatem Deus illi dedit. Non autem diximus, quòd inveniatur aliquis ab infantiâ usque ad senectam, qui nunquàm peccaverit: sed quoniam*

[n] *fraude* Hieron. lib. 3. adverſ. Pelag. cap. 5.

Auguſt. epiſt. 132.

niam à peccatis conversus, proprio labore & Dei gratiâ posse esse sine peccato; nec per hoc tamen in posterum erit inconvertibilis. Reliqua verò quæ subjecerunt, neq; in libris nostris sunt, neq; talia unquàm diximus. SYNOD. *Quoniam negas te talia scripsisse; anathematizas illos qui sic tenent?* PELAG. *Anathematizo quasi stultos, non quasi hæreticos: siquidem non est dogma.* SYNOD. *Nunc quoniam anathematizavit Pelagius incertum stultiloquium; rectè respondens, hominem cum adjutorio Dei & gratiâ posse esse ἀναμάρτητον, id est, sine peccato: respondeat & ad alia capitula.* Augustin. de Peccat. Original. cap. 11.

II.

Aliud capitulum in doctrinâ Cœlestij discipuli Pelagij, ex eis quæ Carthagine à sancto Aurelio Carthaginiensi episcopo cum alijs episcopis audita sunt & commemorata. Adam mortalem factum, &c. (ut [a] suprà, in Concilij illius Carthaginiensis capitulis.) *Quoniam sanctus episcopus Augustinus adversus discipulos ejus in Siciliâ respondit Hilario ad subjecta capitula; scribens librum in quo ista continentur. Posse hominem sine peccato esse, si velit. Infantes, etsi non baptizentur, habere vitam æternam. Divites baptizatos, nisi omnibus abrenuncient, si quid boni visi fuerint facere, non reputari illis, neq; regnum Dei posse eos habere.* [a] Sup. pag. 318

PELAG. *Posse quidem hominē sine peccato esse, dictum est superiùs. De eo autem quòd fuerint homines ante adventum Domini sine peccato, dicimus & nos, quoniam ante adventum Christi vixerunt quidam sanctè & justè, secundùm Scripturarum sanctarum traditionem. Reliqua verò, & secundùm ipsorum testimonium, à me dicta non sunt; pro quibus ego satisfacere non debeo: sed tamen ad satisfactionem sanctæ Synodi, anathematizo eos qui sic tenent, aut aliquando tenuerunt.* SYNOD. *Ad hæc, quæ dicta, capitula sufficienter & rectè satisfecit præsens Pelagius; anathematizans ea quæ non erant ejus.*

Hîc etiam objectum est * Pelagio, quòd diceret, *Ecclesiam esse sine maculâ & rugâ*. PELAG. *Dictum est à nobis ita; quoniam lavacro ab omni maculâ & rugâ purgatur Ecclesia, quam velit ita Dominus permanere*. SYNOD. *Hoc & nobis placet*.

* ex Celestio, Augustin. de gest. Palæstin. cap. ult. Est autem postrema Hilarianarum quæstionum; apud eund. epist. 88, 89.

III.

Ex libro Celestij.

1. In capitulo primo: quòd *plus facimus, quàm in Lege & Euangelio jussum est*. PELAG. *Hoc quasi nostrum posuerunt. Dictum est verò à nobis, secundùm Apostolum, de virginitate; de quâ Paulus dicit:* ° Præceptum Domini non habeo. SYNOD. *Hoc & Ecclesia recipit*.

° 1. Corinth. 7. 25.

2. In capitulo tertio: *Gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari; sed in libero arbitrio esse, vel in lege ac doctrinâ*. & iterùm: *Dei gratiam secundùm merita nostra dari; quia si peccatoribus illam det, videtur esse iniquus. Propterea & ipsâ gratiâ* (inquit) *in meâ voluntate posita est, sive dignus* * *fierem sive indignus. Si enim per gratiam omnia facimus: quando vincimur à peccato, non nos vincimur, sed Dei gratia, quæ voluit nos adjuvare omnimodo & non potuit*. & iterùm. *Si gratia Dei est quando vincimus peccata, ergo ipse est in culpâ quando à peccato vincimur; quia omninò custodire nos aut non potuit, aut noluit*. PELAG. *Hæc utrùm Celestij sint, ipsi viderint qui dicunt ea Celestij esse: ego verò nunquam sic tenui, sed anathematizo qui sic tenet*. SYNOD. *Recipit te sancta Synodus, ita verba reproba condemnantem*.

* al. *fiam*, &, *fuerim*.

3. In capitulo quinto: *Unumquemq; hominem omnes virtutes posse habere & gratias*. PELAG. *Dictum est à nobis: sed malignè & imperitè reprehenderunt. Non enim auferimus gratiarum diversitatem: sed dicimus donare Deum ei, qui fuerit dignus accipere, omnes gratias; sicut Paulo Apostolo donavit*. SYNOD. *Consequenter & ecclesiastico sensu & ipse sensisti de dono gratiarum, quæ in sancto Apostolo continentur*.

4. In capitulo sexto: *Filios Dei non posse vocari, nisi omnimodo absq; peccato fuerint effecti*. In septimo: *Oblivionem*

nem & ignorantiam non subjacere peccato; quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed secundùm necessitatem. In decimo: *Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio; quoniam in propriâ voluntate habet unusquisq; aut facere aliquid aut non facere.* In duodecimo: *Victoriam nostram non ex Dei esse adjutorio, sed ex libero arbitrio.* quod his verbis expressit. *Nostra est victoria, quoniam propriâ voluntate arma suscepimus: sicut è contrario nostrum est, quando vincimur, quoniam armari propriâ voluntate contempsimus.* Et de Apostolo Petro posuit testimonium; *divina nos esse consortes naturæ.* * indeq; Syllogismum facere dicitur: quoniam *si anima non potest esse sine peccato; ergo & Deus subjacet peccato, cujus pars, hoc est, anima, peccato obnoxia est.* In tertio decimo capitulo dicit; quòd *Pœnitentibus venia non datur secundùm gratiam & misericordiam Dei, sed secundùm merita & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint misericordiâ.* SYNOD. *Quid ad hæc quæ lecta sunt capitula dicit præsens Pelagius monachus? Hæc enim reprobat sancta Synodus, & sancta Dei Catholica Ecclesia.* PELAG. *Iterùm dico, quia hæc, & secundùm ipsorum testimonium, non sunt mea; pro quibus, ut dixi, satisfactionem non debeo. Quæ verò mea esse confessus sum, hæc recta esse affirmo: quæ autem dixi non esse mea secundùm judicium sanctæ Ecclesiæ reprobo; anathema dicens omni contravenienti & contradicenti sanctæ Catholicæ Ecclesiæ doctrinis. Ego enim in unius substantiæ Trinitatem credo, & omnia secundùm doctrinam sanctæ Catholicæ Ecclesiæ: si quis verò aliena ab hâc sapit, anathema sit.* SYNOD. *Nunc quoniam satisfactum est nobis prosecutionibus præsentis Pelagij monachi; qui quidem piis doctrinis consentit, contraria verò Ecclesiæ fidei reprobat & anathematizat: communionis Ecclesiasticæ eum esse & Catholicæ confitemur.*

* *Quomodo quispiam illius rei consortium susceperit, à cujus statu & virtute ipse extraneus definitur?* inquit ille in 11°. capitulo, citat. ab Augustino, de gestis Palæstin. cap. ult.

Atq; hæc est, *illa miserabilis* (ut eam appellat p Hieronymus) *Synodus Diospolitana*: in quâ q *Pelagium hæresiarcham, quæ contra Christi gratiam sentiebat operientem, pravasq; sententias suas versutiâ interpretantem, per ignorantiam*

p Hieronym. epist. 79.

q Facund. lib. 7. cap. 3.

rantiam absolutum notavit, inter alios, Facundus Hermianensis episcopus. [r] *His nebulis illud judicium se putat illusisse Pelagius; vosq; ad hoc nefas toto capite annuitis, & tot ab illo Episcopos irrisos esse ridetis*: ait ad illius discipulos Augustinus & ad ipsum magistrum. [s] *Quando tibi illa damnanda objiciebantur, non ea catholici Episcopi sic intelligebant; ideò cùm illa damnares, catholicum te esse credebant. Propterea ergo quod te illi sapere existimabant, absolvendum fuit, quod verò tu sapiebas, damnandum fuit. Non ergo tu absolutus es, qui damnanda tenuisti: sed illud absolutum est, quod tenere debuisti. Ut autem tu absolutus putareris, creditus es sentire laudanda; cùm te judices non intelligerent occultare damnanda.*

[r] Augustin. contra Iulian. Pelagian. lib. 1. cap. 5.

[s] Id. de peccato Original. cap. 16.

Culpâ autem omni in versipellem hæreticum derivatâ, Episcopos qui in judicio illo sederunt sic ipse excusat. [t] *Hoc pios judices cogitâsse credendum est: si tamen hoc, quod in libro ejus Latino est diligenter interpretatum, satis intelligere potuerunt; sicut ejus responsionem Græco eloquio prolatam, (Græcè enim in Synodo locutus est Pelagius) & ob hoc facilè intellectam, alienam non esse ab Ecclesiâ judicaverunt.* [u] *Sed hos Episcopi, Graci homines, & ea verba per interpretem audientes, discutere non curârunt: hoc tantùm intuentes, quid ille qui interrogabatur sensisse se diceret, non quibus verbis eadem sententia in ejus libro scripta diceretur.* [x] *Neq; hoc dicens judicium aguo vel negligentiam, vel* * *cohibentiam, vel (quod ab eis longè abhorrere certissimum est) impiorum dogmatum consentiam: sed eorum judicio pro merito approbato atq; laudato, Pelagius tamen apud eos, quibus amplius certiusq; notus est, non mihi videtur esse purgatus. Illi enim tanquam de ignoto judicantes, his præsertim absentibus qui contra eum libellum dederant, hominem quidem diligentius examinare minimè potuerunt; hæresim tamen ipsam penitùs peremerunt.* [y] *Et per hoc quomodolibet ea Celestius posuerit aut non posuerit, vel Pelagius senserit aut non senserit; tanta mala tam novæ hujus hæresis illo Ecclesiastico judicio damnata gaudeamus, & Deo gratias agamus laudesq; dicamus.*

[t] Id. de gestis Palæstin. cap. 2.

[u] Ibid. cap. 1.

[x] Ibid. cap. 21.

* Cõsentiam.

[y] Ibid. cap. ult.

Hæc

Hæc modestissimus & prudentissimus ille Pater: quem secutus quoq; est discipulus ipsius Prosper; de hoc Orientalium Episcoporum judicio, in Poëmate de Ingratis, ita canens.

——non segnior inde Orientis
Rectorum cura emicuit: captumq; nefandi
Dogmatis authorem constrinxit lege benignâ
Commentum damnare suum; nisi corpore Christi
Abjungi, & sancto mallet grege dissociari.
Lene quidem hoc, nimiumq; malos tolerâsse videtur
Judicium: sed sancta fides examine in illo
Vicit oborturam diro de semine prolem.
Prospectum namq; est, divino & munere cautum,
Ut licèt instantem declinans bestia pœnam,
Perfidiæ secum sensus tenuisset eosdem;
Ipsa tamen proprium germen damnando necaret,
Ore malam extinguens sobolem, quam protulit ore.

Peracto judicio Palæstino, prius quàm gesta publicarentur, [z] in manus hominum prævolavit Pelagij epistola, *scribentis ad amicum suum quendam presbyterum, qui eum literis benignè admonuerat, ne per ejus occasionem se aliquis à corpore Ecclesiæ separaret*: in quâ hæreticum suum dogma comprobatum hic fuisse ita ille jactitat. *Quatuordecim Episcoporum sententiâ definitio nostra comprobata est, quâ diximus, posse hominem sine peccato esse, & Dei mandata facilè custodire, si velit. Quæ sententia contradictionis os confusione perfudit, & omnem in malum conspirantem societatem ab invicem separavit.* ubi tamen (ut rectè animadvertit [a] Augustinus) *& facilitatem posuit non peccandi, de quâ nulla in hoc judicio quæstio fuit, quasi judicibus etiam de hoc verbo placuerit; & gratiam Dei non posuit, quam confitendo & addendo pœnam Ecclesiasticæ damnationis evasit.* Pro ipsis verò Synodi gestis, [b] misit Augustino (per quendam Hipponensem civem, Orientalem autem diaconum) quandam à se conscriptam velut defensionem suam, quâ

ANN. CCCCXVI.

[z] Augustin. de gest. Palæstin. cap. 30.

[a] Ibid. cap. 31.

[b] Ibid. in Præfat. & cap. 6. 32. 33. item ep. 95. & 250.

se dixit objectis respondisse Gallorum: ut pro gestorum illorum breviatione ista charta usquequaque discurreret.

Quum autem nullas Augustinus simul accepisset literas, & defensionis illam chartulam merito habuisset suspectam: suo & aliorum multorum Episcoporum nomine à Iohanne Hierosolymitano antistite petijt, ut ipsa Ecclesiastica gesta transmittere dignaretur. In quâ epistolâ (quæ numero est CCLII.) de Pelagio ita illum admonet. *Pelagium fratrem nostrum, filium tuum, quem audio quòd multum diligis; hanc illi suggero exhibeas dilectionem, ut homines qui eum noverunt & diligenter audierunt, non ab eo tuam sanctitatem existiment falli.* & pòst. *Si diligitis Pelagium, diligat vos etiam ipse, imò magis seipsum; & vos non fallat. Cùm enim auditis eum confiteri gratiam Dei & adjutorium Dei; putatis hoc eum dicere, quod & vos qui catholicâ regulâ sapitis: quoniam quid in libro suo scripserit ignoratis. Propter hoc, ipsum librum misi, & meum* (De naturâ & gratiâ scilicèt, ad Timasium & Iacobum) *quo ei respondi: unde perspiciat venerabilitas vestra, quam gratiam vel adjutorium Dei dicat, quando illi objicitur quòd gratiæ Dei & adjutorio contradicat. Proinde ostende illi docendo, & hortando, & pro ejus salute quæ in Christo esse debet orando, ut eam Dei gratiam confiteatur, quam probantur sancti Dei fuisse confessi, cùm à Domino ea ipsi peterent, quæ illis jubebat ut facerent. Quoniam neq; juberentur, nisi ut nostra voluntas ostenderetur: neq; peterentur, nisi ut voluntatis infirmitas ab illo qui jusserat juvaretur.*

Tumultuantibus deinde in Palæstinâ Pelagij sectatoribus, factum est, *ut Dei servi & ancillæ ad curam sancti Hieronymi presbyteri pertinentes sceleratissimâ cæde afficerentur, Diaconus occideretur, ædificia monasteriorum incenderentur, vix ipsum ab hoc impetu atq; incursu in Dei misericordiâ turris munitior tueretur*: quemadmodum in fine libri de gestis Palæstinis narrat Augustinus. Inter eas autem quæ ad curam S. Hieronymi pertinebant, præcipuæ fuerunt nobilissimæ illæ Virgines (in literis ejusdem ad Augustinum

anno

anno superiore missis [c] jam commemoratæ) *Eustochium & Paula*: quarum prior Paulæ senioris (ante annos duodecim Bethlehemi defunctæ) filia fuit, posterior (de cujus institutione ad matrem Lætam Hieronymi VII^a. scripta est epistola) ex Toxotio filio neptis. Et harum & ipsius Hieronymi, de vi istâ sibi & suis illatâ conquerentium, Aurelij Carthaginiensis episcopi operâ ad Innocentium Romanum Pontificem perlatæ sunt literæ: cujus & [d] rescripta extant, tùm ad Aurelium & Hieronymum, tùm ad Iohannem Hierosolymitanum, in quem mali hujus suspicio maximè cadebat. Vt enim in Pelagium admodùm benevolo, ita in Hieronymum infenso erat ille animo atq; inimico: utpote qui non Pelagij solùm, sed etiam [e] Iohannis errores publicis scriptis acriter coarguisset. Hoc ipso autem anno mortuus est Iohannes; Praylio, & in Hierosolymitanæ ecclesiæ regimine & in Pelagij patrocinio, successore relicto.

[c] Supra, pag. 242.

[d] Innocent. I, epist. 32. 33. 34. tomo 1. Concil. edit. Colon. an. 1606. pag. 590. 591.

[e] Hieron. epist. 61. ad Pamach. adversus errores Iohan. Hierosolymit.

Pelagius interim, [f] *à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infidelitate supponeret; dicens, ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam.* Hoc in libris post judicium Palæstinũ editis ab eo dictum notat [g] Augustinus: nempè in primo librorũ illorum quatuor, quos pro libero conscripsit arbitrio. Sic enim ille [h] ibi loquitur. *Hic nos imperitissimi hominũ putant injuriam ãdivinæ gratiæ facere, quia dicimus eam sine voluntate nostrâ nequaquam in nobis perficere sanctitatẽ. Quasi Deus gratiæ suæ aliquid imperavit, & non illis quibus imperavit, etiam gratiæ suæ auxiliũ subministret; ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam. quam nos non, ut tu putas, in lege tantummodò; sed & in Dei esse adjutorio confitemur. Adjuvat enim nos Deus per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit; dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat; dum Diaboli pandit insidias; dum*

[f] Augustin. de hæres. ad Quodvult Deũ, cap. 88.

[g] Id. epist. 106. ad Paulin.

[h] apud eund. lib. 1. de gratiâ Christi contra Pelag. & Celest. cap. 7. & 29.

nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat. Qui hæc dicit, gratiam tibi videtur negare? an & liberum hominis arbitrium, & Dei gratiam confitetur? Hoc namq; præcipuè in toto illo opere laborabat, ut negatæ gratiæ invidiam, cui ferendæ imparem sese senserat, quovis modo declinaret. Vnde in apologeticâ Papæ Innocentio proximo anno inscriptâ epistolâ, huc potissimùm suos vocat adversarios. *Legant*, [i] inquit, *recens meum opusculum, quod pro libero nuper arbitrio edere compulsi sumus: & agnoscent quàm iniquè nos negatione gratiæ infamare gestierint; qui per totum penè ipsius textum operis perfectè atq; integrè & liberum arbitrium confitemur & gratiam.*

[i] Ibid. cap. 41.

Quandoquidem verò hîc in unam hanc rem defixit & intendit ille animum, ut suâ perfidiâ distracta ista in pristinam rursùs reduceret concordiam; atq; hunc impuri hæretici vomitum nonnulli, & olim & hodie quoq;, non animo sorbent solùm sed etiam concoquunt, qui reliquas illius sordes tanquam auspicium malum detestantur: operæprecium fuerit, totum illius dogma, suis ipsius verbis expressum, hîc proponere, ut ad damnatum errorem agnoscendum homines; quibus ille cœpit allubescere, oculos aliquando aperiant. *Nos*, [k] inquit, *sic tria ista distinguimus, & certum velut in ordinem digesta partimur. Primo loco posse statuimus, secundo velle, tertio esse. Posse in naturâ, velle in arbitrio, esse in effectu locamus. Primum illud, id est posse, ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ suæ contulit: duo verò reliqua, hoc est velle & esse, ad hominem referenda sunt; quia de arbitrij fonte descendunt. Ergo in voluntate & opere bono laus hominis est; imò & hominis & Dei, qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit, quiq; ipsam possibilitatem gratiæ suæ adjuvat semper auxilio. Quod verò homo potest velle bonum atq; perficere, solius Dei est. Potest itaq; illud unum esse, etiam si duo ista non fuerint: ista verò sine illo esse non possunt. Itaq; liberum mihi est, nec voluntatem bonam habere nec actionem; nullo autem modo possum non habere possibilitatem boni: inest mihi etiam si noluero, nec otium*

[k] Ibid. cap. 4.

sui

sui aliquando in hoc natura recipit. Quem nobis sensum exempla aliqua faciant clariorem. Quod possumus videre oculis, nostrum non est: quod verò bene aut malè videmus, hoc nostrum est. Quod loqui possumus, Dei est: quod verò bene vel malè loquimur nostrum est. Et, ut generaliter universa complectar; quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse donavit, qui hoc posse adjuvat: quod verò bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est; quia hæc omnia vertere etiam in malum possumus. Unde (quod propter calumniam vestram sæpe repetendum est) cùm dicimus hominem posse esse sine peccato, confessione possibilitatis acceptæ laudamus Deum, qui nobis hoc posse largitus est: nec est ibi ulla laudandi hominis occasio, ubi solius Dei causa tractatur. Non enim de velle, nec de esse, sed tantummodo de eo quod potest esse, disseritur.

Hæc ille, in libro tertio pro libero arbitrio: in quo & objectioni ex verbis Apostoli [* *Non quod volo ago. &, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*] ita respondet. [1] *Hoc quod tu de Apostolo intelligere cupis, omnes Ecclesiastici viri in peccatoris & sub legè adhuc positi asserunt eum dixisse personâ; qui nimiâ vitiorum consuetudine velut quâdam teneretur necessitate peccandi, & quamvis bonum appeteret voluntate, usu tamen præcipitaretur in malum. In personâ autem hominis unius, designat populum sub vetere adhuc lege peccantem; quem ab hoc consuetudinis malo dicit liberandum esse per Christum, qui credentibus sibi primò omnia per baptismum peccata dimittit, deinde imitatione sui ad perfectam incitat sanctitatem, & vitiorum consuetudinem virtutum vincit exemplo.* In primo verò libro, naturam liberi arbitrij ita explicat. [m] *Habemus possibilitatem utriusq; partis à Deo insitam, velut quandam (ut ita dicam) radicem fructiferam atq; fœcundam; quæ ex voluntate hominis diversa gignat & pariat, & quæ possit ad proprij cultoris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum.* deinde gratiæ subjungit adminiculum. [n] *Cùm autem tam forte, tam firmum ad non peccandum liberum in nobis habeamus*

* Rom. 7. 19. 23.

[1] Ibid. cap. 39.

[m] Ibid. cap. 18.

[n] Ibid. cap. 28.

mus arbitrium, quod generaliter naturæ humanæ creator inseruit; rursus, pro ejus inæstimabili benignitate, quotidiano ipsius munimur auxilio.

[o] Ibid. cap. 22. 23. Et in alio ejusdem Operis loco. [o] *Qui currit*, inquit, *ad Deum & à Deo se regi cupit, id est, voluntatem suam ex ejus voluntate suspendit, qui ei adhærendo jugiter, unus (secundùm Apostolum) cum eo fit spiritus: non hoc nisi de arbitrij efficit libertate. Quâ qui bene utitur, ita se totum tradit Deo, omnemq; suam mortificat voluntatem, ut cum Apostolo possit* Gal 2.20. *dicere*; Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus: *ponit q; cor suum in manu Dei, ut illud quò voluerit Deus ipse declinet.* & alibi, quæstioni quæ ex Philip. 1 1.13. [p] Ibid. cap. 10. moveri poterat occurrens. [p] *Et quomodo*, inquit, *stabit illud Apostoli?* Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere. *Operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est; dum nos terrenis cupiditatibus deditos, & mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendit; dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis (quod tu alibi negare non metuis) suadet omne quod bonum est.* Quodnam verò in hisce omnibus absconditum sit venenum, in libro primo de gratiâ Christi contra Pelagium & Cœlestium patefecit Augustinus: ad quem lectorem antiquæ fidei studiosum remittimus.

Eodem hoc anno, duæ provinciales Africanorum patrum habitæ sunt Synodi: *Carthaginiensis* cui Aurelius, & *Milevitana* cui Numidiæ primas præfuit Sylvanus. Posterior hæc Episcoporum fuit LXI. prior illa, non LXXVII. (ut habet [q] Baronius) sed LXVIII. ut nomina eorum Epistolæ ad Innocentium præscripta numeranti liquebit. Etsi autem adhuc [r] *gesta Ecclesiastica, quibus apud Episcopos provinciæ Palæstinæ Pelagius perhibebatur esse purgatus*, in *Africam* non pervenissent: literæ tamen *de Oriente venerunt, eandem vanam apertissimè ventilantes.* [s] Scriptæ eæ sunt ab *Erote* & *Lazaro* (Gallicis illis episcopis, ad quo-

[q] Baron. an. 416. §. 5.
[r] Augustin. epist. 106. ad Paulin.
[s] Concil. Carthagin. ad Innocent. epist. ordin. inter Augustinianas 90.

rum

rum libellum respondere in Palæstinâ Synodo coactus est Pelagius:) & ab Orosio, nuper ex Oriente reverso, Episcopis in Carthaginiensi Concilio hoc tempore congregatis traditæ. quibus illi *lectis*, *Pelagium & Cœlestium authores nefarij prorsus & ab omnibus anathematizandi erroris adverterunt*: & *communi deliberatione censuerunt, nisi hæc apertissimè anathematizaverint, ipsos anathematizari oportere; ut si ipsorum non potuerit, saltem eorum qui ab eis decepti sunt vel decipi possunt, cognitâ sententiâ quæ in eos lata est, sanitas procuretur.* Hoc ipsi in epistolâ ad Innocentium Romanum episcopum significant: de Palæstino judicio illud insuper adjicientes. *Si Pelagius episcopalibus gestis quæ in Oriente confecta dicuntur, etiam tuæ veneratione justè visus fuerit absolutus; error tamen ipse & impietas, quæ tam multos assertores habet per diversa dispersos, etiam authoritate Apostolicæ sedis anathematizanda est.*

Consimiles etiam à Milevitanæ Synodi episcopis ad Innocentium missæ sunt literæ in quibus ista legimus. *Nova hæresis & nimirum perniciosa tentat surgere inimicorum gratiæ Christi, qui nobis etiam Dominicam orationem impijs disputationibus conantur auferre. Hujus pernicioſissimi erroris authores esse perhibentur Pelagius & Cœlestius: quos quidem in Ecclesiâ sanari maluimus, quàm desperatâ salute de Ecclesiâ resecari, si necessitas nulla compellat. Quorum unus, id est, Cœlestius, etiam ad presbyterium in Asiâ dicitur pervenisse. De quo ante paucos annos quid gestum fuerit, sanctitas tua de Carthaginiensi Ecclesiâ melius instruetur. Pelagius verò (sicut à quibusdam fratribus nostris missæ loquuntur epistolæ) Hierosolymis constitutus nonnullos fallere asseritur: verùntamen multo plures, qui ejus sensus diligentiùs indagare potuerunt, adversùs eum pro gratiâ Christi & Catholicæ fidei veritate confligunt; præcipuè sanctus filius tuus, frater & compresbyter noster, Hieronymus. Hæc ad sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ scripta direximus; imitantes Carthaginiensis provinciæ coëpiscopos nostros, quos ad sedem Apostolicam quam beatus illustras de hâc causâ scripsisse comperimus.*

Ibid. epist. 92.

Præter

Præter binas istas Synodicas (quarum & Augustinus meminit, in [n] epistolâ eodem tempore contra hanc hæresim ad Hilarium episcopum exaratâ) aliæ etiam [x] familiares à quinque Episcopis (Aurelio, Alypio, Augustino, Iuodio & Possidio) ad eundem Innocentium datæ sunt literæ: in quibus, inter complura dogmatica, hæc ad historiam pertinentia inseruntur. *De Conciliis duobus provinciæ Carthaginiensis atq; Numidiæ ad tuam sanctitatem à non parvo Episcoporum numero subscriptas literas misimus contra inimicos gratiæ Christi. Audivimus enim esse in urbe Româ, ubi ille* (Pelagius) *diu vixit, nonnullos qui diversis causis ei faveant: quidam scilicèt, quia vos talia persuasisse perhibent, plures verò qui eum talia sentire non credunt; præsertim quia in Oriente, ubi degit, gesta Ecclesiastica facta esse gestantur, quibus putatur esse purgatus. ubi quidem si Episcopi eum catholicum pronunciârunt, non ob aliud factum esse credendum est, nisi quia se dixit Dei gratiam confiteri, & ait posse hominem suo labore ac voluntate justè vivere, ut ad hoc adjuvari Dei gratiâ non negaret. His enim auditis verbis, Catholici antistites nullam aliam Dei gratiam intelligere potuerunt, nisi quam in libris Dei legere & populis Dei prædicare consueverunt. Quapropter non culpandi sunt judices: quia ecclesiasticâ consuetudine nomen gratiæ audierunt; nescientes quid hujusmodi homines vel in sua doctrina libris vel in suorum solent auribus spargere. Non agitur de uno Pelagio, qui jam fortasse correctus est, (quod utinam ita sit) sed tam multis, quibus loquaciter contendentibus, & infirmas atq; inerudit as animas velut convictas trahentibus, firmas autem & in fide stabiles ipsâ contentione fatigantibus, usquequaque jam plena sunt omnia. Aut ergo à tuâ veneratione acciendus est Romam, & diligenter interrogandus, quam dicat gratiam quâ fateatur (si tamen jam fateatur) ad non peccandum justèq; vivendum homines adjuvari: aut hoc ipsum cum eo per literas agendum: & cùm inventus fuerit hanc dicere quam docet Ecclesiastica & Apostolica veritas, tunc sine ullo scrupulo Ecclesiæ, sine latibulo ambiguitatis ullius absolvendus*

[n] Ibid. epist. 94.
[x] Ibid. epist. 95.

dus est, tunc est revera de ejus purgatione gaudendum. Unde & ad ipsum scriptam ab uno nostrûm (Augustino sc.) *Epistolam, (ad quem per quendam Orientalem diaconum, civem autem Hipponensem, tanquam purgationis suæ quædam scripta transmisit) tuæ Beatitudini potiùs credimus dirigendam; melius judicantes & petentes ut eam ei mittere ipse digneris. Sic enim eam legere potiùs non dedignabitur; magis in illâ eum qui misit quàm qui scripsit attendens.*

Ad tres Africanorum antistitum epistolas per Iulium episcopum ad se perlatas, initio sequentis anni respondit Innocentius. Literæ enim [y] ad Milevitanæ Synodi patres datæ leguntur *sexto Kalendas Februarias, Honorio & Constantio* V. C. *Consulibus*: in quibus hæc adversùs hæreticos lata habetur sententia. *Pelagium Celestiumq́, id est, inventores vocum novarum (quæ, sicut dixit Apostolus, ædificationis nihilum, sed magis vanissimas consueverunt parere quæstiones) Ecclesiasticâ communione privari, Apostolici vigoris auctoritate censemus, donec resipiscant de Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur secundùm ipsius voluntatem; eosq́ interim Dominico ovili non recipi, quod ipsi perversæ viæ sequuti tramitem deserere voluerunt.* Epistola [z] ad Carthaginienſis Concilij Episcopos, [a] in vetustis monasterij Corbeiensis exemplaribus legitur *Data* VI. *Kalend. Februarij*, P. C. *Theodosij Aug.* V II. *& Iunij Quarti Palladij* V. C. altera verò [b] ad quinque Episcopos, *Data pridie Kalendas Februarias* P. C. *gloriosissimi Theodosij Aug.* V II. *& Iunij Quarti Palladij* V. C. ubi de Pelagij purgatione rescribit ista.

Nobis nec persuaderi potest eum esse purgatum, quamvis ad nos à nostris quibusdam laicis sint gesta perlata, quibus ille audirum se crederet & absolutum: quæ utrùm vera sint dubitamus, quòd sub nullâ illius prosequutione venerunt, nec eorum aliquas accepimus de hâc re literas apud quos istius rei ille præstitit causas. Quòd si de suâ ille potuisset purgatione confidere, hoc magis credimus quod egisset, quod multo verius esse poterat, ut illos cogeret epistolis suis quid judicaverunt indicare.

ANN. CCCCXVII.

[y] Innocent. epist. 25. tom. 1. Concil. & inter Augustinian. num. 93. 2. Tim. 2. 23. 26

[z] Innocent. epist. 24. tom. 1. Cõcil. inter Augustinian. num 91.

[a] Iac. Sirmõd Propemptic. lib. 2. cap. 2.

[b] Innocent. epist. 26. tom. 1. Concil. inter Augustinian. num. 96.

care. Verùm cùm sint aliqua in ipsis posita gestis, quæ objecta partim ille vitando suppressit, partim multa in se verba retorquendo totâ obscuritate confudit, aliqua magis falsis argumentis quàm verâ ratione ut ad tempus poterat videri, purgavit negando, alia falsâ interpretatione vertendo. Sed utinam quod optandum magis est, etiam se ille ad veram fidei viam ab illo sui tramitis errore convertat, ut cupiat velitq; purgari; considerans quotidianam Dei gratiam, adjutoriumq; cognoscens, ut videatur verum, & approbetur ab omnibus manifestâ ratione correctus, non gestorum judicio sed ad catholicam fidem corde converso. Unde non possumus illorum nec culpare nec approbare judicium, cùm nesciamus utrùm vera sint gesta, aut si vera sunt, illum constet magis subterfugisse, quàm se totâ veritate purgâsse. Qui si confidit novitq; non nostrâ dignum esse damnatione, quòd dicat jam totum hoc se refutare quod dixerat; non à nobis accersiri, sed ipse debet potiùs festinare ut possit absolvi. Nam si adhuc taliter sentit; quando se nostro judicio quibus vis acceptis literis, cùm sciat damnandum esse, committet? Quòd si accersendus esset; ab ijs melius fieret, qui magis proximi & non longo terrarum spatio videntur esse disjuncti. Sed non deerit cura, si medicinæ præbeat ille materiam. Potest enim damnare quæ senserat, ac datis literis erroris sui, ut regressum ad nos decet, veniam postulare.

Scripsisse Innocentium *Decretum Occidentalium Ecclesiarum & Orientalium, adversus Pelagianos datum, quod* [a] *latiùs promulgavit*, refert [c] Gennadius. Vbi Innocentij temporibus & ab Occidentalibus, & ab Orientalibus Ecclesijs rejectos fuisse istos observa. De *Occidentalibus* id ita confirmat Photius: [d] Ἐξεβλήθησαν οἱ ἕως Φερουσίνης τῆς ἐκκλησίας, ὡς αἱρετικοὶ, ἐν τοῖς χρόνοις Θεοφίλου τοῦ Ἀλεξανδρείας καὶ Ἰννοκεντίου Ῥώμης, ὑπό τε Ῥωμαίων, καὶ Ἀφρων, καὶ τῶν λοιπῶν δυτικῶν ἐπισκόπων. *Ejecti sunt qui ita senserunt ex Ecclesiâ, velut hæretici, temporibus Theophili Alexandrini & Innocentij Romani antistitis, & à Romanis & ab Afris & à reliquis Occidentalibus Episcopis, de Orientalibus*

[a] al. *Latinis.* male.
[c] Gennad. Catalog. vir. illust. cap. 43.
[d] Phot. Bibliothec. num. 54.

bus Eusebius in epistolâ, post mortem quidem Innocentij sed ante publicatũ decretum Zosimi, ad Cyrillum (patrui Theophili successorem) cõfirmat etiam Eusebius in [c] epistolâ non longè post mortem Innocentij ad Cyrillum scriptâ; adversùs Valerianum quendam servilis conditionis hominem, Pelagianam hæresim Alexandrinæ ecclesiæ invehere molientem. *Quomodo nunc*, inquit ille, *cùm beatæ memoriæ Innocentius Pelagium Celestinumq; cum suis capitibus condemnans, cunctis eos abjicientibus Orientalibus, Alexandrina Ecclesia in communionem receperit; quæ sola & prima inter comprovinciales suos tales refutare debuerat? Sed ille est pestifer, de quo sanctitudini tuæ ante annum scripseram, signifer & confœderatus eorum Valerianus ventriloquus; qui gulæ operam præbens, quicquid otiosum suæ adulationis invenerit, ibi sanctos ac fidelissimos nunciat. Sed non illum liberum putet tua beatitudo: servus est Ariminensis possessionis illustrissimi Valerij Comitis: quem, propter reverentiam tui amoris, repesendum à te, interim fieri siluimus.*

[c] Baron. an. 417. §. 15.

Hoc autem anno vitâ functus est Innocentius, IIII°. Idus Martij: qui dies memoriæ ejus in Bedæ Martyrologio rectè habetur assignatus. In libro quidem Pontificali, V°. Kalend. Augusti sepultus fuisse dicitur: eodemq; die in Romano, ut & in Vsuardi ac Rabani Martyrologio, ejus obitus est consignatus. Verùm mense Martio post Innocentium Romanæ ecclesiæ præfuisse hoc anno Zosimum, ex Paschasino Lilybetano & Prospero constare arbitror. Nam *tempore Zosimi, anno Consulatus Honorij Augusti* XI. *& Constantij* II. (id est, hocipso anno CCCCXVII.) *cùm declinaretur ne* X. *Kalendarum Maiarum die Paschæ teneretur, celebratum* fuisse VIII. *die Kalend. Aprilis* in [f] epistolâ ad Leonem I. Romanum Pontificem testatur Paschasinus. eundemq; Zosimum *anno uno, mensibus novem, diebus novem*, Romanæ Ecclesiæ episcopatum tenuisse, in Chronico author est Prosper. qui à fine sequentis anni, sive XXVI°. die Decembris (in quo & Bedæ & Romanum Martyrologium decessisse Zosimum consentiunt)

[f] inter 63. & 64. Leonis epistol. edit. Paris. ann. 1618.

retrò numerati, ad XVIII^um. Martij hujus anni nos perducunt: qui dies integrâ hebdomadâ Paschalem Dominicam à Paschasino indicatam antecedit, sex verò dierum spatio (quod sedis vacationi tribuendum) excessum Innocentij in Bedæ Martyrologio annotatum subsequitur. Vnde Baronij Chronologia corrigenda, qui g *post Innocentij obitum, interlapsis diebus viginti duobus* (ut ille appellat) *interregni, Zosimum subrogatum esse die* XIX. *mensis Augusti*; & h *sedisse annum unum, menses quatuor, & dies septem, statuit.*

g Baron. an. 417. §. 17.
h Id. an. 418. §. 75.

CAP. X.

Rerum contra Pelagium & Celestium, Zosimi & Bonifacij proximorum Innocentij successorum temporibus, gestarum Historia. Quomodo Zosimus eorum causam primò vehementer egerit, nec minùs vehementer posteà condemnaverit. Africanorum contra eos Episcoporum zelus, & frequentibus ad Zosimum missis literis, & anathematismis in duabus plenarijs Synodis adversùs nefariam hæresim promulgatis, inculenter expressus. Quibus legibus & ipsos hæresiarchas & eorum sectatores Romani Imperatores coercuerint: & quomodo funesta hæc Ecclesiæ pestis profligata tandem fuerit, atq; in toto Orbe condemnata.

ANN. CCCCXVII.

MOrtuo Innocentio, a *contra Pelagianos ad S. Paulinum Nolanum Episcopum* ab Augustino & Alypio missa est b epistola: in quâ, commemoratis literis ab Africanis præsulibus ad Innocentium pridem scriptis, de responso illius & subsecuto successu adjiciuntur ista. *Ad omnia nobis ille rescripsit eodem modo quo fas erat atq; oportebat Apostolicæ sedis antistitem. Quæ omnia modò legere poteris, si eorum fortè ad te vel nulla vel non cuncta pervenerant: ubi videbis servatâ erga hominem moderatione quæ debuit, ne damnaretur si prava damnaret,*

a Augustin. de dono Perseverant. cap. 21.
b Augustin. epist. 106.

naret, ipsum tamen novellum & pernicioſum errorem ſic Eccleſiaſticâ auctoritate compreſſum, ut multum mirentur eſſe adhuc quoſdam qui per quemlibet errorem gratiæ Dei conentur obſiſtere; ſi tamen hæc geſta didicerunt. Habenturq; ibidem *Capitula excerpta ex Geſtis habitis contra Pelagium hæreticum, & alia de libello ejus, quæ in Palæſtinâ Synodo ſibi objecta damnare compulſus eſt:* cum Proœmio etiam illo quod ab Africanis Epiſcopis adjectum fuiſſe putavit [c] Baronius, & tanquam rarum aliquod monumentum ex Creſconianâ Collectione Annalibus ſuis intexuit; & Epilogo, quem pro Synodi Dioſpolitanæ Canone per errorem amplexus eſt vir doctiſsimus, qui ſub Petri Aurelij nomine [d] ad octo cauſas reſpondit Ieſuitici Spongiæ præambulas. Pleniorem verò rerum iſtarum deſcriptionem Auguſtinus, integra Dioſpolitanæ Synodi Acta jam nactus, ſingulari ad Aurelium tractata edito explicavit. qui in Fæſulano exemplari (ex quo liber ille, quem periſſe exiſtimaverat [e] Baronius, Velſeri & Hœſchelij operâ Auguſtæ Vindelicorum in lucem poſteà eſt productus) *De geſtis Pelagij*, in Indiculo Poſsidij *Contra geſta Pelagij*, in [f] Proſpero, & ipſo [g] Auguſtino multo rectiùs, *De geſtis Palæſtinis* eſt inſcriptus. Nec ita multo pòſt [h] ab eodem Auguſtino ſcripta eſt epiſtola LVII. ad Dardanum; in quâ, ſuam *intentionem contra hæreſim Pelagianam, non expreſsè nominatam, maximè vigilaviſſe* profiterur.

[c] Baron an. 415. §. 21.

[d] Reſp. ad cauſ. 4. pag 445.

[e] Baron. an. 415 §. 20.

[f] Proſper. contra Collator. cap. 42.

[g] Auguſtin. de peccat. Originali, cap. 14.

[h] Id. Retractat. lib. 2. cap. 47.

Hoc interim ſpatio Celeſtius ex Aſiâ Romam profectus, coram novo Pontifice (quem magis ſibi benevolum expectabat quàm Innocentium expertus fuerat) ſeſe ſtitit; eiq; purgationis ſuæ libellum obtulit. ubi [i] cùm fidem ſuam à trinitate unius deitatis uſque ad reſurrectionem qualis futura eſt mortuorum, de quibus eum nullus interrogaverat, & unde ibi nulla quæſtio movebatur, quantum dicere libuit explicâſſet; ubi ad id quod agebatur ejus ſermo pervenit, *Si quæ verò*, inquit, *præter fidem quæſtiones natæ ſunt, de quibus eſſet inter pleroſq; contentio: non ego quaſi author alicujus dogmatis definitâ hoc authoritate ſtatui,*

[i] Id de peccat. Original. cap. 23.

sed ea quæ de Prophetarum & Apostolorum fonte suscepi, vestri Apostolatus offerimus probanda esse judicio; ut si fortè ut hominibus quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestrâ sententiâ corrigatur. deinde hoc quasi gradu quodam atq; aditu ad cætera facto; de pædobaptismo verba faciens, licèt [k] parvulos in remissionem peccatorum baptizari debere agnosceret, ullum tamen originale habere peccatum ore impudentissimo pernegavit. *Infantes autem,* [l] inquit, *debere baptizari in remissionem peccatorum, secundum regulam universalis Ecclesiæ & secundum Evangelij sententiam, confitemur: quia Dominus statuit regnum cælorum non nisi baptizatis posse conferri; quod quia vires naturæ non habent, conferre necesse est per gratiæ libertatem. In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes, non idcircò diximus, ut peccatum ex traduce firmare videamur, quod longè à catholico sensu alienum est: quia peccatum non cum homine nascitur, quod postmodum exercetur ab homine; quia non naturæ delictum, sed voluntatis esse demonstratur. Et illud ergo confiteri congruum, ne diversa baptismatis genera facere videamur, & hoc præmunire necessarium est, ne per mysterij occasionem ad creatoris injuriam malum, antequàm fiat ab homine, tradi dicatur homini per naturam.*

[k] Id. de gratiâ Christi, cap. 33.

[l] apud eund. de peccat. Original. cap. 5. & 6.

Hinc ad Ecclesiasticum judicium Romæ in S. Clementis basilicâ vocatus, [m] crebrâ interlocutione à Zosimo interrogatus est; utrùm Innocentij Papæ literis (quibus nuperrimè ille Episcoporum literis respondit Afrorum) consentiret, & quæ in Paulini diaconi libello (in Carthaginiensi examine ante quinquennium habito) objecta illi fuerant condemnaret. At ille, noluit quidem Diaconi objecta damnare, sed Innocentij literis non est ausus obsistere; imò se omnia, quæ sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit. [n] *Damnas ergo illa omnia*, inquit ad eum Zosimus, *quæ in libello Paulini continentur?* & cùm Paulinum ille diceret posse, ex his quæ illi objecta sunt, hæreticum approbari: presit ulterius. *Nolo nos circuitu ducas. Damnas ea omnia quæ tibi objecta à Paulino, sive per famam*

[m] Ib. cap. 7. & lib. 2. ad. Bonifac. cap. 3. 4.

[n] Paulin. diacon. in literis ad Zosimum; apud Baron. an. 418. §. 13.

famam jactata sunt? Et in alio loco. *Cognovisti quales literas dederit sedes Apostolica ad fratres & coepiscopos Africanæ provinciæ?* & adjectum. *Damnas illa omnia quæ damnavimus; & tenes quæ tenemus?* Et iterùm. *Illa omnia damnas quæ jactata sunt de nomine tuo?* Ipse respondit. *Damno, secundùm sententiam beatæ memoriæ præcessoris tui Innocentij.*

[o] Augustin. ad Bonifac lib. 2. cap. 4.

Supereſt de his geſtis epiſtola [p] Zoſimi, ad Aurelium Carthaginienſem epiſcopum & univerſos Africæ epiſcopos hoc anno, Honorio Aug. XI. & Flavio Conſtantio Coſſ. conſcripta: è quâ, quæ ad hiſtoriæ illuſtrationem faciunt, iſta excerpſimus. *Celeſtius preſbyter noſtro ſe ingeſſit examini, expetens ea, quæ de ſe Apoſtolicæ ſedi aliter quàm oportuit eſſent inculcata, purgari. Et licèt multæ occupationes majoribus vinculis Eccleſiaſticorum negotiorum curam noſtram ſolicitudinemq́ diſtraherent: tamen ne paternitatis veſtræ de adventu ac diſcuſſione prædicti diutiùs penderet expectatio, poſthabitis omnibus, die cognitionis reſedimus in ſancti Clementis baſilicâ. Omnia igitur quæ priùs fuerant acta diſcuſſimus, ſicut Geſtorum huic epiſtolæ cohærentium inſtructione diſcetis. Intromiſſo Celeſtio, libellum ejus, quem dederat fecimus recitari. Nec hoc contenti: utrùm hæc quæ ſcripſiſſet, corde loqueretur, an labijs, ſæpenumero exploravimus: cùm de oculis animorum ſolius Dei noſtri poſſit eſſe judicium; cui non tantùm cogitata, ſed cogitanda jam præſto ſunt. Quid voces ejus contineant, compendioſiùs duximus ad ſanctitatem veſtram legenda cognoſci. Unum ſanè movet nos, ut cùm in præſenti ibi Celeſtium habueritis, nihil liquidò judicatum ſit. Ad literas Erotis & Lazari priori relatione deſtinatâ, equidem hoc fervore fidei præfeſtinatum eſſe, promptiſſimum eſt. Sed cùm de his interrogaretur, aſſeruit nullum ſibi de talibus contentionibus unquam cum antedictis fuiſſe ſermonem, nec antè ſibi quàm de ſe ſcriberent, viſu fuiſſe compertos: Lazarum ſanè in tranſitu cognitum; Erotem verò etiam ſatisfactione interpoſitâ, quòd ſecùs de ignoto & abſente ſenſiſſet, cum gratiâ receſſiſſe. Unde in præſenti cauſa nihil præ-*

[p] Zoſim. epiſt. 3. tom 1. Concil. pag. 606.

cox

cox immaturumque censuimus, sed innotescere sanctitati vestræ super absolutâ Cœlestij fide nostrum examen: cui etiam prior libellus ab eo intra Africam testimonio apud nos esse debuisset, ne inexploratis, famaq; jactantibus tam facilè crederetur. Quare intra secundum mensem aut veniant qui præsentem redarguant aliter sentire, quàm libellis & confessione contexuit; aut nihil (post hæc tam aperta & manifesta quæ protulit) dubijs sanctitas vestra resedisse cognoscat.

Errorem, à Zosimo in causâ Cœlestij tractandâ hìc cõmissum, quâ arte potuit, obducere conatus est Augustinus. [q] *Multùm misericors antistes,* inquit, *ubi eum vidit ferri tantâ præsumptione præcipitem; tanquam futentem, donec (si posset fieri) resipisceret, maluit eum sensim suis interrogationibus & illius responsionibus colligare, quàm districtâ feriendo sententiâ in illud abruptum, quò jam propendere videbatur, impellere.* [r] *Atq; ita velut phreneticus, ut requiesceret, tanquam leniter fotus; à vinculis tamen excommunicationis nondum est creditus esse solvendus: sed interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africâ, resipiscendi ei locus sub quâdam medicinali sententiæ lenitate concessus est.* De libello verò illius [s] *Romæ* tùm *edito & Gestis ibi Ecclesiasticis allegato*, in quo sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci apertissimè asserit, ita judicium Pontificis defendi potuisse putavit acutissimus Pater. [t] *Cum hoc Cœlestius in suo libello posuisset, inter illa duntaxat, de quibus se adhuc dubitare & instrui velle confessus est; in homine acerrimi ingenij, qui profectò si corrigeretur plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus Catholicus dictus est; quia & hoc Catholicæ mentis est, si qua fortè aliter sapit quàm veritas exigit, non eâ certissimè definire, sed detecta ac demonstrata respuere.*

Verùm sudare hîc magnum antistitem, quò strumam Zosimi ἀιβάφῳ vestiat & occultet, jampridem à doctissimo [u] Vossio est ostensum. Faviſſe enim reverâ illum non Cœlestio solùm sed ipsi etiam Pelagio, ut hominibus Catholicis, & qui nunquàm à verâ fide descivissent; ex proximis

[q] Augustin. de peccat. Originali cap. 6.

[r] Ibid. cap. 7.

[s] Ibid. cap. 5. 6.

[t] Id. ad Bonifac. lib. 2. cap. 3

[u] Voss. Histor. Pelagian. lib. 1. cap. 18.

proximis ad Africanos literis ita clarè elucet, ut in dubium res vocari omninò non possit.

Mox enim post missas illas ad Africanos priores, Zosimo sunt traditæ Praylij Hierosolymitani episcopi literæ; unâ cum Pelagij epistolâ Apologeticâ & libello Fidei: quæ [x] Innocentio Papæ directa fuerant, quem illi defunctum esse nesciebant. In istâ epistolâ dixit Pelagius esse, *de quibus eius hominem infamare conantur; Unum, quòd neget parvulis baptismi sacramentum, & absq; redemptione Christi aliquibus regna cælorum promittat: Aliud, quòd ita dicat posse hominem vitare peccatum, ut Dei excludat auxilium, & in tantum libero confidat arbitrio, ut gratia repudiet adjutorium.* De priore respondit; [y] *nunquam se vel impium aliquem hæreticum audisse, qui hoc de parvulis diceret. Quis enim*, inquit, *ita Evangelicæ lectionis ignarus est, qui hoc non modo affirmare conetur, sed qui vel leviter dicere, aut etiam sentire possit? Deinde quis tam impius, qui parvulos exortes regni cælorum esse velit, dum eos baptizari & in Christo renasci putat? & in perpetuam certamq; vitam renasci vetet eum, qui natus sit ad incertam?*

[x] *Augustin. de gratiâ Christi, cap. 30. & de peccat. Originali cap. 17.*

[y] *Ibid. de peccat. Original. cap. 18. 19. 20.*

De posteriore; [z] post invidiosas de suis inimicis querelas, ita locutus est. *Ecce ad Beatitudinem tuam Epistola ista me purget; in quâ purè atq; simpliciter ad peccandum & ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus divino semper adjuvatur auxilio. Quam liberi arbitrij potestatem dicimus in omnibus esse generaliter; in Christianis, Iudeis atq; Gentilibus. In omnibus est liberum arbitrium æqualiter per naturam; sed in solis Christianis juvatur à gratiâ. In illis nudũ & inerme est conditionis bonum: in his verò qui ad Christum pertinent, Christi munitur auxilio. Illi ideò judicandi atq; damnandi sunt, quia cùm habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire possent, & Dei gratiam promereri, malè utuntur libertate concessâ: hi verò remunerandi sunt, qui bene libero utentes arbitrio merentur Domini gratiam, & ejus mandata custodiunt.* Tùm adjutorij gratiæ à se asserti testes [a] li-

[z] *Id. de gratiâ Christi, cap. 31.*

[a] *Ibid. cap. 34. 36.*

bros suos producit; atq; in ijs Epistolam *ad sanctum Constantium episcopum, ubi breviter quidem, sed planè, libero hominis arbitrio Dei gratiam auxilium q; conjunxisse* se affirmat. Extat verò adhuc integer [b] *Libellus fidei Pelagij ad Innocentium cum Epistolâ transmissus*: catholicæ professionis fuco ita obductus, ut nomine & [c] *Augustini* (qui dolos illius [d] ipse detexit) & [e] *Hieronymi* (quem, tacito nomine, * libellus iste ut *blasphemum execratur*) superioribus seculis passim venditatus fuerit.

[b] Tom. 1. Concil. pag. 606. edit. Colon. an. 1606.
[c] Tom. 10. Augustin. serm. 191. de Tempore.
[d] Augustin. de gratiâ Christi, cap. 32, 33.
[e] *Symboli explanatio ad Damasum*; tomo 4. Oper. Hieronym. edit Erasmi, tomo 9. Victorij. Item in Caroli M. Capitular. de imaginib. lib. 3. cap. 1.
* Vide nostrâ Pelagianæ Historiæ Continuation. in fin. cap. 1.

Istâ Pelagij scripta ad Aurelium & reliquos Africæ Episcopos mittenda curavit Zosimus, unà cum [f] literis suis, datis XI. Kalend. Octobris: quarum hoc initium. *Postquàm à nobis Celestius presbyter auditus est, & quid de fide sentiret evidenter expressit; eadem quoq; quæ in libello contulerat, repetitis crebrò professionibus, roboravit: de ejus nomine plenius ad dilectionem vestram scripta direximus. Ecce Epistolam Hierosolymitani Episcopi Praylij, qui in locum quondam sancti Iohannis Episcopus est ordinatus, accepimus; qui causæ Pelagij enixiùs adstipulatur intervenit. Literas quoq; suas idem Pelagius purgationem continentes, abundantissimè misit: quibus & professionis suæ fidem, quid sequeretur, quidve damnaret, sine aliquo fuco, ut cessarent totius interpretationis insidiæ, cumulavit. Harum recitatio publica fuit: omnia quidem paria, & eodem sensu sententijsq; formata, quæ Celestius antè protulerat, continebant. Utinam ullus vestrum, dilectissimi fratres, recitationi literarum interesse potuisset. Quod sanctorum virorum, qui aderant, gaudium fuit? Qua admiratio singulorum? Vix fletu quidam se & lachrymis temperabant. Tales etiam absolutæ fidei infamari potuisse? Estné ullus locus, in quo Dei gratia vel adjutorium prætermissum sit?*

[f] Zosim. epist. 4. tom. 1. concil. pag. 607.

Deinde in Erotem & Lazarum, Pelagij accusatores, acerbiùs & vehementiùs invectus; *Mirum est*, inquit, *si isti* * *laicum virum, ad bonam frugem longâ erga Deum servitute nitentem, falsis literis percellere noluerunt; qui in fratres & coëpiscopos tanta machinati sunt, qui tot tempesta-*

* *Pelagium.* Vid. supr. pag.

tes Ecclesiæ reddiderunt. Non decet Episcopalem auctoritatem, & præcipuè prudentiam vestram, ad levium susurronum scripta pendere. Ecce Pelagius Cælestiusq; Apostolicæ sedi in literis suis & confessionibus suis præsto sunt. Ubi Eros? ubi Lazarus? erubescenda factis & damnationibus nomina? Ubi illi adolescentes Timasius & Iacobus? tandemq; totam epistolam hoc claudit Epilogo. *Si Deo nostro cordi fuit, propter oves perditas, Verbum carnem fieri, & ex Domino formam servientis induere, ut diu interceptam redderet libertatem: sit vobis gaudium, eos, quos falsi * judices criminabantur, agnoscere à nostro corpore & Catholicâ veritate numquam fuisse divulsos. Certè hoc quod nostra expectatio desiderabat, eluxit; ut damnanda damnarent, & sequenda sequerentur. Si paterfamilias reditu filij gratulabatur, qui mortuus fuerat & revixit, perierat & inventus est; & jubet in usum ejus stolam mundam, hoc est, insigne candida mentis afferri & vitulum laginatum: quantum hæc uberior exultatio est fidei, non mortuos esse nec periisse de quibus falsa vulgata sunt? Misimus igitur ad dilectionem vestram exemplaria scripturarum, quas Pelagius misit: quarum lectionem non ambigimus parem vobis in Domino de absolutâ ejus fide esse latitiam.*

* *indices* Eros sc. & Lazarus. *Voss.*

Luc. 15. 23. 24.

In quibus literis observare liceat, § *Zosimum, contra S. Innocentij decessoris sui sententiam, fidem ipsius Pelagij ejusq; complicis Cælestij (quem in Ecclesiâ Carthaginiensi convictum, atq; appellantem Apostolicam sedem, & ipse gestis discusserat) tanquam veram & catholicam laudantem; insuper etiam Africanos culpantem Episcopos, quòd ab illis hæretici crederentur: cùm, necdum ipsi Africanis Episcopis dolos eorum multo manifestiùs detegentibus, memoratos Pelagium & Cælestium putaret orthodoxos.* quemadmodum his ipsis verbis à Facundo Hermianensi episcopo est notatum: qui in hoc tamen eum excusandum putavit; *quoniam non debet crimini deputari simplicium; non intellecta versutia malignorum.* Neq; istos solum, sed etiam Iulianum, tertium illius sectæ antesignanum, in Romani Pontificis gratiam se insinuare

§ Facund. lib. 7 cap. 3.

conatum fuisse, duæ illæ Epistolæ fidē fecerint, quas se [h] *ad Zosimum super his quæstionibus destinavisse*, libro primo posterioris adversus Augustinum Responsionis testatur ipse.

Ex [i] *tot & tantis* in Celestij causâ inter Zosimum & *Afros episcopos currentibus & recurrentibus scriptis Ecclesiasticis*, Africanorum patrum nihil ferè adhuc supereſt: [k] *Ex Africano episcoporum Concilio rescripta illa directa* fuisse, docet Augustinus. Carthaginem verò in autumno hujus anni, convenisse patres illos ex Zosimi rescripto colligo; quod post solutam Synodum, *Aurelio* ac cæteris qui in Concilio Carthaginiensi affuerunt, sequentis veris initio est transmissum. Ex eo, non unas literas à Concilio illo ad Zosimum scriptas fuisse apparet; & postremarum latorem fuisse Carthaginiensis ecclesiæ subdiaconum Marcellinum; per quem & Paulinus, ejusdem ecclesiæ diaconus, (Romam ad prosequendam adversus Celestium accusationem accersitus) libellum suum Zosimo direxisse dicit, *datum sexto Idus Novembris*. In eo libello, quæ ad hanc causam potissimùm faciunt, ista sunt.

[h] apud Augustin. imperfecti adversus Iulianum Operis lib. 1. cap. 17.

[i] Augustin. ad Bonifac. lib. 2. cap. 3.

[k] Id. de peccat. Original. cap. 7.

[l] Baron. an. 418 §. 14. 15.

[l] *Ego Deo & Christo Domino gratias ago, qui Ecclesiæ suæ causam ita agi voluit, ut sedes Apostolica, à quâ oportuit ore duorum Pontificum hæresim condemnari, ea damnanda præcepit, quæ à me Celestiò fuerant objecta; cujus ego non damnationem, sed correctionem semper optavi & opto: cui nunc jam non mecum, sed cum universâ Dei Ecclesiâ causa est, sicut data ad beatitudinem tuam scripta testantur. Unde oro beatum Apostolatum tuum, ut hunc meum libellum suscipi jubeas, quo gratias referam tantæ sedi, & sententijs justissimis pro parte meâ latis: quem idcircò direxi, quia me licèt sermone Basiliscus subdiaconus à tuâ beatitudine cum Gestis sedis Apostolicæ directis, Carthagine convenit quarto Non. Novemb. die, ut adessem ad Apostolicam sedem, & tuæ judicio sanctitatis: ad quam me fugisse, suggestum est, ne defuturum fore, promittere, si adversùm me & non pro me fuisset lata sententia. Ubi tunc igitur nihil agere potui, quia is qui ad sedem Apostolicam provocaverat, defuit, quem oportuerat utique merita*

merita suæ appellationis adstruere; maximè cum nihil agente appellatore, secundùm etiam humanas leges, superior est semper ille qui vicit. Quid enim jam meâ intererat, ut etiam apud vestram reverentiam pravæ ejus doctrinæ adstipulator existeret, de quo congaudere possem, si damnatis his quæ illi à me objecta fuerant, sic ea per Apostolicæ sedis judicium roborari, meruisset absolvi, nec priùs se ordinari quàm purgari pateretur? Sed vulpeculæ fraudibus fuit semper studens, ingenium suum mutare nescit. Non se credidit posse deprehendi; quoniam confidentiam semper in foveis habuit, in quibus demersum caput conscientiæ suæ nititur occultare. Quod jam diutiùs latere non potuit; sed manifestiùs publicatum, spirituali per tuam beatitudinem gladio resecatur, ne amplius ferinis dentibus grex Domini secetur in partes, quem pastor bonus solicitâ & pervigili cautelâ custodis.

ANN. CCCCXVIII.

Sequitur jam Pelagianæ hæresi funestus ille annus, Honorij XII. & Theodosij VIII. Consulatu signatus: ad quem in Chronico suo Prosper. *Hoc tempore* * *Constantius servus Christi ex Vicario Romæ habitans, & pro gratiâ Dei devotissimè Pelagianis resistens, factione eorundem multæ pertulit, quæ illum sanctis Confessoribus sociaverunt. Concilio apud Carthaginem habito* CCXIIII. *Episcoporum, ad Papam Zosimum Synodalia decreta perlata sunt: quibus probatis pertotum mundum hæresis Pelagiana damnata est.* Sed ante proscriptam in plenario hoc Africæ Concilio Pelagianam hæresim, ad Episcopos qui superiori autumno in provinciali Concilio Carthaginiensi adfuerunt, de Cælestij causâ à Zosimo scripta est Epistola: in cujus parte posteriore (percepto jam errore factus moderatior) multo quàm antè placidiùs eos sic est allocutus.

* Martyrolog. Roman. die 30 Novembr.

* Zosim. epist. 10 tom. 1. Concil. pag. 611.

Pariter vobiscum voluimus habere tractatum de illo qui apud vos (sicut ipsi per literas dicitis) fuerit accusatus, & ad nostram (qui se assereret innocentem, non refugiens judicium ex appellatione pristinâ) venerit sedem, accusatores suos ultrò deposcens, & quæ in se crimina per rumorem falsò dicebat illata condemnans: omnem ejus petitionem prioribus literis, quas:

vobis misimus, putavimus ac novimus explicatam; satisq; illis scriptis, quæ ad illa rescripseratis, credimus esse responsum. Sed pòst, missa per Marcellinum subdiaconum vestrum epistola omne volumen volvimus: quo aliquando perlecto, ita totum literarum comprehendistis textum; quasi nos Cœlestio commodaverimus in omnibus fidem, verbisq; ejus non discussis, ad omnem (ut ita dicam) syllabam præbuerimus assensum. Numquam temerè, quæ sunt diu tractanda, sinuntur; nec sine magnâ deliberatione statuendum est, quod summo debet disceptari judicio. Idcircò noverit vestra fraternitas, nihil nos post illas quas superiùs vel literas vestras accepimus, immutâsse, sed in eodem cuncta reliquisse statu, in quo dudùm fuerant, cùm hoc nostris literis vestræ indicavimus sanctitati, ut illa quæ à vobis ad nos missa erat obtestatio, remaneret.

Datæ quidem notantur hæ literæ XII. Kalend. April. sed *acceptæ* III. Kalend. Mai. Honorio Aug. XII. Consule. Interea verò Patres Carthaginienses, qui ex omnibus Africæ provincijs convenerant, minimè hîc cunctandum rati, adversùs Pelagium & Cœlestium Constitutiones ediderunt: quibus & Synodalem ad Zosimum [n] præfixerunt Epistolam, in quâ cõtra hæresiarchas liberâ hanc & claram protulerunt sententiam. *Constituimus in Pelagium atq; Cœlestium per venerabilem Episcopum Innocentium de beatissimi Apostoli Petri sede prælatam manere sententiam: donec apertissimâ confessione fateantur, gratiâ Dei per Iesum Christum Dominum nostrum non solùm ad cognoscendam veritatem, ad faciendam justitiam nos per actus singulos adjuvari; ita ut sine illâ nihil vera sanctaq; pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.* Atq; hujusmodi fuit, non ab ipso quidem Zosimo (ut μνημονικῷ ἁμαρτήματι à [o] Baronio alicubi citatam invenimus) sed ad Zosimum edita *ducentorum quatuordecim sacerdotum Constitutio contra inimicos gratiæ Dei*; *quam*, ut [p] Prosper ait, *totus mundus amplexus est.*

Speciatim verò [q] de Cœlestio rescripserunt Africani antistites; *non sufficere hominibus tardioribus & solicitioribus, quòd se generaliter Innocentij Episcopi literis consentire fatebatur,*

[n] Prosper, contra Collator. cap. 20.

[o] Baron. ann. 416. §. 14.

[p] Prosp. Respont. ad Capitul. 8. Gallorũ.

[q] Augustin. ad Bonifac. lib. 2. cap. 3.

batur, sed apertè eum debere anathematizare quæ in suo libello prava posuerat: ne, si id non fecisset, multi parùm intelligentes, magis in libello ejus illa fidei venena à sede Apostolicâ crederent approbata, propterea quòd ab illâ dictum erat, eum libellum esse Catholicum; quàm emendata, propter illud quòd se Papæ Innocentij literis consentire ipse responderat. Quæ Romam literæ postquàm venerunt, *cùm ejus præsentia posceretur, ut certis ac dilucidis responsionibus vel astutia hominis vel correctio diluceseeret, & nulli ambiguæ remaneret; se subtraxit & negavit examini,* [r] *ne secundùm Africana rescripta ipsa omninò verba commemorare & anathematizare, quæ in libello suo posuit, cogeretur.*

[r] Ibid. cap. 4.

Acceptis Carthaginiensis Synodi gestis (ut ex vetustissimo Thuanæ Bibliothecæ Codice ostendit doctissimus [f] Salmasius) ab Honorio & Theodosio Augustis contra Pelagium & Cœlestium lex est edita: quam cum Edicto suo (ut moris erat) tres Præfecti Prætorio per singulas præfecturarum suarum diœceses promulgârunt. Eorum primus *Iunius Quartus Palladius* (Italiæ præfectus) ante biennium, secundus *Monaxius* (præfectus Oriêtis) anno sequente, tertius *Agricola* (Galliarum præfectus) anno post eum altero, Consulatum gessit ordinarium. Lex illa à [t] Magdeburgensibus historicis in lucem primùm est producta: quam, ex [u] Atrebatensis & alterius illius è Thuanâ Bibliothecâ exemplaris collatione paulo emendatiorem redditam, hoc etiam in loco conspiciendam exhibemus.

[f] Salmas. Eucharistic. de Ecclesijs suburbicar. pag. 388.

[t] Cent. 5. cap. 9. col. 847. 848.

[u] Baron. ann. 418. §. 19. 20.

Sacrum Rescriptum, acceptis Synodi Gestis datum.

Impe-

Imperatores Honorius & Theodosius Augusti, Palladio Præfecto Prætorij.

„ AD conturbandam Catholicæ simplicitatis
„ lucem, puro semper splendore radiantem,
„ dolosæ artis ingenio novam subitò emicuisse
„ versutiam, pervulgatâ opinione cognovimus:
„ quæ fallacis scientiæ obumbrata mendacijs, & fu-
„ rioso tantùm debacchata luctamine, stabilem
„ quietem cœlestis conatur attrectare fidei; dum
„ novi acuminis commendata vento, insignem no-
„ tam plebeiæ æstimat vilitatis, sentire cum cun-
„ ctis, ac prudentiæ singularis palmam fore, com-
„ muniter approbata destruere. Cujus impiæ com-
„ mentationis authores Pelagium Celestiumque
„ percrebuit extitisse. Hi parenti cunctarum rerum
„ Deo, præcipuæq; semper majestatis, interminа-
„ tione potenti omne ultra principium transeunti,
„ tam truculentiam inclementiam sævæ voluntatis assi-
„ gnant, ut cùm formandi mundi opificem curam
„ sumeret, qualitatemq; hominis struendi profun-
„ dâ spiritûs conceptione libraret, fundati muneris
„ finem anteferret exordio, & mortem præmitteret
„ nascituro; non hanc insidijs vetiti fluxisse peccati,
„ sed egisse penitùs legem immutabilis constituti:
„ ad declinandum leti exitialis incursum nihil pro-
„ desse abstinentiam delinquendi, cujus ita vis pu-
„ taretur adstricta, ut non possit aboleri deinceps.
„ Primitivi hominis errorem, in quem captæ men-

tis

» tis inops rationis cæcitas irruisset, delapsum ad
» posteros non fuisse; tantumq; apud eum, quem
» malesuadæ gratiæ infelix rapuisset illecebra,
» transgressionem interdicti extitisse discriminis:
» cùm evidens Catholicæ legis omnifaria testetur
» authoritas, illum interitûs omnium fuisse vesti-
» bulum, quem divinæ præceptionis sedulum li-
» queat corrupisse mandatum. Aliaq; quamplu-
» rima, quæ sermo respuit, lex refutat; quæ per-
» exosum sit recordari, etiam sub dispositione ple-
» ctendi. quæ maturato remedio & celeritate festi-
» nâ oportet intercipi; ne corroborato usu nequi-
» tiæ adolescentes vix valeant coërceri. Siquidem
» aures mansuetudinis nostræ recens fama per-
» strinxerat, intra sacratissimam Vrbem nostram
» aliaq; loca, ita pestiferum virus quorûdam inole-
» visse pectoribus, ut interrupto directæ credulita-
» tis tramite, scissis in partes studijs asserendi, ma-
» teria impacatæ dissensionis inducta sit; novoq;
» scandali fomite concitato, beatissimæ Ecclesiæ
» acta mutet & attentata tranquillitas (alijs iter
» aliud ancipiti interpretatione sectantibus) & ab-
» soluta sanctorum apicum claritas, ac dilucidè
» quod sequi universitas debeat explanans, (pro
» captu versipellis ingenij profanam novorum au-
» thorum moventibus quæstionem) Palladi pa-
» rens carissime atq; amantissime.

» Ob quam rem illustris authoritas tua, victurâ
» in omne ævum lege, nos statuisse cognoscat, ut
» pulsis ex Vrbe primitùs capitibus dogmatis exe-
» crandi, Celestio atq; Pelagio; si qui hujus de

» cœtero ſacrilegij ſectatores quibuſcumq; locis
» potuerint reperiri, aut de pravitate damnatâ ali-
» quem rurſùs proferre ſermonem: à quocũq; cor-
» repti, ad cõpetentem Iudicẽ pertrahantur; quos,
» ſive clericus ſive laicus fuerit, deferendi habeat
» poteſtatem, & ſine præſcriptione aliquâ perurgẽ-
» di, quos relictâ communis ſcientiæ luce novæ di-
» ſputationis tenebras introferre deprehenderit;
» contra Apoſtolicam ſcilicèt diſciplinam Euan-
» gelicamq; claram & ſine errore ſententiam, vafrâ
» rudis ſectæ calliditate pugnantes, involventeſq;
» ſplendentem fidem veri, ambagibus differendo.
» Hos ergo repertos ubicumque de hoc tam nefan-
» do ſcelere conferentes, à quibuſcumque jubemus
» corripi, deductoſq; ad audientiam publicam, pro-
» miſcuè ab omnibus accuſari; ita ut probationem
» convicti criminis ſtylus publicus inſequatur, ipſis
» inexorati exilij deportatione damnatis. Decet
» enim originem vitij à conventu publico ſeque-
» ſtrari; nec in communi eos celebritate conſiſtere,
» qui non ſolùm facto nefario deteſtandi, verum-
» etiam exemplo venenati ſpiritus ſunt cavendi.
» Iuvat autem per omnem penè mundum, quâ Im-
» perium noſtrum extenditur, hujuſmodi promul-
» gata diffundi: ne ſcientiæ fortaſsè diſſimulatio
» paſtum præſtet errori; atq; impunè ſe quiſq; pu-
» tet audire, quod condemnatum vigore publico
» ſeſe finxerit ignorare. Datum pridie Kalendas
» Maias, Ravennæ, DD. NN. Honorio XII. &
» Theodoſio VIII. Auguſtis Conſulibus.

Exemplar

Exemplar Edicti propositi à Palladio Præfecto Prætorio.

[1] Magdeburgēs. Centur. 5. col. 849. Salmas. Eucharistic. de Eccles. suburbicar. pag. 291. 292. Baron. ann. 420. §. 4. loco non suo.

„ Iunius Quartus Palladius, Monaxius & Agri-
„ cola, iterùm Præfecti Prætorio, edixerunt.

„ IN Pelagium atq; Celestium, Catholici dog-
„ matis fidem scævis tractatibus destruentes, sen-
„ tentia Principalis invaluit, ut venerabili Vrbe sub
„ moti bonorum concilio mulctarentur. Hoc igi-
„ tur omnes admoneri oportet edicto, ne quis simi-
„ stræ persuasionis erroribus credulum præstet as-
„ sensum. Et si sit ille plebeius, ac clericus, qui in
„ caliginis hujus obscœna recideris; à quocunq;
„ tractus ad Iudicem, sine accusatricis discretione
„ personæ, facultatum publicatione nudatus, irre-
„ vocabile patietur exilium. Nam superna Maje-
„ stas, ut colligit ex secreti ignoratione reveren-
„ tiam, ita ex ineptâ disputatione injuriam.

Proximo post datam Imperatoriam sanctionem die, ejus adhuc insci CCXIIII. illi patres, qui ex omnibus Africæ provincijs Carthaginem convenerunt, octo anathematismis Pelagij & Celestij hæresim perculerunt: quorum primi duo peccatum originale spectant, tres intermedij necessitatem gratiæ, postremi totidem justitiæ inhærentis imperfectionem. Eos quoq; licèt notos atq; apud omnes pervulgatos, velut trophæum de Pelagianâ perfidiâ cōstitutum, Lectorum oculis visum est subjicere.

Concilium contra hæresim Pelagij & Celestij.

„ Glorioſissimis Imperatoribus Honorio XII. &
„ Theodosio VIII. Consulib. Kalendis Maijs,

„ Carthagine in secretario basilicæ Fausti, cùm „ Aurelius episcopus in Vniversali Concilio con„ sedisset, adstantibus Diaconis: placuit omnibus „ Episcopis, quorum nomina & subscriptiones in„ ditæ sunt, in sanctâ Synodo Carthaginiensis Ec„ clesiæ constitutis;

I.

„ Vt quicunq; dixerit, Adam primum hominem „ mortalem factum, ita ut sive peccaret sive non „ peccaret moreretur in corpore (hoc est, de cor„ pore exiret, non peccati merito sed necessitate „ naturæ) anathema sit.

II.

„ Item placuit, ut quicunq; parvulos recentes „ ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in „ remissionem quidem peccatorum eos baptizari, „ sed nihil ex Adam trahere originalis peccati „ quod lavacro regenerationis expietur (unde sit „ consequens, ut in eis forma baptismatis in remis„ sionem peccatorum non vera, sed falsa intelliga„ tur) anathema sit. Quoniam non aliter intelli„ gendum est, quod ait Apostolus; *Per unum homi*Rom. 5. 12. „ *nem peccatum intravit in mundum, & per peccatum* „ *mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo om*„ *nes peccaverunt:* nisi quemadmodum Ecclesia Ca„ tholica ubiq; diffusa semper intellexit. Propter „ hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nihil „ peccatorum in semetipsis adhuc committere po„ tuerunt, ideò in peccatorum remissionem veraci-

ter

ter baptizantur; ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

III.

Item placuit, ut quicunq; dixerit gratiam Dei, quâ justificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium ut non committantur; anathema sit.

IIII.

Item quisquis dixerit, eandem gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantùm nos adjuvare ad non peccandum quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mãdatorum, ut sciamus quid appetere & quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atq; valeamus; anathema sit. Cùm enim dicat Apostolus; *Scientia inflat, charitas verò ædificat*; valdè impium est, ut credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Christi, & ad eam quæ ædificat non habere: cùm sit utrumq; donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus; ut ædificante charitate scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est; *Qui docet hominem scientiam*: ita etiam scriptum est; *Charitas ex Deo est*. 1. Cor. 8. 1. Psal. 94 (al. 93.) 10. 1. Iohan. 4. 7.

VI V

Item placuit, ut quicunque dixerit ideò nobis

„gratiam justificationis dari, ut quod facere per li-
„berum jubemur arbitrium, facilius possimus im-
„plere per gratiam; tanquam etsi gratia non dare-
„tur, non quidem facilè, sed tamen possimus
„etiam sine illâ implere divina mandata; ana-
„thema sit. De fructibus enim mandatorum Do-
„minus loquebatur: ubi non ait, Sine me diffi-
Iohan. 15. 5. „ciliùs potestis facere; sed ait, *Sine me nihil potestis*
„*facere*.

VI.

„Item placuit, quod ait sanctus Iohannes Apo-
1. Ioh. 1. 8. „stolus, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos*
„*ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*; quisquis
„sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter hu-
„militatem * non oportere dici nos non habere
* *sive, oportere dici nos habere peccatum.* „peccatum, non quia verè ita est; anathema sit. Se-
„quitur enim Apostolus, & adjungit: *Si autem con-*
1. Ioh. 1. 9. „*fessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & justus, qui*
„*remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniqui-*
„*tate*. Vbi satis apparet, hoc non tantùm humili-
„ter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apo-
„stolus dicere; Si dixerimus, quia non habemus
„peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in
„nobis non est: sed cùm ait, *Nos ipsos decipimus, &*
„*veritas in nobis non est*; satis ostendit, eum, qui dix-
„erit se non habere peccatum, non verum loqui,
„sed falsum.

VII.

„Item placuit, ut quicunq; dixerit in Oratione
Dominicâ

» Dominicâ ideò dicere sanctos, *Dimitte nobis de-*
» *bita nostra*, ut non pro seipsis hoc dicant, quia non Matth. 6. 12.
» est eis jam necessaria ista petitio, sed pro alijs qui
» sunt in suo populo peccatores; & ideò non dicere
» unumquemque sanctorum, Dimitte mihi debita
» mea, sed, *Dimitte nobis debita nostra*, ut hoc pro
» alijs potiùs quàm pro se justus petere intelliga-
» tur; anathema sit. Sanctus enim & justus erat A- Iacob. 3. 2.
» postolus Iacobus, cùm dicebat: *In multis enim of-*
» *fendimus omnes.* Nam quare additum est, *Omnes?*
» nisi ut ista sententia conveniret & Psalmo, ubi le- Psalm. 143. (al.
» gitur; *Non intres in judicium cum servo tuo, quoniam* 142.) 2.
» *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, &
» in oratione sapientissimi Salomonis: *Non est ho-* 3. Reg. 8. 46.
» *mo, qui non peccet.* & in libro Iob: *In manu omnis* Iob. 37. 7.
» *hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem*
» *suam.* Vnde etiam Daniel sanctus & justus cùm Dan. 9. 5.
» in oratione pluraliter diceret; *Peccavimus, iniqui-*
» *tatem fecimus*, & cætera, quæ ibi veraciter & humi-
» liter confitetur; ne putaretur, (quemadmodum
» quidam sentiunt) hæc non de suis, sed de populi
» sui potiùs dixisse peccatis, postea dixit; *Cùm ora-* Dan. 9. 20.
» *rem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei*
» *Domino Deo meo.* Noluit dicere, Peccata nostra,
» sed populi sui dixit, & sua: quia futuros istos, qui
» tam malè intelligunt tanquam Propheta, prævi-
» dit.

VIII.

» Item placuit, ut quicunque ipsa verba Domini-
» cæ Orationis, ubi dicimus, *Dimitte nobis debita no-*
stra,

„ſtra, ita volunt à ſanctis dici, ut humiliter non ve-
„raciter hoc dicatur; anathema ſit. Quis enim fe-
„rat orantem, & non hominibus ſed ipſi Domino
„mentientem? qui labijs ſibi dicit dimitti velle, &
„corde dicit, quæ ſibi dimittantur, debita non ha-
„bere.

Atq; ita tandem Pelagius & Celeſtius, ut ad Optatum hoc tempore ſcripſit y Auguſtinus, *Conciliorum epiſcopalium vigilantiâ, in adjutorio Salvatoris qui ſuam tuetur Eccleſiam, & à duobus venerabilibus antiſtitibus Apoſtolicæ ſedis Papâ Innocentio & Papâ Zoſimo, niſi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Chriſtiano orbe damnati ſunt.* Cui addendum & illud z Poſsidij de *Pelagianiſtis*, ut appellat. *Quoniam ijdem perverſi ſedi Apoſtolicæ per ſuam ambitionem eandem perfidiam perſuadere conabantur; inſtantiſſimè etiam Conciliis Africanis ſanctorum epiſcoporum geſtum eſt, ut ſancto Papæ urbis Romæ, & priùs venerabili Innocentio & poſteà ſancto Zoſimo ejus ſucceſſori, perſuaderetur quàm illa ſecta catholicâ fide & abominanda & damnanda fuiſſet. At illi tantæ ſedis antiſtites, ſuis diverſis temporibus eoſdem notantes atq; à membris Eccleſiæ præcidentes; datis literis ad Africanas, Orientis & Occidentis eccleſias, eos anathematizandos & devitandos ab omnibus catholicis cenſuerunt.*

Nam à Zoſimo quoq; jam prolata eſt in hæreſiarchas ſententia: a *duobus iſtis, Pelagio ſcilicet & Celeſtio, aut in locum pœnitentiæ redactis, aut ſi id recuſaverint omninò damnatis.* Vnde de Zoſimo Proſper, in libro contra Caſsianum. b *Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zoſimus ſententiæ ſuæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armavit antiſtitum,* & de Pelagio Auguſtinus, in libro de Peccato Originali ad Albinam, Pinianum atq; Melaniam. c *Fefellit judicium Palæſtinum: propterea ibi videtur eſſe purgatus.*

Romanam

y Auguſtin. epiſt. 157.

z Poſsid. de Vitâ Auguſtini, cap. 18.

a Auguſtin. de peccat. Originali. cap. 22.

b Proſper. contra Collator. cap. 41.

c Auguſtin. de peccat. Originali. cap. 3.

Romanam verò Ecclesiam, ubi eum esse notissimum scitis, fallere usquequaque non potuit: quamvis & hoc fuerit utcumque conatus; sed, ut dixi, minimè valuit. Recoluit enim beatissimus Papa Zosimus, quid imitandus prædecessor ejus de ipsis senserit [a] *Gestis. Attendit etiam quid de illo sentiret prædicanda in Domino Romanorum fides, quorum adversùs ejus errorem pro veritate catholicâ studia consonantia concorditer flagrare cernebat; inter quos diu ille vixerat, & quos ejus dogmata latere non poterant; qui Cœlestium ejus esse discipulum sic noverant, & ut fidelissimum & firmissimum possent de hâc re testimonium perhibere.* & iterum. [d] *Visus est ad tempus aliquid dicere quod fidei catholicæ conveniret: sed illam sedem usque in finem fallere non prævaluit. Post rescripta quippe Africani Concilij (in quam provinciam quidem doctrina illa pestifera serpendo pervenerat, sed eam non tam latè occupaverat alteq; pervaserat) alia quoq; ipsius in urbe Româ (ubi diutissimè vixerat, atq; in hâ fuerat priùs sermonibus contentionibusq; versatus) curâ fidelium fratrum prolata patuerunt: quæ literis suis quas conscripsit per orbem catholicum perferendas Papa Zosimus execranda, sicut legere potestis, attexuit.*

[a] Palæstina Synodi, Vid. supr. cap. 9 pag. 258.

[d] Ibid. cap. 21.

In eâ Epistolâ catholicam de divinæ gratiæ opitulatione sententiam Zosimus sic expressit. [e] *Quod tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus est. Superbum est enim, ut quicquam sibi humana natura præsumat.* & de peccato Originali [f] *Fidelis Dominus in verbis suis, ejusq; baptismus re ac verbis, id est, opere, confessione & remissione verâ peccatorum, in omni sexu, ætate, conditione generis humani eandem plenitudinem tenet. Nullus enim, nisi qui peccati servus est, liber efficitur; nec redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit antè captivus: sicut scriptum est; Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis. Per ipsum enim renascimur spiritualiter, per ipsum crucifigimur mundo: ipsius morte, mortis ab Adam omnibus nobis introductæ, atq; transmissæ universæ animæ, illud propagatione contractum Chirographum rumpitur; in quo nullus omninò natorum,*

[e] Cœlestin. P. ad Gall. episcop. capitul. 9.

[f] Augustin. epist. 157. ad Optat.

Iohan. 8. 36.

antequàm per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius.

Cum universali illâ ad omnes totius orbis episcopos Epistolâ, speciales ad Africanos antistites, de inimicorum gratiæ damnatione, à Zosimo missæ sunt literæ, quibus illi respondentes & hanc de divinâ gratiâ sententiam in Encyclicâ ipsius epistolâ positam præcipuo honore sunt venerati. *Nos instinctu Dei (omnia enim bona ad authorem suum referenda sunt, unde nascuntur) ad fratrum & coëpiscoporum nostrorum conscientiam universa retulimus.* ad quod Africani episcopi, in Rescripto suo. *Illud verò,* inquiunt, *quod in literis tuis, quas ad universas provincias curâsti esse mittendas, posuisti; sic accepimus dictum, ut illos, qui contra Dei adjutorium extollunt humani arbitrij libertatem, districto gladio veritatis, velut cursim transient, amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quàm quòd universa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti? & tamen instinctu Dei factum esse, fideliter sapienterq; vidisti, veraciter fidenterq; dixisti. Ideò utique, quia* præparatur voluntas à Domino; *& ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum* (Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt:) *ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium.*

[i] Celestin. ad Gall. episcop. capitul. 9. Prosper, contra Collator. cap. 10.

Prov. 8. 35. juxta LXX.

Rom. 8. 14.

Neq; ad Africanos solus de hâc re scripsit Zosimus episcopus, sed etiam Sixtus presbyter Romanus, Celestini posteà in eodem episcopatu factus successor.[k] quem cùm priùs *fama jactaret inimicis Christianæ gratiæ favisse*; nunc *priorem anathema eis in populo frequentissimo pronunciâsse eadem fama non tacuit.* Duas ille de hoc negotio in Africam misit epistolas: brevissimam unam per Leonem acolythum, Aurelio Carthaginiensi episcopo directam; in quâ tamen suum *vigorem adversùs eorum errorem satis indicavit.* prolixiorem alteram per Firmum presbyterum ad Augustinum & Alypium perlatam; in quâ apertiùs & latiùs quid de illo pernicioßissimo dogmate sentiret explicavit. Ad posteriorem hanc duabus epistolis respondit Augustinus:

[k] Augustin. epist. 105. ad Sixtum.

gustinus: brevi unâ per Albinum acoluthum, longâ aliâ per ipsum Firmum presbyterum missâ; quem, cùm rebus gestis Romæ præsens adfuisset, Sixtus *non solùm advectorem scriptorum suorum, verumetiam narratorem testemq; factorum esse voluit.*

In priore, quæ inter Augustinianas ordine CIIII. numeratur, ita rescripsit magnus ille Doctor. *Quid gratius legi vel audiri potest, quàm gratiæ Dei tam pura defensio adversus inimicos ejus, ex ore ejus qui eorundem inimicorum magni nominis patronus antè jactabatur? Aut unde uberiores Deo debemus agere gratias quàm quod ejus sic defenditur gratia ab eis quibus datur, adversus eos, quibus vel non datur, vel ingratum est quod datur, quia aut eis gratum sit, occulto & justo judicio Dei non datur. Quapropter Domine venerabilis, in Christi charitate suscipiende sancte frater, quamvis optimè facias, cùm de hâc re scribis ad fratres, apud quos se illi de tuâ solent efferre amicitiâ: tamen hæc cura major tibi restat, ut non solùm salubri severitate plectantur, qui errorem illum Christiano infestissimum nomini audent garrire liberiùs, sed etiam ij diligentissimè caveantur vigilantiâ pastorali propter infirmiores & simpliciores Dominicas oves, qui eum pressiùs quidem ac timidiùs, sed tamen insusurrare non cessant, penetrantes domos, sicut ait Apostolus, & cætera quæ sequuntur exercitatâ impietate facientes. nec illi negligendi sunt, qui usq; ad profundum silentium supprimunt timore quod sentiunt, sed tamen eandem perversitatem sentire non desinunt. Nonnulli quippe eorum, antequàm ista pestilentia manifestissimo etiam sedis Apostolicæ judicio damnaretur, vobis innotescere potuerunt, quos nunc repentè reticuisse perspicitis; nec utrùm sanati sint sciri potest, nisi cùm non solùm dogmata illa falsa tacuerint, verumetiam illis vera contraria, eo quo illa solent studio defensaverint: qui tamen leniùs profectò sunt tractandi. Quid enim eos terreri opus est, quos satis territos ipsa taciturnitas monstrat? Nec ideo tanquàm sani prætereundi sunt diligentiâ medicinæ, quorum vulnus in abdito est. Etsi enim terrendi non sunt, tamen docendi sunt: & quantum existimo* 2. Tim. 3. 6.

istimo, facilius possunt; dum in eis timor severitatis doctorem adjuvat veritatis, & opitulante Domino, gratia ejus intellecta atq; dilecta etiam loquendo expugnent, quod jam loqui non audent.

In posteriore, quæ numero est C V. accuratissima adversùs Pelagianos instituitur disputatio: ex cujus principio de sermone reliquo Lector judicium facere poterit.

* Citantur hæc à Prospero, in lib. contra Collator. cap 44.

* *Sunt enim*, inquit, *quidam qui justissimè damnatas impietates adhuc liberiùs defendendas putant: & sunt qui occultiùs penetrant domos; & quod in aperto jam clamare metuunt, in secreto seminare non quiescunt. Sunt autem qui omninò siluerunt, magno timore compressi, sed adhuc in corde retinent quod ore jam proferre non audent; qui tamen esse possunt fratribus ex priore ipsius dogmatis defensione notissimi. Proinde alij severiùs sunt coërcendi, alij vigilantiùs investigandi, alij tractandi quidem leniùs, sed non segniùs sunt docendi; ut si non timentur ne perdant, non tamen negligantur ne pereant. Quòd enim putant auferri sibi liberum arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem sine adjutorio Dei hominem habere consenserint; non intelligunt non se firmare humanum arbitrium, sed impelle re ut per inania feratur, non in Domino tanquam in petra stabili collocetur. Paratur enim voluntas à Domino. Quòd autem personarum acceptorem Deum se credere existimant, si credant quòd sine ullis præcedentibus meritis, cujus vult misereatur, & quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit: parùm attendunt quòd debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato, ut nec ille se indignum queratur, nec dignum se ille glorietur; atq; ibi potius acceptionem nullam fieri personarum, ubi una eademq; massa damnationis & offensionis involvit, ut liberatus de non liberato discat, quod etiam sibi supplicium conveniret, nisi gratia subveniret. si autem gratia, utiq; nullis meritis reddita, sed gratuitâ bonitate donata. Sed injustum est, inquiunt, in unâ eâdemq; malâ causâ hunc liberare, illum puniri. Nempe ergo justum est utrumq; puniri. Quis hoc negaverit? Agamus ergo gratias Salvatori, dum nobis redditum non cernimus, quod in damnatione similium etiam*

etiam nobis debitum fuisse cognoscimus. Si enim omnis homo liberaretur, utiq; lateret quid peccato per justitiam debeatur; si nemo, quid gratia largiretur.

Interea Pinianus vir nobilis, (Severi expræfecti filius,) socrus illius Albina & uxor Melania (senioris Melaniæ, cujus [i] superiùs mentio facta est, neptis) Hierosolymis habitantes [k] *cum Pelagio egerunt, ut quacunq; adversus eum diterentur scripto damnaret.* quibus ille, quod ad gratiæ necessitatem attinet, hâc interpositâ protestatione, satisfacere conatus est. [l] *Anathemo qui vel sentit vel dicit gratiam Dei, quâ Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, non solùm per singulas horas aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros non esse necessariam: & qui hanc conantur auferre, pœnas fortiuntur æternas.* deinde, ut de Originali peccato errorem suum obtegeret, [m] ex libello Fidei suæ Romam ad Innocentium misso illis recitavit; *ijsdem sacramenti verbis debere baptizari infantes, quibus & majores.* Eâ occasione, ad versipellis hæretici dolos aperiendos, editi sunt ab Augustino libri illi duo, *De gratiâ & Originali peccato:* quos scriptos testatur ipse, [n] *posteaquam Pelagiana hæresis cum suis authoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ, priùs Innocentio deinde Zosimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum literis, convicta atq; damnata est.* Indeq; est, quod in libri posterioris cap^o. 17. ait; *in tam nefandi erroris authores, Episcopalia Concilia, & Apostolicam sedem, universamq; Romanam ecclesiam, Romanumq; imperium, quod Deo propitio Christianum est, rectissimè fuisse commotum, donec resipiscant de Diaboli laqueis.* & in epistolâ CC. ad Asellicum: *Hoc genus hominum capita sibi invenerat Pelagium & Cœlestium, impietatis hujus assertores acerrimos. Qui recenti judicio Dei, per diligentes & fideles servos ejus, etiam catholicâ communione privati sunt; & propter cor impœnitens adhuc in suâ damnatione persistunt.*

[i] Supr. cap. 8. pag. 202. 203. 204.

[k] Augustin. de gratiâ Christi, cap. 1.

[l] Ibid. cap. 2.

[m] Id. de peccato Original. cap. 1. & 5.

[n] Id. Retractat. lib. 2. cap. 50.

2. Tim. 2. 26.

Scripserant ad Julianam quoq; virginis Demetriadis matrem Augustinus & Alypius, *ut contraria gratiæ Dei*

dogmata devitaret. ad quos ita rescripsit illa. *Quod me hortatur reverentia vestra, ne antes indulgeam his hominibus qui pravis tractatibus venerandam fidem sæpè corrumpunt; gratias uberes ago tam piæ admonitioni. Sed noverit sacerdotium vestrum, longè me ac domunculam meam ab hujusmodi personis esse discretam: omnisq; familia nostra adeò catholicam sequitur fidem, ut in nullam hæresim aliquando deviaverit, nec unquàm lapsa sit; non dico in eas sectas quæ vix expiantur, sed nec in eas quæ parvos habere videntur errores.* Hujus literæ ad Augustinum & Alypium, tùm apud Hipponem simul constitutos, quum perveniissent: aliâ inde ad eandem scriptâ epistolâ (quæ inter Augustinianas numero habetur CXLIII^a.) Pelagianorum non parvum esse errorem docuerunt; & venenum in Pelagij libello ad Demetriadem occultatum patefecerunt. *In quo*, inquiunt, *libro quamvis nec ipsius nec tuæ reverentiæ nomen expresserit; tamen à* matre virginis ut ad eam scriberet se postulatum esse commemorat. *In quâdam verò epistolâ suâ idem Pelagius, ubi & nomen suum apertissimè ponit, nec nomen sacræ Virginis tacet, dicit ad eam se scripsisse; & ejusdem sui operis testimonio probare nititur se gratiam Dei, quam vel tacere vel negare asseritur, apertissimè confiteri.* Hoc enim à Pelagio factum in epistolâ Apologeticâ Innocentio directâ sed, illo defuncto, successori ejus Zosimo traditâ, ostendit ° Augustinus: ex quo liquet, ante Zosimi Pontificatum (superiore anno inceptum, & in hujus fine terminatum) hanc ad Iulianam epistolam conscriptam non fuisse.

* Suprà, pag. 233.

° Augustin. de gratiâ Christi, cap. 30. 34. 37.

De prostratâ etiam in Occidente Pelagianâ hæresi, in Orientem scripserunt Augustinus & Alypius ad Hieronymum; ut & de Aniano Pelagiano, qui epistolæ illius ad Cteſiphontem responderat. Ad hos Bethleemo per Innocentium presbyterum rescripsit Hieronymus. P *Cooperatoribus & adjutoribus vobis, hæresis Celestiana jugulata est: quæ ita infecit corda multorum, ut cum superatos damnatosq; esse se sentiant, tamen venena mentium non omittant; & quod solum possunt, nos oderint, per quos putant se liberta-*

P Inter Hieronymianas, epist. 79. inter Augustinianas, 34.

tem docendæ hæreseos perdidisse. Quod autem quæritis, utrùm rescripserim contra libros Aniani pseudodiaconi Celedensis, qui copiosissimè pascitur, ut alienæ blasphemiæ, verba frivola subministret: sciatis me ipsos libros in schedulis missos à sancto fratre nostro Eusebio presbytero suscepisse, non ante multum temporis; & exinde vel ingruentibus morbis, vel dormitione sanctæ & venerabilis filiæ vestræ Eustochij, ita doluisse, ut propemodùm contemnendos putarem. In eodem enim luto hæsitat, & exceptis verbis tumultis atq; emendicatis, nihil aliud loquitur. Tamen multum egimus; ut dum Epistolæ meæ respondere conatur, apertiùs se proderet, & blasphemias suas omnibus patefaceret. Quicquid enim in illâ miserabili synodo Diospolitanâ dixisse se denegat, in hoc opere confitetur. Nec grande est ineptissimis nænijs respondere. Si autem Dominus vitam tribuerit, & notariorum habuerimus copiam, paucis lucubratiunculis respondebimus: non ut convincamus hæresim mortuam; sed ut imperitiam atq; blasphemiam ejus nostris sermonibus confutemus. Meliusq; hoc faceret sanctitas vestra: ne compellamur contra hæreticum nostra laudare.

Hîc ille *hæresim Celestianam jugulatam esse* dicit, non (ut dicere eum fingit [q] Bernardus Lutzenburgius, eumq; secutus, licèt id ipse dissimulet, [r] Thomas Dempsterus) *Pelagium seculi gladio & totius orbis authoritate damnatum esse.* quod licèt verum sit, tamen ab Hieronymo nusquàm scriptum reperitur. Responsionis verò adversùs se editæ authorem hîc non obscurè facit Hieronymus ipsum Pelagium; verba tantùm, quibus sensa sua expressérit, ab Aniano pseudodiacono mutuatum. Eam ab Eusebio presbytero accepisse se ait: Cremonensi utiq; illo, socio ipsius intimo, cui in Matthæum & Hieremiam Commentarij ab eo sunt dicati. Eundem etiam Eusebium illum fuisse putat [s] Baronius, cujus habetur epistola ad Cyrillum Alexandrinum scripta contra Valerianum Pelagianum. quin & hoc in loco Hieronymum emendandum esse conjicit, & pro Aniano pseudodiacono Celedensi, *Valerianum pseudodiaconum Cenetensem* reponendum. In Ecclesiæ certè nomine

[q] Bernard. Lutzenburg. Catalogo hæreticor. lib. 3.

[r] Dempster. histor. Ecclesiastic. Scotor. lib. 15. num. 1012.

[s] Baron. an. 417. §. 16.

mine *absque dubio depravatum esse textum* asserit; *cùm de Ecclesiâ Celedensi nusquam fiat mentio.* Atqui ad *Marcum presbyterum Celedensem* scripta legitur LXXVII. ipsius Hieronymi epistola: & *Celidam* civitatem in Cyrenaicâ provinciâ Ptolemæus collocat. Neq; vel Celedensis, vel Cenetensis, vel alterius alicujus Ecclesiæ diaconum Valerianum illum fuisse ostendi potest; quem *servum Ariminensis possessionis illustrissimi Valerij Comitis* extitisse, nobis indicavit. clarissimi utique illius Comitis Valerij, qui *profanis istis novitatibus potestate, curando & instando, efficaciter* restitit.

Ptolem. Geograph lib. 4. cap. 4.

[a] Augustin. de Nupt. & concupiscent. lib. 1. cap. 22.

ANN. CCCCXIX.

Huic illustrissimo Comiti [x] cùm scripsissent Pelagiani, Catholicos *damnatores esse nuptiarum operis q; divini, quo ex maribus & fœminis Deus homines creat; quoniam dicunt eos, qui de tali commixtione nascuntur, trahere originale peccatum*: ad eundem Augustinus, [y] post damnationem Pelagij & Cœlestij *de Nuptijs & Concupiscentiâ* librum edidit; quo nuptiarum bonum discrevit à concupiscentiæ carnalis malo, quo bene utitur ad filios procreandos pudicitia conjugalis. Atq; hîc primùm Iuliani Pelagiani episcopi contra Augustinum erupit furor; qui [z] & patrem illius Momorium episcopum, & ipsum adolescentem in Diaconatus ordine constitutum, non vulgari amore fuerat prosecutus. Post patris mortem in hæresim incidisse, illa Augustini ad eum verba indicant. [a] *Ego verò parentes tuos tanquam Catholicos Christianos honorabiles habeo; eis q; gratulor, quòd antè defuncti sunt, quàm hæreticum te viderent.*

[x] Augustin. de Nupt. & Concupiscent. lib. 1. cap. 1. & Retractat. lib. 2. cap. 53.

[y] Id. ad Bonifac. lib. 1. cap. 5

[z] Id. epist. 131. ad Memorium, & integri operis contra Iulian. lib. 1. cap. 2.

[a] Id. imperfecti operis contra Iulian. lib. 1. cap. 6.

[b] Baronius & pater & filius Capuanus videtur fuisse Episcopus: quod de patre sine authore ille opinatur, de filio unius Gennadij inductus testimonio. quum tamen in [c] Sigebergensi Gennadij exēpiari pro *Capuano* habeatur *Campanus*: quomodo & ab Honorio Augustodunensi, Vicentio Bellovacensi, Iohanne Trithemio & Bernardo Lutzenburgio lectum fuisse apparet. Tametsi verò antiquis propriè *Campanos* illos fuisse dictos non nesciam,

[b] Baron. ann. 419. §. 50.

[c] Suffrid. Petr. in Gennad. de vir. illustr. cap. 45.

sciam, quos ætas posterior *Capuanos* appellavit: latiùs tamen accipiendum hic Campanorum nomen, vel illud Bedæ suaserit, initio libri 1. expositionis in Canticum Salomonis, *Iulianum Celanensem Episcopum à Campaniâ* fuisse asserentis. In Romano quoq; LXX. Episcoporum sub Gelasio habito Concilio *Celanensis* invenitur idem nominatus: in Prosperi autem Chronico, & Petri Diaconi libello de Incarnatione & gratiâ Domini ad Fulgentium, duarum primarum literarum factâ metathesi, *Eclanensis*; quod ad *Æculanum* Hirpinorum propiùs accedit. Sed ut inter Campanos potiùs quàm Hirpinos Iuliani sedem inquiramus, non Bedæ solùm nos ducit authoritas, sed etiam Prosperi ab[d] eodem citatum testimonium,[e] cui & Campania probè erat cognita, & Campanus ipse Iulianus. *Celennam* verò in Campaniâ locum fuisse, notavit Servius, in illud Æneid. VII.

Quiq; Rufas Batulumq; tenent atq; arva Celennæ.

eodemq; *Celenam Celoniam*, ex Vespasiani nummo, retulit in Thesauro Geographico Abrahamus Ortelius.

[d] Bed hist. ecclesiastic. lib. 1. cap. 10. Vid. suprà, cap. 8. pag. 207.

[e] Prosp. de dimidio tempor. cap. 6.

Scripserat autem Iulianus in Canticum Salomonis Commentarios; præfixo *de Amore* libello: [f] sub obtentu, quasi hunc à fœdissimâ foret voluptate secreturus, re autem verâ suam confirmaturus hæresim. in quo, inter alia, asserit; *sanctum nobis ac generosum amorem, ab ipso lucis exordio, naturâ conciliante insitum, & ad ultimam usq; senectutem solis viribus animi innixum, sine ullo damno sui persistere vigoris*: eundemq;, *sicut de corpore trahere quòd est perturbatus & rapidus, ita de animo quòd sit sublimis atq; continuus*; ideoq;, *quamdiu nihil de genitali voluptate desiderat, quasi ad solius animi moveri arbitrium, & in solibus suis habere jocunditatem, ut perturbationis immunem, ita etiam libertate gaudentem.* atq; sic demùm concludit. *Cùm igitur sapientis animus, qui voluptatem subjicit dignitati amoris & incitat & ordinat appetitum, nunquam fines transit officij, sed ad eam magnitudinem atq; pulchritudinem studijs procedit ac meritis, ut generosum ejus ignem gratia sancti Spiritus incipiat*

[f] Bed in Cantic. lib. 1.

 venti-

ventilare: tunc sit illa charitas, quæ non propinquos solùm aut cives, sed ipsum genus humanum gremio suo conetur amplecti.

Editus ab eodem quoq; liber est *de bono Constantiæ*, in quo virtutis illius laudes ita celebrat. *Hæc est Constantia, quæ maximè asserit arbitrij potestatem ac bonum, eiusq; naturæ & humani animi motus liberos; dum ostendit omne mentis bonum voluntarium, nec ulli unquam casui obnoxium. Ipsa enim armat egregium cujusq; & accendit animum; dum illum libertatis suæ semper admonet, dumq; omnes ab eo repellit metus.* Et post multa, quibus libertatem nostræ voluntatis prædicat, ait. *Etenim, sicut præclarè à doctissimis atq; orthodoxis disputatum est, nemini verè unquam nocere nisi à seipso potest: nec est prorsus aliquid quo quisquam invitus fiat miser. Quid tandem virtus timebit, nisi defectum sui, quo homini in æternum nocetur?* &, ne gratiæ in totâ hâc disputatione prorsus oblitus videretur, *Divinæ*, inquit, *gratiæ est, armare & firmare constantiam, quæ cæteras possit custodire virtutes; & contra omnia quæ resistunt, defendere virtutem.* Vbi tamen (ut rectè à [g] Bedâ est observatum) *cautissimo usus est verbo, ut non diceret eam donare, quasi antè non habitam, nobis constantiam; sed potiùs juvare & firmare, quasi à nobis jam exortam.*

[g] Id. ibid.

Verùm apertissimè hæreticæ malignitatis virus in quatuor libris idem prodidit, quos contra Augustini illum unicum de Nuptijs & Concupiscentiâ evulgavit; Turbantio cuidam Episcopo tunc Pelagiano, [h] postea verò ab illo errore liberato, nuncupatos. In quos ita præfatus ille est. *Doctores nostri temporis, & nefaria quæ adhuc fervet seditionis authores, ad hominum quorum sanctis studijs urunturcontumelias & exitium, quoniam iter aliud non patebat, decreverunt per ruinam totius Ecclesiæ pervenire: non intelligentes quantum his contulerint honoris, quorum ostenderant gloriam nisi cum Catholicâ religione non potuisse convelli. Nam si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Cœlestianus & Pelagianus vocatur: quo simplices sermone perterriti, ne ab invidiâ nominis*

[h] Augustin. operis imperfecti contra Iulian. lib. 1. cap. 8.

[i] Ibid. cap. 71. & de Nupt. & concupiscent. lib. 2. cap. 3.

exuantur,

exuantur, etiam sanam fidem deserunt; creditur i procul dubio, nec liberum esse in hominibus arbitrium, nec Deum nascentium conditorem, quando illud quod priùs affirmaverant, utrumq; deseruerint. Ne igitur vocentur hæretici, fiunt Manichæi: & dum falsam verentur infamiam, verum crimen incurrunt; instar ferarum, quæ circundamur pinnis, ut cogantur in retia. Quibus quoniam deest ratio, in verum exitium vanâ formidine contruduntur.

Addit [k] deinde, *laborate illam partem rationis inopiâ, quæ in disserendo cùm terrore surrogat, nullum à prudentibus impetrat, sed cœcum à meticulosis extorquet assensum.* terrorem nimirùm Imperatorio Edicto illis incussum subindicans: in quo tamen audacissimus hæreticus pro suis potiùs quàm pro Catholicis pronuntiatum fuisse cavillatus est. Nempe in Rescripti sui Præfatione Pelagium Celestiumq; incusaverat Imperator, quòd Deo omnipotenti *tam truculentam inclementiam sævæ voluntatis assignarent*, ut quum in Mundi initio hominē condere deliberaret, *mortem præmitteret nascituro*: dicentes, *non hanc insidijs vetiti fluxisse peccati, sed exegisse penitùs legem immutabilis constituti.* Illud enim, [l] *Statutum est hominibus semel mori*, valiturum censuerunt, etiamsi Adamus nunquam peccavisset. Quia verò Orthodoxi etiam tenebant cum Apostolo, postquàm [m] *per unum illum hominem peccatum in mundum hunc intrâsset, & per peccatum mors*; originalis peccati reos nasci omnes, indeq; esse [n] *naturâ filios iræ*: in eos Edicti verba retorqueri potuisse putavit sophista, ut qui ipsi etiam sentirent, priùs damnatum esse hominem quàm natum. Quem non aliâ [o] Augustinus (illius enim hæc verba sunt, non, ut citata sunt à [p] Baronio, Iuliani) dignari hîc voluit responsione quàm istâ. *Si pro vobis potiùs ab Imperatore responsum est: cur non in medium prosilitis, & hoc ultrò publicis potestatibus allegatis; vos esse monstrantes, quorum Christianus Princeps approbavit fidem? Verùm si Dei legem non sicut ipse habet, sed sicut vobis placet, intelligitis: quid mirum si & de lege Imperatoris hoc facitis?*

[k] apud eund. contra Iulian. lib. 3. cap. 1.

[l] Heb. 9. 27.

[m] Rom. 5. 12.

[n] Ephes. 2. 3.

[o] Aug. contra Iulian. lib. 3. cap. 7.

[p] Baron. an. 418. §. 28.

Ad Pontificis verò Romani judicium quod attinebat [q] Zosimum *prævaricationis* accusare non est veritus, & brevi pòst insecutam de constituendo illius successore dissensionem populi Romani (alijs Bonifacium presbyterum, alijs Eulalium archidiaconum eligentibus) *ultioni Dei* tribuere. De judicibus deniq; generatim est conquestus, [r] partis suæ homines apud eos *non potuisse agere causam suam: quia nemo de rebus dubijs bene consuluit, nisi qui ab odio, amicitiâ, inimicitiâ, irâ vacuum pectus attulerit; quales non fuisse* dixit, *qui de hâc causâ judicaverunt, quia priùs eam cœperunt odisse quàm nôsse.* adjungens præterea, *non numerandas sed ponderandas esse sententias; & ad aliquid inveniendum multitudinem nihil prodesse cœcorum. in causâ judicandi, amoto strepitu turbarum, de omni ordine conversationis hominum, sive Sacerdotum, sive administrantium, sive præfectorum, ad discussionem talium rerum non sola nomina, sed eligendam esse prudentiam; & honorandam esse paucitatem, quam ratio erudit libertasq; sublimat.* hisq; omnibus consideratis, *majoris sibi esse apud Deum gloriæ, destitutam veritatem tueri.* Hæc arrogantissimus Iulianus.

[q] Aug. contr. Iulian. lib. 1. cap. 4. & lib. 6. cap. 12.

[r] Ibid. lib. 3. cap. 1. & lib. 2. cap. 10.

[f] Post Consulatum Honorij XII. & Theodosij VIII. octavo Kalendas Iunias, iterùm Carthagine in secretario basilicæ Fausti habitum est [x] CCXVII. episcoporum Africanorum plenarium Concilium, in quo [u] præcedentia Concilia Africana, tempore Aurelij Carthaginiensis Episcopi celebrata (& in ijs [x] anathemata contra Pelagianos hoc ipso in loco superiori anno promulgata) recitata & confirmata sunt; atq; ex ijs [y] Codex Canonum Africanæ Ecclesiæ compositus, qui quidem Codex (& in eo octo illi contra Pelagianos editi anathematismi) Iustiniani Imperatoris temporibus, & à Dionysio Exiguo sub *Africani* Concilij nomine [z] Codici Canonum Occidentalis Ecclesiæ est insertus; & *Carthaginiensis* Synodi nomine à Iohanne Epiphaniensi Scholastico (qui Eutychio in sede Constantinopolitanâ suffectus est) Græco quinquaginta titulorum Nomocanoni intextus, posteaq; in secundo Trullani Concilij

[f] Cod. Canon. Eccles. African. à Iustello edit. pag. 33.
[x] Ibid. pag. 34. 338. & 341.
[u] Ibid. pag. 54. 58. & 106.
[x] Ibid. pag. 289. 290.
[y] Excus. Paris. ann. 1614.
[z] Excus. Mogunt. ann. 1525. & Paris. ann. 1609.

cilij universalis canone, ut membrum [a] Codicis Canonum Orientalis Ecclesiæ, approbatus.

In hoc prætereà plenario totius Africæ Concilio peculiariter aliquid adversùs Pelagianos fuisse constitutum; partim ex verbis illis [b] Augustini colligimus: [*quod Papæ Zosimo de Africano Concilio scriptum est, ejusq; Rescriptum ad universos totius Orbis episcopos; & quod posteriori Concilio plenario totius Africæ contra ipsum errorem breviter constituimus.*] partim ex [c] Prosperi illo carmine.

Tu causam fidei flagrantiùs Africa nostræ
Exequeris: tecumq; suum jungente vigorem
Iuris apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, & lato prosternis limite victos.
Convenêre tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, geminoq; senum celeberrima cœtu,
Decernis quod Roma probet, quod regna sequantur.
Nec sola est illic Synodorum exerta potestas,
Ceu quos non possent ratione evincere nostri,
Vi premerent: discussæ artes, virusq; retectum est
Hæretici sensûs: nullumq; omnino relictum,
Docta fides quod non dissolvèret argumentum.
Corda sunt & scripta manent, quæ de cataractis
Æterni fontis fluxêre undante meatu,
Et terrentinis procerûm sunt edita linguis:
Sic moderante suam legem bonitate severâ,
Ut qui damnato vellent de errore reverti,
Acciperent pacem; pulsis qui prava tenerent.
An alium in finem posset procedere sanctum
Concilium, cui dux Aurelius ingeniumq;
Augustinus erat?

[a] Græce excus. Paris. an. 1540. Græcè & Latinè Tiguri, ann. 1559.

[b] Augustin. epist. 47. ad Valentinum.

[c] Prosp. de Ingratis, cap. 2.

Cùm enim duas illas Synodos *de cunctis Africæ urbibus convenisse* significet: vix aliæ commodè poterunt hîc intelligi, quàm plenariæ illæ duæ, hoc & præcedente anno Carthagine congregatæ; quibus utriq; & Aurelium

præfuisse, & Augustinum interfuisse constat. quarum posterioris cœtui frequentiori cùm facilè concipere possimus LXXXVI. Episcopos præsentes adfuisse, qui à priore abfuerunt, & sententiam tamen contra Pelagianos ab eâ latam unâ cum reliquis confirmârunt: eos, prioris Concilij CCXIIII. patribus adnumeratos, *trecentorum procerum* summam à Prospero constitutam conficere potuisse, nullo negotio intelligimus. Nam duorum illorum Conciliorum ante triennium habitorum, ad quæ nos ducit [d] Baronius, (*Carthaginiensis* episcoporum LXVIII. cui præfuit Aurelius, sed non interfuit Augustinus; & Milevitani episcoporum LXI. cui interfuit Augustinus, sed minimè præfuit Aurelius) vel utrumq; secum, vel utrumvis cum horum quæ diximus altero compositum, ægrè hîc nobis satisfecerit: tùm quia provincialia ambo illa fuerint non nationalia, tùm quia pauciorum numero Episcoporum, quàm ut Prosperi calculo complendo possint sufficere.

[d] Baron. ann. 416. §. 8. Vid. Voss. Histor. Pelagian. lib. 1. fin. cap. 45.

Pios hos Aurelij & Augustini in reprimendis Pelagianis conatus, lege contra eos renovatâ corroboravit Imperator Honorius: ut ex ejusdem *Rescripto, eodem tenore ad utrumq; dato*, cognoscitur; quod, unâ cum adjunctâ Aurelij ad Byzacenæ & Arzugitanæ provinciæ episcopos Epistolâ, ab historicis [e] Magdeburgensibus & [f] Baronio ex MSS. codicibus editum, hîc subjicimus.

[e] Centur. 5. col. 846. 847.
[f] Baron. ann. 419. §. 57. 58. & in Collect. Isidori Mercatoris, edit. Paris. ann. 1525. fol. 177.

Imperialis

Imperialis Epistola, ad Aurelium Carthaginiensem Episcopum.

(cujus & Photius in Bibliothecâ meminit, num. 53.)

Imperatores Honorius & Theodosius Augusti, Aurelio Episcopo Salutem.

Dudùm quidem fuerat constitutum, ut Pelagius & Celestius nefandi dogmatis repertores ab urbe Româ, veluti quædam Catholicæ veritatis contagia pellerentur, ne ignorantiam mentes scævâ persuasione perverterent. In quo secuta est clementia nostra judicium sanctitatis tuæ, quo constat eos ab universis justæ sententiæ examinatione esse damnatos. Sed quia obstinati criminis pertinax malum, ut constitutio geminaretur, coëgit recenti quoq; sanctione decrevimus, ut si quis eos in quacunq; provinciarum parte latitare non nesciens, aut propellere aut prodere distulisset, præscriptæ pœnæ velut particeps subjaceret. Præcipuè tamen, ad quorundam Episcoporum pertinaciam corrigendam, qui pravas eorum disputationes vel tacito consensu adstruunt, vel publicâ oppugnatione non destruunt: Pater carissime atque amantissime, sanctitatis tuæ authoritatem cavere conveniet, quatenùs in abolitione præposteræ hæresis, omnium devotio Christiana consentiat. Religio itaq, tua competenti-

petentibus scriptis universos faciat admoneri, scituros definitione testimonij tui, hanc sibi definitionem esse præscriptam, ut quicunque damnationi suprâ memoratorum (quo pateat mens pura) subscribere impiâ obstinatione neglexerint, Episcopatus amissione mulctati, interdictâ in perpetuum (expulsi civitatibus) communione priventur. Nam cùm ipsi nos juxta Synodum Nicænam confessione sincerâ, conditorem rerum omnium Deum, Imperijq; nostri veneremur authorem; non patietur sanctitas tua, sectæ detestabilis homines in injuriam religionis nova & inusitata meditantes, secretis tractatibus occultare sacrilegium publicâ semel authoritate damnatum. Vna enim eademque culpa est eorum, qui aut dissimulando conniventiam, aut non damnando favorem noxium præstiterint. *Et aliâ manu.* Divinitas te per multos annos servet incolumem, Pater carissime atque amantissime. Data V. Idus Iunias, Ravennæ, Monaxio & Plintâ Consulibus.

Epistola

Epistola sancti Aurelij Carthaginiensis Episcopi, ad omnes Episcopos per Byzacenam & Arzugitanam provinciam constitutos; de damnatione Pelagij & Celestij hæreticorum.

Dilectissimis ac desiderabilibus fratribus ac consacerdotibus, Donatiano primæ sedis, Ianuario, Felici, Palatino, Primiano, Gaiano, & alij Gaiano, Ianuario, Victorino, & cæteris per tractum provinciæ Byzacenæ & Arzugitanæ constitutis, Aurelius Episcopus.

Super Celestij & Pelagij damnatione, eorumq; dogmatibus, participem sanctam dilectionem vestram in plenario Concilio fuisse commemini, dilectissimi ac desiderabiles fratres. Sed quoniam pro honore Dei, in cujus manu cor Regis est constitutum, glorioſissimorum Principum Christianorum fidem rectam & Catholicam custodientium accessit authoritas, quam per humilitatem meam universis coëpiscopis meis voluit intimari: idcirco honorabilem fraternitatem vestram missis exem-

plaribus instruere festinavi, ne quid mali in aliquâ parte provinciæ, ex supradictorum serpentinâ persuasione ab universali Ecclesiâ totius Orbis exclusâ, fortasse subrepat. Ob hoc ergo tam necessaria constitutio Christianorum Principum charitatem vestram latere non debuit, & ad me ab eis datæ literæ: quarum simul exemplaribus lectis, quemadmodum subscribere unusquisq; vestrûm debeat, dilectio vestra cognoscat; sive quorum Synodalibus Gestis subscriptio jam tenetur, sive qui non potuistis eidem plenario totius Africæ interesse Concilio. quò, cùm in supradictorum hæreticorum damnatione omnium vestrûm fuerit integra subscriptio; nihil omninò sit, unde ullius dissimulationis, vel negligentiæ, vel occultæ forsitan pravitatis aliqua videatur meritò remansisse suspicio. *Et aliâ manu.* Opto fratres, bene vivatis, mei memores. Data Kalendis Augusti, Carthagine, Monaxio & Plintâ Consulibus.

Istam de subscriptione, tam necessariam Constitutionem Episcopi Pelagiani ægerrimè tulerunt: quorum [g] decem & octo communem Thessalonicam miserunt Epistolam, *ad loci illius Episcopum suâ calliditate tentandum, & ad suas partes, si posset fieri, traducendum.* Id enim agebant, [h] *ut in auxilium suum, contra Manichæorum* (ut loquebantur) *profanitatem, consensionem Orientalium episcoporum exposcerent: nihil aliud nitentes, nisi ut horribili hæresi objectâ, cujus se adversarios confingebant, laterent inimici gratiæ in laude naturæ.* Romanos enim clericos asserebant, [i] *jussionis terrore perculsos, non erubuisse prævaricationis crimen admittere; ut contra priorem sententiam suam, quâ Gestis catholicæ*

[g] Augustin. ad Bonifac. lib. 1. cap. 1.

[h] Id. ad Bonifac. lib. 2. cap. 1.

[i] Ibid. cap. 3.

Catholicæ dogmati affuerant, posteà pronunciarent malam hominum esse naturam. reliquos etiam universè, [k] *sub nomine gratiæ, ita facium asserere; ut dicant, quia nisi Deus invito & reluctanti homini inspiraverit bonæ & ipsi imperfectæ cupiditatem, nec à malo declinare, nec bonum possit arripere.* denique: [l] *toto penitùs Occidente non minùs stultum, quàm impium dogma susceptum: & de simplicibus Episcopis, sine congregatione Synodi in locis suis sedentibus, extortam subscriptionem esse.*

[k] Ibid. cap. 5. & 8.

[l] Ibid. lib. 4. cap. ult.

Romam quoq; utramq; tentandam putaverunt: veterem per Julianum, novam per Cœlestium. Et à Juliano quidem missa est Epistola, [m] *ad eos seducendos, qui Romæ possent tali suasione seduci:* quam scriptam ab eo fuisse post editos libros quatuor adversùs Augustini de Nuptijs & Concupiscentiâ commentarium, ipse ibidem indicat. Ita enim probra Catholicis objecta exorsus est hæreticus. [n] *Dicunt illi Manichæi, quibus modò non communicamus, id est totis istis cum quibus dissentimus; quia primi hominis peccato, id est, Adæ liberum arbitrium perierit, & nemo jam potestatem habeat bene vivendi, sed omnes in peccatum carnis suæ necessitate cogantur. Dicunt etiam istas, quæ modo aguntur, nuptias à Deo institutas non fuisse; quod in libro Augustini legitur; contra quem ego modò quatuor libellis respondi: cujus Augustini dicta inimici nostri in veritatis odium susceperunt.* deinde, cùm suorum antitheses subjecisset: [o] *Contra hæc nos quotidie disputamus, & ideò nolumus prævaricatoribus adhibere consensum; quia nos dicimus liberum arbitrium in omnibus esse naturaliter, nec Adæ peccato perire potuisse: quod Scripturarum omnium authoritate firmatur. Dicimus has, quæ nunc in orbe terrarum, à Deo nuptias institutas; nec reos esse conjuges, sed fornicatores & adulteros condemnandos &c.* ita tandem Epistolam concludit. [p] *Nemo ergo vos seducat, nec se negent impij ista sentire. Sed si verum dicunt, aut audientia detur, aut certè isti ipsi Episcopi, qui nunc dissident, damnent, quæ supra dixi, cum Manichæis sensa tenere; sicut nos ista damnamus, quæ de nobis jactant: & sit plena concor-*

[m] Augustin. contra Julian. imperfecti operis lib. 1. cap. 17.

[n] apud eund. lib. 1. ad Bonifacium, cap. 2. & 3.

[o] Ibid. cap. 15.

[p] Ibid. cap. 24.

dia. Quod si nolunt: scitote eos esse Manichaeos, & ab eorum vos abstinete consortijs.

Constantinopoli suorum nomine legatione functus est Celestius: quem ibi debellatū fuisse notavit [q] Augustinus. Duos urbs illa consuevit habere Episcopos: Novatianorū unum, Catholicorū alterū. Anno CCCCXIX. [r] die Augusti XXVI. *Monaxiâ & Plintâ Consulibus*, è vitâ excessit Novatianorū episcopus Chrysanthus: qui ab Imperatore aliquando [s] *vicarius in insulis Britannicis constitutus, in illarum administratione permagnam laudem consecutus fuerat.* Catholicis præsidebat ex Armeniâ Sebastenus Atticus: cujus zelum in Pelagianis ab Urbe illa propulsandis ita commendat, in epistolâ ad Nestorium, Papa Celestinus. [t] Ἐφ' ἡμέρας τινὰς τῆς ζωῆς ἡμῶν, μετὰ τὸ ἀνόσιον καὶ πολλάκις καταριθὲν δόγμα Πελαγίου καὶ Κελεστίου, ἡ καθολικὴ πίστις εἰρήνευσεν, ὁπότε ἐκείνους, μετὰ τῶν ἑπομένων τῇ δόξῃ αὐτῶν, ἥτε ἀνατολὴ καὶ ἡ δύσις ἀκοντίῳ συμφωνούσης ἀποφάσεως ἔπληξεν. αὐτίκα ὁ τῆς ἁγίας μνήμης Ἀττικὸς, ὁ διδάσκαλος τῆς καθολικῆς πίστεως, καὶ ἀληθῶς τοῦ μακαρίου Ἰωάννου καὶ εἰς ταῦτα διάδοχος, οὕτως ἐκείνους ἐδίωξεν ὑπὲρ τοῦ κοινοῦ βασιλέως, ὥστε αὐτοῖς μήτε τοῦ ἐκεῖ ἑστᾶναι ἄνεσιν συγχωρηθῆναι. *Aliquantis diebus vitæ nostræ, post nefandum & sæpè damnatum dogma Pelagij atq; Celestij, Catholica fides quietem habuit; quando eos, cum suæ opinionis sequacibus, telis unitæ sententiæ Oriens Occidensq; percussit. Deniq; sanctæ recordationis Atticus, Catholicæ magister fidei, & verè beati Ioannis etiam ad ista successor, eos ita persecutus est pro Rege communi, ut ijs nec standi quidem illic copia præstaretur.* Cujus rei testes posteà citat ille [u] commentarios inde ab Attico ad se missos.

Addit [x] Prosper, non solùm Pelagianorum legatos repulsam tulisse ab Attico; sed [*] Ephesios quoq; & Sichlos pari studio eosdem à suis sedibus exegisse.

[q] Aug. contra Iulian. lib. 3. cap. 3.

[r] Socrat. histor. ecclesiastic. lib. 7. cap. 17.

[s] Βικάριος τῶν Βριττανικῶν νήσων κατασταθεὶς, ὀθαυμάτου ἐπὶ τοῖς δεοικούσιν. Id. ibid. cap. 12.

[t] ad Concil. Ephesin. part. 1. cap. 18. pag. 276. edit. Roman.

[u] ὅτι ἐκεῖθεν πρὸς ἡμᾶς παρὰ τοῦ τότε ἐπισκόπου τοῦ καθολικοῦ Ἀττικοῦ τὰ ὑπομνήματα ἀπεστάλη. Ibid. pag. 280.

[x] Prosp. de Ingratis, cap. 2.

[*] ante exortam novam Semipelagianorum progeniem: ut ex initio cap. 4. colligo. Vnde factum, ut ad Ephesini Concilij tempora istud non retulerim, cum Baronio ann. 431. §. 100.

Quid

Quid loquar & curam, magnâ quam gessit in urbe
Constantinopoli docto bonus ore sacerdos
Atticus, antiquâ legatos hæreticorum
Confutando fide? de quâ tunc impia corda,
Quamvis se obductâ tegerent velamine formâ
Iudicij & tacitæ tulerant tormenta repulsæ.
Præterea quanto fuerit bene mota tumultu
Clara Ephesos, non passa suis consistere tectis
Vasa iræ, & morbi flatus, & semina mortis:
Quáque fide tellus etiam Trinacria fervens,
Agmen vipereum propriis exegerit oris.

Utrectè scripserit Gelasius, non solùm [y] *divinis humanisq; legibus damnatum Pelagianæ pestilentiæ virus*; ejusque fautores, [z] *tam Ecclesiasticis constitutis, quàm Imperialibus etiam percussos fuisse præceptis*: sed eam quoq; [a] *perversitatem toto Orbe damnatam; nec tantùm Ecclesiæ Catholicæ legibus, sed Principum quoq; Romanorum eo tenore damnatam, ut nec usquàm terrarum vivendi locum sectatores ejus habere sinerentur. Quæ omnia*, inquit, *tam gestis Ecclesiæ per singulas quasq; regiones de eorum pravitate confectis, quàm censuræ publicæ sanctionibus edocentur.* Quibus addendum est illud Prosperi, in epistolâ ad Demetriadem. *Restiterint quidem huic impietati recta innumerabilia corda sanctorum; & non solùm docti quique Pontifices, verumetiam universales ecclesiæ plebes, Apostolicæ sedis exemplo, insaniam novi dogmatis horruerunt: sed invenerunt quosdam viperina consilia, quibus doctrinæ suæ virus infunderent, & quorum linguas per dolos falsæ rationis armarent.* & Possidij in vitâ Augustini. [b] *Hoc tale de illis Ecclesiæ Dei Catholicæ prolatum judicium, etiam piissimus Imperator Honorius audiens ac sequens, suũ eos legibus damnatos, inter hæreticos haberi debere constituit. Unde nonnulli ex eis ad sanctæ matris Ecclesiæ gremium, unde resilierant, redierunt, & adhuc alij redeunt, innotescente & prævalescente adversus illum detestabilem errorem rectæ fidei veritate.*

[y] Gelas. P. epist. 6. ad Honorium: tom. 2. Concil. pag. 239. edit. Colon. ann. 1608.
[z] Id epist. 7. ad Piceni episcopos: pag. 239. 240.
[a] Id. epist. 5. ad Honorium. pag. 238.
[b] Possid. Vit. Augustin. cap. 18.

AN. CCCCXX. Honorij etiam exemplum secutum esse hîc Constantium, in regni consortium ab eo assumptum, ostendit [c] Photius. Ἔγραψε (inquit) μετὰ ταῦτα καὶ Κωνσταντῖνος, ὁ Πλακιδίας ἀνὴρ Οὐαλεντινιανοῦ δὲ τοῦ μικροῦ πατρὶ τῷ ἐξορισθῆναι κελεύσαντος τὸν αἱρετικόν. ἔγραψε δὲ πρὸς καὶ αὐτοῦ ψῆφον πρὸς Οὐολουσιανὸν ἔπαρχον πόλεως. *Scripsit postea & Constantius* (ita enim legendum) *Placidiæ maritus, Valentiniani verò minoris pater, ut exilio multaretur Celestius hæreticus. Scripsit adversùs eum sententiam ad Volusianum Præfectum Urbis.* Addit vel ille, vel illius potiùs scholiastes, Volusianum hunc avunculum fuisse S. Melaniæ (junioris scilicet:) qui cùm Ethnicorum errores sectaretur, [d] paulo ante obitum conversus, à S. Proclo Constantinopoli baptizatus fuerit. Imperatorium verò decretum, à Volusiano per edictum publicè propositum erat hujusmodi.

[c] Phot. Bibliothec. num. 53.

[d] Vita S. Melaniæ, apud Metaphrast. & Surium, die 31. Januarij.

[e] *Imperator Constantius Volusiano Præfecto Urbis.*

[e] Baron. an. 420. §. 2. 3. Salmas. Eucharistic. de Ecclesijs suburbicar. pag 283.

QUùm tùm præterita superstitionis, tùm recentis plenæ vanitatis jamdudùm corrigi jusserimus; quotidianis insinuationibus majora fieri nunciantur. Et quoniam discordia animos commovet populorum: ea quæ jamdudùm jusseramus, præcipimus iterari. Unde his lectis, Eximietas tua, omnes qui Dei invident pietati, diligenter inquirat, & eos faciat statim è muris Urbis expelli; ita tamen, ut ne intra centesimum quidem lapidem habeant licentiam consistendi. Celestium quoq; magis ac magis ex Urbe pelli mandamus. Constat enim,

enim, ijsdem è medio sublatis gratiam & concordiam tenere veterem firmitatem. Sanè deinceps si tale quicquam fuerit nunciatum, Officium præstantiæ tuæ capitali sententiæ subdendum esse cognosce. Non enim patimur impunitum esse, præcepta nostra executionis negligentiâ protelari. Vale parens catissime atque amantissime. *Et adjecta subscriptio.* Impleatur quod jussimus, quia hoc * famæ tuæ expedit.

* quia Christianæ religioni, ut Ἐλλειπῶς, minùs favisse putabatur. *Vid.* epistolas 5. priores, tomo 2. Oper. Augustini.

Exemplar edicti propositi à Volusiano Præfecto Urbis.

Volusianus Præfectus Vrbi edixit.

HActenùs Celestium, divinæ fidei & quietis publicæ turbatorem, judicijs amica reis * secreta subduxerunt. Jam leges etiam & edicta persequentur absentem. Cui, quod primum est, æternæ Urbis negatur habitatio; ut si vel in proximis fuerit diversatus, debitum non evadat exitium. Pro merito etiam temeritatis atq; ausus sui, cunctos hujus edicti cautione prænonemus, ne quis iniquo noxius latebram putet esse præbendam: ne cùm hujusmodi sit posita pœna, supplicium ac stylum necesse sit proscriptionis incurrere, quisquis reum divinis humanisque legibus apud se putâverit occultandum.

* al. *sacra subduxerunt*,

Romanæ

Romanæ Ecclesiæ præfuit eo tempore Bonifacius: de quo [f] Prosper. *Sanctæ memoriæ Papa Bonifacius piissimorum imperatorum catholicâ devotione gaudebat; & contra inimicos gratiæ Dei non solùm Apostolicis, sed etiam Regijs utebatur edictis: & cùm esset doctissimus, adversùs libros tamen Pelagianorum beati Augustini episcopi responsa poscebat.* [g] Duas enim Pelagianorum epistolas illi refellendas misit per Alypium; unam Iuliani Romanis, alteram ab eodem XVIII. pseudepiscoporum nomine Thessalonicensi episcopo directam. Eis Augustinus quatuor libris respondit, Bonifacio inscriptis: quorum primo prioris, tribus reliquis posterioris epistolæ refutatio continetur. ubi prævaricationis crimen Zosimo & Romanis clericis objectum ita conatur diluere. [h] *Pelagiani spe falsâ putaverant, novum & execrabile dogma Pelagianum vel Celestianum persuaderi quorundam Romanorum catholicis mentibus posse: quando illa ingenia quamvis nefando errore perversa, non tamen contemptibilia (cùm studiosè corrigenda potiùs, quàm facilè damnanda viderentur) aliquanto leniùs, quàm severior postulabat Ecclesiæ disciplina, tractata sunt. Sed si, quod absit, ita tunc fuisset de Celestio vel Pelagio in Romanâ Ecclesiâ judicatum, ut illa eorum dogmata, quæ in ipsis & cum ipsis Papa Innocentius damnaverat, approbanda & tenenda pronunciarentur: ex hoc potiùs esset prævaricationis nota Romanis clericis inurenda. Nunc verò cum primitùs beatissimi Papæ Innocentij literæ episcoporum literis respondentes Afrorum, pariter hunc errorem, quem conantur isti persuadere, damnaverunt; successor quoq; ejus sanctus Papa Zosimus hoc tenendum esse, quod isti de parvulis sentiunt, nunquam dixerit, nunquam scripserit: insuper etiam Celestium se purgare molientem ad consentiendum supradictis sedis Apostolicæ literis crebrâ interlocutione constrinxerit: profectò quicquid interea leniùs actum est cum Celestio, servatâ duntaxat antiquissimæ & robustissimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, non approbatio exitiosissimæ pravitatis. Et quod ab eodem sacerdote posteà Celestius & Pelagius repetitâ authoritate damnati*

[f] Prosp. contra Collator. cap. 41.

[g] Augustin. ad Bonifac. lib. 1. cap. 1. & Retractat. lib. 2. cap. 61. Vide & imperfecti operis contra Julian. lib. 3. cap 177.

[h] Augustin. ad Bonifac. lib. 2. cap 3.

damnati sunt; paululum intermisse, jam necessario proferendæ, ratio severitatis fuit, non prævaricatio priùs cognitæ vel nova cognitio veritatis.

De Fati calumniâ placidè primùm respondet. [i] *Nec sub nomine gratiæ fatum asserimus; quia nullis hominum meritis Dei gratiam dicimus antecedi. Si autem quibusdam omnipotentis Dei voluntatem placet fati nomine nuncupare; profanas quidem verborum novitates evitamus, sed de verbis contendere non amamus.* deinde, justo zelo exardescens. [k] *Itáne verò, filij superbiæ, inimici gratiæ Dei, ô novi hæretici Pelagiani, quisquis dicit, gratiâ Dei omnia hominis bona merita præveniri, nec gratiam Dei meritis dari, (ne non sit gratia, si non gratis datur, sed debita merentibus redditur;) fatum vobis videtur asserere?* ac demùm, occasione *congregationis Synodi*, cujus illi mentionem injecerant, ita totum opus concludit. [l] *Istorum superbia, quæ tantum se extollit adversùs* DEUM, *ut non in illo velit sed potiùs in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur; ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur: cum potiùs vigilantiâ & diligentiâ pastorali, post factum illis competens sufficiensq; judicium, ubicunq; isti lupi apparuerint, conterendi sint; sive ut sanentur atq; mutentur, sive ut ab aliorum salute atq; integritate vitentur. adjuvante Pastore pastorum, qui ovem perditam & in parvulis quærit, qui oves sanctas & justas gratis facit; qui eas quamvis sanctificatas & justificatas, tamen in isthâ fragilitate atq; infirmitate pro quotidianis peccatis (sine quibus hîc non vivitur, etiam cùm bene vivitur) quotidianam remissionem, & ut petant providenter instruit, & petentes clementer exaudit.*

[i] Ibid. cap. 5.

[k] Ibid. cap. 6.

[l] Id. lib. 4. cap. ult.

[m] Eodem quoq; tempore per Alypium misit Valerius Comes Excerpta quædam ex primo Iuliani Pelagiani libro; in quo primum caput libri Augustini de Nuptijs & Concupiscentiâ ille oppugnaverat. quibus, libro altero de eodem argumento ad Valerium scripto, responsum oppo-

[m] Id. de Nupt. & Concupiscent. lib. 2. cap. 1. & 2. & Retractat. lib. 2. cap. 53.

suit Augustinus. [a] Posteà verò, Claudio episcopo mittente integri libri quatuor Iuliani ad Augustinũ pervenerunt: quibus ille sex libris, eidem Claudio dicatis, accuratissimè respondit; in primis duobus præcedentium Doctorum testimoniis Iulianum Manichæismi Catholicos insimulantẽ redarguens, quatuor reliquos illius singulis objiciens. Neq; inter Doctores à se citatos prætermittere voluit ille Hieronymum; licèt [b] de illo jactitare soleret Pelagius, *quòd ei tanquam æmulo invideret*: sed tali producendum censuit ornatum testimonio. [c] *Nec sanctum Hieronymum, quia presbyter fuit,* (non episcopus) *contemnendum arbitreris; qui Græco & Latino insuper & Hebræo eruditus eloquio, ex Occidentali ad Orientalem transiens Ecclesiam, in locis sanctis atq; in literis sacris usq; ad decrepitam vixit ætatem: cujus nobis eloquium ab Oriente usq; in Occidentem ad instar lampadis resplenduit. Hic omnes, vel penè omnes, qui ante illum ex utràque parte Orbis de doctrinâ Ecclesiasticâ scripserant, legit; nec aliam de hâc re tenuit prompsitq; sententiam.*

De eodem, Idatius in Chronico: *Pelagianorum sectam, cum ejusdem authore, adamantino veritatis malleo contrivit,* & Prosper, [d] in Carmine de Ingratis.

Tunc & Bethlei præclari nominis hospes,
Hebræo simul & Graio Latioq; venustus
Eloquio, morum exemplum, mundiq; magister,
*Hieronymus libris valdè excellentibus * hostem*
Dissecuit: nosciq; dedit, quo turbine veram
Vellent exertæ lucem obscurare tenebræ.

idemque in Chronico, Theodosio IX. & Constantio III. Cons. lib. hoc est, anno æræ nostræ Christianæ CCCCXX. pridie Kalendas Octobres, mortuum illũ fuisse norat. Unde, cùm inter Doctores Ecclesiasticos tunc defunctos Hieronymum connumeret [e] Augustinus: ante hujus anni finem libros illos contra Iulianum ab eo scriptos non fuisse inferimus, vel etiam ante annum sequentem, qui ab eo quo primùm

[a] Id. in epist. ad Claud. præfix. priori operi contra Iulian. item posteriori operis imperfecti lib. 1. Præfat. & cap. 2. ac Retractat. lib. 2. cap. 63.

[b] Id. prioris operis contra Iulian. lib. 2. cap. ult.

[c] Id. ibid. lib. 1. cap. 7.

[d] Prosp. de Ingrat. cap. 2.

* Pelagium?

[e] Augustin. prioris operis contra Iulian. lib. 2. cap. ult.

primùm adversùs Pelagianos scribere ille cœpit erat omninò decimus.

Decennalis autem illius certaminis, quo cum illis continenter ab Augustino pugnatum est, ita meminit in ejusdem Vitâ Possidius.[f] *Adversus Pelagianistas novos nostrorum temporum hæreticos & disputatores callidos (arte magis subtili noxia scribentes, & ubicunq; poterant publicè & per domos loquentes) per annos fermè* DECEM *laboravit; librorum multa condens & edens, & in Ecclesiâ populis ex eodem errore frequentissimè disputans.* cui & [e] nuperi Vitæ Augustini descriptoris de libris hisce testimonium adjicere non pigebit. *Hoc sanè constat, quòd, quemadmodum alijs à se scriptis libris præstitisse scriptoribus cæteris judicatur, ita hisce quos contra Pelagium elaboravit, seipsum omninò superâsse videatur. Ad quorum excellentiam D. Prosper hisce versibus allusisse videtur.* quibus ut clarissimo de prostratâ post decennale bellum malorum hâc Iliade ἐπινικίῳ. Caput hoc concludendum putavimus.

[f] Possid. vit. Augustin. cap. 18.

[e] Cornel. Lancillot. Vit. Augustin. lib. 3. cap. 17.

[a] *Istius ergo inter cunctos, qui de grege sancto*
Insanas pepulêre feras. industria major,
Majus opus, totum præstantiùs imbuit orbem.
Nam quocunq; gradum convertit callidus hostis,
Quâq; per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab occursu est præventus; mille viarum
Insidijs aditum non reperientibus ullum.
Cumq; foris rabies avidorum exclusa luporum
Frenderet, inq; omnes mendacia verteret artes;
Ne mentes ullarum ovium corrumpere posset,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis,
Istius ore viri fecit Deus: istius ore
Flumina librorũ mundum effluxere per omnem;
Quæ mites humilesq; bibunt, campisq; animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.

[a] Prosp. de Ingrat. cap. 3.

CAP. XI.

CAP. XCI.

De Celestij & Iuliani novis conatibus: & Pelagianæ partis antistitibus, ex Italiâ Celestini Pontificis, ex Galliâ Valentiniani III. Cæsaris operâ fugatis. De Semipelagianismi seminibus à Iohanne Cassiano inter Massilienses primùm jactis. De Fastidio Britannorum Episcopo, Timotheo hæresiarchâ, Agricolâ Pelagiano, Severo Sulpitio, & Leporio Pelagij discipulo. De Germani & Lupi in Britanniam adventu, & rebus ab eis ibidem gestis: eâq; occasione de Albani reliquijs nonnulla interjecta. De Semipelagianismo inter Massilienses & Lirinenses caput attollente; & à B. Augustino atq; Prospero editis scriptis refutato. Ut Nestoriani cum Pelagianis conspiraverint; & utrisq; tùm à Concilio Universali Ephesino, tùm à Celestino Romano Pontifice, damnati fuerint.

QVievit deinceps *Pelagius* in Oriente: sed socij illius *Celestius* & *Iulianus* in Occidente non priùs res turbare desierunt, quàm à Romano Pontifice Celestino ex Italiæ finibus sunt depulsi. *Venerabilis memoriæ Pontifex Celestinus*, inquit [a] Prosper, *cui ad Catholicæ Ecclesiæ præsidium multa Dominus gratiæ suæ dona largitus est, sciens damnatis non examen judicij, sed solùm pœnitentiæ remedium esse præstandum; Celestium, quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jussit extrudi: adeò & præcessorum suorũ statuta, & decreta Synodalia, inviolabiliter servanda censebat; ut quod semel meruerat abscindi, nequaquàm admitteret retractari.* Iulianus verò novis etiam scriptis damnatam hæresim tutari conatus, quatuor illis libris, quos contra Augustini de Nuptijs & Concupiscentiâ priorem librum priùs scripserat, octo addidit alios, posteriori libro oppositos. Huic enim unico, non (quod opinati sunt alij, &

[a] Prosp. contra Collator. cap. 21.

in

in his [b] Baronius) sex illis quibus priorem suum librum defenderat Augustinus, Iulianum respondere hîc voluisse, non alium testem hîc proferre opus fuerit, quàm ipsum Augustinum, in posterioris responsionis præfatione de Valerio Comite ita scribentem. *Vir illustris misit mihi in chartulis nonnullas sententias decerptas ex opere Iuliani hæretici Pelagiani (in quo opere libris quatuor respondisse sibi visus est illi uni, quem de Nuptijs & Concupiscentiâ me scripsisse memoravi) missas sibi ànescio quo, qui eas, ut voluit, ex primo Iuliani libro decerpendas putavit: quibus ut quantocius responderem idem Valerius poposcit. Et factum est, ut sub eodem titulo etiam secundum librum scriberem, contra quem Iulianus alios octo nimiâ loquacitate conscripsit. His nunc respondeo, ejus verba proponens, eisq; subjungens responsionem meam.*

[b] Baron. ann. 419 §. 51.

In horum octo librorum primo, in sanctissimum Ecclesiæ Doctorem ita declamitat petulantissimus hæreticus. [c] *Quousq; simplicitate, qui hæc loqueris, religiosorum pectorum & imperitis auribus persistabis illudere? quem ad finem se impudentia effrænata jactabit? Nihil te cùm hæc scriberes censura doctorum virorum, nihil reverentia futuri judicij, nihil ipsa literarum monumenta moverunt? Patere jam fallaciam tuam, & deprehensam teneri non vides? Quid in primo, quid in secundo opere conscripseris, quem nostrûm ignorare arbitraris? Libuit enim prorsùs & decuit his te compellare modis, quibus in parricidam publicum eloquens Consul infremuit.*

[c] Iulian. posterioris Operis contra Augustin. lib. 1. sect. 20. pag. 21. edit. Paris. ann. 1616.

Et quasi alius ab Augustino introductus fuisset Deus, quàm quem Catholica semper agnovit & venerata est Ecclesia, ita contra illum vel contra ipsum Deum potiùs, latrat novus iste orator, non loquitur. [d] *Amolire te itaq; cum tali Deo tuo de Ecclesiarum medio. Non est ipse cui Patriarchæ, cui Prophetæ, cui Apostoli crediderunt; in quo speravit & sperat Ecclesia primitivorum, quæ conscripta est in cœlis. Non est ipse quem credit judicem rationabilis creatura; quem spiritus sanctus justè judicaturum esse denunciat. Nemo prudentium pro tali Domino suum unquam sanguinem fudisset: nec*

[d] Ibid. sect. 48. pag. 50. 51.

nec enim meretur dilectionis affectum, ut suscipiendæ pro se onus imponeret passionis. Postremò iste quem inducis, si esset usquam reus, convinceretur esse non Deus; judicandus à vero Deo meo, non judicaturus pro Deo. Ut igitur prima fidei fundamenta cognoscas; noster Deus Ecclesiæ Catholicæ Deus, substantiâ nobis ignotus est, & ab aspectu similiter remotus, &c.

[c] Ibid. pag. 53. [c] *Pro hoc Deo meo (quem mihi, qualem credo, omnis creatura & sancta Scriptura denunciat) rectius dixi facere, si nec librorum te concertatione dignum putarem. Verùm quoniam mihi hoc potissimum à sanctis viris nostri temporis Confessoribus munus impositum est, ut dicta tua quid habeant ponderis rationisque discutiam: opportunum fuit ostendere prius, non à te credi ei Deo, qui in Catholicorum semper Ecclesiâ prædicatus est, & usque ad finem ubi illa fuerit prædicabitur.* [f] *Audi igitur, contra ea quæ dixisti, breviter. Non sunt Ecclesiæ Catholicæ pectora, quibus sermo tuus convenit, si à pietate & ratione discordant. Sed utrumque committunt; cùm nec de Dei æquitate bene æstimant, nec mysteriorum quæ criminantur sapientiam & divitias intelligunt. Non est hæc fides antiquitùs tradita atque fundata nisi in conciliis malignantium, inspirata à Diabolo, prolata à Manichæo, celebrata à Marcione, Fausto, Adimanto, omnibusque eorum satellitibus, & nunc à te in Italiâ (quod graviter gemimus) eructata.*

Secundum verò librum, quasi ab alio principio, Iulianus sic est exorsus. [g] *Commodè nobiscum ageretur, si aut apud eruditos judices negotium veritatis tueri daretur facultas, aut quia hoc interim negatur, vel nullo imperitorum obverberaremur tumultu:* [h] *& quia tollendi in Ecclesiarum salutem trophæi damna perpetimur; quod bonæ causæ prudentia cognitorum viris erat delatura suffragijs, si nihil ad contumelias nostras vulgi valeret assensio. De his ergo quæ dixi hominum partibus, una nobis prodesset, altera nihil noceret; si aut illa potestatem obtineret, aut ista verecundiam. Verùm quia rerum est magna confusio, & stolidorum maxima multitudo; eripiuntur Ecclesiæ gubernacula rationis, ut erecto cornu velificetur*

[f] Ibid. pag. 67.

[g] Id. lib. 2. sect. 1. pag. 211.

[h] Ibid. pag. 212.

cetur dogma populare. &c. i *Delectat enim prorsùs subantes animas infamare quidquid unquàm & usquàm sanctorum fuit; ne clarorum operum castigentur exemplis. Delectat prorsùs & penitùs afficit, causari imbecillitatem naturæ; dicere carnem congenitis obnoxiam esse peccatis, nec in voluntate hominis emendationis effectum locare, sed studiorum crimina officia vocare membrorum. Catholicam hanc fidem esse; ut liberum confiteatur arbitrium, sed per quod homo malum facere cogatur, & bonum velle non possit: vanos verò hominum hæreticosq; sermones qui asserant, Dominum justum ad bonum opus liberum hominem condidisse, & esse in uniuscujusq; potestate recedere à malo ac studijs splendere virtutis; ut his qui flagitia in necessitatem carnis refundunt sollicitudinum & timorum aculeus infigatur.* k *Postremò in Ecclesijs prædicare tantam vim esse peccati, ut ante membrorum formam, ante initium adventumq; animæ, jactis seminibus supervolans, in secretum matris invadat, & reos faciat nascituros; ortuq; ipso antiquior expectet culpa substantiam: quæ lex peccati habitans deinceps in membris captivum hominem cogat servire criminibus, non castigatione in turpitudinibus sed misericordiâ digniorem. quandoquidem quod nos vitia pravæ voluntatis esse dicimus, id in Ecclesiâ à viris & fœminis magnisq; Pontificibus originalis passio nuncupatur.*

i Ibid. pag 214. 215.

k Ibid. pag. 216.

l *Quid igitur?* horúmne intuitu, receptui canere debebimus; & contumelias nostras ulcisci silentio, ac de conscientiæ portu aliorum videre naufragia? Verùm contradicit huic odio, primò benignitas quam generi debemus humano; deinceps spes & fides, *quam habemus in Deum.* &c. m *Hâc igitur fiducia consolatione gaudentes, immineamus cœpto operi, & disputationum promissa reddamus: non ambigentes hoc ipsum maximum esse præmij partem, quòd in ejus dogmatis arce constituimus; quod cùm tam multorum livor, sed plurimorum error, oppugnet, tamen ita supra casus evasit ancipites, ut invincibilis eluat possessionẽ victoriæ.* n *Nam si (ut & superior sermo patefacit, & secutus docebit) quidquid ratio est, quidquid eruditio, quidquid justitia, quidquid pietas, quidquid*

l Ibid. pag. 218.

m Ibid. pag. 219.

n Ibid. pag. 220.

quidquid testimoniorum sacrorum, huic quod tuemur dogmati suffragatur: nihil aliud inimici nostri toto adipiscuntur conatu, quam ut doctis quibusque imprudentissimi, sanctis contumaciissimi, in Deum profanissimi comprobentur. ° *Ac per hoc (si quem in rebus adhuc humanis locum veritas habet, & non ob strepitum iniquitatis totus omninò mundus obsurduit) ratione, disputatione, & Apostoli fide atq; ipsâ ejus sententiâ teste, perdoctum esse fatebitur, inter Traducianos & Catholicos tantum esse discrimen, quantum inter Paulum & Manichæum, quantum inter sapientiam & stultitiam, quantum inter rationem & insaniam, quantum inter constantiam doctorum & eam fluctuationem quam novâ fœditate perpeteris, ut in iisdem penè versibus quod dixeris neges, quod negaveris asseveres.* Sic enim Augustinum compellat homo impudentissimus: cujus idcircò verba hæc describenda putavi, ut in hoc speculo contemplaretur lector consimiles nostrorum temporum ardeliones, Thrasoni huic adeò geminos, ut in eos hujus spiritus quasi per Pythagoricam quandam μετεμψύχωσιν immigrâsse videatur.

° Ibid. pag. 302. 303.

Quinque primos Iuliani libros Româ ab Alypio se accepisse P Augustinus indicat, quum binos Retractationum libros jam absolvisset; & ad quarti refutationem progressum esse, priusquàm de Hæresibus ad Quodvultdeum cœpisset scribere: adeoq; in instituto suo ad ipsum usque *dierum suorum finem* perseverâsse, neq; *inter impetus obsidentium Vandalorum* hunc respondendi laborem intermisisse, ostendit Prosper in Chronico. Imperfectum tamen opus ab eo relictum fuisse, ex Possidij liquet Indiculo: ejusque *Altercationis* primam tantùm partem, Claudij Menardi operâ è tenebris erutam, in manibus habemus; libros duos integros, tàm opponentis Iuliani, quàm respondentis Augustini, nobis exhibentem. ubi hæretici convitia breviter & modestè ita depellit sanctus Pater. ⁹ *Convitiare quantum potes: quis enim convitiosus hoc non potest?* ʳ *Si emeres ista convitia, pro ligum te dicerem. Gratis tibi adjacent; cur non eis fruaris, quibus maledicum animum pascis?* ˢ *Aliquid*

P Augustin. epist. ad Quodvultdeum, præfix. libro de Hæresib.

9 Augustin. operis imperfecti contra Iulian. lib. 1 pag. 11.

ʳ Ibid. pag. 67.

ˢ Id. ibid. lib. 1. pag. 303.

dicere

dicere non potes. tace si potes: sed, quod pejus est, nec hoc potes. Verùm alio modo tractandum Iulianum censuit Coelestinus Pontifex: dum & ipsum, &, cui ille octo suos adversùs Augustinum libros dedicaverat, Florum, unà cum Orentio & Fabio & alijs ejusdem sectæ, Episcopatibus suis exuit, & solum vertere coëgit. quos, Theodosij Imperatoris opem in Oriente frustrà implorantes, ab œcumenico Concilio Ephesino denuò condemnatos videbimus suo loco.

In Gallijs interim, dum à Valentiniano III. Cæsare data est opera ut Pelagiani Episcopi vel corrigerentur vel inde pellerentur, à Iohanne Cassiano sub specie rejecti Pelagianismi posita sunt fundamenta illius Semipelagianismi, qui Gallicanam Ecclesiam centum amplius annos perturbavit. Valentiniani lex, Aquileiæ anno CCCCXXV. ad Armatium Præfectum Prætorio Galliarum data, fuit hujusmodi. « *Diversos Episcopos nefarium Pelagiani & Coelestiani dogmatis errorem sequentes, per Patroclum sacrosanctæ legis Antistitem præcipimus conveniri. &, nisi intra viginti dies ex conventionis tempore (intra quos deliberandi tribuimus facultatem) errata correxerint sesèq; Catholicæ fidei reddiderint; Gallicanis regionibus expelli, atq; in eorum sacerdotium fidelius subrogari: quatenùs præsentis erroris macula de populorum animis tergatur, & futuræ bonum disciplinæ justioris instituatur.* « Concilior. Galliæ, tom. 1. pag. 54.

Erat iste Patroclus Arelatensis archiepiscopus: quem anno proximè sequente *à Tribuno quodam barbaro multis vulneribus laniatum* occubuisse, testis est Prosper in Chronico. Successor illi datus est Honoratus, primus Lirinensis cœnobij Abbas: cui post *biennium* vitâ functo in sede Arelatensi substitutum esse Hilarium, docet in hujus Vitâ Honorius Massilienſis episcopus. Ex quibus intelligimus, Honorato sub initium anni CCCCXXIX. mortem obeunti (die enim Ianuarij XVI. in Martyrologijs configuata habetur illius memoria) Hilarium, & Patroclo sub finem anni CCCCXXVI. occiso in Arelatensi cathedrâ

 succe-

suffectum fuisse Honoratum. Quum autem esset hic Abbas, *undecimam*; quum Episcopus, *decimam octavam*. Collationem scripsit Cassianus: ut ex Præfatione utriq; præfixâ liquet. Unde illud est consequens, circa annum CCCCXXVI. scriptam fuisse de Protectione Dei Collationem *decimam tertiam*: in quâ, primas Pelagij imitatus artes, non sub suâ, sed sub Chæremonis abbatis personâ, mediam quandam de gratiâ & libero arbitrio insidiosè proposuit sententiam.

[a] Prosp. lib. contra Collatorem, cap. 2.

In libro, inquit [a] Prosper, *cujus prænotatio est, De protectione Dei, vir quidam sacerdotalis ordinis, qui disputandi usu inter eos quibuscum degit excellit, Abbatem quendam introducit de gratiâ Dei & libero arbitrio differentem, cujus se offendit per omnia probâsse ac suscepisse sententiam. Ut jam non cum illo nobis sit negotium, qui fortè tales opiniones suas aut negando refutaret, aut corrigendo diluere: sed cum isto, qui ad instrumentum inimicorum gratiæ Dei talem studuit proferre doctrinam. Quæ tamen inter initia disputationis à veritatis pietate non dissonat; & justo honorari præconio mereretur, nisi præcipiti levoq; progressu ab inchoatâ rectitudine deviaret.* Ex sequentibus enim illius definitionibus ista [b] Prosper deducit porismata.

[b] Id. ibid. cap. 40. Vid. Didac. Alvarez. de auxilijs gratiæ, lib. 1. disput. 2. à sect. 18. ad fin. & Henrici Cuykij censoriæ notas in libros Cassiani.

I. *Quòd Adam peccante, anima ejus læsa non fuerit; sanumq; in eo manserit, unde peccavit (siquidem scientiam boni, quam acceperat, non amiserit:) nec potuerint posteri ejus id perdere, cujus damnum nec ille pertulerit.*

II. *Inesse omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creatoris inserta, ut possit qui voluerit judicio naturali Dei gratiam prævenire, & adjutorium ejus, quo facilius ad perfectionem perveniat, promereri. quia nullius sit laudis ac meriti, qui donatis bonis non propriis adornatur.*

III. *Cavendum esse, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referantur, quasi per se nihil boni possit agere ipsa humana natura: cùm tanta sit virium ejus integritas, ut contra ipsum Diabolum sævitiamq; ejus usq; ad extrema supplicia, sine auxilio Dei valeat dimicare.*

IIII.

IIII. *Hanc possibilitatem in omnibus esse hominibus naturalem, sed non omnes ingeneratis sibi uti velle virtutibus: tantam autem circa universos homines bonitatem esse creatoris, ut alij ab eo quia sponte veniant suscipiantur laudati, alij quia resistunt attrahantur inviti; atq; ideò volentium susceptor, nolentium verò salvator sit.*

V. *Cùm pars Ecclesiæ ex gratiâ, pars autem ex libero justificetur arbitrio; gloriosiores sint quos natura provexerit, quam quos gratia liberârit: quia ad omne opus bonum tam libera sit voluntas in Adæ posteris, quàm in Adam fuit ante peccatum.*

Unde Collatorem [y] Prosper sic adoritur. *Doctor Catholice, cur professionem tuam deseris? cur ad fumosam falsitatis caliginem, relictâ sereniſſimæ vanitatis luce, devolveris? Quod in petentibus, quærentibus, pulsantibusq; miraris, cur non eidem gratiæ, quæ desideratur, adscribis? Vides bonos conatus, pia studia; & dubitas esse dei dona? Latuerit opus gratia donec fides insita cogitationis clandebatur arcano: at ubi supplex oratio, ubi diligens inquisitio, ubi apparet crebra pulsatio; quare non ex qualitate operis sumministrationem intelligis incitantis? Et satis te contra Pelagianorum calumnias præcavere existimas, si quod in Universitate vocatorum sentiendum est, id nobis in portione concedas. Sed nec cum hæreticis tibi, nec cum Catholicis plena concordia est. Illi in omnibus justis hominum operibus, liberæ voluntatis tuentur exordia. Nos bonarum cogitationum ex Deo semper credimus prodire principia. Tu informe nescio quid tertium & utriq; parti inconveniens reperisti; quo nec inimicorum consensum acquireres, nec in nostrorum intelligentiâ permaneres.*

[y] Prosp. ibid. cap. 4. 5. 6.

Quo modo autem non advertis, te in illud damnatum incidere, quod velis nolis convinceris dicere, Gratiam Dei secundùm merita nostra dari; cùm aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus propter quod gratiam consequantur, affirmas? Non enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia: præcipuè cùm omnes ejusmodi, & accipere, et * *venire, et intrare dicantur. In quo superfluum, imò im-*

Matth. 7. 7, 8.

* invenire.

pium est, sic velle meritis ante gratiam existentibus locum
Iohan. 6 44. *facere, ut non ex toto verum sit, quod ait Dominus; Nemo venit ad me, nisi pater, qui misit me, attraxerit eum: si cujusquam hominis sine Dei illuminatione esset credenda conversio; aut ullo modo se voluntas hominis ad Deum sine Deo posset extendere. qui eum vocatum ad filium trahit, non resistentem invitum compellit; sed ex invito volentem facit, & quibuslibet modis infidelitatem resistentis inclinat: ut cor audientis, obediendi in se delectatione generatâ, ibi surgat, ubi premebatur; ibi discat, ubi ignorabat; inde fidat, unde diffidebat; inde velit, unde*
Psalm. 85. 12. (al. 84. 13.) *nolebat. Etenim Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum.*

Hinc in Concilio Romano LXX. episcoporum sub Gelasio habito, *Opuscula Cassiani presbyteri Galliarum apocrypha* censentur: eaq; *à Catholicis cautissimè legenda, maximè de libero arbitrio & gratiâ*, notat Ado Viennensis in Chronico. *De libero* enim *arbitrio à beato Prospero jure culpatus est: unde monemus, ut in rebus talibus excedentem sub cautelâ legere debeatis*; inquit, ante Adonem, in divinarum lectionum Institutione (cap. 29.) Aurelius Cassiodorus. & post eum, in Proœmio librorum de Causâ Dei contra Pelagium, Thomas Bradwardinus. Hæresis Pelagiana *per patres orthodoxos extincta, à Cassiano iterùm suscitatur: quam & Prosper prosperè castigavit.* Ob resuscitatum enim hunc Pelagianismum ita ab illo increpatum Cassianum invenimus.

[z] Prosp. contra Collator. cap. 11. & 12. [z] *Cùm de sanctarũ origine voluntatũ, & fidei charitatisq; principijs, inter nostros & Pelagianos quæstio versaretur, non ancipiti victoriâ nec dubio diremptum est sine certamen: ut adhuc nobis de iniquissimâ hujus fœderis tui pace tractandum sit. Prostrata est inimica acies, bellum confectum est; victores sumus per illum qui fecit potentiam in brachio suo, qui dissipavit*
Luc. 1. 51. *superbos mente cordis ipsorum. &c. Quid de elisarum argumentationum ratiunculis fracta studes arma colligere? Quid cineres extincti dogmatis refovendo, deficientis fumi nidorem in redivivam flammam conaris accendere? Non est periculum*

libero

libero arbitrio ex gratiâ Dei; nec voluntas auferitur, cùm in ipsâ benè velle generatur. Nam si ideò non putanda est nostra, quia formatur, regitur, ordinatur, imbuitur; spoliantur libertate filij Dei, qui aguntur Spiritu Dei: perdunt vigorem rationalis animi, & omni voluntariæ devotionis laude privantur, quibus datur spiritus sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis, ac timoris Domini. Prorsùs qui his reformationibus se non putant indigere, de veteris morbi consuetudine in phrenesim transeunt: respuentes remedium, clamant, insaniunt, reluctantur. Sed si repromissionis sunt filij, quiescent & sanabuntur. Rom. 3. 14. Esai. 11. 2. 3.

Floruit his temporibus apud Britannos Fastidius: de quo in Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo, Gennadius. *Fastidius Britannorum Episcopus, scripsit ad Fatalem quendam de vitâ Christianâ librum unum, & alium de viduitate servandâ, sanâ & Deo dignâ doctrinâ.* & Io. Trithemius. *Fastidius episcopus Britannorum, vir in scripturis sanctis eruditus, & verbi Dei prædicator egregius, vitâ quoq; & conversatione illustris, sermone & ingenio clarus, scripsit nonnulla devota opuscula: de quibus fertur ad Fatalem volumen quoddam sanâ doctrinâ conscriptum, De doctrinâ Christianâ, & De viduitate servandâ lib. 1. Claruit sub Honorio & Theodosio principibus, anno Domini CCCCXX.* In quibusdam Gennadij codicibus, *de fide*, in alijs (quos in suo Catalogo Honorius Augustodunensis est secutus) *de vitâ Christianâ* scripsisse legitur. ex quâ diversitate lectionis factum; ut Trithemius *de doctrinâ Christianâ*, [a] Iacobus Philippus Bergomensis *de vitâ Christi* (pro *Christianâ*) librum ab eo editum retulerit.

[a] Philip. Bergom. Supplement. Chronic. lib. 9. ad annum Christi 413.

Et quia *Britannorum* vel (ut alia legunt exemplaria) *Britanniarum* Episcopum à Gennadio appellatum scioli quidam adverterunt, Britanniarum Primatem fuisse inde collegerunt: quumq; non alibi quàm [b] Londini primam sedem collocatam eo tempore fuisse sibi persuasissent, Londinensem fuisse illum archiepiscopum concluserunt. *Londinensis, ut fertur, metropolites erat:* scripsitq;, *De vitâ*

[b] Vid. supr. cap. 5. pag. 97, 98.

Christianâ lib. 1. *De doctrinâ spiritus lib.* 1. *De viduitate servandâ lib.* 1. *Admonitiones pias*, lib. 1. *& alia nonnulla*: inquit e Io. Balæus. d Iohannes Pitsius paulo confidentiùs, *in premium virtutum ad Archiepiscopatũ Londinensem evectũ* fuisse asserit; & *composuisse*, *De fide & vitâ Christianâ*, *lib.* 1. *De doctrinâ Deo dignâ vel spirituali*, *lib.* 1. *Admonitionum piarum*, *lib.* 1. *De viduitate servandâ sanâ*, *lib.* 1. *& alia non pauca.* e Dempsterus præterea, ex Indiculo popularis cujusdam sui, *Chronicon Scotorum* scripsisse eum refert: utpote *è montibus Scotiæ Occidentalis, quâ parte Hiberniam despectant, oriundum.* quæ omnia flocci non sunt facienda: cùm de Fastidio nihil aliud in antiquioribus monumentis scriptum inveniatur, quàm quod à nobis ex Gennadio est productum.

c Balæ: Centur. 1. cap. 41.
d Pits. de Britanniæ scriptorib. ætat. 5.
e Dempster. histor. Scotor. lib. 6. num. 536.

Timotheum etiam quendam contra divinam & humanam in Christo naturam impiè inter Britannos disputavisse, prodiderunt f recentiores; vulgato Sigeberti Gemblacensis Chronico decepti, in quo ad annum Christi CCCCXXVIII. ita legimus. *In Britanniâ Timotheus quidam continentiæ & religionis imagine multis illudens, eos in errorem suæ hæresis induxit: dicens Christum verum quidem deum, & verum hominem de virgine Mariâ natum fuisse, sed mentiens, dicendo, quòd divina natura conversa sit in humanam naturam.* Verùm in emendatiori Chronico quod ex Gemblacensi exemplari ab Auberto Miræo editum est, pro *Britannia* habetur hîc *Bithynia*: quam lectionem etiam Gennadianus Hæreticorum Indiculus confirmat; in quo *Timotheanorum* hujusmodi reperitur descriptio. *Timotheani dicunt filium Dei verum quidem hominem ex virgine Mariâ natum; sed non ità unam reddidisse personam, ut non in unam redacta sit naturam conflatoriũ quoddam fuisse volentes interiora Virginis, per quod duæ naturæ, id est, Deus & homo, in unam resolutæ & compactæ massã, unam Dei & hominis exhibuerint formã: immutatâ videlicèt naturarũ proprietate efficientium coitionem. Et ad confirmandam hujuscemodi impietatem, quæ Deum asserit à suâ versum naturâ, coguntur Evangelistæ*

f Io. Bal. æ, Centur. 1. in appendic. cap. 44. & 45. Camden. Britann. pag. 60.

geliſta teſtimonium, dicentis; Et Verbum caro factum eſt: Iohan. 1.14.
quod ita interpretantur; *Divina natura in humanam verſa eſt. O abolitionem, illi inviolabili impingentem ſubſtantiæ! Hujus impietatis initiator Timotheus, apud Bizam Bithyniæ modò exulans civitatem, continentis & religioſæ vitæ imagine multis illudit.*

Timotheanorum deſcriptionem iſtam, ad calcem libri de Hæreſibus ad Quodvultdeum adjectam, in MS.° Gemblacenſi inveniſſe ſe teſtantur Lovanienſes Operum Auguſtini editores: unde veriſimile fit, Gemblacenſi Sigeberto occaſionem datam ſuſpicandi, Pelagianæ hæreſi (quæ in Auguſtini Catalogo noviſſima recenſetur) tempore fuiſſe proximam Timotheanam iſtam, Neſtorianâ & Eutychianâ ſuperiorem. quum tamen certum ſit, non alium Timotheanorum ducem à Gennadio hîc intellectum, quàm Ælurum illum Timotheum, Eutychianæ hæreſeos interpolatorem & Calchedonenſis Concilij hoſtem acerrimum; qui g *extincto ab Alexandrinis Proterio Epiſcopo, tumultuante adhuc plebe, aut voluit aut paſſus eſt ſe ab uno Epiſcopo, in locum occiſi Epiſcopi, fieri Epiſcopum.* de quo, in Scriptorum Catalogo, ut in Hæreticorum Indiculo, hoc itidem ab eo eſt adjectum. *Vivere adhuc in exilio jam hæreſiarcha dicitur & habetur.*

g Gennad. Catalog. ſcriptor. Eccleſiaſt. cap. 78.

Sed non ut à Timotheanâ, ita etiam à Pelagianâ hæreſi Britanniam immunem præſtare poſſumus. Nam *totam ferè Britanniam Pelagianam peſtem occupaviſſe*, in S. Lupi Vitâ legimus: quam tamen neq; ab ipſo Pelagio, quantumvis ibi nato, neq; à vicino Celeſtio, ſed ab Agricolâ quodam Pelagiano eò advectam fuiſſe accepimus. Narrat quidem h Claudius Menardus, *Agricolæ Britanno Scoto, totam inſulam turbanti Celeſtinum*, Italiæ finibus extruſum, *adjutorem acceſſiſſe*. Sed tam de Celeſtij in Britanniam adventu, quàm de Agricolæ patriâ, ſine teſte ille loquitur. Quare ab antiquioribus hiſtoriæ veritas eſt exquirenda; imprimiſq; horum temporum ſcriptore Proſpero: cujus de Celeſtino Romano Pontifice verba ſunt iſta, i *Nec negniore*

h Menard. notis in Auguſtini contra Iulian. opus imperfectum.

i Proſp. contra collatos cap. 41.

curâ

curâ ab hoc eodem morbo (Pelagiano) Britannias liberavit, quando quosdam inimicos gratiæ * solum suæ originis occupantes, etiam ab illo secreto exclusit Oceano, & ordinato Scotis Episcopo, dum Romanam insulam studet servare Catholicam, fecit etiam barbaram Christianam.

* Pelagius enim Britannus cùm esset, ex Britanniâ complures allegerat sibi discipulos. Baron. ann. 429. §. 1.

Hæc in Chronico magis explicatè idem repetit: anni CCCCXXIX. Florentij & Dionysij Consulatu signati, historiam sic enarrans. k *Felice ad patriciam dignitatem provecto, Aëtius magister militum factus est. Agricola Pelagianus, Severiani episcopi Pelagiani filius, Ecclesias Britanniæ dogmatis sui insinuatione corrupit. Sed ad actionem Palladij diaconi, Papa Celestinus Germanum Autisiodorensem episcopum vice suâ mittit; & deturbatis hæreticis, Britannos ad Catholicam fidem * dirigit.* & ad annum ab hoc alterum de Palladio adjiciens. *Ad Scotos in Christum credentes ordinatur à Papâ Celestino Palladius; & primus Episcopus mittitur.* Vnde duas fuisse Palladij legationes in Britanniam, perperàm colligit l Baronius: quum priore anno, agente tantùm Palladio, Germanum huc à Celestino missum fuisse Prosper indicet. Vt simul etiam concidat, quod Menardus retulit; eodem anno CCCCXXIX. *Palladium primùm, tùm Germanum Lupumq;* Britannicâ legatione fuisse functum.

k Prosp. Chronic. ab Arn. Pontaco edit. & ab Henr. Canisio, tomo 1. Antiqu. lection. ex MS. Augustano.

* al. redegit.

l Baron. ann. 429. §. 6.

Accedat huc & Bedæ narratio. lib. 1. histor. Ecclesiast. cap. 17. *Hæresis Pelagiana per Agricolam illata, Severiani episcopi Pelagiani filium, fidem Britanniarum fœdâ peste commaculaverat. Verùm Britanni cùm neq; suscipere dogma perversum, gratiam Christi blasphemando, ullatenùs vellent, neq; versutiam nefariæ persuasionis refutare verbis certando sufficerent; inveniunt salubre consilium, ut à Gallicanis antistitibus auxilium bellicæ spiritalis inquirant. Quam ob causam collectâ magnâ Synodo querebatur in commune, qui illuc ad succurrendum fidei mitti deberent: atq; omnium judicio eligebantur, Apostolis sacerdotes, Germanus Autisiodorensis & Lupus Trecassinæ civitatis episcopi, qui ad confirmandam fidem gratiæ cœlestis Britannias venirent. Qui cùm promptâ devotione*

devotione preces & jussa sanctæ Ecclesiæ suscepissent; intrant Oceanum, &c.

Severianum illum [m] Iohannes Balæus *Severum Sulpitium Aquitanum* fuisse affirmat: qui B. *Martini vitam edidit*; atq; Agricolam istum *in Britanniâ genuisse ex Britannâ matre, dum Pelagianum illic spargeret dogma*. Verùm non à patre, sed à filio Pelagianum dogma in Britanniam illatum fuisse Prosper & Beda dicunt ac patrem *Episcopum* fuisse addunt, quum illum Aquitanicum, qui magistri sui Martini vitam scripsit *presbyterum* tantùm faciat, qui res illius ignorare non potuit, Massiliensis Gennadius. [n] *Hic* tamen *in senectute suâ à Pelagianis deceptus & agnoscens loquacitatis culpam, silentium usq; ad mortem tenuit; ut peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo penitùs emendaret*: ut de hoc ipso presbytero refert idem Gennadius, & post eum Ado Viennensis, Matthæus Florilegus, Iohannes Trithemius, & alij. Britannos quoq;, *juxta Sulpitij Severini regulam*, LXXXIIII. annorum cyclum in Paschate designando observâsse, author est [o] Aldhelmus, ut quod de Sulpitio Severo hîc dicitur, aliquâ saltem probabilitatis specie niti videatur.

[m] Balæ. Centur. 1. cap. 45.

[n] Gennad. Catalog script. Ecclesiastic. cap. 19.

[o] Aldhelm. epist. ad Geruntium; inter Bonifacianas, num. 44.

At nullam verisimilitudinis vel speciem quidem obtinet, quod à Balæo est additum, *Agricolam* hunc, eundem cum *Leporio* fuisse; de quo [p] Gennadius. *Leporius adhuc* [*] *monachus, posteà presbyter, præsumens de paritate vitæ (quam arbitrio tamen & conatu proprio, non Dei adjutorio obtinuisse crediderat) Pelagianum dogma cœperat sequi. sed à Gallicanis doctoribus admonitus, & in Africâ per Augustinum emendatus, scripsit emendationis suæ libellum; in quo & satisfacit de errore, & gratias agit de emendatione: simul & quod malè senserat de incarnatione Christi corrigens, Catholicam sententiam tulit; dicens manentibus in Christo duabus naturis, unam credi filij Dei personam.* & [q] Facundus Hermianensis. *Cùm quidem Leporius presbyter apud Gallias, depravatus à verâ & antiquâ Ecclesiæ fide, eadem docere præsumeret quæ posteà Nestorius docuit, atq; inde pro tali errore depulsus,*

[p] Gennad. Catalog. cap. 59.

[*] *latem.* Ado in chronic. ætat. 6. Vid supr. cap. 8, pag. 210.

[q] Facund. de trib. Capitulis, ad Iustinianum Imp. lib. 1. cap. 4.

in Africam docendus veniret. illic instructus, ut docet Apostolus, in spiritu mansuetudinis à spiritalibus patribus Aurelio Carthaginiensi, & Augustino, atq; aliis Africanis Episcopis, pravissimam nov itatem sui dogmatis abdicavit. Scripsit autem libellum satisfactionis idem Leporius ad Gallos Episcopos; quem memorati venerabiles patres Aurelius atq; Augustinus & cæteri sic probaverunt, ut ad faciendam veritatis fidem, etiam suas ei subscriptiones adjicerent. & cui ille probè notus erat, [r] Iohannes Cassianus. *Leporius inquit monachus, modò presbyter, qui ex Pelagij institutione vel potius pravitate descendens, apud Gallias assertor prædictæ* (incerti nominis) *hæreseos aut inter primos aut inter maximos fuit, à nobis admonitus, à Deo emendatus, ita malè conceptam persuasionem magnificè condemnavit, ut non minùs penè admiranda sit correctio illius, quàm illæsa multorum fides: quia primum est, errorem penitùs non incurrere; secundum, bene repudiare. Is ergo in se reversus, non solùm in Africâ, ubi tunc erat atq; nunc est,* (anno videlicèt CCCCXXX.) *tum errorem summ cum dolore, quàm sine pudore confessus est; sed etiam ad omnes nihilominùs Galliæ civitates flebiles confessionis ac planctus sui literas dedit*: quas ita exorsus est.

[r] Cassian. de Incarnat. Christi, lib. 1. cap. 4. 5.

„Quid in me primùm, ô Domini mei venerandi & be-
„atissimi Sacerdotes, accusem nescio; & quid in me
„primùm excusem, non invenio. Sit imperitia cum
„superbiâ, sit stulta simplicitas cum persuasione noxiâ,
„sit fervor cum intemperantiâ, sit (ut verius dicam)
„cum sui diminutione debilis fides, simul in me omnia
„recepta viguerunt; ut tot & tantis simul sit & obe-
„disse confusio, & hæc eadem ab animo potuisse cedere,
„mihi stupenda gratulatio.

Nam quòd anno Christi CCCCVI. (quò Pelagiana ipsa hæresis, Leporianæ hujus parens, lucem vix aspexerat) *Leporium Episcopum Uticensem in Bæticâ, priùs monachum ex familiâ S. Augustini, mutavisse perditam suam priorem sententiam, admonitum à S. Augustino præceptore suo,* in Chronico suo narrat commentitius Dexter; ejusdem

est

est ponderis, cujus illa à Balæo & Pitsio de eodem prodita; in Britanniâ natum, presbyterum & monachum in magno illo Bannochorensi cœnobio factum, per Gallicanos episcopos Germanum & Lupum (in Britanniam à Celestino missos) admonitum a Pelagiano errore resipuisse; & præter *Erroris sui palinodiam*, duo quoq; alia opuscula edidisse, *De incarnatione Domini* & *De duabus in Christo naturis*. quum Leporium Gallum fuisse constet, & in Galliâ hæresim suam sparsisse, indeq; à Proculo Massilienſi episcopo & Cylinnio exturbatum in Africam cum sectatoribus suis concessisse, atq; ibi ab [r] Aurelio, Augustino, Florentio & Secundino in viam revocatum, Emendationis suæ sive Satisfactionis libellum ad Episcopos Galliæ scripsisse; quem propediem in lucem à diligentissimo Sirmondo producendum expectamus. Ad alia verò illa opuscula quod attinet: alterius *de confessione naturarum Christi insignem facere mentionem Iohannem Cassianum libro primo de ejus Incarnatione*, affirmat Balæus: ibidemq; extare *contra Timotheum hæreticum de Incarnatione Verbi epistolam* à Leporio scriptam, Pitsius asserit. Verùm unius tantùm Satisfactionis libelli, sive Palinodiæ, Cassianus meminit: indeq; de Verbi incarnatione & duabus in Christo naturis, excerpta quædam retulit; non quidem contra Timotheum (quem illo ætate posteriorem fuisse jam ostendimus) sed contra semetipsum edita, quòd duas in Christo personas ante Nestorium adstruere præsumpsisset.

[r] Vid. eorum epistol. ad Proculum & Cylinnium; tomo 1. concilior. Galliæ, pag. 51.

Germani (ut ad eum jam accedamus) primas fuisse partes in liberandis à Pelagianâ peste Britannijs, omnes consentiunt; sed quorum operâ munus hoc illi sit impositum, inter optimos authores aliquantula videtur esse dissensio. Prosper enim (ut vidimus) Celestino Romano Episcopo hanc laudem tribuit, à Palladio Diacono ad curam hanc suscipiendam incitato. Constantius verò (& cum eo Beda, Paulus Diaconus, Freculphus, Ericus Autissiodorensis & Ado Viennensis) curantibus Episcopis

Gallicanis, ad opem Britannis ferendam, Germanum simul cum Lupo missum fuisse affirmat. quæ [t] Baronius ita inter se conciliare nititur. *Cùm authoritate Prosperi satis liqueat, S. Germanum Episcopum in Britanniam à Celestino missum esse legatum; Constantius verò at post eum Beda tradant à Synodo Gallicanâ id factum: potuit quidem utrumque facilè contigisse; vel, ut quem mittendum Synodus illa delegisset, Pontifex comprobâsset; vel quem sibi ad eam provinciam legare deberet, ipse Celestinus arbitrio Gallorum Episcoporum reliquisset. Certè quidem clades ipsa illata à Britannorum Ecclesiæ ab ipsorum gentile Pelagio, ac ejus discipulis, priùs innotuit Episcopis Galliarum legatione Catholicorum Antistitum Britannorum, ut ex Constantio liquet. Qui igitur legibus Imperatorum undique (ut dictum est) exagitati Pelagiani fuêre; in Insulâ illâ inprimis, ex quâ Pelagius auctor impietatis oriundus erat, latebras captare curârunt: ubi affectato ex more titulo sanctitatis, in se populi oculos convertentes, in eos paulatim cum prædicatione Christianæ vitæ perfectionis quam se profiteri jactabant, venena hæresis instillârunt; quæ adeò eorum præcordijs inhæserunt, ut jam medicinam nullam admitterent, suorumq; pastorum lupos arcentium vocem contemnerent: unde opus fuit, è vicinis Gallijs, imò è longè positâ Romanâ Ecclesiâ adversùs ingruentia malâ auxilium implorare. Sed non unus Germanus Episcopus tantum suscepit onus subeundum; Verùm additus est illi collega vir sanctissimus Lupus Episcopus Trecensis: amboq;, sicut Paulus & Barnabas, in Euangelium segregati.*

[t] Baron. an. 429. §. 10.

Duabus in Britanniâ legationibus functum fuisse Germanum, rerum ipsius scriptores tradiderunt: indeq;, in Poëmate de vitâ illius conscripto, Erricus Autisiodorensis hâc ad eum usus est apostrophe.

Túque ô, cui toto discretos orbe Britannos
Bis penetrare datum, bisq; intima cernere magni
Monstra maris,

Priorem hanc fuisse constat: in quâ collegam habuit ille Lupum; quem Claudius Menardus *fratrem*, [u] Petrus Equilinus

[u] Petr. de Natalib. lib. 6. cap. 156.

lius *cognatum* illius, suâ tantum fide, nuncupat. Fratrem verò Lupi fuisse Vincentium Lirinensem ex Eucherio novimus, primos Lirinæ suæ patres ita commemorante. *Digna quæ Honorato auctore fundata sit: quæ tanti instituti tantum nacta sit patrem, Apostolici spiritus vigore, & vultus honore radiantem. Digna quæ illum suscipiens, ita emitteret,* (ad Arelatensem scilicet cathedram:) *digna quæ præstantissimos alat monachos, & ambiendos profetat sacerdotes. Hæc nunc successorem ejus tenet Maximum, nomine clarum, quia post ipsum meruit adsciscl. Hæc habuit reverendi nominis Lupum, qui nobis illum ex tribu Benjamin lupum retulit. Hæc habuit germanum ejus Vincentium, interno gemmam splendore perspicuam. Hæc nunc possidet venerabilem gravitate Capraſium, veteribus sanctis parem.* Gen. 49 27.

Hæc Eucherius, in libello de laude eremi ad Hilarium tum scripto, quum se ille Lirinensi insulæ, *derelictis Episcopatus* Honorati (ut de se narrat ipse [z] Hilarius) *primitijs, secreti amore reddidisset.* Unde intelligimus eo tempore utrumq; fratrem, *post desudatas militiæ Lirinensis excubias,* (ut in epistolâ ad Lupum loquitur [y] Sidonius) aliò sese transtuliſſe: licèt anno CCCCXXIX. *Vincentium ex Palatino factum esse Monachum Lirinensem*, in Pseudo-Dexteri legamus Chronico. Lupum certè, qui Hilarij hujus sororem Pimeniolam uxorem duxerat, *cùm jam septimus conjugij annus volveretur*, sub Honorato Abbate gymnasium Lirinense ingressum esse, *cumq; annum unum illic egisset* ad urbis Trecensis Episcopatum fuisse raptum, indeq; *exacto biennij spatio* in Britanniam cum Germano profectum esse, antiquus Vitæ illius scriptor clarè indicat. Quod eorum anachronismos refutat qui, Prosperi rationibus desertis post annum CCCCXXIX. legationem hanc à Germano & Lupo susceptam fuisse opinantur. Ut enim in ipso extremo anno CCCCXXVI. quo Honoratum à Lirinensi præfecturâ ad Arelatensem archiepiscopatum evectum fuisse ostendimus, Lupum monasticam sub eo vitam profiteri cœpisse admittamus; triennium inde numeratum

[z] Hilar. Arelatens. in serm. de vitâ Honorati.

[y] Sidon. Apollinar. lib. 6. epist. 1.

tum anni CCCCXXIX. terminos excedere nos nequaquàm patietur. Et cùm anno abhinc altero Concilium Ephesinum habitum fuisse constet; corrigendum inde quod à [a] Sabellico est scriptum: *misisse Celestinum, secundùm hæc quæ Ephesi facta sunt, Germanum antistitem Altisiodorensem in Britanniam, ad Pelagianam hæresim, quæ passim totâ insulâ inolucrat, prædicatione tollendam.*

[a] Sabellic. Ennead. 8 pag. 823.

Porrò eorum, quibus Britannicæ hujus legationis obeundæ munus est impositum, tam sancta erat apud suos existimatio, ut Apollinaris Sidonius [a] S. Amianum Aurelianensem, velut *maximum consummatissimúmque Pontificem* commendaturus, *Lupo parem Germanóque non imparem* dixisse, satis esse putaverit: & [b] ad ipsum Lupum scribens, *Patrem patrum, & Episcopum episcoporum, & alterum sæculi sui Iacobum*, compellare nihil dubitaverit. Nactus est autem rerum suarum buccinatorem S. Germanus Lugdunensem presbyterum Constantium, cui octo primos Epistolarum suarum libros dicavit idem Sidonius: & ut [c] *virum singularis ingenij, salutaris consilij, in tractatibus publicis cæteros eloquentes, seu diversa sive paria decernat, præstantioris facundiæ dotibus antecellentem*, prædicat. Quæ ille verò solutâ oratione libris duobus, ea [d] libris sex Ericus Autisiodorensis monachus versu expressit; qui Colinæi typis anno 1543. Parisijs habentur excusi. Ejusdem præterea de miraculis S. Germani, quæ in ejus Vitâ omissa sunt, libros duos, unâ cum Sermone de transitu illius, in Bibliothecâ Bodleianâ MSS. vidi: in quorum Præfatione primum illium βιογραφον hoc ornat elogio. *Constantius Lugduni impensè doctissimus, impulsu vel precibus S. Patientis ejus tunc temporis urbis Episcopi, librum de vitâ & virtutibus beati Germani mirâ sententiarum elegantiâ copiosóq; delectu verborum excellentissimè edidit; cùm per ora cunctorum Sanctis recens adhuc Spiraret memoria, plurésq; qui eum degentem in seculo viderant superessent.*

[b] Sidon. lib. 8. epist. 15.

[b] Id. lib. 6. epist. 1.

[c] Id. lib. 9. epist. 16.

[d] Sigebert. Gemblacens. de illustr. Eccles. scriptorib. cap. 105. & in Chronic. ann. 877.

[c] Constant. de Vitâ Germani, lib. 1. cap. 19. MS. in Bibliothecâ Cottonianâ. & apud Surium, tom. 4. Iuli. 31.

Prioris hujus legationis initia Constantius sic exponit. [e] *Eodem tempore ex Britannijs directa legatio Gallica-*

nis

*nis Episcopis nunciavit, Pelagianam perversitatem in locis suis latè populos occupâsse, & quamprimùm fidei catholicæ debere succurri. Ob quam causam Synodus numerosa collecta est: omniumq; judicio duo præclara religionis lumina universorum precibus ambiantur, Germanus & Lupus Apostolici sacerdotes, terram corporibus, cœlum * meritis possidentes. Et quanto necessitas laboriosior apparebat, tanto eam promptiùs heroes devotissimi susceperunt, celeritatem negotij fidei stimulis maturantes.* Tum de Genovefâ virgine in itinere Deo dicatâ, & sedatâ in Oceano obortâ tempestate, narrationem persequitur: de illâ pariter consentiente Genovefæ, de hâc Lupi vitæ scriptore anonymo. Hujus enim profectionis [f] vitæ Genovefæ scriptor ita meminit. *Proficiscentes ad Britannias, præclari maximiq; Pontifices, ad Pelagianam hæresim (quæ tunc in locis illis emerserat) reprimendam; ad memoratam fortè parochiam* (Nimetodorensem; in quâ nata est Genovefa) *orandi vel manendi se gratiâ contulerunt.* De Lupo autem, ad * Trecensis sive Tricassinæ urbis episcopatum jam evecto, agens alter; *Exacto,* § inquit, *biennij spatio, cùm esset potens ingenio, clarus eloquio, sanctitate præcipuus, cum S. Germano, totius perfectionis & gratiæ spiritalis pleno, contra hæresim Pelagianam, quæ sanam oppugnabat fidem, in Britanniam profectus est: qui uno spiritu junctis, & pari voluntate concordes, terribiles Oceani fluctus, temporibus hybernis mari se committentes orationum gubernaculis mitigârunt.*

* mentibus. Baron.

[f] MS. in Bibliothecâ Sarisburiensi & Cottonianâ: & apud Surium, tom. 1. Januar. 3. sed mutato stylo.

* Troyes, in Campaniâ Gallicanâ.

§ Vita S. Lupi, apud Surium, tom. 4. Iuli. 29.

De re in Britanniâ ab eis gestâ, pergit narrare Constantius. [h] *Britannorum insulam, quæ inter omnes est vel prima vel maxima, sacerdotes Apostolici raptim opinione, prædicatione, virtutibus impleverunt. Et cùm quotidiè itruente frequentiâ, stiparentur, divinus sermo non solùm in Ecclesijs, verumetiâ per trivia, per rura, per devia diffundebatur, ut passim, & fideles Catholici firmarentur, & depravati viam correctionis agnoscerent. Erat in illis Apostolorum instar gloriâ & auctoritas per conscientiam, doctrina per litteras, virtutes ex meritis: accedebat præterea tantis auctoribus assertio veritatis.*

[h] Constant. lib. 1. cap. 23.

tatis. Itaq; regionis universitas in eorum sententiam prompta transierat. Latebant abditi siniſtræ persuasionis authores, & more maligni spiritus gemebant perire sibi populos evadentes. Ad extremum diuturnâ meditatione conceptâ præsumit inire conflictum. Procedunt conspicui divitijs, veste fulgentes, & circumdati assentatione multorum: contentioniſq; subire aleam maluerunt, quàm in populo, quem subverterant, pudorem taciturnitatis incurrere; ne viderentur se ipſi silentio damnavisse. Illic planè immensa multitudinis numerositas etiam cum conjugibus ac liberis excita convenerat. Aderat populus spectator futurus ac judex. Astabant partes disparí conditione dissimiles: hinc divina auctoritas, inde humana præsumptio; hinc fides, inde perfidia; hinc Christus, inde Pelagius auctor. Primo in loco beatiſſimi sacerdotes præbuerunt adversarijs copiam disputandi; quæ solâ verborum nuditate diu inaniter & autes occupavit & tempora. Deinde Antiſtites venerandi torrentes eloquij ſui cum Apoſtolicis & Euangelicis tonitruis profuderunt. Miſcebatur ſermo proprius cum divino, & aſſertiones violentiſſimas lectionum teſtimonia ſequebantur. Convincitur vanitas, perfidia confutatur: ita ut ad ſingulas verborum objectiones reos ſe, dum reſpondere nequeunt, fatcrentur. Populus arbiter vix manus continet: judicium cum clamore teſtatur.

Boëth. Scotor. hiſtor. lib. 8.

Londini conventum hunc habitum fuiſſe affirmat [i] Hector Boëthius: addens inſuper, Pelagianos, *qui reſipiſcere contumaciter ſprevisſent, flammis regiorum magiſtratuum operâſſe adustos; cæteros pro admiſſo delicto Pontificum authoritate pœnis adactos, receptos eſſe in gratiam.* [k] Matthæus Florilegus *Verolamij* Synodum hanc collectam fuiſſe ſcribit. Pro quo faciunt, & [l] *antiquæ fani Albani membranula*, quæ eo in loco, ubi *S. Germani ſacellum* etiamnum ſupereſt, Germanum pro ſuggeſtu verbum divinum effatum fuiſſe teſtantur; & ipſe *Conſtantius*, qui eundem S. Albani ſepulchrum aperiri tùm juſsiſſe refert. *Germanus*, inquit [m] *mille, omnium Apoſtolorum diverſorumq; Martyrum reliquias ſecum habens, factâ oratione, juſſit revelli ſepulchrum,*

[i] Flor. hiſtor. ad annum grat. 446.

[l] Camden. in Hertfordſhire, pag. 293.

[m] Conſtant. lib. 1. cap. 25.

chrum, pretiosa ibidem munera conditurus: arbitrans opportunum, ut membra Sanctorum ex diversis regionibus collecta, quos pares meritis receperat cœlum, sepulchri quoq; unius teneret hospitium. Quibus depositis honorificè atq; sociatis, de loco ipsi, ubi beati martyris effusus fuerat sanguis, massam pulveris secum portaturus abstulit: in quâ apparebat, cruore servato, rubere martyrum cædem, persecutore pallente.

Quò respexit & [a] Thomas Walsinghamius, de S. Albani vestimento agens apud Elienses conservato, in quo conspecta fuisse narrat *cruoris coagula densè respersa, ita nova, ita recentia quasi pridie fuissent effusa*; ut [b] suprà retulimus. *Et fas est credere*, inquit, *quòd ad honorem Sancti, divino miraculo sanguis ejus sit in hâc veste servatus; sicut in pulvere sui sepulchri per multa sæcula fuerat conservatus: cujus pulveris massam, in quâ rubebat adhuc sanguis martyris, S. Germanus Altissiodorensis episcopus secum abstulit, & detulit ad natale [c] secum Altissiodoro, capellam construens in honorem martyris memorati.* & [d] Matthæus Florilegus, de Albani reliquiis ab Offâ Merciorum rege inventis verba faciens. *Martyris corpus, astante Offâ rege, in theca ligneâ (in quâ priùs à Christi fidelibus, propter barbarorum sævitiam, fuerat tempore discriminis occultatum) reperiunt; cum ipsis sacris omnium Apostolorum diversorumq; Martyrum reliquiis, quas ibi dudum sanctus deposuerat Germanus. Movit hæc inventio tam clerum quàm populum universum ad lachrymas: & ob hoc maximè, quòd fidem fecit dictis sanctorum patrum; de reliquiis simul cum corpore repertis, quas legimus, ad solatium Martyris, ejus sacro corpori fuisse conjunctas.*

[a] Walsingham. histor. Edvardi II. ad ann. 1314.

[b] Supr. cap. 7. pag. 150.

[c] Idem Altissiodorum.

[d] Flor. histor. ad ann. 794. Vid. supr. cap. 7. pag. 166.

Sed ad Constantij narrationem non tam accedunt scriptores nostri, quàm diversi ab eâ abeunt Colonienses S. Pantaleonis monachi, qui [e] Albani reliquias à Germano Romam perlatas, indeq; à Theophaniâ Othonis II. Imperatoris conjuge Coloniam deportatas fuisse asserunt. Anno Christi 986. translationem hanc ab illâ factam, ex Moguntino suo MS° refert [f] Serarius: 977. assignant

[e] Suprà, cap. 7. pag. 149.

[f] Serar. Moguntiac. rer. lib. 5. p. 718.

gnant Colonienſes; ex quorum traditione, controverſiæ inter eos & Anglos anno 1327. hâc de re obortæ narrationem hanc pertexit Surius. *Ubi res innotuit Anglis, conſtanter illi aſſerere non dubitârunt, Sanctum Albanum Martyrem apud ipſos ortum & paſſum & conditum, eam quam ſuo ſanguine illuſtrâſſet inſulam nequaquàm reliquiſſe, ſed in eâ ſemper permanſiſſe. Eâ occaſione ea, qui per id tempus apud S. Pantaleonem Abbatis fungebatur officio, communicato cum fratribus ſui monaſterij conſilio, cum ſacræ B. Martyris reliquiæ, jam trecentis & quinquaginta annis in ipſorum Eccleſiâ quieviſſent, atq; ab ipſius martyrio 1000. & eo amplius anni fluxiſſent, ad loculum cum ingenti devotione & reverentiâ acceſſit, eoq; aperto videt ipſe, vident & cæteri fratres, non ſine multâ admiratione multiſq; lachrymis, magnâ omnipotentis Dei virtute clariſſimi Martyris corpus tot ſeculis incorruptum conſervari; lætanturq; ſingulari Dei beneficio, tanti theſauri ſe compotes fieri potuiſſe. Ut autem certiùs de rei veritate conſtaret, & fidelium devotio excitaretur, è loculo venerandas exulere reliquias, & ut Deus laudaretur in Sancto ſuo, publicè eas adſpectandas propoſuere; ac deinde in Thecam aliam, auro argentoq; & lapidibus pretioſis, quantum eorum ſinebant facultates, ornatam repoſuere, in quâ hodieque reſervantur. Tam autem recentes videbantur, ac ſi non ita pridem pro Chriſto cæſus eſſet inclytus Martyr. Caput enim cum barbâ, cervicem etiamnum ſanguinolentam, brachia & manus, ſcapulaſq; pelle & carne tectas, pectus cum coſtis laterum, denique ſpinam dorſi cum renibus invenerunt. Pannus etiam quo ſacrum corpus 350. annis obvolutum fuerat, inſtar nivis candidus, & planè incorruptus erat. Cùm autem hæ ſacræ reliquiæ ita oſtenderentur, multi paralytici, claudi, curvi, contracti, humi reptantes, gibboſi, caci, muti, dæmoniaci, manci, febricitantes, aliiſq; diverſis affecti morbis, non pauci etiam mortui & in aquis extincti (quorum omnium numerus quingentos excederet) curati ſunt: ut nihil dicamus de jumentis, quibus æquè eſt reſtituta ſanitas.*

Sur. tom. 3. Vit. Sanctor. Jun. 22.

Eadem

Eadem, postremo tantùm hoc de sanatis jumentis prætermisso, ex Surio repetit [t] Erhardus Winheimius: *oculato teste semetipso* asseverans, S. Albani *caput, cum carne & sanguine, ad præsentem usq; diem ita integrum consipici, ac si pridem carnifex gladio amputatum esset.* Verùm, si miraculorum obtentu dirimenda lis ista foret: proculdubio superiores decederent Albanenses in Angliâ cœnobitæ; vel unico illo libro in testimonium advocato, quem circa annum 1170. de S. Albani miraculis apud se patratis in lucem ediderunt. Libri (quem ex Cottonianâ sumptum bibliothecâ in manibus jam habeo) hoc est initium. *Miracula quæ per B. Albanum Protomartyrem Anglorum virtus divina operari dignata est, quædam ex innumeris commendata literis, & posterorum omnium notitiæ transmittere curavimus.* quorum ne in dubium vocaretur fides, solennis obtestatio est annexa. *Quæ de beato Martyre dicturi sumus, nemo falsa aut fabulosa existimet: sed quæ (Deum contestamur) aut ipsi oculis nostris vidimus, aut ab aliis probatæ fidei relatoribus auribus nostris audivimus. alioquin tacere maluissemus sine culpâ, quàm cum culpâ fari composita.* Quibus ut cohors auxiliaria paulo post accessit de Amphibali & sociorum ejus translatione [u] scriptio illa altera: in quâ, inter alia, quomodo in eorum occursum à monachis ductus sit Albanus, ut eos in cœnobio suo exciperet, sic author narrat. *Institutâ domi processione, Conventus & clerus accedunt; Martyribus obviant, corpus Anglorum Protomartyris deferentes. Quod ut consueverit aliquoties (prout noverunt ejus portitores) satis existere ponderosum, eâ horâ tantam sui facilitatem exhibebat, ut (quod miraculi est) alis quàm humeris subvehi, volare quàm incumbere potiùs crederetur. Occurrit ergo martyr martyribus, magistro discipulus, hospes quondam hospiti, cœlestis civis æterno contivi: quemq; ne viderent eum hostes, clàm olim abduxeras, jam palam excepit revertentem; & in eminentem cum sociis introduxit Ecclesiam, quem aliquando solum in tugurijs non valebat*

[t] Winheim. Sacrar. Agrippin. in Ecclesiâ 12.

[u] Supr. cap. 7. pag. 161. & Matth. Paris. in histor. anni 1178.

lebat exhibere secum.

Illas tamen Albani reliquias non Colonienses solùm in Germaniâ, sed etiam [z] Ortonienses in Daniâ, & Elienses in ipsâ Angliâ sibi vendicârunt: de quâ contentione Iohannem Tinmuthensem & Capgravium in Albani Legendâ consulere poterit.

[z] Vid. Æsnorhum in vitâ Canuti, cap. 28. 29. & Isac. Pontan. rerum Danicar. lib. 5. in historiâ regis 68.

Perdere si quis in his dignabitur otia curis.

Nos ad illam omnium sermone atq; scriptis celebratissimam victoriam *Alleluiaticam* Germano & Lupo ducibus à Britannis obtentam, sermonē jam convertimus: quam [y] Constantius sic enarrat. *Interea Saxones Pictiq; bellum adversus Britones junctis viribus susceperunt, quos eadem necessitas in castra contraxerat; & cùm trepidi partes suas penè impares judicarent, sanctorum Antistitum auxilium petierunt. Qui promissum maturantes adventum, tantum securitatis ac fiducia contulerunt, ut accessisse maximus crederetur exercitus. Itaq; Apostolicis ducibus Christus militabat in castris. Aderant etiam Quadragesimæ venerabiles dies, quos religiosiores reddebat præsentia Sacerdotum, in tantum ut quotidianis prædicationibus instituti certatim ad gratiam baptismatis convolarent. Nam maxima exercitus multitudo undam lavacri salutaris expetiit. Ecclesia ad diem Resurrectionis Dominicæ frondibus contexta componitur, & in expeditione campestri instar civitatis aptatur. Madidus baptismate procedit exercitus, fides fervet in populo, & contempto armorum præsidio, Divinitatis expectatur auxilium.*

[y] Constant. lib. 1. cap. 18.

Interea hæc institutio vel forma castrorum hostibus nunciatur: qui victoriam quasi de inermi exercitu præsumentes, assumptâ alacritate festinant: quorum tamen adventus exploratione cognoscitur. Cumq; emensâ solemnitate Paschali, recens de lavacro major pars exercitus arma capere & bellum parare tentaret: Germanus ducem se prælij profitetur. Eligit expeditos, circumjecta percurrit: & è regione quâ hostium sperabatur adventus, vallem circumdatam editis montibus intuetur; quo in loco novum componit

exercitum

exercitum, ipse dux agminis. Et jam adstat ferox hostium multitudo, quam appropinquare inturbantur in insidijs constituti. Cùm subitò Germanus signifer universos admonet, & prædicit, ut voci suæ uno clamore respondeant. Securisq; hostibus, qui se insperatos adesse confiderent Alleluia, *tertiò repetitum; Sacerdotes exclamant. Sequitur una vox omnium; & elevatum clamorem, repercusso aëre, montium inclusa multiplicant. Hostile agmen terrore prosternitur: & ruisse super se non solùm rupes circumdatas, verumetiam ipsam cœli machinam contremiscunt: trepidationiq; injecta vix sufficere pedum pernicitas credebatur. Passim fugiunt, arma projiciunt, gaudentes vel nuda corpora eripuisse discrimini. Plures etiam timore præcipites, flumen quod sensim venientes transierant, devoravit. Ultionem suam innocens intuetur exercitus, & victoriæ præstitæ otiosus spectator efficitur. Spolia colliguntur exposita, & prædam cœlestis victoriæ miles religiosus adipiscitur. Triumphant Pontifices, hostibus fusis sine sanguine; triumphant victoriâ fide obtentâ, non viribus. Compositâ itaq; opulentissimâ insulâ securitate multiplici, superatisq; hostibus vel spiritualibus vel carne conspicuis (quippe qui vicissent Pelagianistas & Saxones) cum totius maneret regionis redditum molirentur.*

In agro Flintensi, juxta oppidum quod Angli Mold Cambro-britanni Guidecrut appellant, hoc gestum aiunt; indeq; locum Maes Garmon, quod *Campum Germani* sonat, hucusq; nomen retinuisse: in præterfluente *Alena* fluviolo sacro hoc exercitu baptizato. Videndumq; an non huc etiam spectet illud Gregorij verba illa, *Cardines quoq; maris operiet*, Iob XXXVI. 30. edisserentis. *Omnipotens enim Dominus,* [a] inquit, *coruscantibus nubibus cardines maris operuit: quia emicantibus prædicatorum miraculis ad fidem etiam terminos mundi perduxit. Ecce enim penè cunctarum jam gentium corda penetravit: ecce in unâ fide Orientis limitem Occidentisq; conjunxit. Ecce lingua Britanniæ, quæ nil aliud noverat quàm barbarum frendere, jamdudum in divinis laudibus Hebraum*

[a] Gregor. Moral. in Iob, lib. 27. cap. 6.

cœpit ALLELUIA resonare. *Ecce quondam tumidus, jam substratus sanctorum pedibus servit Oceanus; ejusq; barbaros motus, quos terreni principes edomare ferro nequiverant, hos pro divinâ formidine sacerdotum ora simplicibus verbis ligant: & qui catervas pugnantium infidelis nequaquàm metuerat, jam nunc fidelis humilium linguas timet. Quia enim perceptis cœlestibus verbis, clarescentibus quoq; miraculis, virtus ei divinæ cognitionis infunditur, ejusdem divinitatis terrore refrenatur, ut prave agere metuat, ac totis desiderijs ad æternitatis gratiam pervenire concupiscat.* Etsi enim ad gentis Anglorum conversionem à [a] Bedâ & [b] Iohanne Diacono ista trahi non ignorem: quo minùs tamen ad illorum accedam sententiam, vel illud me cohibet, quòd ante missum ad Anglos Augustinum expositionem Iobi à Gregorio [c] editam fuisse animadverterim.

[a] Bed. histor. lib. 2. cap. 1.
[b] Iohan. Diacon. Vit. Gregor. lib. 2. cap. 39.
[c] Gregor. Regest. lib. 1. epist. 41. Indict. 9. (ann. 591.) & lib. 4. epist. 46 Indict. 13. (ann. 595.)

Quæ à Constantio commemorantur facta hîc à Germano & Lupo miracula, apud [d] Bedam legi possunt, ijsdem penè verbis repetita; & apud [e] Erricum Autissiodorensem, carmine heroico expressa. Ab eodem Errico, in libri prioris de miraculis S. Germani extremo capitulo, & ante eum à Ninio, addita sunt & alia; authoritatis admodùm exiguæ. In ijs de subulco (*Ketelo* vel *Cadello*) illud est ad regnum evecto: quod ab [f] alijs aliter, à [g] Ranulpho Cestrensi ita relatum legitur. *In Legendâ sancti Germani habetur, quod dum Vortigernus hospitium sancto Germano negaret, subulcus regis videns sanctos Dei afflictos, hospitium exhibuit, viculum ad cibum dedit: sed post cœnam Germanus viculum resuscitavit. In crastino verò, ex Dei mandato, Germanus Vortigernum de regno deposuit, & subulcum prædictum cunctis stupentibus regem constituit: ac exinde Britannorum reges ex genere subulci prodierunt. Gildas tamen in historiâ suâ dicit ista contigisse, non de Vortigerno sed de rege Powisiæ nomine* Benly; *cujus successores in illâ parte Cambriæ prodierunt de genere illius subulci.* [h] Galfridus Monemuthensis per Germa-

[d] Bed. histor. lib. 1. cap. 17. 18. 19.
[e] Eric. Vit. German. lib. 1.
[f] Vincent. Specul. historial. lib. 20. cap. 11. Antonin. Chronic. tit. 11. cap. 17. §. 3. Iohan. Leydens. Chronic. Belgic. lib. 2. cap. 1.
[g] Ranulph. Polychronic. lib. 5. cap. 1.
[h] Histor. Britannic. lib. 6. cap. 13.

num & Lupum *multa miracula ostendisse Deum* ait, *quæ Gildas in tractatu suo luculento dictamine peraravit*. ubi, num librum *De Victoriâ Aurelij Ambrosij* Gildæ attributum, ad quem [i] alibi nos remittit, an *Ninij* potiùs historiam intelligat, quæ passim falso Gildæ nomine circumfertur, viderint illi quibus priorem tractatum videre contigit: ad posteriorem respexisse Ranulphum, res ipsa loquitur.

[i] Ibid. lib. 4. cap. ult. vid. supr. pag. 101.

In Constantij de *Alleluiatico* illo triumpho narratione difficultas adhuc explicanda superest: quâ ratione Saxones cum Britonibus belligerantes hîc inducantur, quum eorum in insulam adventus Germani legatione tempore videatur fuisse posterior. Eum nodum [k] Matthæus Florilegus & [l] Carolus Sigonius, cùm solvere non potuissent, dissecuerunt; *Scotorum* pro *Saxonum* in historiâ substituto vocabulo. [m] Beda, [n] Paulus Diaconus & [o] Freculphus, à Prosperi rationibus in tempore legationis Germani designando recedentes, post adventum Anglorum sub Marciano Imperatore victoriam hanc partam fuisse statuerunt. Antiquitatum patriarum scientissimus [p] Camdenus contrà, in primâ Germani profectione Prosperi chronologiâ retentâ, ex Ninij interpolatore Anglorum adventum in annum proximè præcedentem conjicit; Bedæ & Anglosaxonicorum omnium scriptorum de sui adventus tempore sententiâ hîc neglectâ.

[k] Flor. histor. ann. 448.
[l] Sigon. de Occidental. Imper. lib. 13. ann. 429.
[m] Bed in lib. de sex ætatib.
[n] Paul. Diac. in addit. ad Eutrop lib. 15.
[o] Freculph. Chronic. tom. 2. lib. 5. cap. 16.
[p] Camden. Britann. pag. 95.

Sed absq; istis diverticulis facillimus patebit exitus, si consideraverimus, longè priùs quàm appulisset huc Hengistus, frequenter Saxonas irrumpere consuevisse in Britanniam. Nam in principio imperij Valentiniani I. *Saxonas*, non minùs quàm *Pictos* & *Scotos*, ærumnis continuis vexavisse Britannos, author est [q] Ammianus Marcellinus. & sub Honorio Aug. de Stilichone ita canentem introducit [r] Claudianus Britanniam.

[q] Ammian. histor. lib. 26.
[r] claudian. lib. 2. de laudib. Stilichonis.

Illius effectum curis, ne bella timerem
Scotica, ne Pictum tremerem, ne littore toto
Prospicerem

Prospicerem dubijs venturum SAXONA ventis. Et ad insulam ab eorum impetu defendendam, institutum fuisse *Comitem littoris* SAXONICI *per Britanniam*, Notitia Imperij indicat. quo præsidio, abductis hinc Romanis legionibus, jam cessante; non mirum, si è Saxonico illo littore crebras incursiones perpessa fuerit Britannia. Vt de Vortigerni consiliarijs, Saxonas huc invitantibus, non sine causâ Gildas exclamaverit. *O altissimum sensus caliginem! & desperabilem crudamq; mentis hebetudinem! Quos propensius morte tum abessent tremebant, sponte (ut ita dicam) sub unius tecti culmine invitabant stulti principes (ut* [f] *dictum est) Taneos, dantes Pharaoni consilium insipiens.*

[f] Esai 19. 11.

[e] Galfridus Monemuthensis, per horum consortium, ipsius Vortigerni temporibus, Christianam religionem ita hîc corruptam fuisse narrat; ut *jam nesciretur quis Paganus esset, quis Christianus, quia Pagani filias & consanguineas eorum sibi associaverant.* Et, *in tempore illo* (si hunc audimus) *venit sanctus Germanus Altissiodorensis episcopus, & Lupus Trecasensis episcopus, ut verbum Dei Britonibus prædicarent. Corrupta namq; fuerat Christianitas eorum, tum propter Paganos quos Rex in societatem eorum posuerat, tum propter Pelagianam hæresim cujus venenum ipsos multis diebus affecerat. Beatorum igitur virorum prædicatione restituta est inter eos vera fidei religio; quia multis miraculis quotidie præclarebant.* additq; [g] Vortimerum Vortigerni filium, victoriâ adversus Anglos potitum, cœpisse *ecclesias jubente sancto Germano venerare.* Nec dissimiliter in Scotorum historiâ de eodem Vortimero [h] Hector Boethius. *Ad Christi templa deinde restituendo, ad reparandam Ethnicorum crudelitate labefactatam religionem, toto conatu animum intendit. Nam Saxonum feritate Britanniam pervagante, alij Britonum gentis à verâ pietate alienati ethnico more litabant dæmonibus; alij & multò plures ritum eum aversati, Pelagianam hæresim semel abjuratam denuò sunt amplexi. Sed ut utroq;*

[e] Histor. Britannic. lib. 6. cap. 13.

[g] Ibid. cap. 14.

[h] Boeth. histor. Scot. lib. 8.

utroq; errore Britannia purgaretur, Germanus Altissiodorensis & Lupus Trecensis, multâ sanctitatis & doctrinæ celebritate antistites, è Galliâ Vortimeri regis operâ accîti, multos ac pios impendere sudores.

y Iohannes Geerbrandus Leydensis circa annum Domini CCXC. Diocletiano imperante Britanniam *fidem Christi deseruisse*, atq; *iterùm idola colere cœpisse* scribit; *& in Paganismo usq; ad prædicationem S. Germani Episcopi Altissiodorensis, illuc ex Burgundiâ venientis, perduravisse*; ejusq; demùm operâ, *totam Britanniam iterùm ad cultum Christi secundò redijsse*. Et hoc quidem tempore Christianam fidem graviter hîc laborâsse, argumento esse poterit Britannici exercitus multitudo illa, quàm certatim ad gratiam baptismatis percipiendam convolavisse retulit Constantius. Sed inde à Diocletiani temporibus Britannos infideles permansisse, quæ in octavo capite à nobis sunt producta manifestæ convincunt falsitatis. quibus addere libet (quod nunc in mentem venit) * Prudentij illud, de B. Cypriano scriptis suis Britannos pietate Christianâ imbuente:

y Iohan. Leydens. Chronic. Belgic. lib. 2. cap. 1.

* Prudent. de Corona, hymn. 13.

——Gallos fovet, imbuet Britannos,
Præsidet Hesperiæ, Christum serit ultimis Iberis.

De primo statu Landavensis Ecclesiæ scriptus libellus, à Lucij regis temporibus ait Britannos *Christianæ religionis fidem sine aliquâ pravi dogmatis maculâ sinceram conservâsse, usq; dum Pelagiana hæresis orta est. Ad quam confutandam*, inquit author, *sanctus Germanus episcopus & Lupus à Galliæ antistitibus ad Britannos missi sunt. sæpè tamen ante missis legatis à Britannis ad eos. implorantibus auxilium contra tam execrabile periculum; quia tam pravæ doctrinæ hæreticorum non acquiescebant, neq; tamen confundere valebant.* tum de Episcopis ab eis in pluribus locis Britanniæ consecratis, & Dubricio dextralis Britanniæ Archiepiscopo constituto, ea subjicit quæ in z quinto capite ex eo recitavimus.

z Suprà, pag. 79. 80.

Rogerus Boulus, ut & a Cantabrigienses commen-

a Suprà, pag. 207.

tarij, tradunt Cantabrigiensem Academiam magnam cladem pertulisse à Pelagianæ sectæ hominibus, quia Pelagianos oppugnaverat: ait [b] Iohannes Caius. [c] A quibus cùm omnes penè Cantabrigiæ degentes scholiastici immaniter trucidati, fusi, fugatiq; sunt; tandem Vortimerius, Vortigerij regis Britanniæ filius, scholasticis, & eorum urbi non levi subsidio adfuit. In istis rerum tumultibus, alij relictâ Cantabrigiâ aliò profecti sunt: Germanus vero atq; Lupus sancti viri & Doctores circuibant omnia, contendentes omni studio atq; operâ, ut Pelagianam hæresim continuâ prædicatione extinguerent & everterent. Qui cùm tandem Glamorgantiam legionum urbem, quæ olim Britannorum linguâ Caerleon dicebatur, pervenerant; ibi se firmârunt, & sacras literas juxtaq; liberales artes docuerunt. Addit quoq; [d] Caius, *multos præclaros viros Cantabrigienses* illis junctos idem fecisse. *Ob quam causam* (inquit) *haud scio an hæc illa Cantebrigia sit & dicatur, quam ad Sabrinam positam Roffensis historia refert. per Sabrinam, Uscam intelligens, credo, quòd notior fluvius illa est, in quam se Usca recipit.* Verba Matthæi Florilegi, ex quo Roffensis ille totam suam historiam descripsit, ad annum DCCCXCVI. hæc sunt. Pagani *noctu recedentes per provinciam Merciorum, non cessabant donec ad villam super Sabrinam, quæ Cantebrigge dicitur, pervenerunt.* sic enim legit codex MS. quo ego utor: quum liber editus habeat *Quante-brige*; & Annales mei Anglosaxonici ad eundē annum [e] *Cwatbricge.*

Est autem ille Glocestrensiū pagus, ad *Camum* amniculum positus, quà influit in Sabrinæ æstuarium; [e] Fabio Ethelwerdo *Cant-bricge*, hodie *Cam-bridge* nuncupatus: longè diversus à Legionum urbe, [f] olim Glamorgantiæ, hodie Monemuthensis agri finibus inclusâ; in quâ fuisse *gymnasium ducentorum Philosophorum* (*qui Astronomiâ atq; cæteris artibus eruditi, cursus stellarum diligenter observabant, & prodigia eorum tempore ventura veris argumentis prædicebant*) retulit [g] Galfridus Monemuthensis, c-

[b] Cai. Antiquitat. Cantabrig. Academ. lib. 1. pag. 143.

[c] Id. in Histor. Cantabrig. academ. lib. 1. pag. 28.

[d] Id. in Antiquitat. lib. 1. pag. 159. 160.

[e] cwat-bricge be ꝛeꝼeꝼne.

[e] Ethelwerd. histor. lib. 4. cap. 4.

[f] Vid. supr. cap. 5. pag. 75.

jusq;

jusq; hîc secuti fidem, Gervasius Tillesburiensis, Alexander Essebiensis, Tobias Rossensis, Iohannes Brampton & Nicolaus Cantelupus. cujus, in Historiolâ Cantabrigiæ, hâc de re verba sunt ista. *Cùm à Dei adversarijs (Pelagianis) omnes penè Cantabrigiæ habitatores essent destructi; Wortimer filius Wortigerni scholares Cantabrigiæ validâ manu defendebat. Ex quibus sanctus doctor Germanus & Lupus coadjutores ad expellendum hæreses & errores adduxerunt, per regni partes viam Dei ostendentes. Et Domino cooperante venerunt ad urbem Legionum in Glamorgantiâ, ubi sedum sacram docuerunt scripturam, verùm & alias liberales scientias (experientiâ rationis & naturæ formâ) patriæ & juvenibus manifestaverunt. ita quòd astronomiâ & ceteris artibus eruditi, cursus stellarum diligenter observaverunt viâ verâ; alij autem prodigia ventura eo tempore Britonibus prædixerunt. & alij mundum spernentes cum suis oblectationibus, soli Deo amore supernæ vitæ fideliter inhærentes, per sancta contemplationis desideria sacræ Scripturæ vacaverunt & orationibus: de quibus Tremerinus, Dubricius, Theonotus, Eldadus, David, Swithunus & Dumianus, maximè in expositione sacrarum scripturarum jugiter Cantabrigiæ laboraverunt.* quo nomine neutiquàm Legionum urbem ille intellexit (uti suspicari vitus est Iohannes Caius) sed illam celebratissimam nostris temporibus Academiam; quæ nihil illis profectò debet qui confictis hujusmodi fabellis inanem illi antiquitatis gloriam conciliare moliuntur.

[g] Histor. Britannic. lib. 9. cap. 12.

Doctorum autem horum nomina ex Britannicâ Galfridi Monemuthensis historiâ mutuatus est Cantelupus: in [h] quâ, Aurelij Ambrosij temporibus, in Legionensi archiepiscopatu Tremorino Dubricium successisse, & Eldadum Claudiocestrensem sive Gloucestrensem episcopum extitisse legimus; Arthuro verò regnante, Diwantum sive Duuianum (Dumianum hîc appellatum) Wintoniensem fuisse episcopum, atq; Dubricio in Legionensi archiepiscopatu Davidem, Eldado in Glocestrensi episcopatu

[h] Histor. Britannic. lib. 8. cap. 7. 10. 12. lib. 9. cap. 1 5 & lib. 11. cap. 3.

scopatu successisse Theonum (qui hujus Theonotus est) inde ad Londinensem archiepiscopatum posteà translatum. Qui supererat Swithunus, ille ipse fuisse videtur, quem anno DCCCCXXXVII. Helmstano in Wintonienſi episcopatu successisse notat Florentius Wigornienſis in Chronico. Nam & hunc Cantabrigienſem fuisse volunt: idq; authore Bonagratiâ de Villa Dei; ex cujus epistolâ ad nigros monachos in Angliâ, à i Thomâ Rudburno & Historiolæ Wintonienſis Ecclesiæ scriptore verba producuntur istâ. *Cùm à propriâ exulans patriâ in Angliâ apud sanctissimos ac religiosos monachos totius regni vestri degerem in Wentanâ urbe, Helmstanum venerabilem abbatem cathedralis Ecclesiæ, & venerabilem Swythunum ejusdem Ecclesiæ præpositum & in professione sacræ Theologiæ in studio Cantebriggensi cathedratum: me inter arumnosa exilij discrimina specialis remuneranda recreationis gratiâ confovebant.*

i Rudburn. Histor. major. lib. 3. cap. 2.

Iam Oxonienſes, ne quicquam Cantabrigienſibus hîc cedere putarentur, apud se etiam B. Germanum semestre integrum commoratum esse, & Academiæ suæ instituta mirum in modum approbâsse volunt. De controversiâ enim inter veteres & Aluredianos scholasticos anno DCCCLXXXVI. exardescente, hujusmodi apud eos fertur narratio. *Exorta est pessima ac teterrima Oxoniæ discordia inter Grymbaldum, doctissimosq; illos viros quos secum illuc adduxit, & veteres illos scholasticos quos ibidem invenisset: qui ejus adventu leges, modos ac prælegendi formulas ab eodem Grymbaldo institutas, omni ex parte amplecti recusabant. Per tres annos haud magna fuerat inter eos dissensio; occultum tamen fuit odium, quod summâ cum atrocitate posteà erupit, ipsâ erat luce clarius. Quod ut sedaret, Rex ille invictissimus Ælfredus de dissidio eo, nuntio & querimoniâ Grymbaldi certior factus, Oxoniam se contulit, ut finem modũq; huic cõtroversiæ imponeret, qui & ipse summos labores hausit, causas & querelas utrinq; illatas audiendo. Caput autem hujus contentionis in hoc erat positum, Veteres*

illi

illi scholastici contendebant, antequàm Grymbaldus Oxoniam deveniſſet, literas illic paſſim floruiſſe, etiamſi ſcholares tunc temporis numero erant pauciores quàm priſcis temporibus; pleriſquè nimirum ſævitiâ ac tyrannide paganorum expulſis. Quin etiam probabant & oſtendebant, idq; indubitato veterum Annalium teſtimonio, illius loci ordines ac inſtituta à nonnullis pijs & eruditis hominibus fuiſſe ſancita; Vt à D. Gildâ, Melkino, Nennio, Kentigerno, & alijs, qui omnes literis illic conſenuerunt, omnia ibidem felici pace & concordiâ adminiſtrantes: ac Diuum quoq; Germanum Oxoniam adveniſſe, anniq; dimidium illic eſſe moratum. Quo tempore per Britaniam iter fecit adverſus Pelagianorum hæreſes concionaturus, ordines & inſtituta ſupradicta mirum in modum comprobavit. Rex ille inauditâ humilitate utramq; partem accuratiſſimè exaudivit, eos pijs ac ſalutaribus monitis etiam atq; etiam hortans, vt mutuam inter ſe conjunctionem & concordiam tuerentur. Itaq; hoc animo diſceſſit Rex, quoſq; ex utrâq; parte conſilio ſuo eſſe obtemperaturos, & inſtituta ſua amplexuros ſperans. At Grymbaldus hæc iniquo animo ferens, ſtatim ad monaſterium Wintonienſe ab Ælfredo recèns fundatum proficiſcebatur. Deinde tumbam Wintoniam transferri curavit, in quâ propoſuerat poſt hujus vitæ curriculum oſſa ſua reponenda, in teſtudine quæ erat facta ſubter cancellum eccleſiæ Diui Petri in Oxoniâ: quam quidem eccleſiam idem Grymbaldus extruxerat ab ipſo fundamento, de ſaxo ſummâ curâ perpolito.

Narrationem hanc ſe *in principijs ac fine multorum veterum librorum, nominatim verò Roſſi & Richardi Cluniacenſis, ſeorſim antiquiſſimâ manu ſcriptâ ſæpè legiſſe* [k] affirmat Brianus Twynus; & *legi in optimo manuſcripto Aſſerij exemplari* non modò retulit [l] Camdenus, ſed etiam relatoris à quo hoc accepit (neque enim ipſe exemplar ejuſmodi unquàm viderat) ſecutus fidem, Francofurtenſi Aſſerij (de rebus geſtis Ælfredi) editioni inſerendam curavit: quod à doctiſſimo viro factum nollem. Nam ut exemplar penès Henricum Savilium Eboracenſem

[k] Twyn. Antiquitat. Academ. Oxon. Apolog. lib. 2. §. 81.

[l] Camden in Oxfordshire, pag. 267, 268.

aliquando extitisse demus. cui erraticum hoc fragmentum insertum fuerit (quemadmodum consimile B. Hieronymi elogium [a] in principio Gennadiani Catalogi descriptum, intra Marcellini Comitis Chronicon MS. quo usus est [b] Cuspinianus locum reperit:) quis *optimum* fuisse illud præstabit? quum antiquissimum antigraphum, si non ipsius (quod omninò videtur) Asserij certè proximis ab eo temporibus, characteribus Saxonicis exaratum, adhuc in Cottoniana Bibliothecâ conservetur; in quo istorum omnium neq; vola extat neq; vestigium.

[a] Suffrid. Petr. in edit. Catalogi Hieronym. & Gennad. pag. 124. 125. ex MS. Martiniano.

[b] Io. Cuspinian. in Cassiodori Fastos Consular. pag. 517.

Exemplar quidem illud, in D. Lumlæi bibliothecâ à se visum, *plurimis in locis imperfectum & chartulis appenditijs recenter scriptis suffultum* fuisse, notavit Twynus. Sed quæ in chartulis illis continebantur, ex codice aliquo Asserij de rebus gestis Ælfredi haudquaquàm sunt desumpta; sed ex alijs Annalibus qui, quòd multa ex Asserio ad verbum haberent transscripta, (sicut habet etiam Florentij Wigornienſis Chronicon) ipsi Asserio à recentioribus perperàm sunt tributi. Ut immeritò in suspicionem vocatus sit hîc à Twyno Matthæus Cantuariensis archiepiscopus, quasi *veritatis aut charitatis odio* aliquid omisisset; quum cuipandus potiùs fuerit, quòd ex incertis illis Annalibus complura editioni suæ addidisset, & cum Asserianis non satis recto judicio commiscuisset. Nam quod ad narrationis hujus statuminandam fidem ex S. Germani Vitâ producitur, *Constantium Lugdunensem Universitatis Britannicæ regionis meminisse*; contra mentem authoris hîc pertractum esse, ut admoneam nihil opus est. Per *regionis* enim *universitatem*, non aliud quàm *universam regionem* intellexisse illum, res ipsa loquitur. Neq; *paulò variùs* modò, sed ne omninò quidem usquam, *Universitatis* nomen pro *Academiâ* illo seculo usurpatum offendi poterit: quum circa Henrici III. Anglorum regis tempora illum loquendi morem demùm invaluisse, ipse [c] Camdenus annotaverit.

[c] Camden. ut suprà, pag. 269.

In

In [p] anonymo de Ecclesiasticorum Officiorum origine, 900. abhinc annis scripto libello, Germanum & Lupum *Ordinem cursus Gallorum* (sive Gallicanam * liturgiam) à Iohanne Cassiano & Lirinensis cœnobij patribus acceptum, in Britanniam induxisse legimus. *Beatissimus Cassianus* (inquit author) *qui * Linerensi monasterio beatum Honoratum habuit comparem, & post ipsum beatus Honoratus primus Abba, & sanctus Cæsarius episcopus qui fuit in Arelate, & beatus Porcarius Abba qui in ipso Monasterio fuit, ipsum Cursum decantaverunt. Qui beatum Lupum & beatum Germanum monachos in eorum monasterio habuerunt: & ipsi sub normam regulæ ipsum cursum ibidem decantaverunt. Et posteà in * Episcopatus cathedra summi honoris (pro reverentiâ sanctitatis eorum) sunt adepti: & posteà in Britannijs vel Scottijs prædicaverunt quæ Vita beati Germani episcopi Antisiodorensis & Vita beati Lupi adfirmat.*

[p] MS. in Bibliothecâ Cottonianâ.

* *De Cursibus ecclesiasticis unum librum condidi*: inquit Gregor. Turonens. histor. lib. 10. cap ult.

* *in Lirinensi.*

* *Episcopatus cathedram.*

Primus Lirinensis cœnobij Abbas fuit Honoratus: à quo & hodie locus *Insulæ S. Honorati* nomen retinet. Sub eo Lupum nostrum, unâ cum fratre germano Vincentio & qui sororem illius in uxorem duxerat Hilario, monasticam vitam professum fuisse jam diximus. Cassianum enim & Germanum, licèt eodem tempore vixerint, Lirinenses fuisse monachos alibi nusquam legimus. Sub finem anni CCCCXXVI. Honorato in Lirinensis cœnobij præfecturâ Maximus, eidemq; sub initium anni CCCCXXIX. defuncto in Arelatensi archiepiscopatu successor datus est Hilarius. Circa idem etiam tempus evecto ad Reiensem episcopatum Maximo, in Lirinensis monasterij regimine successisse Faustum, ex scriptore Vitæ S. Caprasij colligimus: qui [q] *transysse* eum ait, *ex hâc vitâ die Kalendarum Iuniarum, in sacrâ Lerinensi Insulâ, circa annos humanæ redemptionis triginta supra quadringentos*; præsentibus *Fausto, Theodoro, Maximo & Hilario.* quo tempore [r] Faustum presbyterum fuisse & *Abbatem*, reliquos Episcopali dignitate decoratos. Honoratus

[q] Vincent. Barral. Chronolog. Lerinens. part. 1. pag. 193.

[r] Ibid. pag. 108.

noratus Massilienſis in Vitâ Hilarij Arelatenſis clarè confirmat. Post Fauſtum Lirinenſis Abbas fuit Porcarius: à quo Cæſarium (poſt annum Chriſti quingenteſimum ad Arelatenſem cathedram adſcitum) monaſticis diſciplinis Lirini fuiſſe inſtitutum, oſtendit in hujus Vitâ discipulus ipſius [r] Cyprianus.

[r] Ibid. pag. 230.

Iſta curioſiùs à nobis temporibus ſunt diſtincta, partim ut anonymi ſcriptoris locus lumen inde acciperet, neq; ex eo aliquis Germanum ac Lupum à Porcario & Cæſario in Britanniam miſſos fuiſſe ſuſpicaretur; partim etiam ut Semipelagianiſmi hoc tempore emergentis origo plenius intelligeretur. Nam dum Gallicani antiſtites in vicinâ Britanniâ Pelagianiſmi flammam extinguere laborabant, è medijs ipſorum viſceribus erupit nova Semipelagianorum progenies, qui craſſioribus aliquot Pelagij erroribus repudiatis, in reliquis contra Auguſtinum ejus partes defendendas ſuſceperunt. de quibus, qui orienti tum malo ſtrenuè ſe oppoſuit, [s] Proſper Aquitanicus:

[s] Proſp. de Ingratis, cap. 38.

Quid prodeſt verbis commentum Pelagianum
Reſpuere, & ſolâ damnatos plectere voce:
Cùm, paucis ſqualidâ ſublatis de cute nervis,
Intima viperei foveantur viſcera ſenſus?
O benè quòd diri erroris malus ille magiſter
Nullo prælevit lethalia pocula melle;
Sed non ambiguâ infectum feritate venenum
Protulit, & guſtu virus detexit amaro.
Nam ſi argumenti primordia non onerâſſet
His, quæ diſcipuli dempſerunt callidiores;
Innumeras dubio cepiſſet plaſmate mentes.

Sed & *in iſtis* (ut appellat) *Pelagianæ pravitatis reliquijs, non mediocrem virulentiæ fibram nutriri*, in epiſtolâ ad B. Auguſtinum hoc tempore de eis ſcriptâ, confirmat idem. in quâ & primarium locum, è quo ſcaturigo illa

emanavit,

emanavit, designat quum ait. *Multi servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui, quicquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputâsti.* & tempus etiam, quum posteà addit. *Nam unum eorum præcipuæ authoritatis & spiritalium studiorum virum, sanctum Hilarium Arelatensem Episcopum, sciat beatitudo tua admiratorem sectatoremq́, in alijs omnibus tuæ esse doctrinæ; & de hoc, quod in querelam trahit, jampridem apud sanctitatem tuam sensum suum per literas velle conferre.* quem locum viri docti frustrà sollicitant; & codicum authoritate destituti, ex cõjectura conantur emendare, eâq; non unâ, sed variâ atq; multiplici. *Episcopi* enim nomen tollit hinc [u] Baronius, & *Hilarium Arelatensem* tantùm legit. Alij vel *Hilarium* simpliciter legendũ putant (quum neq; patriæ, neq; cõmorationis neq; officij ratione *Arelatensis* ille dici potuerit, priusquàm civitatis illius factus fuisset Episcopus) vel pro *Arelatensis* substituendum esse *Narbonensis* vocabulum (ut intelligatur Hilarius ille Narbonensis, ad quem octava Zosimi & tertia Bonifatij I. epistola scripta est) vel pro *Hilario* denique reponendum esse *Honoratum* (proximum illius in Arelatensi archiepiscopatu antecessorem:) quomodo in Commentarijs epist. Pauli ad Timotheum legit Claudius Espensæus.

[u] Baron. ann. 426. §. 10.

Vulgatam verò lectionem *sine dubio* corruptam esse asserit clarissimus [x] Vossius: sed admodùm dubijs ad hoc inductis argumentis. Primùm, quod Prosperi *epistola illa exarata sit anno* CCCCXXVI. *Hilarius autem aliquot demum annis post Arelatensis episcopus factus sit.* At probandum primò fuerat, non sumendum pro certo atq; concesso; dicto illo anno exaratam fuisse à Prospero hanc epistolam. Nam quod à [y] Baronio huc affertur, de absolutis duobus Retractationum libris priusquàm acceptæ ab Augustino fuissent istæ literæ, opinionem hanc convellit potiùs quàm confirmat. *Præterea*, inquit vir

[x] Voss. Histor. Pelagian. lib. 6. thes. 14.

[y] Baron. ann. 426. §. 19.

doctissimus, *Augustinum Prosperum & Hilarium vocat filios dilectissimos. At qui scriberent ad coepiscopos, eos fratres solent appellare. Saltem Prosperum nondum fuisse episcopum, omnes consentiunt. Quocirca si Hilarius summi sacerdotij honore fuisset ornatus, Prospero absque dubio præponeretur. Nunc contrà factum videmus, & ab Augustino lib. de Prædestinatione, & à Celestino epist. ad Gallos.*

Et quidē ex eo quòd, tum à Celestino tùm ab Augustino *filius* appelletur, non frater, & Prospero ab utroq; postponatur, colligi posse facilè concedimus, Hilarium illum qui ad Augustinum scripsit, & Augustini causam apud Celestinum egit, episcopum non fuisse. Imò laicum fuisse potiùs, illa epistolæ ipsius verba subindicare videantur. *Sunt ex parte tales personæ, ut his consuetudine Ecclesiasticâ laicos summam reverentiam necesse sit exhibere.* Verùm nos hoc ad Hilarium illum trahendum pernegamus, cūjus Prosper in suâ meminit epistolâ. Neque enim id ullo modo concedendum putamus [2] Baronio, unum & eundem Hilarium utrobiq; intelligi; illumq; ipsum ad Augustinum de Pelagianæ hæreseos reliquijs scripsisse epistolam, qui posteà Arelatensis creatus sit Episcopus. Nam ut de tempore quo scripta fuit hæc epistola nihil nunc dicamus; quum post mortem Augustini idem Hilarius Romæ causam illius coram Celestino tutatus est, alterum Hilarium Arelatensem cathedram possedisse, ex annorum Episcopatus illius calculo planum efficitur. Deinde noster hic Hilarius Augustini se discipulum fuisse profitetur. Arelatensem verò illum, non Augustini sed Honorati fuisse alumnum, nemo dubitaverit, qui vel Honoratum Massilienſem in vitâ Hilarij, vel ipsum etiam Hilarium in vitâ Honorati Arelatensis magistri sui perlegerit. Denique Arelatensem illum suum inter eos qui in doctrinâ de Prædestinatione ab Augustino dissenserunt annumerat Prosper: quum alter ille ad Augustinum scribens, à partibus illius hîc se stetisse protestatus fuerit, eaſdemq; illo jam mortuo apud Celestinum contra

[2] Baron. ibid. §. 20. & in Martyrolog. Roman. Mai. 5.

tra adversantes istos una cum Prospero gnaviter defenderit. *Nolo* (inquit ille ad Augustinum) *Sanctitas tua sic me arbitretur hæc scribere, quasi de ijs quæ nunc edidisti ego dubitem. Sufficiat mihi pœna mea, quòd à præsentia tuæ delicijs exulatus, ubi salubrius tuis uberibus nutriebar, non solùm absentiâ tuâ crucior, verumetiam pervicaciâ quorundam, qui non tantùm manifesta respuunt, sed etiam non intellecta reprehendunt. Cæterùm hâc suspicione intantum careo, ut potiùs infirmitatem meam, quâ tales parùm patienter fero, notabilem putem.*

Atqui *id certum esse* objectat [a] Iohannes Latius, *neminem tum fuisse eo nomine Episcopum Arelatensem. Nam Herote expulso, Arelatensem sedem occupavit Patroclus, qui demùm anno 427. occisus est; cui successit Honoratus, & aliquanto pòst Hilarius: ita ut superstite Augustino nullus hoc nomine reperiatur Arelatensis Episcopus.* Verumenimverò, si aliquanto post annum 427. Honorato in Arelatensi cathedrâ successit Hilarius, colligendum potiùs fuerat, superstite adhuc Augustino Arelatensem Episcopatum obtinuisse Hilarium. Honoratum sanè *brevi tempore* Arelatensibus præfuisse, in ejus Vitâ disertè testatus est ipse Hilarius: illudq; tempus *biennij* spatio, in Hilarij vitâ, circumscribit Honoratus Massiliensis. E vitâ excessisse illum decimosexto die Ianuarij, ex [b] Petro Equilino & Martyrologijs liquet: ineunte, ut jam ostendimus, Christianæ nostræ epochæ anno CCCCXXIX. Inde ad vicesimumoctavum, qui supremus Augustino fuit, Augusti diem supra integrum annum numerantur menses VII. & dies XII. Sic igitur, quæ ante triennium inter Massilienses suos zizania sparserat Iohannes Cassianus, in eodem illo agro adolescere jam cœperunt: authoritatis suæ umbram illis exhibente Hilario ad Arelatensem, & Maximo ad Reiensem Episcopatum nuper promoto. Quò Prosperi illud refereudum, in dictâ ad Augustinum epistolâ. *Possumus quidem ad non credendum esse constantes, sed ad authoritatem talia sentientium non sumus*

[a] Io. Lat. histor. Pelagian. lib. 2. cap. 3. pag. 130.

[b] Petr. de Natalib. lib. 2. cap. 86.

mus patres: quia multum nos & vitæ meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto NUPER *summi sacerdotij honore supereminent.* Neq; otiosus hîc etiam fuisse putandus est Faustus Britannus, Lirinensis tum Abbas, postea Dux factus totius Semipelagianorum exercitus: de quo in sequente Capite plenius videbimus.

[c] Vid. Iohan. Latij Histor. Pelagian. lib. 2. cap. 2.

[d] Tomo 7. Oper. Augustini: & in Georgij Cassandri Oper. pag. 640. & 645.

[e] Voss. Histor. Pelagian. lib. 4. part. 2. pag. 433.

Horum dôctrinæ [c] capita, in [d] literis ad Augustinum hâc de re scriptis, recenent Prosper & Hilarius: cujus summa huc redit; *quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam, quantum autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi qui sponte Deo crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Quare autem à priore sententiâ, [e] *quam à præceptoribus hauserant, & magistri eorum in Ecclesiâ invenerant,* hîc discesserint; rationem hanc Prosper subjicit. *In istam verò talis gratiæ prædicationem hi, quorum contradictione offendimur, cùm priùs meliora sentirent, idcò se vel maximè contulerunt: quia si profiterentur ab eâ omnia bona merita præveniri, & ab ipsâ ut possint esse donari, necessitate concederent, Deum secundùm propositum & consilium voluntatis suæ, occulto judicio & opere manifesto, aliud vas condere in honorem, aliud in contumeliam; quia nemo nisi per gratiam justificetur, & nemo nisi in prævaricatione nascatur. Sed refugiunt istud fateri, divinoq; ascribere operi sanctorum merita formidant; nec acquiescunt prædestinatum electorum numerum, nec augeri posse, nec minui: ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant; ac superflua sit industriæ ac laboris indictio, cujus studium * cessante electione frustrandum sit. Ita demùm enim posse unumquemque ad correctionem, aut ad profectum vocari; si se sciat suâ diligentiâ bonum esse posse, & libertatem suam ob hoc Dei auxilio juvandam, si quod Deus mandat, elegerit. Ac sic, cùm in his qui tempus acceperunt literæ voluntatis, duo sint quæ humanam operentur salutem, Dei scilicèt gratia, & hominis obedientia: priorem volunt obedientiam esse; quam gratiam, ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit fieri qui salvat;*

* al. *cessante.*

vat; & voluntas hominis divinæ gratiæ sibi parat opem, non gratia sibi humanam subjicit voluntatem.

Acceptis Prosperi & Hilarij literis respondit Augustinus, editis de *Prædestinatione Sanctorum*, & de *Bono* vel potius *Dono Perseverantiæ*, libris duobus: quos ut [f] *admirandos* commendat Baronius, & *inspirante quidem divino Spiritu* conscriptos. Eosdem etiam Romanus Pontifex Hormisda, in [h] fine epistolæ ad Possessorem, [i] *Romanam testatur suscipere Ecclesiam: & quid de gratia Dei, & libero humano arbitrio, eadem teneat & servet Ecclesia, ex ipsis libris abunde posse sciri asserit.* Hoc verò tempore scriptorem quendam, contra libros Augustini nescio quid polemici operis parturientem, hisce elegis Prosper castigavit.

[f] Baron. in Martyrolog. Roman. Mai. 5.

[g] Id. ad ann. 426. §. 21.

[h] Epistol. Decretal. tom. 1. part. 3. pag. 540. edit. Roman. ann. 1591.

[i] Io Maxentius, in respons. ad epistol. Hormisdæ: * Vid. supr. cap. 8. pag. 207.

Contra Augustinum narratur serpere quidam
Scriptor, quem dudum livor adusſit edax:
Qui caput, obscuris contectum utcunque cavernis,
Tollere humo miserum perpulit anguiculum.
Aut hunc fruge suâ æquorei pavêre Britanni;
Aut hunc Campano gramine corda tument.
Quæ concepta fovet, promat; quæ parturit, edat:
Seu vetere amatur dogmate, sive novo.
In quo cuique sinus spirarum torqueat orbes,
Et fallax multâ contegat arte caput:
Currentem attritos super aspides & basiliscos
Declinare senem vipera non poterit.

ITEM IN EVNDEM.

Quidam doctiloqui libros senis Augustini
Carpere, & adversum condere fertur opus.
Usque adeone bonum ingenium, & facundia dives,
Ostentare artem non aliter potuit;
In nova prostratas acies nisi bella dieret,
Impiaque extinctis hostibus arma daret?
Hæc pugna, incertor, tuos est tua: te stylus iste

Conficit, & verbis perderis ipse tuis.
Dumque doces quantum valeat mens libera, monstras
Velle tuum tibimet sufficere ut pereas,
Verte gradum, fuge verniciem: stratosq́, rebelles
Oris Apostolici fulmine ubiq́, vide.
Nec te mutato defendi nomine credas:
Si pastorem ovium ladere vis lupus es.

His addidit & Prosper epistolam de gratiâ & libero arbitrio, Augustino etiamnum superstite, ad Rufinum scriptam: quâ virum sanctum à Semipelagianorum vindicat calumnijs, *eum liberum arbitrium penitùs submovere, & sub gratiæ nomine necessitatem prædicare fatalem,* imò & *duas illum humani generis massas & duas credi velle naturas,* indignè clamitantium. *Sed prorsùs nihil apud nos tale audierunt,* inquit ille, *nihil tale legerunt: quia non fato quicquam geri, sed omnia Dei judicio novimus ordinari. Nec ex duabus massis, duabusve naturis, sed ex unâ massâ, quæ est caro primi hominis, unam scimus omnium hominum creatam creariq́, naturam: & eandem per ipsius primi hominis liberum arbitrium, in quo omnes peccaverunt, esse prostratam; nec ullo modo ab æternæ mortis debito liberam, nisi eam ad imaginem Dei secundæ creationis Christi gratia reformaverit, liberumque ejus arbitrium agendo, spirando, auxiliando, & usque in finem præeundo servaverit.*

Neq; hîc doctissimi Vossij de istâ controversiâ judicium silentio prætermittendum arbitror. *Nempè celeberrimi quique,* inquit * ille, *Occidentalis ecclesiæ doctores sequebantur Augustinum & Prosperum: cujus de gratiâ & libero arbitrio prædestinationeq́, divinâ, doctrinam ipse etiam sequor, & probo. Ut omninò sententiam meam haut satis assequantur, siqui existimare me arbitrentur, postremæ Augustini sententiæ, quâ prædestinationem fide & perseverantiâ priorem facit, tanquàm impiæ, vel etiam falsæ, obduci posse ea, quæ ante septennium in opere de controversijs à Pelagio & Massiliensibus excitatis, de priori Augustini sententiâ retuli;*

* Voss. de Historicis Latin. lib. 2. cap. 17.

retuli; vel etiam, quæ adduxi ex libris, seu Latinorum, seu Græcorum Patrum, qui scripserant ante Pelagij hæresin exortam. Nec enim, judicio meo, B. Augustinus prioribus Patribus repugnat; sed quod de Prædestinatione priores fere Patres præteribant, hoc addit; atque ubi illi de gratiâ essent incautius locuti, hoc explicat.

Dum ista in Occidente molirentur Semipelagiani novi; Theodosium Imperatorem in Oriente sollicitârunt Pelagiani veteres: de quibus, in epistolâ ad Cœlestinum Romanum episcopum, hæresiarcha Nestorius: [1] *Iulianus quidam, & Florus, & Orontius, & Fabius, dicentes se Occidentalium partium Episcopos, sæpè & piissimum & prædicatissimum Imperatorem adierunt, ac suas causas deflevêrunt, tanquam orthodoxi temporibus orthodoxis persecutionem passi: sæpè eadem & apud nos lamentantes, ac sæpè rejecti, eadem facere non desierunt; sed insistunt per dies singulos, implentes aures omnium vocibus lacrymosis. His quidem ad eos sermonibus, quibus opertuit, usi sumus, cùm negotij eorum veram fidem nesciremus. Sed quoniam apertiore nobis de causis eorum notitiâ opus est, ne piissimus & Christianissimus Imperator noster molestiam sæpè ab his sustineat; ne nos, ignorantes eorum causas, circa negotij defensionem dividamur: dignare nobis notitiam de his largiri; ne vel quidam ignorando justitiam veritatis, importunâ miseratione conturbentur, vel canonicam indignationem beatitudinis tuæ, quæ contra eos pro sectis religionis fortè * probata est, aliud quidam quàm hoc æstiment.*

[1] Act. Concil. Ephesin. part. 1. cap. 16. pag. 275. edit. Romani an. 1608. pag. 133. edit. Colon. ann. 1618.

* prolata

Idem quoq; in ejus ad Cœlestinum literis ab eodem Nestorio ita inculcatum invenimus. [m] *Sæpè scripsi beatitudini tuæ propter Iulianum, Orontium, & cæteros, qui sibi usurpant Episcopalem dignitatem, & crebertimam additionem apud piissimum & prædicatissimum Imperatorem faciunt, nosque concîdunt frequentibus lamentationibus; tanquam temporibus orthodoxis de Occidente projecti. At hucusque scripta de his à tuâ veneratione non suscipimus: quæ si haberem, possem eis respondere, daremque compendiosum responsum*

[m] Ibid. cap. 17. pag. 275. 276. edit. Roman. 134. Colonien.

luctibus

luctibus eorum. Nunc enim ab incertis dictis eorum non habet quis ad quod se convertat: aliis hæreticos eos vocantibus, & idcò de Occidentalibus partibus profectos esse dicentibus; ipsis verò jurantibus calumniam se sustinuisse, & periculum pro Orthodoxâ fide ex subreptione perpessos. Quorum utrum certum sit, nobis gravis est ignorantia. Nam condolere eis, si verè hæretici sunt, crimen est: & iterùm non condolere, si calumniam sustinent, durum & impium est. Dignetur igitur amantissima Dei anima tua informare nos, qui ad utrumque momentum hucusque dividimur, id est, & ad odium, & ad miserationem eorum. Doceri autem volumus, quam de his sententiam teneamus: detinemus enim eosdem viros per dies singulos dissimulantes spe & expectatione beatitudinis tuæ.

Si verò hâc de re rescripsit Celestinus. [a] *Hæreticos, de quibus nos, velut eorum quæ gesta sunt nescius, consulere voluisti, sedibus suis, injusta dicentes, expulit justa damnatio. Quos illic invenisse requiem, non putamus esse mirandum. Invenerunt enim impiam prædicationem, cujus comparatione se æstiment innocentes. Hoc loco, quia opportunitas sermonis exposcit, tacere non possumus, quod stupemus. Legimus quàm bene teneat originale peccatum; qualiter ipsam naturam asseris debitricem, & eum debitum meritò reddere, qui descendit de genere debitoris. Quid tecum faciunt, qui sunt hæc negando damnati? Nunquam sine suspicione, ea quæ sibi sunt adversa, conveniunt. Ejicerentur denique, si tibi quoque similiter displicerent. Cur tamen ea quæ in hos tunc sunt acta, quæruntur; cùm certum sit, illinc ad nos à Catholico tunc antistite Attico gesta directa? Cur non sanctæ memoriæ Sisinnius ista quæsivit? quia utique sub decessore ejus probaverat eos jure damnatos. Defleant infelices, spe se hominum fuisse deceptos; quibus jam potuit propter communionem sola pœnitentia subvenire. Ecce scire de his incipis, si qua ante nescivisti. Causam tuam magis modò, quàm aliorum, Catholicâ & festinâ deliberatione curato: quia convenienter dicimus; Medice, cura teipsum, quis alios desideras subvenire.*

[a] Ibid. cap. 13. pag. 280. edit. Roman. 137. Colonien.

Luc. 4. 23.

Hæc

Hæc ille, in epistolâ scriptâ anno CCCCXXX. *tertio Idus Augusti, Theodosio* XIII. *& Valentiniano* III. *Augg. Coss.* Indeq; de Nestorio Iohannes Cassianus; Semipelagianorum quidem coryphæus, sed Pelagianorum (uti videri volebat) maximus adversarius. ° *Hinc illud est, quòd intercessionibus suis Pelagianistarum querelas fovet, & scriptis suis causas illorum adserit; quòd subtiliter his vel (ut verius dixerim) subdolè patrocinatur, & consanguineæ sibi improbitati improbo suffragatur affectu: sciens scilicèt ejusdem se esse sensus, ejusdem spiritus; & idcò dolens cognatam sibi hæresim ab Ecclesiâ esse disjunctam, quam scit sibi utique perversitate conjunctam.*

° Cassian. de Incarnat. Christi, lib. 1. cap. 3.

Intereà divinæ gratiæ adversùs utrosq;, & Pelagianos & Semipelagianos, assertor ille invictus, beatissimus Augustinus diem suum obijt: de quo ad jam dictum annum, duorum Augustorum Consulatu insignitum, Prosper in Chronico. *Augustinus Episcopus per omnia excellentissimus moritur quinto Kalendas Septembris; libris Iuliani inter impetus obsidentium Vandalorum in ipso dierum suorum fine respondens, & gloriosè in defensione Christianæ gratiæ perseverans.* E vitâ autem excessisse, priusquàm Theodosij Imperatoris ad eum perveniissent literæ, quibus ad œcumenicum Concilium in causâ Nestorij indictum accersebatur, ostendit ? Liberatus Diaconus. *Scripsit Imperator* (inquit ille) *& beato Augustino Hipponensi episcopo per Ebagnium Magistrianum, ut ipsi Concilio præstaret sui præsentiam. Qui Ebagnius veniens Carthaginem magnam, audivit à Capreolo ipsius urbis antistite, B. Augustinum ex hoc mundo migrâsse ad Dominum: acceptisq; ab eo ad Imperatorem literis, loquentibus de obitu B. Augustini, Constantinopolim, unde venerat, rediit.* & ipse Capreolus in ? epistolâ ad Synodum. *Domini & filij nostri religiosissimi Theodosij Imperatoris literæ ad manus nostras perlatæ, ejusmodi erant, quæ beatæ memoriæ fratris & coëpiscopi nostri Augustini præsentiam peculiari ratione efflagitabant. Verùm cùm ea literæ illum jam tum è vivis excessisse*

? Liberat. Breviar. cap. 5.

? Act. Concil. Ephesin. Græcolatin. tom. 1. Concil part. 2. pag. 203. edit. Colon. ann. 1618.

cessisse comperissent; ego regiam illam significationem, licèt ad prædictum Augustinum præcipuè destinata videretur, excipiens, missis ad universas Africæ provincias congruis literis consuetisq; sermonibus, Synodum cogere volui convenientem: quo nimirum ex fratrum & Episcoporum nostrorum numero seligerentur, qui ad venerabilem beatitudinis vestræ Synodum destinarentur.

Imperatoris literas ante dies Paschales ad se perlatas non fuisse refert ibidem Capreolus: post mortem scilicèt Augustini propè jam octo, ante cœptam verò Universalem Synodum vix duorum mensium elapso spatio. Anno enim CCCCXXXI. quo Consulatum gesserunt Bassus & Antiochus, die XXII. Iunij in urbe Ephesinâ, cujus eo tempore episcopus fuit Memnon, convenerunt Patres CCX. Cyrillo patriarchâ Alexandrino præsidente. Quinto post die eò adveniens Antiochenus patriarcha Iohannes, Conciliabulum suorum coëgit: quod tum quidem Episcoporum [r] XLIII. postea verò, [s] quibusdam paulatim inde sese subducentibus & ad œcumenicæ Synodi partes transeuntibus, XXXVII. paulo plurium, & tandem XXX. circitèr numero constabat. inter quos & [t] *Iulianus* recensetur; non Campanus quidem ille, Pelagianorum pugil, (ut Claudio Menardo visum) sed [u] Lariſſæus episcopus. Eorum pleroſq; tamen cum Iuliano Campano sensisse, & Pelagianâ Cœlestianâq; hæresi infectos fuisse, non solùm Cyrillus in [x] Apologetico ad Theodosium, sed etiam tota Synodus Oecumenica cùm [y] alibi sæpiùs confirmat, tùm in Relatione ad Imperatores transmissâ ita rem concludens. [z] Ἅσπον γὰρ συνόδῳ διακοσίων δέκα ἐπισκόπων, οἷς καὶ πᾶν τὸ πλῆθος τῆς δύσεως τῶν ἁγίων ἐπισκόπων συνεψεφίσατο καὶ δι' αὐτῶν ἅπαν τὸ λοιπὸν τῆς οἰκουμένης, τριάκοντα μόνοις ἀντιμάχεσθαι. ὧν οἱ μὲν ἤδη πάλαι καθῃρημένοι τυγχάνουσιν, οἱ δὲ καὶ τῆς τοῦ κλήρου καθοδοιπορίας εἰσὶν, οἱ δὲ καὶ ἀνεθαμαλίσθησαν ὡς τὰ Νεσορίου

[r] Ibid. pag. 227.
[s] Ibid. pag. 288.
[t] Ibid pag. 289. & 307.
[u] Ibid. pag. 227.
[x] Ibid. pag. 403.
[y] Ibid. pag. 253. 288. 292. 302. 303. 307.
[z] Ibid. pag. 251.

ςορίȣ φρονήσαντες. *Perabsurdum enim est, ducentorum & decem Episcoporum Synodo, quibus & universa Occidentalium sanctorum Episcoporum multitudo & per ipsos reliquus totus terrarum Orbis consentit, triginta tantum numero sese opponere: quorum alij quidem jampridem depositi, alij etiam pravæ Celestij doctrinæ sectatores, quidam etiam, ut qui cum Nestorio sentiant, anathemati subditi sunt.*

In hâc Pseudo-synodo inter alia Celestiana sive Pelagiana dogmata, & illud definitum est [a] *de Adæ animâ, quia in peccato mortua non fuerit, eo quòd Diabolus in cor hominis non ingrediatur; & si quis hoc dixisset, anathema esset.* de quo Gregorius I. in epistolâ ad Anastasium Patriarcham Antiochenum. [b] *Quia quidam illam Ephesinam primam Synodum in eâdem urbe existimant, quæ quondam ab hæreticis traditur esse composita; omninò necesse est ut charitas vestra eandem Synodum apud sanctam Alexandrinam atque Antiochenam Ecclesiam requirat, & qualiter in veritate habeat, inveniat. Vel, si placet, hinc dirigemus quæ ab antiquitate servata in scrinijs habemus. Illa enim Synodus, quæ sub primæ Ephesinæ imagine facta est, quædam in se oblata capitula asserit approbata, quæ sunt Celestij atq; Pelagij prædicamenta. Et cùm Celestius atque Pelagius in eâ Synodo sint damnati; quomodo poterant illa Capitula recipi, quorum damnabantur authores?*

[a] Gregor. I. Regest. lib. 6. epist. 31. Vid. & lib. 5. epist. 14.

[b] Id. lib. 7. epist. 48.

Nimirùm Conciliabulũ istud œcumenici Concilij authoritatẽ sibi arrogavit, & pios etiam Imperatores eodẽ quo habitum est tempore in ejusdem modi errorem induxit: de quâ injuriâ, in [c] Relatione ad eos missâ, ita tum conquesti sunt veræ Synodi venerandi Patres. Κἀκεῖνο δὲ ȣ̓ μικρῶς ἡμᾶς ἔθλιψεν, ἐκ συναρπαγῆς γένεσθαι φαινόμενον, τὸ τȣ̀ς ἀποςατήσαντας ἀπὸ τῆς οἰκȣμενικῆς συνόδȣ, τȣ̀ς περὶ Ἰωάννην τὸν Ἀντιοχείας, καὶ τȣ̀ς σὺν αὐτῷ Κελεςιανȣ̀ς καθηρημένȣς, τοῖς ἡμετέραις ἐντάξαι ὀνόμασι, καὶ μίαν πρὸς ἡμᾶς κἀκείνȣς σάκραν διαπέμψασθαι. *Illud non mediocriter nos afflixit (quod ipsum*

[c] Act. Concil. Ephesin. Græcolatin. pag. 293. edit. Colon.

quoq; non absq; fraudulentâ subreptione factum apparet) illos qui ab œcumenicâ Synodo desciverunt, Ioannem Antiothenæ ecclesiæ Episcopum, & Celestianos qui cum eo sunt, jam damnatos, inter nostra nomina insertos fuisse; unamq; ad nos & illos sacram missam esse.

Pelagiana autem illa decreta in Ephesinâ Pseudo-synodo sancita fuisse videntur, postquàm [d] Iohannes Antiochenus & septem ejus sodales (inter quos erat & Theodoretus Cyri episcopus) inde Constantinopolim, communem causam apud Imperatorem acturi, fuissent missi. Hi enim à tutandâ Pelagianâ factione adeò videri volebant alieni, ut in [e] epistolâ ad Rufum Thessalonicensem præsulem, ob hoc ipsum accusare Cyrillum & Memnonem, atq; in ipsis reliquos œcumenici Concilij Patres, non sint veriti; quòd eadem sentientes cum Celestio & Pelagio in communionem recepissent. quum tamen illi cognatam istam Nestorianæ hæresim ita fuerint detestati, ut Cyrillus quidem & Memnon in plenâ Synodo [f] eos qui Celestij vel Pelagij placita sequerentur anathematizaverint; tota verò Synodus in epistolâ Encyclicâ ad universos fideles, hanc rationem reddiderit quare ipsius hujus Conciliabuli episcopos communi decreto ab omni Ecclesiasticâ communione alienos esse statueret. quandoquidem [g] *cumprimis Nestorij & Celestij sequi sententias manifestè ex eo sunt deprehensi, quòd Nestorium condemnare noluerunt.* πρὸ πάντων μὲν τὰ Νεστορίου καὶ τὰ Κελεστίου φρονήματα ἐπιφερόμενοι σαφέστατα ἀπεδείχθησαν, ἐκ τοῦ μὴ ἑλέσθαι μηθ' ἡμῶν Νεστορίου καταψηφίσασθαι. quasi qui Nestoriũ non odisset, neq; à Celestio animo alieno esse potuisset.

Adjecti sunt ab Oecumenicæ Synodi Patribus & alij [h] duo hâc de re Canones. prior ad Metropolitas pertinens. Εἴ τις ὁ μητροπολίτης τῆς ἐπαρχίας, ἀποστατήσας τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου προσέθετο τῷ τῆς ἀποστασίας συνεδρίῳ ἢ μετὰ τοῦτο προστεθείη, ἢ τὰ Κελεστίου

[d] Ibid. pag. 278.

[e] Ibid. pag. 285.

[f] Ibid pag. 247.

[g] Ibid. pag 307.

[h] Ibid. pag. 307. 308. & in Codice Canonum Orientalis Ecclesiæ à Io. Tilio Paris. an. 1540. edit. fol. 27. & Codice Canonum Ecclesiæ universæ, à Iustello ibid. an. 1610. edit. pag. 96. 98.

ςίς ἐφρόνησεν ἢ φρονήσῃ οὗτος κατὰ τῶν τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπων ἀποστατῆσαι ἢ ὁδαμῶς δύναται, πάσης ἐκκλησιαστικῆς κοινωνίας ἐντεῦθεν ἤδη ὑπὸ τῆς συνόδου ἐκβεβλημένος, καὶ ἀνενέργητος ὑπάρχων. *Si quispiam Metropolita provinciæ, derelictâ sanctâ & œcumenicâ Synodo, aut accessit ad illorum defectionis confessum aut accedet in posterum, sive cum Cœlestio sensit aut sentiet; ipse nihil amplius potent agere adversus provinciæ Episcopos, ut qui jam inde à Synodo totius Ecclesiasticæ communionis expers sit factus, & prorsus ad functiones inhabilis.* posterior ad omnes spectans clericos. Εἰ δέ τινες ἀσυστατήσειαν τῶν κληρικῶν, καὶ τολμήσειεν ἢ κατ' ἰδίαν ἢ δημοσίᾳ τὰ Νεστορίου ἢ τὰ Κελεστίου φρονῆσαι, καὶ τοῦτος εἶναι καθηρημένος ὑπὸ τῆς ἁγίας συνόδου διεπικαίωται. *Si qui autem clericorum defecerint, & ausi fuerint vel privatim vel publicè quæ sunt Nestorii aut Cœlestii sapere; sancitum est à sanctâ Synodo istos quoq; depositos esse.*

Cœlestini deniq; de Iuliani & sociorũ depositione sententia à Patribus est cõfirmata: quod ipsi in literis ad eũ scriptis ita significãt.[1] Ἀναγνωσθέντων ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τῶν ὑπομνημάτων τῶν πεπραγμένων ἐπὶ τῇ καθαιρέσει τῶν ἀνοσίων Πελαγιανῶν καὶ Κελεστιανῶν, Κελεστίου, Πελαγίου, Ἰουλιανοῦ, Περσιδίου, Φλώρου, Μαρκελλίνου, Ὀρεντίου, καὶ τῶν τὰ αὐτὰ τούτοις φρονούντων, ἐδικαιώσαμεν καὶ ἡμεῖς, ἰσχυρὰ καὶ βέβαια μένειν τὰ ἐπ' αὐτοῖς ὡρισμένα παρὰ τῆς σῆς εὐσεβείας· ἅμα σύμψηφοι πάντες ἐσμὲν, κεκριμένους ἔχοντες αὐτούς. *Perlectis in sanctâ Synodo commentariis actorum in depositione impiorum Pelagianorum & Cœlestianorum, Cœlestij, Pelagij, Iuliani, Persidij, Flori, Marcellini, Orentij, & eadem cum illis sentientium: quæ à pietate tuâ de ipsis decreta & constituta sunt, judicavimus & nos ea solida firmaque permanere debere; & idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis habentes.*

[1] Ibid. pag. 254. edit. Colon.

tem tollendam docuisset. Verùm Celestinus Pontifex Romanus, pro sancto viro, & contra eos qui hanc hæresim resuscitarent, ejus ore Episcopis scribens, errorem revocatum cohibuit. Unde de eodem Celestino, [n] Prosper: *Per hunc virum intrà Gallias istis ipsis qui sanctæ memoriæ Augustini scripta reprehendunt maleloquentiæ est adempta libertas, quando consultantium actione susceptâ, & librorum qui errantibus displicebant pietate laudatâ, quid oporteret de eorum authoritate sentiri, sancto manifestavit eloquio: evidenter pronuntians, quantum sibi præsumptionis istius novitas displiceret, quâ auderent quidam adversus antiquos magistros insolenter insurgere, & indisciplinatâ calumniâ prædicationi veritatis obstrepere.*

[n] Prosper contr. Collator. cap. 42.

Nempe hic ipse Prosper, & Hilarius ille quem ab Arelatensi episcopo distinguendum fuisse ostendimus, Romam profecti, Gallicanos quosdam presbyteros, qui Augustini jam vitâ functi scriptis liberiùs obtrectabant, apud Celestinum accusarunt. Eâ occasione ad Venerium Massilienſem (in cujus Ecclesiâ Presbyteri munere fungebatur Cassianus) Leontium Forojulienſem (ad quem spectabat ordinatio clericorum insulæ Lirinensis, cujus tum abbas erat Faustus presbyter) & cæteros Galliarum antistites, à Celestino scripta est Epistola: in quâ Episcopos ille culpat, quòd ipsis tacentibus Presbyteros loqui, & novis quæstionibus Ecclesiam turbare, permitterent. *Filij* (inquit) *nostri præsentes Prosper & Hilarius, quorum circa Deum nostrum solicitudo laudanda est, tantum nescio quibus presbyteris illic licere, qui dissensioni Ecclesiarum studeant, sunt apud nos prosecuti; ut indisciplinatas quæstiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare adversantia veritati. Sed vestræ dilectioni justiùs imputamus, quando illi supra vos habent copiam disputandi.*

Deinde, pluribus interjectis, addit. *Super his multa jam dicta sunt eo tempore, quo ad fratris Tuentij dedimus scripta responsum. Nunc tamen repetentes sæpiùs admonemus,*

mum, ut vitentur hujusmodi, qui laborant per terras aliud, quàm ille noster jussit agricola, seminare. Nec tamen mirari possumus, si hæc erga viventes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare. Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vitâ suâ atq; meritis, in nostrâ communione semper habuimus; nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor adspersit: quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam à meis semper præcessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt; utpote, qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori. Unde resistendum talibus, quos malè crescere videmus. Epistolæ etiam, de gratiâ Dei & libero voluntatis arbitrio, quædam habentur subjuncta Capitula; ex Innocentij & Zosimi epistolis atq; Synodi Carthaginiensis anathematismis desumpta: quæ Celestini quoq; nomine à [o] Petro diacono & [p] Cresconio sunt citata.

Indefessi ejusdem in Pelagianis ubiq; reprimendis studij testes etiam tres illæ sunt epistolæ Idibus Martij, Aëtio & Valerio Consulibus, hoc est, anno CCCCXXXII. quo & mortuus est, in Orientem ab eo missæ. In primâ enim, quæ ad Synodi Universalis Ephesinæ Episcopos scripta est, de his hæreticis hujusmodi ab eo facta est mentio. [q] *Quod loquimur, Celestianorum testantur exempla; quòd spem de Synodo hucusque gesserunt. Habent, si resipiscunt, copiam revertendi: quod his solis non permittitur, quos propriè cum authoribus hæreseos omnium fratrum constat subscriptione damnatos. Per Dei namque misericordiam aliquos ex eorum numero ad nos jam redijsse gaudemus.* In secundâ Maximianum, qui deposito Nestorio Constantinopolitanus factus est Episcopus, sic adversùs eos incitat. [r] *Locum impietas novella non habeat, & compressa olim per totum Orbem suâ damnatione noto Celestiano errori tuâ vigilantiâ resistatur; ut quicunq; hujus dogmatis sunt sequaces, ab omni societate hominum repellantur. Obsistat illis per te Spiritus sanctus his*

[o] Petr. in lib. de Incarnat. & gratiâ Christi ad Fulgentium; cap. 8.

[p] Crescon. Breviar. Canonum, tit. 289. 290. &c.

[q] Act. Concil. Ephesin. part. 3. cap. 20. pag. 414. edit. Colon.

[r] Ibid. cap. 22. pag. 415.

Conficit, & verbis perderis ipse tuis.
Dumque doces quantum valeat mens libera, monstras
Velle tuum tibimet sufficere ut pereas.
Verte gradum, fuge pernicies: stratosq; rebelles
Oris Apostolici fulmine ubiq; vide.
Nec te mutato defendi nomine credas:
Si pastor pecudum lædere vult lupus es.

His addidit & Prosper epistolam de gratiâ & libero arbitrio, Augustino etiamnum superstite, ad Rufinum scriptam: quâ virum sanctum à Semipelagianorum vindicat calumnijs, *eum liberum arbitrium penitùs submovere, & sub gratiæ nomine necessitatem prædicare fatalem*, imò & *duas illum humani generis massas & duas credi velle naturas*, indignè clamitantium. *Sed prorsus nihil apud nos tale audierunt*, inquit ille, *nihil tale legerunt: quia non fato quicquam geri, sed omnia Dei judicio novimus ordinari. Nec ex duabus massis, duabusve naturis, sed ex unâ massâ, quæ est caro primi hominis, unam scimus omnium hominum creatam creariq; naturam: & eandem per ipsius primi hominis liberum arbitrium, in quo omnes peccaverunt, esse prostratam; nec ullo modo ab æternæ mortis debito liberam, nisi eam ad imaginem Dei secundæ creationis Christi gratia reformaverit, liberumque ejus arbitrium agendo, spirando, auxiliando, & usque in finem præeundo servaverit.*

Neq; hic doctissimi Vossij de istâ controversiâ judicium silentio prætermittendum arbitror. *Nempè celeberrimi quique*, inquit* ille, *Occidentalis ecclesiæ doctores sequebantur Augustinum & Prosperum: cujus de gratiâ & libero arbitrio prædestinationeq; divinâ, doctrinam ipse etiam sequor, & probo. Ut omninò sententiam meam haut satis assequantur, si qui existimare me arbitrentur, postremæ Augustini sententiæ, quâ prædestinationem fide & perseverantiâ priorem facit, tanquàm impiæ, vel etiam falsæ, obduci posse ea, quæ ante septennium in opere de controversijs à Pelagio & Massilijensibus excitatis, de priori Augustini sententiâ retuli;*

* Voss. de Historicis Latin. lib. 1, cap. 17.

rituli; vel etiam, quæ adduxi ex libris, seu Latinorum, seu Græcorum Patrum, qui scripserant ante Pelagij hæresin exortam. Nec enim, judicio meo, B. Augustinus prioribus Patribus repugnat: sed quod de Prædestinatione priores [illegible] Patres præteribant, hoc addit; atque ubi illi de gratiâ essent incautius locuti, hoc explicat.

Dum ista in Occidente moliretur Semipelagianismi novi; Theodosium Imperatorem in Oriente sollicitârunt Pelagiani veteres: de quibus, in epistolâ ad Cœlestinum Romanum episcopum, hæresiarcha Nestorius. [l] *Iulianus quidam, & Florus, & Orontius, & Fabius, dicentes se Occidentalium partium Episcopos, sæpè & piissimum & prædicatissimũ Imperatorem adierunt, ac suas causas deflevêrunt, tanquam orthodoxi temporibus orthodoxis persecutionem passi: sæpè eadem & apud nos lamentantes, ac sæpè rejecti, eadem facere non desierunt; sed insistunt per dies singulos, implentes aures omnium vestibus lacrymosis. His quidem ad eos sermonibus, quibus oportuit, usi sumus, cùm negotij eorum veram fidem nesciremus. Sed quoniam apertiore nobis de causis eorum notitiâ opus est, ne piissimus & Christianissimus Imperator noster molestiam sæpè ab his sustineat; ne nos, ignorantes eorum causas, circa negotij defensionem dividamur: dignare nobis notitiam de his largiri; ne vel quidam ignorando justitiam veritatis, importunâ miseratione conturbentur, vel canonicam indignationem beatitudinis tuæ, quæ contra eos pro sectis religionis forsè * probata est, aliud quidam quàm hoc æstiment.*

[l] Act. Concil. Ephesin. part. 1. cap. 16. pag. 275. edit. Romam. an. 1608. pag. 133. edit. Colon. ann. 1618.

* *probata*

Idem quoq; in aliis ad Cœlestinum literis ab eodem Nestorio ita inculcatum invenimus. [m] *Sæpè scripsi beatitudini tuæ propter Iulianum, Orontium, & cæteros, qui sibi usurpant Episcopalem dignitatem, & creberrimam aditionem apud piissimum & prædicatissimum Imperatorem faciunt, nosque concidunt frequentibus lamentationibus, tanquam temporibus orthodoxis de Occidente projecti. At hucusquè scripta de his à tuâ veneratione non suscipimus: quæ si haberem, possem eis respondere, daremque compendiosum responsum luctibus*

[m] Ibid. cap. 17. pag. 275. 276. edit. Roman. 134. Colonien.

luctibus eorum. Nunc enim ab incertis dictis eorum non habet quis ad quod se convertat: aliis hæreticos eos vocantibus, & idcò de Occidentalibus partibus profectos esse dicentibus; ipsis verò jurantibus calumniam se sustinuisse, & periculum pro Orthodoxâ fide ex subreptione perpessos. Quorum utrum certum sit, nobis gravis est ignorantia. Nam condolere eis, si verè hæretici sunt, crimen est: & iterùm non condolere, si calumniam sustinent, durum & impium est. Dignetur igitur amantissima Dei anima tua informare nos, qui ad utrumque momentum hucusque dividimur, id est, & ad odium, & ad miserationem eorum. Doceri autem volumus, quam de his sententiam teneamus: detinemus enim eosdem viros per dies singulos dissimulantes spe & expectatione beatitudinis tuæ.

Si verò hâc de re rescripsit Celestinus. [a] *Hæreticos, de quibus nos, velut eorum quæ gesta sunt nescius, consulere voluisti, sedibus suis, injusta dicentes, expulit justa damnatio. Quos illic invenisse requiem, non putamus esse mirandum. Invenerunt enim impiam prædicationem, cujus comparatione se æstiment innocentes. Hoc loco, quia opportunitas sermonis exposcit, tacere non possumus, quod stupemus. Legimus quàm bene teneas originale peccatum; qualiter ipsam naturam asseris debitricem, & eum de ipsius meritò reddere, qui descendit de genere debitoris. Quid tecum faciunt, qui sunt hæc negando damnati? Nunquam sine suspicione, ea quæ sibi sunt adversa, conveniunt. Ejicerentur denique, si tibi quoque similiter displicerent. Cur tamen ea quæ in hos tunc sunt acta, quæruntur; cùm certum sit, illinc ad nos à Catholico tunc antistite Africo gesta directa? Cur non sanctæ memoriæ Sisinnius ista quæsivit? quia utique sub decessore suo probaverat eos jure damnatos. Defleant infelices, spe se hominum fuisse deceptos; quibus jam potuit propter communionem sola pœnitentia subvenire. Ecce scire de his incipis, si qua antè nescivisti. Causam tuam magis modò, quàm aliorum, Catholicâ & festinâ deliberatione curato: quia convenienter dicimus; Medice, cura teipsum, qui aliis desideras subvenire.*

[a] Ibid. cap. 18. pag. 280. edit. Roman. 137. Colonien.

Luc. 4. 23.

Hæc

Hæc ille, in epistolâ scriptâ anno CCCCXXX. *tertio Idus Augusti, Theodosio* XIII. *& Valentiniano* III. *Augg. Coss.* Indeq; de Nestorio Iohannes Cassianus; Semipelagianorum quidem coryphæus, sed Pelagianorum (uti videri volebat) maximus adversarius. [o] *Hinc illud est, quòd intercessionibus suis Pelagianistarum querelas fovet, & scriptis suis causas illorum adseris; quòd subtiliter his vel (ut verius dixerim) subdolè patrocinatur, & consanguineæ sibi improbitati improbo suffragatur affectu: sciens scilicèt ejusdem se esse sensus, ejusdem spiritus; & idcò dolens cognatam sibi hæresim ab Ecclesiâ esse disjunctam, quam scit sibi utique perversitate conjunctam.*

[o] Cassian. de Incarnat. Christi, lib. 1. cap. 3.

Intereà divinæ gratiæ adversùs utrosq;, & Pelagianos & Semipelagianos, assertor ille invictus, beatissimus Augustinus diem suum obijt: de quo ad jam dictum annum, duorum Augustorum Consulatu insignitum, Prosper in Chronico. *Augustinus Episcopus per omnia excellentissimus moritur quinto Kalendas Septembris; libris Iuliani inter impetus obsidentium Vandalorum in ipso dierum suorum fine respondens, & gloriosè in defensione Christianæ gratiæ perseverans.* E vitâ autem excessisse, priusquàm Theodosij Imperatoris ad eum pervenissent literæ, quibus ad œcumenicum Concilium in causâ Nestorij indictum accersebatur, ostendit [p] Liberatus Diaconus. *Scripsit Imperator* (inquit ille) *& beato Augustino Hipponensi episcopo per Ebagnium Magistrianum, ut ipsi Concilio præstaret sui præsentiam. Qui Ebagnius veniens Carthaginem magnam, audivit à Capreolo ipsius urbis antistite, B. Augustinum ex hoc mundo migrâsse ad Dominum: acceptisq; ab eo ad Imperatorem literis, loquentibus de obitu B. Augustini, Constantinopolim, unde venerat, rediit.* & ipse Capreolus in [q] epistolâ ad Synodum. *Domini & filij nostri religiosissimi Theodosij Imperatoris litera ad manus nostras perlatæ, ejusmodi erant, quæ beatæ memoriæ fratris & coëpiscopi nostri Augustini præsentiam peculiari ratione efflagitabant. Verùm cùm ex litera illum jam tum è vivis ex-*

[p] Liberat. Breviar. cap. 5.

[q] Act. Concil. Ephesin. Græcolatin. tom. 1. Concil part. 2. pag. 203. edit. Colon. ann. 1618.

cessisse comperissent; ego regiam illam significationem, licèt ad prædictum Augustinum præcipuè destinata videretur, excipiens, missis ad universas Africæ provincias congruis literis consuetisq; sermonibus, Synodum cogere volui convenientem: quò nimirum ex fratrum & Episcoporum nostrorum numero seligerentur, qui ad venerabilem beatitudinis vestræ Synodum destinarentur.

Imperatoris literas ante dies Paschales ad se perlatas non fuisse refert ibidem Capreolus: post mortem scilicèt Augustini propè jam octo, ante cœptam verò Universalem Synodum vix duorum mensium elapso spatio. Anno enim CCCCXXXI. quo Consulatum gesserunt Bassus & Antiochus, die XXII. Iunij in urbe Ephesinâ, cujus eo tempore episcopus fuit Memnon, convenerunt Patres CCX. Cyrillo patriarchâ Alexandrino præsidente. Quinto pòst die eò adveniens Antiochenus patriarcha Iohannes, Conciliabulum suorum coëgit: quod tum quidem Episcoporum [r] XLIII. posteà verò, [s] quibusdam paulatim inde sese subducentibus & ad œcumenicæ Synodi partes transeuntibus, XXXVII. paulo plurium, & tandem XXX. circitèr numero constabat. inter quos & [t] *Iulianus* recensetur; non Campanus quidem ille, Pelagianorum pugil, (ut Claudio Menardo visum) sed [u] Larissæus episcopus. Eorum plerosq; tamen cum Iuliano Campano sensisse, & Pelagianâ Celestianâq; hæresi infectos fuisse, non solùm Cyrillus in [x] Apologetico ad Theodosium, sed etiam tota Synodus Oecumenica cùm [y] alibi sæpiùs confirmat, tùm in Relatione ad Imperatores transmissâ ita rem concludens. [z] Ἄτοπον γὰρ συνόδῳ διακοσίων δέκα ἐπισκόπων, οἷς καὶ πᾶν τὸ πλῆθος τῆς δύσεως τῶν ἁγίων ἐπισκόπων συνεψεφίσατο καὶ δι' αὐτῶν ἅπαν τὸ λοιπὸν τῆς οἰκουμένης, τριάκοντα μόνους ἀντιμάχεσθαι. ὧν οἱ μὲν ἤδη πάλαι καθηρημένοι τυγχάνουσιν, οἱ δὲ καὶ τῆς τοῦ Κελεστίου κακοδοξίας εἰσὶν, οἱ δὲ καὶ ἀνεθαματίσθησαν ὡς τὰ Νεστορίου

[r] Ibid. pag. 227.
[s] Ibid. pag. 288
[t] Ibid pag. 289. & 307.
[u] Ibid pag. 227.
[x] Ibid. pag. 403.
[y] Ibid. pag. 253. 288. 292. 302. 303. 307.
[z] Ibid. pag. 251.

ςορίȣ φρονήσαντες. *Perabsurdum enim est, ducentorum & decem Episcoporum Synodo, quibus & universa Occidentalium sanctorum Episcoporum multitudo & per ipsos reliquus totus terrarum Orbis consentit, triginta tantum numero sese opponere: quorum alij quidem jampridem depositi, alij etiam pravæ Celestij doctrinæ sectatores, quidam etiam, ut qui cum Nestorio sentiant, anathemati subditi sunt.*

In hâc Pseudo-synodo inter alia Celestiana sive Pelagiana dogmata, & illud definitum est [a] *de Adæ animâ, quia in peccato mortua non fuerit, eo quòd Diabolus in cor hominis non ingrediatur; & si quis hoc dixisset, anathema esset.* de quo Gregorius I. in epistolâ ad Anastasium Patriarcham Antiochenum. [b] *Quia quidam illam Ephesinam primam Synodum in eâdem urbe existimant, quæ quondam ab hæreticis traditur esse composita; omninò necesse est ut charitas vestra eandem Synodum apud sanctam Alexandrinam atque Antiochenam Ecclesiam requirat, & qualiter in veritate habeat, inveniat. Vel, si placet, hinc dirigemus quæ ab antiquitate servata in scrinijs habemus. Illa enim Synodus, quæ sub primæ Ephesinæ imagine facta est, quædam in se oblata capitula asserit approbata, quæ sunt Celestij atq; Pelagij prædicamenta. Et cùm Celestius atque Pelagius in eâ Synodo sint damnati; quomodo poterant illa Capitula recipi, quorum damnabantur authores?*

[a] Gregor. I. Regest. lib. 6. epist. 31. Vid. & lib. 5. epist. 14.

[b] Id. lib. 7. epist. 48.

Nimirùm Conciliabulũ istud œcumenici Concilij authoritatẽ sibi arrogavit, & pios etiam Imperatores eodẽ quo habitum est tempore in ejusdem modi errorem induxit: de quâ injuriâ, in [c] Relatione ad eos missâ, ita tum conquesti sunt veræ Synodi venerandi Patres. Κἀκεῖνο δὲ ȣ̓ μικρῶς ἡμᾶς ἔθλιψεν, ἐκ συναρπαγῆς γένεσθαι φαινόμενον, τὸ τȣ̀ς ἀποςατήσαντας ἀπὸ τῆς οἰκȣμενικῆς συνόδȣ, τȣ̀ς περὶ Ιωάννην τὸν Ἀντιοχείας, καὶ τȣ̀ς σὺν αὐτῷ Κελεςιανȣ̀ς καθηρημένȣς, τοῖς ἡμετέροις ἐντάξαι ὀνόμασι, καὶ μέαν πρὸς ἡμᾶς κἀκείνȣς σάκραν διαπέμψασθαι. *Illud non mediocriter nos afflixit (quod ipsum*

[c] Act. Concil. Ephesin. Græcolatin. pag. 293. edit. Colon.

quoq; non absq; fraudulentâ subreptione factum apparet) illos qui ab œcumenicâ Synodo desciverunt, Ioannem Antiothenæ ecclesiæ Episcopum, & Celestianos qui cum eo sunt, jam damnatos, inter nostra nomina insertos fuisse; unamq; ad nos & illos sacram missam esse.

Pelagiana autem illa decreta in Ephesinâ Pseudo-synodo sancita fuisse videntur, postquàm [d] Iohannes Antiochenus & septem ejus sodales (inter quos erat & Theodoretus Cyri episcopus) inde Constantinopolim, communem causam apud Imperatorem acturi, fuissent missi. Hi enim à tutandâ Pelagianâ factione adeò videri volebant alieni, ut in [e] epistolâ ad Rufum Thessalonicensem præsulem, ob hoc ipsum accusare Cyrillum & Memnonem, atq; in ipsis reliquos œcumenici Concilij Patres, non sint veriti; quòd eadem sentientes cum Celestio & Pelagio in communionem recepissent. quum tamen illi cognatam istam Nestorianæ hæresim ita fuerint detestati, ut Cyrillus quidem & Memnon in plenâ Synodo [f] eos qui Celestij vel Pelagij placita sequerentur anathematizaverint; tota verò Synodus in epistolâ Encyclicâ ad universos fideles, hanc rationem reddiderit quare ipsius hujus Conciliabuli episcopos communi decreto ab omni Ecclesiasticâ communione alienos esse statueret. quandoquidem [g] *cumprimis Nestorij & Celestij sequi sententias manifestè ex eo sunt deprehensi, quòd Nestorium condemnare noluerunt.* πρὸ πάντων μὲν τὰ Νεστορίου καὶ τὰ Κελεστίου φρονήματα ἐπιφερόμενοι σαφέστατα ἀπεδείχθησαν, ἐκ τοῦ μὴ ἑλέσθαι μηθ' ἡμῶν Νεστορίου καταψηφίσασθαι. quasi qui Nestoriũ non odisset, neq; à Celestio animo alieno esse potuisset.

Adjecti sunt ab Oecumenicæ Synodi Patribus & alij [h] duo hâc de re Canones. prior ad Metropolitas pertinens. Εἴ τις ὁ μητροπολίτης τῆς ἐπαρχίας, ἀποστατήσας τῆς ἁγίας καὶ οἰκουμενικῆς συνόδου προσέθετο τῷ τῆς ἀποστασίας συνεδρίῳ ἢ μετὰ τοῦτο προστεθείη, ἢ τὰ Κελεστίου

[d] Ibid. pag. 278.

[e] Ibid. pag. 285.

[f] Ibid pag. 247.

[g] Ibid. pag 307.

[h] Ibid. pag. 307. 308. & in Codice Canonum Orientalis Ecclesiæ à Io. Tilio Paris. an. 1540. edit. fol. 27. & Codice Canonum Ecclesiæ universæ, à Iustello ibid. an. 1610. edit. pag. 96. 98.

εἰς ἐφρόνησεν ἢ φρονήσῃ οὗτος καὶ τῶν τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπων ἀφεστάτεσθαι ἢ ἀδαμῶς δύναται, πάσης ἐκκλησιαστικῆς κοινωνίας ἐντεῦθεν ἤδη ὑπὸ τῆς συνόδου ἐκβεβλημένος, καὶ ἀνενέργητος ὑπάρχων. *Si quispiam Metropolita provinciæ, derelictâ sanctâ & œcumenicâ Synodo, aut accessit ad illorum defectionis consessum aut accedet in posterum, sive cum Cœlestio sensit aut sentiet; ipse nihil amplius poterit agere adversus provinciæ Episcopos, ut qui jam inde à Synodo totius Ecclesiasticæ communionis expers sit factus, & prorsus ad functiones inhabilis.* posterior ad omnes spectans clericos. Εἰ δέ τινες ἀσωτεύσειεν τῶν κληρικῶν, καὶ τολμήσειεν ἢ καθ' ἰδίαν ἢ δημοσίᾳ τὰ Νεστορίου ἢ τὰ Κελεστίου φρονῆσαι, καὶ τέλος εἶναι καθηρημένους ὑπὸ τῆς ἁγίας συνόδου διαλαμβάνεται. *Si qui autem clericorum defecerint, & ausi fuerint vel privatim vel publicè quæ sunt Nestorii aut Cœlestii sapere; sancitum est à sanctâ Synodo istos quoq; depositos esse.*

Cœlestini deniq; de Iuliani & sociorũ depositione sententia à Patribus est cõfirmata: quod ipsi in literis ad eũ scriptis ita significãt.[1] Ἀναγνωσθέντων ἐν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τῶν ὑπομνημάτων τῶν πεπραγμένων ἐπὶ τῇ καθαιρέσει τῶν ἀνοσίων Πελαγιανῶν καὶ Κελεστιανῶν, Κελεστίου, Πελαγίου, Ἰουλιανοῦ, Περσιδίου, Φλώρου, Μαρκελλίνου, Ὀρεντίου, καὶ τῶν τὰ αὐτὰ τούτοις φρονούντων. ἐδικαιώσαμεν καὶ ἡμεῖς, ἰσχυρὰ καὶ βέβαια μένειν τὰ ἐπ' αὐτοῖς ὡρισμένα παρὰ τῆς σῆς εὐσεβείας· καὶ σύμψηφοι πάντες ἐσμὲν, κεκαθηρημένους ἔχοντες αὐτούς. *Perlectis in sanctâ Synodo commentariis actorum in depositione impiorum Pelagianorum & Cœlestianorum, Cœlestii, Pelagii, Iuliani, Persidii, Flori, & Marcellini, Orentii, & eadem cum illis sentientium: quæ à pietate tuâ de ipsis decreta & constituta sunt, judicavimus & nos ea solida firmaque permanere debere; & idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis habentes.*

[1] Ibid. pag. 254. edit. colon.

Atq; ita, *secundùm sacrosanctam universitatis & antiquitatis consensionem* (ut [k] Vincentius Lirinensis notat) *Pelagius, Celestius, Nestorius, jure meritoq; damnati sunt.* De quo Prosper in Chronico. *Congregatâ apud Ephesum plus ducentorum Synodo sacerdotum, Nestorius cum hæresi nominis sui, & cum multis Pelagianis, qui cognatum sibi dogma juvabant, damnatur.* & [l] alibi de Papâ Celestino verba faciens: *Per hunc virum Orientales Ecclesiæ geminâ peste purgatæ sunt: quando Cyrillo Alexandrinæ urbis antistiti, gloriosissimo fidei Catholicæ defensori, ad* [*] *execrandam Nestorianam impietatem Apostolico auxiliatus est gladio; quo etiam Pelagiani, dum cognatis confœderantur erroribus, iterùm prosternerentur.* Quænam verò hæc fuerit inter utramq; hæresim *cognatio*, (dum quod à Pelagianis de membris Christi perversè est traditum, ad ipsum corporis caput à Nestorianis impiè est traductum) ex Actis Occidentalium Episcoporum adversus Nestoriana & Pelagiana dogmata, ita explicat [m] Photius.

[k] Vincent. Commonitor. advers. hæreses, cap. ult.

[l] Prosp. contra Collator. cap. 41.

[*] *extirpandam*

[m] Phot Bibliothec. num. 54.

Οἱ μὲν Κελεστιανοὶ περὶ τοῦ σώματος ἤτοι τῶν μελῶν τοῦ Χριστοῦ (τουτέστι τῆς ἐκκλησίας) ἀποθρασύνονται ὅτι πὲρ οὐχὶ ὁ θεὸς (τουτέστι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον) τὴν τε πίστιν αὐτοῖς καὶ πάντα τὰ πρὸς ζωὴν καὶ εὐσέβειαν καὶ σωτηρίαν διαιρεῖ ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς βούλεται. ἀλλ' ὅτι πὲρ ἡ κατατεταγμένη τοῦ ἀνθρώπου φύσις (ἡ διὰ τὴν παράβασιν καὶ τὴν ἁμαρτίαν τῆς μὲν μακαριότητος ἐκπεσοῦσα καὶ τοῦ θεοῦ χωρισθεῖσα, τῷ δὲ θανάτῳ παραδοθεῖσα) ἄυτη κατὰ τὴν τῆς προαιρέσεως ἀξίαν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ προσκαλεῖται καὶ ἀπωθεῖται. Οἱ δὲ Νεστοριανοὶ καὶ περὶ αὐτὴν τὴν τοῦ σώματος κεφαλὴν, τὸν Χριστὸν, τὴν αὐτὴν διάνοιαν καὶ τόλμαν ἔχουσι. λέγουσι γὰρ, ὅτι ἐπεὶ τῆς ἡμετέρας φύσεως ἐστὶν ὁ Χριστὸς, ὁ δὲ θεὸς πάντας ἀνθρώπους ὁμοίως θέλει σωθῆναι, καὶ οἰκεία προαιρέσει ἕκαστον τὸ ἑαυτοῦ

πρα-

πταῖσμα ἐπανορθώσασθαι, καὶ ἄξιον ἑαυτὸν αὐτοῦ ποιῆσαι. διὰ τοῦτο οὐκ ἔστιν ὁ λόγος ὁ τηχθεὶς, ἀλλ' ὁ γεννηθεὶς, ἐκ Μαρίας, διὰ τὴν τῆς φυσικῆς προαιρέσεως ἀξίαν, εἶχεν ἑπόμενον τὸν λόγον, μόνῃ τῇ ἀξίᾳ καὶ τῇ ὁμωνυμίᾳ κεκοινωνηκὼς τῷ λόγῳ τῆς υἱότητος.

Celestiani de corpore seu membris Christi, hoc est, de Ecclesiâ petulanter istâ jactant. Non Deum ipsum, id est, Spiritum sanctum fidem ipsis, omniaq; ad vitam, pietatem & salutem necessaria, privatim dividere unicuiq;, prout velit: sed constitutam hominis naturam (quæ per transgressionem & peccatum beatitudine excidit, atq; à Deo separata, morti tradita est) pro merito voluntatis uniuscujusq; Spiritum sanctum & appellare & repellere. Nestoriani verò de ipso etiam corporis capite Christo eadem sentire & affirmare audent. Asserunt enim, quandoquidem nostræ Christus naturæ sit particeps factus, & Deus omnes homines SIMILITER *salvos fieri velit; unumquemlibet etiam per arbitrij sui libertatem proprium peccatum corrigere, & Deo dignum se facere. Idcircò non genitum esse Verbum; sed eum qui ex Mariâ natus est, ob naturalis voluntatis dignitatem, habuisse Verbum concomitans: cùm solâ istâ nobilitate, & eâdem appellatione communicaret cum ratione filiationis.*

Addit ibidem de hæresi Pelagianâ Photius. Ἀναθεματίσθη αὕτη ἡ αἵρεσις καὶ ἐν τῇ Ἐφεσίων ἁγίᾳ συνόδῳ. *Hæc eadem hæresis anathemate item damnata est in sacrâ Ephesinâ Synodo.* Item: Μετὰ θάνατον τοῦ ἐν ἁγίοις Αὐγουστίνου ἤρξαντό τινες τῶν ἐν τῷ κλήρῳ τὸ μὲν δυσσεβὲς κρατύνειν δόγμα, κακῶς δὲ λέγειν Αὐγουστῖνον καὶ διασύρειν, ὡς ἀναίρεσιν τοῦ αὐτεξουσίου εἰσηγησάμενον. ἀλλὰ καὶ Κελεστῖνος ὁ Ῥώμης ἀπὸ τε τοῦ θείου ἀνδρὸς, καὶ ἤτι τῶν ἀνακινούντων τὴν αἵρεσιν τοῖς ἐγχωρίοις γράφων ἐπισκόποις, τὴν κινουμένην πλάνην ἔστησεν. *Post sancti Augustini mortem cœperunt quidam in clero impium illud dogma asserere; malè etiam loqui de Augustino, atq; adeò convicijs incessere, tanquam arbitrij libertatem*

tem tollendam docuisset. Verùm Celestinus Pontifex Romanus, pro sancto viro, & contra eos qui hanc haresim resuscitarent, ejus ore Episcopis scribens, errorem revocatum cohibuit. Unde de eodem Celestino, [a] Prosper: *Per hunc virum intrà Gallias istis ipsis qui sanctæ memoriæ Augustini scripta reprehendunt maleloquentiæ est adempta libertas, quando consultantium actione susceptâ, & librorum qui errantibus displicebant pietate laudatâ, quid oporteret de eorum auctoritate sentiri, sancto manifestavit eloquio: evidenter pronuntians, quantum sibi præsumptionis istius novitas displiceret, quâ audirent quidam adversus antiquos magistros insolenter insurgere, & indisciplinatâ calumniâ prædicationi veritatis obstrepere.*

[a] Prosper contr. Collator. cap. 42.

Nempe hic ipse Prosper, & Hilarius ille quem ab Arelatensi episcopo distinguendum fuisse ostendimus, Romam profecti, Gallicanos quosdam presbyteros, qui Augustini jam vitâ functi scriptis liberiùs obtrectabant, apud Celestinum accusarunt. Eâ occasione ad Venerium Massilienſem (in cujus Ecclesiâ Presbyteri munere fungebatur Cassianus) Leontium Forojulienſem (ad quem spectabat ordinatio clericorum insulæ Lirinensis, cujus tum abbas erat Faustus presbyter) & cæteros Galliarum antistites, à Celestino scripta est Epistola: in quâ Episcopos ille culpat, quòd ipsis tacentibus Presbyteros loqui, & novis quæstionibus Ecclesiam turbare, permitterent. *Filij* (inquit) *nostri præsentes Prosper & Hilarius, quorum circa Deum nostrum solicitudo laudanda est, tantum nescio quibus presbyteris illic licere, qui dissensioni Ecclesiarum studeant, sunt apud nos prosecuti; ut indisciplinatas quæstiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare adversantia veritati. Sed vestræ dilectioni justiùs imputamus, quando illi supra vos habent copiam disputandi.*

Deinde, plurib⁹ interjectis, addit. *Super his multa jam dicta sunt eo tempore, quo ad fratrem Tuentium dedimus scripta responsum. Nunc tamen repetentes sæpiùs admonemus,*

rum, ut videntur hujusmodi, qui laborant per terras aliud, quàm ille noster jussit agricola, seminare. Nec tamen mirari possumus, si hæc erga viventes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare. Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vitâ suâ atq; meritis, in nostrâ communione semper habuimus; nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor adsperſit: quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam à meis semper præcessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt; utpote, qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori. Unde resistendum talibus, quos malè crescere videmus. Epistolæ etiam, de gratiâ Dei & libero voluntatis arbitrio, quædam habentur subjuncta Capitula; ex Innocentij & Zosimi epistolis atq; Synodi Carthaginiensis anathematismis desumpta: quæ Cœlestini quoq; nomine à • Petro diacono & P Cresconio sunt citata.

• Petr. in lib. de Incarnat. & gratiâ Christi ad Fulgentium, cap. 8.

P Cresc. Breviar. Canonum, tit. 289. 290. &c.

Indefessi ejusdem in Pelagianis ubiq; reprimendis studij testes etiam tres illæ sunt epistolæ Idibus Martij, Aëtio & Valerio Consulibus, hoc est, anno CCCCXXXII. quo & mortuus est, in Orientem ab eo missæ. In primâ enim, quæ ad Synodi Universalis Ephesinæ Episcopos scripta est, de his hæreticis hujusmodi ab eo facta est mentio. q *Quod loquimur, Cœlestianorum testantur exempla; quòd spem de Synodo hucusque gesserunt. Habent, si resipiscunt, copiam revertendi: quod his solis non permittitur, quos propriè cum authoribus hæreseos omnium fratrum constat subscriptione damnatos. Per Dei namque misericordiam aliquos ex eorum numero ad nos jam redisse gaudemus.* In secundâ Maximianum, qui depositio Nestorio Constantinopolitanus factus est Episcopus, sic adversùs eos incitat. r *Locum impietas novella non habeat, & compressa olim per totum Orbem suâ damnatione nota Cœlestiano errori tuâ vigilantiâ resistatur; ut quicunq; hujus dogmatis sunt sequaces, ab omni societate hominum repellantur. Obsistat illis per te Spiritus sanctus his*

q Act. Concil. Ephesin. part. 3. cap. 20. pag. 414. edit. Colon.

r Ibid. cap. 22. pag. 415.

in omnibus, qui ad has quaſcumque conuntur provincias pervenire ; ne eorum impia prædicatio reſurgat. Obſiſte eis : ita enim, ut damnentur quocumque perveniant, innoteſcunt ; & tanquam non illis ſententia toties repetita ſufficiat, longinquas terras remotaſq; provincias inquierunt. Sed eos ille perſequitur, cujus Fidem ſuâ pravitate perſequi nitebantur: & quo ſe abſcondant, ad quas latebras confugiant, ſuâ ſe impietate prodentes, invenire non poſſunt.

In tertiâ Clerum & populum Conſtantinopolitanum de Neſtorio ita commonet. [f] *Adfuerunt inter alios, nec deſeruerunt eum Celeſtiani iniquitatis operarij, quos Hymnidici noſtri perſequitur manifeſta ſententia. Iamdudum quippe inimici Dei diſperguntur, & pereunt qui operantur iniquitatem:* qui, *ſicut idem dicit, velut cibum panis plebem Dominicam devorabant. Habuit ergo ſecum ſui magiſtros exulij: habuit hujuſce rei perfectos tyro doctores. Nam ſeparare difficile eſt quos ſcelera ſola junxerunt ; quia majore ligantur glutino fœdera vitiorum. Quis tamen horum finis eſt ? nempe ille quem legimus : * Irritavit in illo Dominus; & erunt poſthac decidentes ſine honore in contumeliâ inter mortuos in æternum.* Indeq; ſicut in Romano Martyrologio [t] *S. Celeſtini Papæ, qui Neſtorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum damnavit, Pelagianumq; fugavit*, celebris ſtatuitur memoria, ut de utroq; hæretico debellato titulus quidam triumphalis: ita utriq; hæreſi, cum infamiâ & dedecore pariter ſepultæ, commune hoc poſitum eſt à Proſpero Epitaphium; quo longiuſculum iſtud Caput (rebus Intra Celeſtini Pontificatum geſtis explicandis deſtinatum) claudendum exiſtimavimus.

[f] Ibid. 23. pag. 417. 418.

Pſalm. 92. 9. al. 91. 10. Pſalm. 14. 4. al. 13. 7.

* Irridebit illos. Sapient. 4. 18.

[t] Martyrolog. Roman. VIII. Id. April.

Neſtoriana lues ſucceſſi Pelagiana;
Quæ tamen eſt utero prægenerata meo.
Infelix miſeræ genitrix filiana nefandæ,
Prodivi ex ipſo germine quod peperi.
Nam fundare arcem meritis prior orſa ſuperbis,

De

De capite ad corpus ducere opus volui.
Sed mea dum proles in summa armatur ab imis,
Congrua bellandi tempora non habui.
Et consanguineo post tristia vulnera frandis,
Aspera conserui prælia fine pari.
Me tamen una dedit victum sententia letho;
Illa volens iterùm surgere, hîc cecidit.
*Mecum oritur, mecum * moritur, mecũq; sepulchrũ* * al. vivit,
Intrat, & inferni carceris ima subit:
Quò nos præcipites insana superbia mersit,
Exutas donis, & tumidas meritis.
Nam Christum pietate operũ & mercede volẽtes
Esse Deum, in capitis fædere non stetimus.
Sperantesque animi de libertate coronam,
Perdidimus quam dat gratia justitiam.
Quique igitur gemina miseratus busta ruina,
Ne nostro exitio consecière cave.
Nam si qua Dominò data munera ferò fatemur,
Hæc homini credis debita, noster eris.

CAP. XII.

Semipelagiani à Prospero scriptis refutati: Pelagiani à Xysto III. & Leone I. repressi. Britanni, à Scotis & Pictis conculcati, ab Aëtio Romana militia Magistro auxilium frustrà implorant. Iidem fame confecti, recuperatis posteà viribus hostes repellunt. De regibus eorum Constantino, & filio Constante Winioniensi monacho, quid Britannica Historia: de pace & rerum abundantiâ illis restitutâ, novâque vitiorum segete simul accrescente, quid Gildas tradat. Pelagiana hæresis emergens in Istriâ à Leone Magno, in urbe Romanâ à B. Prospero, in Britanniâ à S. Germano & Severo prosternitur. De S. Germani & Vortigerni Britannorũ regis congressu fabulæ. Anglo-

Saxones à Britannis invitati, Hengistè & Horsâ ducibus, in Insulam adveniunt. Ex quibus Germaniæ provincijs novi coloni ducti fuerint, & in quibus Britanniæ locis consederint. Tempus eorum adventus explicatum, & cum vicinorum Francorum in Gallias migratione comparatum. Quomodo, auctis viribus, ex amicis hostes effecti, Britannicam Rempublicam & Ecclesiam oppresserint. De miserorum Britannorum reliquijs solum vertere coactis: eâq; occasione, de eorum in Batavia & Britanniâ Armoricâ collocatis sedibus.

CElestino in sede Romanâ successit Xystus sive Sixtus III. quem, adhuc presbyterum, magno animo Pelagianis se opposuisse [a] docuimus. Sub ejus Pontificatus initijs, latiùs sese diffundentibus in Galliâ Semipelagianorum erroribus, adversùs mali authorem Iohannem Cassianum, *Collatorij* nomine designatum, à Prospero Aquitanico egregius editus est Commentarius: cujus scriptionis occasionem & propositum in Operis exordio ipse sic enarrat. [b] *Gratiam Dei, quâ Christiani sumus, quidam dicere audent à sanctæ memoriæ Augustino Episcopo non rectè esse defensam; libros q; ejus contra errorem Pelagianum conditos immoderatis calumnijs impetere non quiescunt. Quorum intùs interstrepens domestica malignitas non minùs sternenda esset, quam foris latrans, haretica loquacitas: nisi ejectis extra ovile Dominicum lupis, sub nomine ovium, suffragarentur; essent q; ejusmodi ut nec ordo eorum in Ecclesiâ, nec ingenia despicienda videantur. Siquidem habentes speciem pietatis in studio, cujus virtutem diffitentur in sensu; trahunt ad se multos ineruditos, & non habentia spiritum discretionis corda conturbant: atq; in eum statum deducere causam Ecclesiæ moliuntur, ut dum nostros affirmant non veraciter pro gratiâ locutos, inimicos gratiæ persuadeant injustè damnatos*

[a] Suprà, cap. 10. pag. 182.

[b] Prosp. contra Collator. cap. 1.

damnatos esse.

Non ergo negligendum est hoc malum, quod ab occultis parvisq; seminibus augetur quotidiè, & ab ortu suo latiùs longiusq; distenditur: sed studendum est, in quantum Dominus adjuvat, ut fallacium calumniatorum hypocrisis detegatur: qui ex ipsâ injuriæ magnitudine, quam in uno cunctis ac præcipuè Apostolicæ sedis Pontificibus intulerunt, ab indoctis & parùm cautis excellentioris scientiæ judicantur; & misero perversoq; successu facilem mendacii consensum elicuerunt, quia reverentiam sibi præsumptione peperierunt. Nec enim, cùm sint bonæ opinionis viri, creduntur ullo modo tarditate intelligentiæ aut temeritate judicij in superfluæ querelæ conclamationem potuisse prorumpere: ac non potiùs magno ingenio ac vehementi studio laborâsse, ut subtilissimi tractatoris disputationibus comprehensis, censura nunc districtior & inspectio sagacior inveniret, quod anteà securus favor & benignitas incuriosa non viderat.

*Unde ergo hæc diligentia tam severi emersit examinis? Unde in hanc austeritatem supercilium tam tetricæ frontis se armavit; ut mensuras sensuum, pondera locutionum, numeros syllabarum insidiosus scrutator eventilet, magnumq; se aliquid conficere præsumat, si Catholico prædicatori notam erroris affigat? quasi incognitum aliquod opus & quod hactenùs latuerit impetatur: ac non illa his morsibus doctrina lanietur, quæ novorum hæreticorum commenta disjecit, & Diabolicum tumorem Pelagianæ elationis elisit. * Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies, hujus viri ductu, pugnat & vincit. Vincit dico, quia non patitur respirare quos vicit; & in quorum excidium unam cunctorum sacerdotum manu sententiam scripsit. Pulsi pontificio, & communione privati, querantur quasi de felicitate nostræ victoriæ; & armentin nos linguas suas, qui exulare à veritate, quàm cives esse Ecclesiæ maluerunt: nostri autem concorporales, ac participes gratiæ Dei, cur de his armis, quibus communis fides est defensata, causantur? Cur bellum confectum retractant; & munitiones secutæ dudum pacis infirmant?*

* ab anno CCCCXII. vel sequente. Vid. supr. cap. 9. pag. 221. 223. 235.

Ac tandem contra eos sic concludit. [c] *Igitur hujusmodi hominum pravitati, non tam disputationum studio, quàm authoritatum privilegio est resistendum: ut de prostrati dudum dogmatis corpore nullum membrum sinatur assurgere. Quia notum est, ita se falsitatis istius habere versutias, ut si eis liceat pretentæ correctionis imagine aliquod sibi faventium radicis suæ germen excipere, totam se possit in exiguâ sui parte reparare. Ubi enim non aliud habet summa, quàm portio; non est devotionis dedisse propè totum, sed fraudis retinuisse vel minimum. Quod ne Hypocritarum obtineatur insidijs, confidimus Domini protectione præstandum; ut quod operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Cœlestino, operetur & in Xysto: & in custodiâ Dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic reservata pastori, ut sicut illi lupos abegêre manifestos, ita hic depellat occultos.*

[c] Id. ibid. cap. 44.

Alijs præterea editis scriptis idem Prosper [d] bonam Catholicorum causam tuebatur. Cùm enim quindecim Capitula à Gallis objicerentur adversùs ea quæ in Pelagianos scripserat Augustinus: ad singula respondit ille; istâ libro suo præfixâ Præfatione. *Doctrinam (quam sanctæ memoriæ Augustinus Episcopus contra Pelagianos, inimicos gratiæ Christi & liberi arbitrij decomptores, per multos annos Apostolicè asseruit, literisq; mandavit) quibusdam visum est aut intelligendo, aut intelligi eam nolendo, respondere: & hoc quasi compendium cognitionis his, qui judicio eorum ducebantur, afferre; ut quæ in libris prædictis viri damnabilia reperisse jactabant, brevium Capitulorum indiculis prædicarent: taliq; commento & detestationem ejus quem impeterent obtinerent, & ab his quæ infamâssent curam exterriti lectoris averterent. Ne ergo hanc persuasionem temerè quis recipiat, & talem putet sensum scriptis Catholicis inesse Doctoris, qualem eum qui frustrà calumniantur, ostentant; singulis Capitulis, quæ rationis titulo prænotârunt, brevi & absolutâ professione respondet: in nullo recedens à tramite earum definitionum, quæ in sancti viri disputationibus continentur. ut facilè vel tenuis diligentiæ adverset inspector,*

[d] Voss. Histor. Pelagian. lib. 1. cap. 18. pag. 62.

ctor, quàm injustis opprobrijs Catholici prædicatoris memoria carpatur: & in quod peccatum tadant, qui alienâ instigatione commoti, scriptorem celeberrimi nominis promptiùs habeant culpare quàm nôsse.

Respondit idem ad decem dubia, ex Augustini libris de Prædestinatione Sanctorum (secundo etiam libro, qui est de Dono perseverantiæ, communi eo nomine comprehenso) excerta; quæ ex Genuensi civitate explicanda illi miserant Camillus & Theodorus presbyteri: de ipso Augustino & re totâ sub libelli finem ita concludens. *Quamvis nunquam tam insipienter locutus sit ad populum Christianum, & id quod mendax obtrectatio ineptissimè finxit horruerit: piâ tamen constantiâ doctrinâ abundanter probavit, prædicandam esse Ecclesiæ prædestinationem, in quâ est gratiæ præparatio, & gratiam, in quâ est prædestinationis effectus; & præscientiam Dei, quâ ante secula æterna quibus esset collaturus sua dona præscivit. Cujus prædicationis quisquis est impugnator, apertissimus est Pelagianæ elationis adjutor.*

Ab eodem refutata sunt & objectionum Vincentianarum sexdecim Capitula: quibus non tam Augustinus (licèt falso titulo Responsionis ejusdem *ad articulos sibi falsò impositos* Opusculum hoc aliquando ferebatur) quàm ipse Prosper & reliqui, qui ab ejus partibus stabant, Orthodoxi petebantur: sicut eodem Satanæ artificio, adversus ejusdem doctrinæ defensores eadem adhiberi calumnias hodieq; cernimus. De quâ injuriâ sibi & fratribus illatâ, in Responsionum suarum præfatione, sic Prosper conquestus est. *Quidam Christianæ ac fraternæ charitatis obliti, in tantum existimationem nostram quoquomodo student ladere, ut suam se evertere, nocendi cupiditate, non videant. Contexunt enim, & qualibus possunt sententijs comprehendunt, ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia; eaq; extendenda & ingerenda multis publicè privatimq; circumferunt: asserentes talia in nostro esse sensu, qualia Diabolico continentur inciculo. Quæ falsò*

falso in nos ad excitandam invidiam jactitari, facilè & sufficienter subscriptione unius probaremus anathematis; nisi malignitas eorum, qui se gravari putant si de nobis benè sentiatur, ipsam subscriptionis nostræ brevitatem suspectam esset habitura. Unde ne hujus querelæ inveniretur occasio, necessarium convenientq; credidimus, ut sive ad calumniantium animos mitigandos, sive ad eos, quorum auribus tale aliquid insonuit, instruendos, quantum adjuvante Domino fieri potuerit, plenè lucideq; pandamus, quid de perversis definitionibus judicemus.

[a] Vid Voss. Histor. Pelagian. lib. 1. cap. 9.

Harum Objectionum authorem [a] nonnulli, haud levibus ducti conjecturis, Vincentium Lirinensem fuisse existimant: qui adversùs hæreses Commonitorium [b] Xysto Romanam ecclesiam administrante, & tertio post habitum Concilium Ephesinum anno (quem nos Christi CCCCXXXIIII. numeramus) conscripsit. Eo verò tempore [c] Pelagianum illum Iulianum adhuc *so collegarum sensui, aut incorporare neglexisse, aut excorporare præsumpsisse*, meminit. Sub finem tamen Pontificatus Xysti eundem in communionem Ecclesiæ insinuare se conatum, ad Consulatum Theodosij XVII. & Festi (qui in annum CCCCXXXIX. incidit) his verbis in Chronico suo docet Prosper. *Hâc tempestate Iulianus [d] Eclanensis, jactantissimus Pelagiani erroris assertor, quam dudùm amissi Episcopatus intemperans cupido exagitabat, multimodâ arte fallendi correctionis speciem præferens, nolitus est in communionem Ecclesiæ irrepere. Sed his insidijs Xysti Papa Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patêre permisit: & ita omnes Catholicos de rejectione fallacis bestiæ gaudere fecit; quasi tunc primùm superbissimam hæresim Apostolicus gladius detruncâsset.*

[b] Vincent. Commonitor. cap. 43.
[c] Ibid. cap. 42.
[d] Ibid. cap. 40.

[d] Celanensis, Gelasio in LXX. episcopor. Concil. & Bedæ, Præfat. in Cantic.

Erat hic Diaconus Leo ille Magnus, qui anno proximè sequente Xysto in Romano successit Pontificatus: à quo Iulianum, in Campaniâ suâ res iterùm turbantem, contritum esse, idem Prosper (cujus tunc operâ in

Pela-

Pelagianis reprimendis ipse usus est Leo) in libello de Dimidio temporis, cap.c 6.° ita retulit. *In Italiâ, nobis apud Campaniam constitutis, dum venerabilis & Apostolico honore nominandus Papa Leo Manichæos subverteret, & contereret Pelagianos, & maximè Iulianum: ambiens tum quidam Florus nomine, spiritu seductionis arreptus, virtutẽ & meritũ sibi sancti Sosy martyris assignans, cùm haud procul à Neapolitanâ civitate, in subversionẽ animarũ quædam promitteret faceretq; illicita; à germano venerabilis Nostriani Episcopi & Hierio presbytero simul cum clericis prædictæ Ecclesiæ tentus & coërcitus, sic à præfatæ provincia limitibus pulsus est.* Qui impostor, ejusmodi falsis miraculis simplicium fidem subvertere molitus, i Claudio Menardo non alius fuisse videtur quàm Florus episcopus Pelagianus, cui postremum opus contra Augustinum dicavit Iulianus; & quem, unâ cum eodem & cæteris collegis à Celestino depositum, in Ephesino Concilio iterùm damnatum fuisse in præcedente Capite audivimus.

i Menard. Not. in Augustini imperfectum opus contra Iulian. pag. 488.

Quàm miseranda his temporibus rerum facies in Britanniâ fuerit, satis testatur epistolæ ad Aëtium missæ flebilis illa ἐπιγραφὴ, AETIO III. CONSULI, GEMITUS BRITANNORUM. & lugubris quæ annexa est querimonia. *Repellunt Barbari ad mare, repellit mare ad Barbaros. Inter hæc duo genera funerum, aut jugulamur aut mergimur.* Hîc tamen, ubi in Gildæ codice à Polydoro Vergilio edito, *Aëtio ter Consuli*, legitur, monet doctissimus k Camdenus, in exemplaribus plurimis (sicut etiam in duobus quibus ego sum usus MSS.ii & quæ l Galfridus Monemuthensis est secutus) haberi, *Agitio ter Consuli*; in alijs sine numeri adjectione *Aegitio*, & in uno *Æquitio Cos.* In Britannicâ historiâ carminibus expressâ, quæ falso Gildæ nomine est prænotata, *Agresium* quoq; appellatum invenio. Quum enim in 5.° libro eladem Britonibus à Barbaris illatam Poëta cecinisset; statim subjicit:

k Camden. Britann. pag. 77. & 95.

l Galfrid. histor. Britannic. libr. 6. cap. 3.

Lactentes matresq; simul, juvenesq; senesq;
Occumbunt gladio. nulli sua munera prosunt:
Ecclesiæ clerum reverentia nulla tuetur.
Agretius Consul Romanus ferre recusat.
Auxilium positis in tantâ strage Britannis.

In Bedæ historiæ Ecclesiasticæ lib. 1. cap. 13. editionibus vulgatis, *Boëtius* nominatur. quam lectionem non solum antiquissimorum exemplarium inspectio (quæ *Aëtium* nobis exhibent) sed etiam ipse verborum Bedæ contextus vitiosissimam esse demonstrat. *Anno* (inquit, de Theodosio juniore agens) *regni ejus vicesimo tertio Boëtius vir illustris, qui & patritius fuit, tertium cum Symmacho gessit Consulatum. Ad hunc pauperculæ Britonum reliquiæ mittunt epistolam, cujus hoc principium est: Boëtio ter Consuli gemitus Britannorum, &c.* Atqui Symmachum non *Boëtio* sed *Aëtio* tertium Consuli collegam fuisse consentiunt omnes: & alium aliquem Consulem cogitare, à quo militare auxilium expeterent Britanni, quam *Aëtium*, [m] qui *Magister utriusq; militiæ* erat, & in vicinâ *Galliâ* tum degebat; hoc verò suaviter esset ineptire. Neq; rectè Bedam perversæ temporum rationis insimulat hîc [n] Camdenus (à [o] Baronio in errorem inductus ipse) quòd ad *annum Theodosij junioris* XXIII. *Christi* 430. Aëtij Consulatum tertium retulerit: quem *ex fastis Consularibus constat in* XXXIX. *Theodosij illius, & Christi* 446. *annum incidisse.* Nam in ipso capitis illius exordio apertè significaverat Beda, se Theodosij junioris regnum ab anno Domini CCCCXXIII. & Honorij Augusti obitu arcessere. Cùm igitur *anno regni ejus vicesimo tertio* Epistolam hanc ad Aëtium missam esse subjicit, non aliud dictum voluit, quàm quod à Iordano sive Iornande (ut à Cuspiniano citatur) vel (ut mea fert sententia) ab Hermanno Contracto est expositum. *Anno* 446. *Britanni ab Aëtio & Romanis contra Scotos & Pictavos* (seu *Pictos*) *auxilium implorant,*

[m] Vid. literas Imperatorias ad Aëtium datas Valentiano VI. Cos. h.e. anno 445. inter Theodosij & Valentiniani Novellas, tit. de Episcoporum ordinat.
[n] Camden. Britan. pag. 94.
[o] Baron. an. 446. §. 1.

plorant, nec impetrant.

Eodem anno *magnam famem Constantinopolim invasisse, pestemq; ilicò subsecutam*; & sequente quoq; *famem & aërum pestiferum oderem multa millia hominum jumentorumq; deleviss*e, narrat Marcellinus Comes in Chronico. ex quo pleraq; in jam citato loco ad verbum transcribens Beda, [r] eandem *illam famem Britones magis magisq; affeciss*e addit. illam nimirùm, cujus ita meminit in Epistolâ suâ Gildas. *Interea fames dira ac famosissima vagis ac nutabundis hæret: quæ multos eorum cruentis compulit prædonibus sine dilatione vitæ dare manus, ut pauxillum ad refocillandam animam cibi caperent, alies verò nunquam; quin potiùs de ipsis montibus, speluncis, ac saltibus dumis consertis continuò rebellabant. Et tum primùm inimicis per multos annos prædas in terrâ agentibus strages dabant, non fidentes in homine, sed in Deo; secundùm illud Philonis: Necesse est adesse divinum, ubi humanum cessat auxilium.*

[r] Bed. histor. Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 14.

Humanum tamen etiam hîc advocatum est *auxilium*; si Monemutheosi Galfrido credimus. Is enim, ut in 9 V. capite à nobis dictum, ab Aldroëno Britanniæ Armoricæ rege fratrem Constantinum cum militum milibus duobus missum huc asserit, à Guitelino Londinensi archiepiscopo hisce vocibus salutatum. [s] *Christus vincit; Christus imperat; regnat Christus. Ecce Rex Britanniæ desertæ. Adsit modò Christus; ecce defensio nostra, ecce spes nostra & gaudium.* Auxiliares istos, adjunctâ sibi reliquâ juventute insulæ, cum hostibus congressos, victoriam adeptos esse narrat [t] Galfridus: & confluentes undiq; Britones, priùs dispersos, Cicestriæ *erexisse Constantinum in regem, regnique diadema capiti ejus imposuisse.* Addit etiam, à Constantino filium primogenitum Constantem traditum *in Ecclesiam Amphibali intra Wintoniam, ut monachalem ordinem susciperet*: eundemq; patri, post decennium à Picto quodam interfecto, in regno succedisse. quod in jam citatâ Britannicæ historiæ metaphrasi hisce versibus est expositum.

[s] Suprà, pag. 67. 68.

[t] Galfrid. histor. Britannic. lib. 6. cap. 4.

[t] Id. ibid. cap. 5.

Interea quidam Pictus mucrone soluto
Interimit regem, falsum nil tale timentem.
Conveniunt igitur proceres, de substituendo
Rege simul tractant; cùm Vortigernus ad ipsum
Constantem tendit monachum, mortemq; parentis
Nunciat ejus ei dicens, Cur veste sub atrâ
Hîc latitas? regnum vacat, & succedere patris
Te faciam, si fortè meis parere paratus
Consiliis, augere velis mea jura, tibiq;
Sim propior cunctis, nostrúm dum vivat uterq;.
Sic fore constanter Constans promittit, idemq;
Promissum jurat. monachali veste remotâ
Induitur regale decus; vix dante Britanno
Assensum populo, regni diademate fulget
Quod Vortigernus (spreto moderamine Iuris)
Illius imposuit capiti. nam Londoniensis
Præsul, cujus erat hoc jus, decesserat: alter
Pontificum non audet eum diademate Regis
Insignire; quia monachus votumq; professus
In Regem contra votum non debet inungi.

[f] Matth. Paris. & Westmonaster. ad annum 435. & 445.

Habentur eadem in [f] Floribus Historiarum, & magnâ Wintonienſium Tabulâ: quibus ex Wintonienſis ecclesiæ historiâ adjici etiam possunt ista. *In veteri monasterio Constans, filius Constantini regis Britanniæ, habitum suscepit monachilem. Qui tandem post mortem patris, consilio Vortigerni ducis Gewisseorum, relicto habitu monachorum, regni diadema sustepit: & non multo post tempore, consilio ejusdem Ducis, crudelissimè peremptus est in ecclesiâ sancti Amphibali. Wintoniæ, inquit Gildas, Constantem Constantinus pater (frater Aldroeni regis Armoricanorum Britonum) fillum suum monachum fecit. Cum quo concordant Meracius & Gaufridus Monumetensis in historiâ Britonum, nec non & Walterus Oxenfordensis archidiaconus.* Et quidem annis ante tertium Aëtij Consulatum XXXIX. Constantinum in Britanniâ à militibus Imperatorem

ratorem acclamatum, atq; filium ejus Constantem [u] *ex monacho* Cæsarem factum fuisse, probatæ fidei authores docent: indeq; popularibus hisce narrationibus comminiscendis occasionem datam censent [x] eruditi. Pro quibus fortasse fecerit & illud: quòd quùm Constantinum illum uxorem ex nobili Romanorum genere ortam duxisse referat [y] Britannica Historia, atq; ex eâ Aurelium Ambrosium suscepisse; ejusdem Ambrosij parentes in Britanniâ *purpurâ indutos* fuisse, (hoc est, ut [z] Beda explicat, *regium nomen & insigne* tulisse) non commentitius ille à Wintoniensibus citatus, sed verus etiam & genuinus Gildas confirmet.

Idem verò Gildas, istis de Constantino & Constante prorsùs prætermissis, de novâ vitiorum segete apud Britannos (à belli & famis recenti plagâ vixdum respirantes) succrescente ita narrare pergit. *In talibus inducijs desolato populo sæva cicatrix obducitur famis; alia virulentiore tacitè pullulante. Quiescente autem vastitate, tantis abundantiarum copijs insula affluebat, ut nulla habere tales retrò ætas meminisset: cum quibus omnimodis & luxuria crescit. Crevit etenim germine præpollenti, ita ut competenter eodem tempore diceretur:* Omninò talis auditur fornicatio, qualis nec inter gentes. *Non solum verò hoc vitium, sed & omnia quæ humanæ naturæ accidere solent, & præcipuè (quod & nunc quoq; in eâ totius boni evertit statum) odium veritatis cum assertoribus, amorq; mendacij cum suis fabricatoribus; susceptio mali pro bono, veneratio nequitiæ pro benignitate, cupido tenebrarum pro sole, exceptio Satanæ pro Angelo lucis.*

Ungebantur reges non per Deum, sed qui cæteris crudeliores extarent: & paulò post ab unctoribus non pro veri examinatione trucidabantur, alijs electis trucioribus. Siquis verò eorum mitior, & veritati aliquatenùs propior videretur; in hunc quasi Britanniæ subversorem omnium odia telaq; sine respectu conterquebantur. & omnia quæ displicuerint Deoq; placuerint æquali saltem lance pendebantur, si non

[u] Paul. Oros. lib. 7. cap. 40. Iornand. de reb. Geticis. cap. 32.

[x] Camden. in *Belgis*; pag. 195. Pontan. rerum Danicar histor lib 3.

[y] Galfrid. Monemuth. lib 6. cap. 5. Matth. Florileg. ann. 436.

[z] Bed. lib. 1. histor. cap. 16. Henr. Huntingdon. histor. lib. 2.

1. Corinth. 5. 1.

graviora fuissent displicentia: ita ut meritò patriæ illud prophetiçum, quod veteri illi populo denuntiatum est, potuerit aptari: Filij (*inquiens*) sine lege, dereliquistis Deum, &
Esai. 1. 4, 5, 6. ad iracundiam provocâstis sanctum Israël. Quid adhuc percutiemini apponentes iniquitatem? Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à plantâ usq; ad verticem non est in eo sanitas. *Sicq; agebant cuncta, quæ saluti contraria fuerint, acsi nihil mundo medicinæ à vero omnium medico largiretur. Et non solùm hæc seculares viri, sed & ipse grex Domini ejusq; pastores, qui exemplo esse omni plebi debuerint. Ebrietate quamplurimi quasi vino madidi torpebant resoluti, & animositatum tumore, jurgiorū contentione, invidiæ capacibus ungulis, indiscreto boni maliq;
Psalm. 107 (al. 106.) 40. judicio carpebantur: ita ut perspicuè sicut & nunc est, effundi videretur contemptio super principes, seduci vanis eorum, & errare in invio & non in viâ.*

Hanc vitiorum sentinam Arianæ simul & Pelagianæ
[a] Iocelin. Vit. Patric. cap. 92. hæreseos accessione auctam fuisse, refert in vitâ B. Patricij Iocelinus, *Quia pestis*, inquit [a] ille, *Pelagianæ hæresis atq; etiam Arianæ perfidiæ pluribus in locis Britanniæ fidem fœdaverat; ipse prædicando & signa multa faciendo patriotas ad viam veritatis reducebat.* Pelagianam certè pestem in ea insulâ à Germano & Severo, sicut in continente à Leone & Prospero, hisce temporibus repressam fuisse aliunde etiam intelligimus. De *Leonis* hâc in re præstitâ operâ, in Bibliothecæ suæ capite 54.° ita scribit Photius. Χρόνου δὲ παριόντος, καὶ τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως, διὰ τὸ (legendum, ἄνευ τοῦ, vel quid simile) ἀναθεματίσαι τὴν οἰκείαν αἵρεσιν, τῇ ἐκκλησίᾳ παραδεχθέντων: πάλιν ἐξ αὐτῶν ἀρχὴν ἐλάμβανε τὸ κακόν. Ἀλλὰ Σεπτίμιος ἐπίσκοπος ἀρχομένης τῆς λύμης ἐπέσχε τὴν φορὰν, γράψας πρὸς Λέοντα, τὸν Ῥώμης τηνικαῦτα προεδρεύοντα, ὃς διαπύρῳ ζήλῳ κατὰ τῆς δυσσεβείας ἠγωνίσατο. *Cùm temporis progressu secta hujus homines absq; hæreseos suæ abjuratione Ecclesiæ restituti*

tuti essent; iterùm malum ab illis principium sumpsit. Verùm Septimius episcopus renascentem luem, antequàm longiùs serperet, coercuit, datis ad Leonem Romanæ ecclesiæ eo tempore præsidentem: qui ferventi zelo contra impietatem illam depugnavit. & in capite præcedente. Ἔγραψε δὲ καὶ Λέων ὁ Ῥώμης περὶ τῶν ἐπιστρεφόντων Πελαγιανιστῶν, ὅπως ὀφείλουσιν ἐπιστρέφοντες λεχθῆναι ἐγγράφως αὐτῶν τὸ φρόνημα ἀναθεματίζοντες. *Scripsit & Leo Romanus Episcopus de Pelagianistis conversis, oportere, si jam redeuntes recipi velint, scriptis opinionem suam detestari.*

Hæc sancti Leonis scripta desiderari putavit [b] Baronius: cùm illius adhuc extent tùm ad Septimium Altinum episcopum tùm ad Nicetam Aquileiensem archiepiscopum (Istriæ & Venetiæ Metropolitanum) hâc de re scriptæ epistolæ. quarum alteram, integram; alterius, quia longior ea est, partem tantùm hîc describendam existimavimus.

[b] Baron. ann. 444. §. 8.

LEO EPISCOPVS, SEPTIMIO EPISCOPO S.

Leon. epist. 55. in Isidori Mercatoris Collectione: in aliorum, 83. & 85. & 90.

„ LEctis fraternitatis tuæ literis, vigorem fidei
„ tuæ, quam olim noveramus, agnovimus;
„ congratulantes tibi, quòd ad custodiam gregum
„ Christi pastoralem curam vigilanter exequeris,
„ ne lupi, qui sub specie ovium subintrârunt, be-
„ stiali sævitiâ simplices quosque dilacerent; &
„ non solùm ipsi nullâ correctione proficiant, sed
„ etiam ea, quæ sunt sana, corrumpant. Quod ne
„ viperea possit obtinere fallacia, ad Metropoli-

tanum

„ tanum episcopum provinciæ Venetiæ scripta
„ direximus: quibus ad status sui periculum co-
„ gnoscere pertinere, si quisquam de Pelagiano-
„ rum & Celestianorum consortio veniens, in
„ communione Catholicâ sine professione legiti-
„ mæ satisfactionis habeatur. Salubertimum e-
„ nim est, & spiritualis medicinæ utilitate pleniss-
„ simum, ut sive presbyteri, sive diaconi, sive alij
„ cujuslibet ordinis clerici, qui se correctos vide-
„ ri volunt, errorem suum, & ipsos erroris auctо-
„ res damnari à se sine ambiguitate fateantur: ut
„ sensibus pravis & dudùm peremptis, nulla spe-
„ randi superstit occasio, ne ullum membrum Ec-
„ clesiæ talium possit societate violari, cùm per o-
„ mnia illis professio propria cœperit obviare.
„ Circa quos etiam illam canonum constitutio-
„ nem præcipimus custodiri, ne ab ijs Ecclesijs, ad
„ quas propriè pertinent, sinantur abscedere, &
„ pro suo arbitrio ad loca non sibi deputata trans-
„ ire. Quod cùm rectè non permittitur inculpa-
„ tis, multo minùs debeat licere suspectis. Proin-
„ de dilectio tua, cujus devotione gaudemus, jun-
„ gat curam suam dispositionibus nostris; & cum
„ supradicto Metropolitano det operam, ut cir-
„ cumspectè ac velociter impleantur ea, quæ ad
„ totius Ecclesiæ incolumitatem, & laudabiliter
„ sunt gesta, et salubriter ordinata.

LEO

LEO EPISCOPVS ROMÆ, NICETÆ AQVILEIENSI Episcopo Salutem.

Leon. epist. 56. in Isidori in Collect. in aliorum, 84. & 86. & 89.

„ RElatione sancti fratris & coëpiscopi nostri Septimij, quæ in subditis habetur, agnovi-
„ mus quosdam presbyteros, diaconos, ac diversi
„ ordinis clericos, quos Pelagiana sive Celestia-
„ na hæresis habuerit implicatos, ita in vestrâ pro-
„ vinciâ ad communionem Catholicam perve-
„ nisse, ut nulla ab eis damnatio proprij exigere-
„ tur erroris, & pastoralibus excubijs nimiùm
„ dormitantibus, lupus, ovium pellibus tectus in
„ ovile Dominicum, non depositis bestialibus a-
„ nimis, introiret: & quod per auctoritatem Ca-
„ nonum decretorumque nostrorum ne insonti-
„ bus quidem conceditur, usurpare, ut relictis Ec-
„ clesijs, in quibus clericatum aut acceperant aut
„ receperant, iustabilitate suâ per diversa circum-
„ ferantur; amantes semper errare, & nunquam in
„ fundamento Apostolico permanere. Quoniam
„ qui nullo discussi examine, nullo sunt præjudi-
„ cio suæ professionis ob stricti, hunc maximè ex-
„ petunt fructum, ut sub velamento communio-
„ nis plures domus adeant, & per falsi nominis
„ scientiam multorum corda corrumpant. Quod
„ utiq; efficere non possent, si Ecclesiarum præsu-
„ les necessariam diligentiam in talium receptione
„ servarent; ne cuiquam eorum evagari in diver-

„ſa licuiſſet.

„ Ne ergo hoc ulteriùs audeatur, neve per quo-
„rundam negligentiam introducta pernicies ad
„everſionem multarum tendat animarum, hâc
„noſtri auctoritate præcepti, induſtriæ tuæ frater-
„nitatis indicimus, ut congregatâ apud vos Sy-
„nodo provincialium ſacerdotum, omnes ſive
„presbyteri, ſive diaconi, ſive cujuſque ordinis
„clerici, qui de Pelagianorum Celeſtianorumq;
„conſortio in communionem Catholicam eâ
„imprudentiâ ſunt recepti, ut non priùs ad da-
„mnationem ſui coarctarentur erroris, nunc, ſal-
„tem poſteaquam hypocriſis eorum ex quâdam
„parte detegitur, ad veram correctionem, quæ &
„ipſis prodeſſe, & nullis poſſit nocere, cogantur.
„Damnent apertis profeſſionibus ſui ſuperbi er-
„roris auctores, & quicquid in doctrinâ eorum u-
„niverſalis Eccleſia exhorruit, deteſtentur: o-
„mniaq; decreta Synodalia, quæ ad exciſionem
„hujus hæreſeos Apoſtolicæ ſedis confirmavit
„auctoritas, amplecti ſe, & in omnibus appro-
„bare, plenis & apertis ac propriâ manu ſubſcri-
„ptis proteſtationibus eloquantur. Nihil in ver-
„bis eorum obſcurum, nihil inveniatur ambiguũ.
„Quoniam novimus hanc iſtorum eſſe verſutiam,
„ut in quâcunque particulâ dogmatis execrandi,
„quâ ſe à damnatorum ſocietate diſcreverint,
„nihil ſibi ſenſuum ſuorum exiſtiment eſſe non
„ſalvum.

„ Cumq; omnes definitiones ſuas ad ſubre-
„pendi facilitatem improbare ſe ſimulent atque

„de-

„ deponere, hoc ibi totâ arte fallendi, nisi intelli-
„ gantur, excipiunt; ut gratia Dei secundùm me-
„ rita dari accipientium sentiatur. Quæ nisi gratis
„ detur, non est gratia, sed merces, retributioq;
„ meritorum. &c.

„ Cavendum ergo dilectioni tuæ est, magnâq;
„ diligentiâ providendum, ne per hujusmodi ho-
„ mines extincta dudùm scandala suscitentur: &
„ de exciso olim dogmate aliquod in provinciâ
„ tuâ ejusdem mali germen oriatur; quod non so-
„ lùm in radicibus suis crescat, sed etiam sanctæ
„ Ecclesiæ sobolem veneno sui odoris inficiat.
„ Qui correctos se videri volunt, ab omni suspi-
„ cione se purgent: & obediendo nobis, probent
„ se esse nostros. Quorum si quisquam salubri-
„ bus præceptis satisfacere detrectârit, sive ille
„ clericus sive sit laicus, ab Ecclesiæ societate pel-
„ latur; ne perditor animæ suæ, saluti insidietur
„ alienæ.

Post *Leonis* adversùs renascentem istam hæresim Ecclesiæ navatam operam, de *Prosperi* contra Semipelagianos (è putridâ veteris hæreseos stirpe Romæ denuò pullulantes) pugnam redintegrantis successu prospero, patriarcha [c] Photius ista subjicit. Μετ' ὀ πολὺ δὲ πάλιν, ὥσπερ ἀναφύειν τῆς πικρᾶς ῥίζης ἀναισχυντούσης, ἐν τῇ Ῥώμῃ τινὲς ἅπερ τῆς αἱρέσεως ἐπαῤῥησιάζοντο. ἀλλὰ Πρόσπερος τις, ἄνθρωπος ὡς ἀληθῶς τοῦ θεοῦ, λιβέλλους κατ' αὐτῶν ἐπιδιδωκὼς, ἀφανεῖς αὐτοὺς ἀπειργάσατο, ἔτι λέοντος τοῦ προειρημένου τὸν Ῥωμαϊκὸν θρόνον ἰθύνοντος. *Post non diu rursùm veluti existere atq; e-*

[c] Phot. Bibliothec. num. 54.

naſci è malâ radice impudenter cùm cœpiſſet. Romæ etiam quidam pro hæreſi libere locuti ſunt: quos Proſper homo ſanè divinus, libellis adverſus eos in vulgus editis facilè diſſipavit extinxitq; Leone etiamnum, quem diximus, Romanam ſedem gubernante. Adverſus iſtos poſtremum ab eo editum opus fuiſſe videtur, quum Romæ Leonis notarium ageret, quòd * περὶ ἀχαρίστων inſcripſit: in quo eorum κυρίαν δόξαν, quâ voluntatis divinæ efficaciam à libero humanæ voluntatis arbitrio totam pendere ſtatuebant, ita refellit & coarguit.

* Vid. ſupr. cap. 8. pag. 205.

[d] *Sed tamen hæc aliquâ ſi vis ratione tueri,*
Et credi tam ſtultæ cupis: jam pande quid hoc ſit,
Quòd bonus omnipotenſque Deus non omnia ſubdit
Corda ſibi, pariterq; omnes jubet eſſe fideles?
Nam ſi nemo uſquam eſt, quem non velit eſſe redemptum:
Haud dubiè impletur quicquid vult ſumma poteſtas.
Non omnes autem ſalvantur, magnaq; pars eſt
Quæ ſedet in tenebris mortis, nec vivificatur.
An varij motus animorum talia gignunt?
Libertaſq; facit cauſam non omnibus unam?
Ergo hominis valida arbitrio divina voluntas,
Aut etiam invalida eſt, operis cui finis in illo eſt.
Quem fruſtrà juviſſe velit, niſi præferat ille
Affectum, cujus comitetur gratia curſum. &c.

[d] Proſp. de Ingratis, cap. 13.

[e] *At verò omnipotens hominem cùm gratia ſalvat,*
Ipſa ſuum conſummat opus: cui tempus agendi
Semper adeſt quæ geſta velit, non moribus illi
Fit mora, non cauſis anceps ſuſpenditur ullis.
Nec quod ſola poteſt, curâ officioq; miniſtri
Exequitur, famulisve vicem committit agendi:
Qui quamvis multa admoveant mandata vocantis,
Pulſant, non intrant animas. Deus ergo ſepultos
Suſcitat, & ſolvit peccati compede vinctos.
Ille obſcuratis dat cordibus intellectum:
Ille ex injuſtis juſtos facit, indit amorem.

[e] Ibid. cap. 15.

Quo

Quo redametur amans: & amor quem conſerit, ipſe eſt.
Hunc itaq; affectum, quo ſumunt mortua vitam,
Quo tenebræ fiunt lumen, quo immunda nitescunt,
Quo ſtulti ſapere incipiunt, ægriq; valeſcunt;
Nemo alij dat, nemo ſibi, non littera legis,
Nec naturalis ſapientia: quæ ſemel actа
In præceps, labi novit, conſurgere neſcit.

& demùm apoſtrophe ad Deum factâ, totum opus ſic concludit.

f Non autem hoc curam minui, ſtudiumq; reſolvi f Ibid. cap. ultim.
Virtutum, aut opus ingenij torpere putandum eſt,
Quòd bona ſanctorum tua ſunt; & quicquid in illis
Aut ſanum aut validum eſt, de te viget: ut videatur
Nil actura hominis, te cuncta gerente, voluntas.
Qua ſine te quid agit? niſi quò procul exulit à te,
Præcipitis ſemper calles & devia motu
Ingreſſura ſuo: niſi feſſam tu bone & ægram
Suſcipias, referas, foveas, tuearis, honeſtes.
Tunc fiet curſus velox, oculiq; videntes,
Libera libertas, ſapiens ſapientia, juſtum
Judicium, & fortis virtus, & ſana facultas.
Hujus opis ſemper, Pater, indigeamus: ab ipſâ
Prodeat arbitrium noſtrum; nihil, hâc ſine, ſenſus
Corporei poſſunt, opus ut ſervile quieſcat.
Et tua dùm in nobis agitur, non noſtra, voluntas,
Legitima in ſanctis ducamus ſabbata feſtis.

Ad ſecundum S. Germani in Britanniam contra Pelagianos ſuſceptum iter jam accedo: quod non multo poſt prius tempore interpoſito contigiſſe volunt g Beda, h Vincentius, & in 4.° de Vitâ ipſius libro Erricus Autiſſiodorenſis ita canens.

g Bed. hiſtor. Eccleſiaſtic. lib. 1. cap. 21.
h Vincent. Speculi. hiſtorial. lib. 20. cap. 10.

Vix Præſul poſitis humeros ſubduxerat armis

Immensum fessus, propriamq́, revisérat urbem:
Ecce ferebantur precibus mandata coactis
Cunctorum, quiqui fuerant ex parte piorum,
In miseros iterùm pestem recidisse Britannos
Dogmatis insani.

Verùm longius inter utrumq; interceſsisse spatium, ex tempore mortis S. Germani colligimus; quam paulo post secundam hanc legationem illum obijsse, & Constantius, & Beda, & reliqui omnes consentiunt. Et quidem *ex probatissimis authoribus Germanum obijsse anno salutis* CCCCXXXV. constare [i] Camdenus: quum tamen ante Baronium (Chronologum profectò non optimum) nullus omninò author id affirmet; & Gallicano Concilio in causâ Chelidonij episcopi post novennium habito Germanum interfuisse tesletur, qui tum vixit, [k] Honoratus Masilienſis episcopus. Anno CCCCXLVIII. expiravisse illum notat [l] Carolus Sigonius. Eo anno eundem, *cum Severo Trevorensi episcopo iterùm ad Britannias missum, renascentem Pelagianam hæresim confutavisse*, & sequente anno *in Italiam profectum mortuum esse*, ait vulgatus Sigebertini Chronici interpolator. Matthæus Florilegus secundam hanc legationem ad annum CCCCXLIX. mortem Germani, ex Sigeberti sententiâ, ad annum CCCCL. refert. quo etiam anno illum obijsse, non solùm Sigebertus (ex MSS. codicibus ab Auberto Miræo editus) sed etiam [m] Robertus Autisiodorensis [n] Vincentius Bellovacensis, & [o] Autisiodorensium episcoporum Indiculi affirmant. Pro Sigonij tamen sententiâ facit Constantius: dum [p] Kalendas Maias, quibus S. Amator vitâ functus est, in *quartam feriam* incidisse scribit, eoque charactere ad annum CCCCXVIII. rectâ nos ducit. atq; post eum [q] *sedisse*

[i] Camden. Britann. pag 94. 95.

[k] Vit. Hilarij Arelatensis in Vincentij Barralis Chronolog. Lerinens. part. 1. pag. 113. ubi pro *cæli domum* repone *Chelidonium*. Vid. tom. 1. Concilior. Galliæ, pag. 79. & 597. b.

[l] Sigon. de Occidental. Imper. lib. 13.

[m] Chronolog. Altisiodorens. edit. Trecis, ann. 1608.

[n] *Vincent.* Speculhistorial. lib. 10. cap. 15.

[o] Aut. Demochar. de Sacrificio Missæ, tom. 2. cap. 19. Iohan. Chenu, in Episcoporum Galliæ, Chronolog pag. 221. [p] Constant. *Vit.* S. Germani, lib. 1. cap. 5. [q] Id. lib. 2 cap. ult.

Germanum

Germanum in episcopali cathedrâ annos XXX. *dies* XXV. subjicit.

Hujus verò posterioris profectionis occasionem ita explicat Constantius. [r] *Interea ex Britannijs nunciatur, Pelagianam perversitatem iteratò, paucis authoribus dilatari. Rursumq; ad beatissimum Germanum preces omnium deferuntur, ut causam Dei, quam priùs obtinuerat, tutaretur. Quorum petitioni festinus occurrit; dum & laboribus delectatur, & Christo se gratanter impendit.* Etsi autem vixerit tunc S. Lupus Tricassinus episcopus, atq; etiam annos ad XXX. S. Germano superstes fuerit; non ille tamen itineris comes jam accessit, sed [s] *discipulus* ipsius Severus, [t] *totius sanctitatis vir*, (uti eum celebrat Constantius) *qui tunc Treviris ordinatus Episcopus, gentibus primæ Germaniæ verbum vitæ prædicabat.* Neq; enim audiendi hîc Petrus Merssæus Cratepolius & Petrus Bertius qui, in Trevirensium archiepiscoporum Catalogo, Severum cum S. Germano & Lupo in Britanniam profectum fuisse, & anno salutis nostræ CCCCXX. mortem obijsse, inconsultè pronunciaverunt: Sed secundæ hujus legationis historiam ita pergit narrare Constantius.

[r] Id. lib. 2. cap. 1.

[s] Bed. histor. ecclesiastic. lib. 1. cap. 21. & Vit. S. Lupi, apud Surium, tom. 4. Iuli. 29.

[t] Constant. lib. 2. cap. 2.

[u] *Interea sinistri spiritus pervolantes per totam insulam, Germanum venire, invitis vaticinationibus, nunciabant: in tantum, ut Elaphius quidam regionis illius primus in occursum sanctorum sine ullâ manifesti nunciy relatione properaverit; exhibens secum filium, quem in ipso flore adolescentiæ debilitas dolenda damnaverat. erat enim arescentibus* * *membris, contracto poplite, cui per siccitatem cruris usus negabatur vestigij. Hunc Elaphium provincia tota subsequitur. Veniunt Sacerdotes, occurrit insecia multitudo. Confestim benedictio & sermonis divini doctrina profunditur. Recognoscit populum in eâ quam reliquerat credulitate durantem: intelligunt culpam esse paucorum; inquirunt auctores, inventosq; condemnant. Cùm subitò Elaphius pedibus advolvitur sacerdotum, offerens filium; cujus necessitatem ipsa debilitas etiam*

[u] Constant. lib. 2. cap. 3. & 4.

* nervis

etiam sine precibus allegabat. Fit communis omnium dolor; præcipuè Sacerdotum, qui conceptam misericordiam ad divinam clementiam contulerunt. Statimq; adolescentem beatus Germanus sedere compulit, attrectat poplitem debilitate curvatum, & per tota infirmitatis spatia medicabilis dextera percurrit. Salubrem tactum sanitas festina subsequitur: aridi-
tas succum, nervi officia receperunt; & in conspectu omnium
* reflituitur. *filio incolumitas, patri filius * reformatur. Implentur populi stupore miraculi, & in pectoribus omnium fides Catholica firmatur. Prædicatio deinde ad plebem de prævaricationis emendatione convertitur: omniumq; sententiâ pravitatis auctores expulsi ab insulâ, Sacerdotibus adducuntur, ad mediterranea deferendi; ut & regio absolutione, & illi emendatione fruerentur. Quod in tantum salubriter factum est, ut in illis locis etiam nunc fides intemerata perduret.*

Scripta autem hæc sunt, Autisiodorensem episcopatum administrante Censurio: ad quem ab excessu S. Germani quadraginta plus minus annos intercessisse, ejusdem Ecclesiæ monachus Erricus in duorum librorum, quos de Germani miraculis solutâ oratione edidit, Præfatione colligit. In quarto verò librorum illorum sex, quos ad Carolum Calvum de ejusdem vitâ carmine conscripsit, secundæ hujus legationis historiam exponit idem; posteriore narrationis parte hisce versibus expressâ.

Hinc sacer ad plebem sermo convertitur omnem
De lapsu, seu quæ reparent impendia lapsum.
Obtinet immotis columen fundata columnis
Tuta fides: fidei pugnant pro fœdere cuncti.
Perpauci fuberant detecta fraudis alumni.
Sistuntur: cunctis eadem sententia perstat,
Multare exilio jugi. sic insula felix
Tartareâ tùm peste carens, insignibus almæ
Nunc etiam fidei casto splendore coruscat.

De

De S. Germani & Vortigerni Britannorum regis congressu, in Ninij Collectaneis hæc invenimus. *Super omnia mala adjiciens Guorthigirnus, accepit filiam suam in uxorem sibi: quæ peperit ei filium. Hoc autem cùm compertum esset à sancto Germano, venit corripere regem cum omni Clero Britonum. Et dum conventa esset magna Synodus Clericorum ac laicorum in uno concilio; ipse Rex præmonuit filiam suam ut exiret ad conventum, & ut daret filium suum in sinum Germani, diceretq; quod ipse erat pater ejus: ac ipsa fecit, sicut edocta erat. S. Germanus autem eum benignè accepit, & dicere cœpit: Pater tibi ero, nec te permittam, nisi mihi novacula cum forcipe pectineq; detur, & ad patrem tuum carnalem tibi dare liceat. Mox ut audivit puer, ad avum suum patremq; carnalem Guorthigirnum perrexit, & dixit illi: Pater meus es tu; caput meum tonde, & comam capitis mei pecte. Ille autem siluit, & puero respondere noluit; sed surrexit iratusq; est vehementer, & ut à facie S. Germani quærebat: & maledictus est & damnatus à B. Germano & omni Britonum Concilio.*

Et, ne complendæ fabulæ quid deesset, Samuel Benlani filius, sive quis alius ille fuerit qui Ninio centones suos assuit, dignum patellâ istâ adjecit hoc operculum. *Guorthemir filius Guorthigirni in Synodo habitâ apud Guartherniaun, postquàm nefandus Rex ob incestum quem cum filiâ commiserat à facie Germani & clericorum Britanniæ in fugam iret, patris nequitiæ consentire noluit; sed rediens ad S. Germanum, ad pedes ejus cecidit veniam postulans: atq; pro illatâ à patre suo & sorore S. Germano calumniâ, terram ipsam in quâ prædictus Episcopus opprobrium tale sustinuit in æternum suam fieri sancivit. unde & in memoriam S. Germani* Guartheuniaun *nomen accepit; quod Latinè sonat, Calumnia justè retorta: quoniam cùm Episcopum vituperare putaverat, semetipsum vituperio affecit.* Cambro-britannis enim gwarth improperium vel calumniam, uniawn rectum vel justum denotat: & apud illos regio hæc, in Powisiâ sita,* Gurthrenion adhuc

*Vid. supr. cap. 3. pag. 62.

huc dicitur. Ex horrendo autem illo incestu *sanctum Faustum* natum fuisse aiunt: *quem S. Germanus*, inquit Ninius, *baptizavit, enutrivit atq; docuit; & condidit locum magnum super ripam fluminis quod vocatur Renis, & manet usq; hodie.*

De ipsius etiam Vortigerni exitu addit ista Ninius. *Sanctus Germanus Guorthigirno prædicabat, ut ad Dominum se converteret: at ille usq; ad regionem quæ à nomine suo acceperat nomen, scilicèt Guorthigirniaun, miserabiliter aufugit; ut ibi cum mulieribus suis lateret. Sanctus itaq; Germanus eum persecutus est, cum omni clero Britonum: & ibi quadraginta diebus totidemq; noctibus mansit; & super petram orabat, ibiq; die ac nocte stabat. Et iterum Guorthigirnus usq; ad arcem quam ædificaverat & nomen suum imposuerat, atq; in regionem Dimetorum juxta flumen Teibi, ignominiosè abscessit. Solito autem more S. Germanus eum secutus est: & ibi jejunus, cum omni clero, tribus diebus totidemq; noctibus casualiter mansit. In quartâ verò nocte arx tota circa mediæ noctis horam per ignem de cœlo missum ex improviso cecidit, ardente igne cœlesti: & Guorthigirnus, cum omnibus qui cum eo erant & cum uxoribus suis defecit. Hic est finis Guorthigirni, sicut in libro B. Germani reperi: alij autem aliter dixerunt.*

Similia de Vortigerni interitu ex eâdem fabulosâ B. Germani Legendâ (neq; enim horum apud Constantium aut Bedam quicquam extat) [x] Henricus Huntingdonensis & [y] Iohannes Gerbrandus Leidensis retulere. Verùm [z] Galfridus (& eum secutus [a] Matthæus Florilegus) ab Aurelio Ambrosio & exercitu ipsius combustum fuisse Vortigernum narrat, admoto igne turri ad quam confugerat in opido *Genoren*: quod ad * Vagam fluvium positum, prope Monemutham ipsius Galfridi patriam, adhuc nomen suum retinet. Quod autem subdit Ninius, *B. Germanum reversum esse post mortem Guorthigirni ad patriam suam, & S. Patricium fuisse in illo tempore captivum apud Scotos*; cum temporum ratione non

[x] Huntingd. histor. lib. 2.
[y] Chronic. Belgic. lib. 1. cap. 9.
[z] Histor. Britannic. lib. 8. cap. 2.
[a] Flor. Historiar. ann. 466.
* Vid. supr. pag. 324

potest

poteſt conſiſtere: niſi ante annum Domini quadringenteſimum Saxones à Vortigerno accerſitos fuiſſe ſtatuamus; quando Britanniam ſub Romanorum adhuc imperio permanſiſſe clarum eſt. Sed ad illum Saxonum adventum explicandum convertendus nunc eſt ſermo; ab actis S.Germani facto tranſitu,

Qui Oceano fidei refugas & dogma nefandum
Reppulit, & ſignis te picta Britannia texit.

hoc enim elogio, in [b] Wandelberti Prumienſis diaconi Martyrologio, ornatum illum legimus.

[b] Wandelbert. martyrolog. Kalend. Octobr.

Poſt abitum igitur S.Germani, & mox ſecutum obitum, de Scotorum & Pictorum adventu ſubito ſparſus rumor Britannorum mentes perculit; acerbiſſimâ deinde peſte miſerorum corpora depaſcente. de quibus ita Gildas. *Volente Deo purgare familiam ſuam, & tantâ malorum labe infectam auditu tantùm tribulationis emendare; non ignoti rumoris penniger ceu volatu arrectas omnium penetrat aures, jam jamq; adventus veterum hoſtium, volentium penitùs delere & inhabitare ſolito more à fine uſq; ad terminum regionem. Nequaquàm tamen ob hoc proficiunt: ſed comparati jumentis inſipientibus, ſtrictis morſibus rationis frænum obfirmantes, per latam diverſorum vitiorum ad mortem proclive ducentem (relicto ſalutari, licèt arcto, itinere) diſcurrebant viam. Dum ergo (ut Salomon ait) ſervus durus non emendatur verbis; flagellatur ſtultus & non ſentit. Peſtifera namq; lues feraliter inſipienti populo incumbit; quæ in brevi tantam ejus multitudinem remoto mucrone ſternit, quantam ne poſſent vivi humare.*

Prov.29.19.& 17.10, juxta LXX.

Sed ne hâc quidem emendatur: ut illud Eſaiæ Prophetæ in eo quoq; impleretur dicentis. Et vocavit Deus ad planctum, & ad calvitium, & ad cingulum ſacci. ecce vitulos occidere & jugulare arietes, ecce manducare & bibere & dicere; Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. *Appropinquabat ſiquidem tempus, quo ejus iniquitates, ut olim Amorræorum, complerentur. Initur namq; conſilium, quid optimum quidve ſaluberrimum ad repellendas*

Eſai.22.12,13.

tam ferales & tam crebras supradictarum gentium irruptiones prædasq; deceni deberet. Tum omnes consiliarij, unà cum superbo tyranno cœcantur; adinvenientes tale præsidium imò excidium patriæ, ut ferocissimi illi nefandi nominis Saxones (Deo hominibusq; invisi) quasi in caulas lupi, in insulam ad retundendas aquilonales gentes intromitterentur. Quo utiq; nihil ei usquam perniciosius, nihilq; amarius factum est.

At non à Britannis invitatos, sed à suis è *Germaniâ in exilium pulsos*, Ninius; speciatim verò *ex Frisiâ depulsos*, huc eos advenisse, [c] Iohannes Leidensis narrat. Atq; ut Galli olim, referente [d] Trogo, *abundante multitudine, cùm eos non caperent terræ quas genuerant, trecenta millia hominum ad sedes novas quærendas velut peregrinatum miserunt:* ita hîc quoq;, ex antiquâ Saxonicæ gentis consuetudine, hominum in eâ superveniente abundantiâ; sorte hos electos fuisse significat [e] Galfridus Monemuthensis, *qui extera regna petituri, victum sibi perquirant; ut patria ex quâ orti sunt à superfluâ multitudine liberaretur.* Cum Gildâ tamen faciunt etiam Beda, Paulus Diaconus, Fabius Ethelwerdus, Annales Anglo-saxonici, Henricus Huntingdonienſis, Matthæus Florilegus, & alij: qui à Britannis, & eorum rege *Vurtigerno* sive *Guortigerno*, (quem *superbi* & *infanſti tyranni* titulo designat Gildas) accersitos accessisse commemorant. Quibus accedit & Witichindus Saxo; Britannicæ hujus legationis acta sic exponens.

[c] Io. Gerbrand. Chronic. Belgic. lib. 1. cap. 9.
[d] Iustin. Epitom. lib. 24.
[e] Histor. Britannic. lib. 6. cap. 10.

[f] *Famâ prodente de rebus à Saxonibus prosperè gestis, supplicem mittunt legationem ad eorum postulanda auxilia. Et procedentes legati; Optimi, inquiunt, Saxones, miseri *Britti crebris hostium incursionibus fatigati & admodùm contriti, auditis victorijs à vobis magnificè patratis, miserunt nos ad vos, supplicantes ut ab eis vestra auxilia non subtrahatis. Terram latam, & spatiosam, & omnium rerum copiâ refertam, vestra mandant ditioni parêre. Sub Romanorum hactenùs clientelâ ac tutelâ liberaliter viximus; post Romanos*

[f] Witichind. gestor. Saxonicor. lib. 1. pag. 3. edit. Basil. ann. 1532.
* al. *Brenti*, h. e. Britanni.

manos vobis meliores ignoramus: ideò sub vestræ virtutis alas fugere quærimus. Vestrâ virtute, vestris armis hostibus tantum superiores inveniamur; & quicquid imponitis servitij libenter sustinemus. Patres ad hæc pauca respondent: Certos amicos Bractis Saxones sciatis, & eorum necessitatibus atq; commodis æquè semper affuturos. Legati lætiredierunt in patriam; exoptato nuncio socios lætiores reddentes.

Guilielmus Malmesburiensis, utrâque sententiâ simul junctâ, rem ita gestam narrat. g *Placuit omnibus, Anglos et Saxones è Germaniâ evocandos; armis validos, sedibus vagos. Geminum futurum commodum: ut armis invicti facilè hostes propulsarent; et hactenus locorum incerti, pro ingenti annumerarent beneficio, si vel squallidum solum jejunumq; cespitem ad habitandum suscepissent. Cæterùm nunquam eos aliquid contra patriam molituros; quoniam genuinam feritatem morum emolliret memoria beneficiorum. Probato consilio, mittuntur in Germaniam legati; spectabiles sanè viri, et qui dignè personam patriæ induerent, Germani audientes rem mille votis petitam à se ultro expostulari, vicino pede paruerunt; celeritatem negotij lætitiæ stimulis maturantes. Valedicentes igitur arvis genitalibus, renunciantes parentum affectibus, fortunæ vela committunt; placidoq; ventorum favore, tribus longis navibus quas illi Ciulas vocant, Britanniam allabuntur. Venerunt autem & tunc & sequenti tempore de tribus Germaniæ populis, Anglis, Saxonibus, Iutis.*

g Malmesbur. de gest. reg. Angl. lib. 1. cap. 1.

Omnis enim ferè terra quæ trans Oceanum Britannicum sub Septentrionali axe jacet, quia tantum hominum germinat, non injuriâ Germania vocatur; licèt multis provinciarum limitibus distincta. Quapropter sicut hi, quibus id muneris est, lascivientes arboris ramos solent succidere, ut reliquorum vitæ succo suo possit sufficere; sic incolæ aliquorum expulsione matrem alleviant, ne tam numerosæ prolis pastu exhausta succumbat: sed, ut facti minuant invidiam, sorte ducunt eliminandos. Indè est quòd illius terræ homines invenerunt sibi ex necessitate virtutem; ut natali solo ejecti

peregrinas sedes armis vendicarent: sicut Wandali qui olim protriverunt Africam, sicut Gothi qui possederunt Hispaniam, sicut Longobardi qui adhuc obsident Italiam, ut Normanni qui partem Galliæ armis domitam incolentes vocaverunt Normanniam. Ex hâc ergo Germaniâ primò venit in Britanniam parva quidem manus, sed quæ paucitatem suam virtute fulciret, ducibus Hengisto & Horsâ commodæ indolis fratribus, haud obscurâ stirpe apud suos oriundis. Erant enim abnepotes illius antiquissimi Woden, de quo omnium penè barbararum gentium regionum genus lineam trahit; quemq; gentes Anglorum Deum esse delirantes, ei quartum diem septimanæ, & sextum uxori ejus Freæ perpetuo ad hoc tempus consecraverunt sacrilegio. de quibus Barbarorum idolis Adamus Bremensis etiam est consulendus, & cum Paulo Diacono (de gestis Langobardorum lib. 1. cap. 8. & 9.) conferendus.

Primi hi Anglosaxonum duces *erant filij Vitgisli, cujus pater Vitta, cujus pater Veta, cujus pater Woden; de cujus stirpe multarum provinciarum regium genus originem duxit*: ut habet [h] Beda, ex antiquissimis exemplaribus integritati suæ hîc à nobis restitutus. Vetam sive Wehtam illum, in libris editis prætermissum, Witharum appellat Fabius Ethelwerdus: de patre quoq; ipsius Wodeno, *regem multitudinis Barbarorum*, ita subdens. *In tantâ etenim seductione oppressi Aquilonales increduli, ut Deum colunt usq; in hodiernum diem: videlicèt Dani, Northmanni quoque, & Suevi; de quibus Lucanus,*

Fundit ab extremo flavos aquilone Suevos.

[h] Bed. histor. lib. 1. cap. 15.

Quia verò hîc maxima rerum in Britanniâ facta est conversio: non abs re fortassè fuerit, ex quibus Germaniæ provincijs advenæ illi huc migraverint, & quibus in locis sedes hîc demùm fixerint, declarare.

Ex tribus Germaniæ provincijs, unde novæ huc deductæ sunt coloniæ, *Iutia* antiquum adhuc nomen retinet; regni Danici membrum notissimum. Partium enim illius regni, ut in hodiernæ Daniæ descriptione habet

bet Ionas Koldingēsis, *spaciosissima & populosissima Gothia est: cujus nominis loco, syllabâ priori paululùm vitiatâ, nunc cognatum retinetur, & Iutia dicitur.* Antiquam tamen esse *Iutiæ* & *Iutlandiæ* appellationem, non ex Adamo Bremensi tantùm & Saxone Grammatico, sed etiam ex Bedâ liquet; i qui ejus regionis incolas non semel *Iutas* nominat. Sic enim omnes quos consului MSS, Bedæ codices legunt (consentientibus etiam Florentio Wigorniensi, Guil. Malmesburiensi, Henr. Huntingdoniensi, Matthæo Westmonasterienſi, Ranulpho Cestrensi, & alijs:) non *Vitas*, ut libri habent editi. Fabius Ethelwerdus *Giotam* provinciam appellat, & incolas *Giotos*; quos Annales Petroburgenses Anglosaxonici geatum & jotum vocant. Quò & Asserij Menevensis illud referendum, de Oslaco Ælfredi regis materno avo verba facientis. *Oslac Gothus erat natione: ortus enim erat de Gothis & Iutis.* ita enim ex autographo legendum est; non, ut in impresso codice vitiosissimè habetur, *Indis.* Atq; ut ad indigenas hos respectu habito, *Gothorum Regis* titulum rex Daniæ hucusq; retinet: ita videndum an non ad eorum propaginem illud Belitarij spectet, in colloquio cum Gothorum legatis, apud Procopium, libro 2. de bello Gothico. Ἡμεῖς δὲ Γότθους Βρεττανίαν ὅλην ξυγχωρῆσαι ἔχειν, μείζω τὸ παράσπολον Σικελίας οὖσαν, καὶ Ῥωμαίων κράτιστον τὸ ἀνέκαθεν γεγενημένην. *Nos item Britanniam Gothos habere sibi permittimus, Siciliâ longè præstantiorem, & Romanorum quondam ditionis effectam.*

i Bed. histor. lib. 1. cap. 15: & lib. 4. cap. 16.

Sequitur deinde *Anglia vetus, sita inter Saxones & Giotos; habens oppidum capitale, quod sermone Saxonico Sleswic nuncupatur, secundùm verò Danos, Haithaby*: ut habet Ethelwerdus, & k Guilielmus Malmesburiensis eum secutus. Est autem hæc Sleswicensis Ducatus & Episcopatus urbs notissima: de quâ Adamus Bremensis. *Sliaswig, quæ & Heithebu dicitur, brachium quoddam freti*

k Malmesbur. de gest. reg. Anglor. lib. 2. cap. 2.

Barbari

Barbari (sive *Balthici*) *alluit, quod Sliam vocant; unde & civitas nomen trahit.* Inter Sliam verò & Flensburgicum sinum interposita est illa Ethelwerdi vetus Anglia; quæ adhuc etiam ab incolis **Anglen**, ab Alberto Crantzio & alijs Latinè scribentibus *Anglia* appellatur. Apud [1] Bedam, *illa patria Angulus dicitur*, (ita enim scripti codices legunt non, ut editi, *Anglia*:) *et ab eo tempore* ut addit idem, quo Angli inde in Britanniam migraverunt, *usque hodie manere desertus inter provincias Iutarum et Saxonum perhibetur.* Posteà tamen à Iutis occupatam, ex Adamo Bremensi intelligimus; *Danos, quos Iuthas appellant, usque ad Sliam lacum habitare* referente. Indeq; Sleswicensis Ducatus & olim Ducatus Iutiæ dicebatur, & hodie intra Meridionalis Iutiæ terminos totus comprehenditur.

[1] Bed. lib. 1. cap. 15.

Angliæ veteri finitima erat *Saxonia*; quæ Bedæ, Asserij, & Ethelwerdi tempore *Ealdsexe*, sive *antiquorum Saxonum* regio cognominata est: & ipsa in Cimbricâ Chersoneso posita. Σάξονες, ἔθνος οἰκοῦν ἐν τῇ Κιμβρικῇ χερρονήσῳ. *Saxones, gens habitans in Cimbricâ Chersoneso*: inquit Stephanus Byzantius, nempè, ἐπὶ τὸν αὐχένα τῆς Κιμβρικῆς χερσονήσου, *in cervice* vel *faucibus Cimbricæ Chersonesi*: ut Ptolemæus in quartâ Europæ Tabulâ, & Marcianus Heracleotes in Periplo, magis distinctè explicant. Vetus enim Saxonia ea fuit quæ, quòd ab Albi fluvio Boream versùs protenderetur, *Nortalbingia* posteà est dicta: fluminibus quidem, Albi, Billâ & Travâ, infimâ; Eidorâ verò & Sliâ, supremâ sui parte terminata. Et quidem eundem australem Saxonibus suis limitem statuit Ptolemæus, inter Albis & Chalusi (sive Travæ, Lubecam hodie alluentis) ostia eos collocans: borealem, in libello de Daniæ & septentrionalium gentium situ ac naturâ, his verbis Adamus Bremensis explicat. *Daniam à nostris Nortalbingis flumen Egdora dirimit, quod oritur in profundissimo saltu paganorum Iaruho, & extenditur secùs mare Barbarum usq; ad Sliam lacum.*

De

De populis verò Transalbianæ hujus (ut appellat) Saxoniæ, alibi addit idem.[a] *Transalbianorum Saxonum tres sunt populi: primi ad Oceanum Dithmarsi; & eorum ecclesia Mildenthorp. Secundi Holsati, dicti à silvis, quas accolunt. Eos Sturia flumen interfluit: quorũ ecclesia Sconenfeld. Tertij, qui & nobiliores, Stormarij dicuntur, eo quod seditionibus illa gens frequenter agitur: inter quos metropolis Hamburg caput extollit.* Extant Ludovici Pij Imp. literæ Aquisgrani datæ; in quibus de hujus metropolis fundatione leguntur ista. *Statuimus unanimi consensu Ecclesiastico, ultimâ in regione Saxonicâ trans Albim in loco nuncupato Hammeburgck, cum universâ Nordalbingiorũ Ecclesiâ propriy vigoris cõstituere sedem.* cum quibus & illa Helmoldi in Historiâ Slavicâ sunt cõferenda. *Hamburgensis Ecclesia præscriptos habet terminos suæ parœchiæ, ultimã scilicèt partẽ Saxoniæ, quæ est trans Albim, et dicitur Nortalbingia, continens tres populos; Tethmarsos, Holsatos, Stormarios.*

[a] Adam. histor. Ecclesiastic. lib. 3. cap. 9.

Vetus igitur Saxonia non Westphalia est (ut Theodericus Engelhusius, Wernerus Laërius, Albertus Krantzius, & recentiorum alij putaverunt) sed ea quæ Holsatiæ Ducatus hodie dicitur; Holsatiam propriè dictam, Dithmarsiam, Stormariam & Wagriam in se complectens. In latitudine à Sleswicensi ad Hamburgensem urbem (in ultimâ Saxoniæ parte positam;) in longitudine à mari Occidentali ad Orientale, sive ab Oceano Germanico ad sinum Balthicum protenditur: & veterem Franciam sibi habet adjacentem, inter Albis & Rheni ostia interjectam. Ut enim ad Rhenum usque pertigisse Francos, libro XX.[b] ita *Saxones ijsdem confines* extitisse, libro XXVII.[c] docet Ammianus Marcellinus: & utrosq; Τῶν ἐπὶ τὸν Ῥῆνον καὶ τὴν ἑσπερίαν θάλατταν ἐθνῶν τὰ μαχιμώτατα, *earũ qua ultrà Rhenũ & mare occidũ habitant nationes omnium bellicosissimæ* fuisse, Oratione I. in laudem Constantij Imp. confirmat Iulianus.

[b] Bed. histor. lib. 1. cap. 15.
[c] Malmesbur. de gest. Reg. lib. 1. cap. 6.

Loca verò Britanniæ à tribus istis gentibus infesta, ex [b] Bedâ cum [c] Guilielmo Malmesburiensi collato, in hâc subjectâ tabellâ conspicienda exhibemus.

Qui in Britanniam venerunt ex

- *Iutiâ*; possederunt
  - Cantium.
  - Vectam insulam.
  - Southantoniensis agri partem Vectæ objectam, quâ [p] *Homelea* sive Humble fluvius Oceanum intrat. quæ licèt ad provinciam Occidentalium Saxonum pertineret, à primâ tamen suâ origine Iutnacynn, id est, *Iutarum nationis* appellationem Anglosaxonum temporibus retinuit.
- *Saxoniâ*; ratione situs distincti sunt in Saxones
  - [q] Australes: qui Suthsexiâ tenuerunt.
  - Orientales: qui occupârunt
    - Essexiam.
    - Middlesexiam.
    - Hertfordiæ partem australem.
  - Occidentales: [r] *qui antiquitus Geuissi vocabantur*. Habitaverunt autem in Comitatu
    - Suthreiæ, sive Surriæ.
    - Southantoniæ: parte illâ maritimâ exceptâ, quam à Iutis occupatam diximus.
    - Bercheriæ.
    - Wiltoniæ.
    - Dorsettiæ.
    - Somersettiæ.
    - Devoniæ.
    - Cornubiæ; licèt maxima illius pars à veterũ Britannorum reliquijs ad nostra usq; tempora retenta fuerit.
- *Angliâ*; originẽ dederũt
  - Orientalibus Anglis; in agris
    - Northfolciæ.
    - Suthfolciæ.
    - Cantabrigiæ: cum Eliensi insulâ, & parte (ut videtur) etiam Bedfordiæ.
  - Mediterraneis Anglis, sive *Middilẽglis*; qui Leicestrensẽ provinciã incoluerũt, Merciorũ ditioni subditã.

[p] Bed. lib. 4. cap. 16.

[q] Id. lib. 4. cap. 13.

[r] Id. lib. 3. cap. 7. Vid. Asser. Menevens. initio Vitæ regis Ælfredi.

[f] Bed. lib. 3. cap. 24.

[g] Id. ibid. cap. 14.

Indigenæ Britanniæ, qui Angli Saxones appellantur, & eis, qui Germaniæ ſeptentrionalem tractum incolunt, Saxonibus originem ducere, documentis approbatur: inquit [h] Lupus Servatus. & Holſatiæ partem extremam, quâ Jutiæ proxima eſt, in antiquis manuſcriptis Chronicis

[h] Lup. in Vit. S. Wigberti, cap. 1.

Olt Saren, id est, *veterem Saxoniam* dici, animadverterũt [x] alij. Ex insulâ *Oghgul* Hengistum, cum suis, huc advenisse in Ninio legimus: sive eo nomine integram peninsulam Cimbricam ille intelligat, sive (quod in uno exemplari ita etiam scriptum hîc inveni) *Angul*, id est, eam Chersonesi illius partem, quam hodie Anglen appellari diximus, & ipsam peninsulæ quandam speciem præ se ferentem. [y] Alij, ex *Chronico Leidensi*, Hengistum patriâ Frisium fuisse referunt. [z] Iohannes Leidensis *Regem Frisiæ* fuisse asserit; quam & [*] *Saxoniam inferiorem* dictam fuisse ait.

[a] Suffridus Petrus Hengistum Udolphi Haronis, septimi Frisiorum Ducis, filium fuisse contendit, & Suanæ filiæ Vetgisti Saxonum Principis. Additq; binas ab illo ductas fuisse colonias: priorem anno ætatis 22.° in Angliam veterem (prope Iutiam) ubi 62. annis versatus fuerit, partim agriculturâ partim piratico genere belli colonos sustentans; posteriorem anno ætatis 84.°, ex istâ Angliâ in Britanniam, in quâ ultra annos quatuor non duraverit, anno ætatis suæ 88. qui fuit Christi CCCCLIII. fato functus. Et ne de rei veritate quicquam dubitaremus, pessimo exemplo, vir cæteroqui doctus & diligens, [b] de priore Coloniâ scripsisse fingit, primò quidem ipsum *Udolphum* Hengisti & Horsi commentitium patrem, deinde duos ejusdem monetæ Duces; *Tglonem Lasconem*, qui anno Christi CCCCIX. & *Hollum*, qui anno CCCCXXX. mortuus fuerit: de posteriore verò *Haiouem Fortemannum*, qui anno Christi CCCCLXXVIII. obierit.

Tglonem enim scripsisse somniavit bonus senex,

1. *De expeditionibus suis adversus Vestphalos ac Sicambros.*
2. *De præsidijs ab ipso in Angriâ & Vestphaliâ collocatis.*
3. *De matrimonio Udolphi Haronis & filiæ Vetgisti Satrapæ Saxonum.*

4. De

[x] Suffrid. Petr. de origin. Frisior. lib. 1. cap. 11.

[y] Vorper. Thaborit. histor. Frisic. lib. 1. cap. 8. Cornel. Kemp. rer. Frisic. lib. 2. cap. 22.

[z] Iohan. Gerbrand. Chronic. Belgic. lib. 1. cap. 9.

[*] *Vid.* Vorper. Thaborit. lib. 2. cap. 3. & ejus expilatorem, Cornel. Kempium, lib. 1. cap. 10.

[a] Suffrid. Petr. in Apologiâ pro Antiquit. Frisicâ pag. 75. ad 78.

[b] Id. de Scriptorib. Frisiæ, Decad. 3.

4. *De origine Vetgisti, & cognatione ejus quam habuit cum Oldibaldo Frisiorum Duce.*
5. *De institutione & educatione Hengisti & Horsi.*
6. *De decessu Hengisti & Horsi in Angliã Veterẽ.*
7. *Catalogum Ducum & Comitũ, qui classi Hengistianæ in ducendâ hâc coloniâ præfuerunt.*
8. *De adoptione Hengisti & Horsi factâ à Vetgisto avo eorum materno.*

Hollium deinde,

1. *De Coloniâ Anglicanâ.*
2. *De qualitate Angliæ.*
3. *De piraticâ Frisiorũ ex Angliâ in mari Britannico.*

Haionem denique,

1. *De vocatione Hengisti ex Angliâ veteri in Britanniam.*
2. *De pactis inter Hengistum & Vortigernũ initis.*
3. *De præliis Hengisti & Horsi, contra Pictos & Scotos, pro defensione Britannorum.*
4. *De causis ob quas Hengistus Britannis, ex defensore, hostis factus sit.*
5. *Catalogum ducum classium Hengisti, quas in Britanniam adduxit.*
6. *De copijs quas Hengistus ab initio usq; ad obitum suum in Britanniam advexit.*

Ego verò ut Hengistum & Horsum Frisios fuisse prorsùs non abnuerim; ita ex Danicâ Frisiâ, potiùs quàm ex illâ Hollandiæ vicinâ, ortos fuisse existimaverim. In Daniâ enim etiam *Frisia* est: quam, alterius illius respectu, *minorem* appellat[a] Saxo Grammaticus. Australis *Jutiæ* pars ea est maximè australis, (à *Jutis* autem Cantuarios ortos ostendimus; quorum regẽ Hengistũ fuisse constat) ad orientẽ veterẽ Angliam, ad austrum veterẽ Saxoniam sibi habens conterminã, ab utrâq; flumine Eidorâ intercurrente dirempta. Ejus incolas, ab hoc flumine *Eiderstedios*, à litore cui insident *Strand-frisios*, vulgò denominant. *Hos à Frisonũ gente cõditos, nominis et linguæ societas testi-*

[a] Saxo, in Danicæ suæ Historiæ Proœmio.

testimonio est: ut inquit [d] Saxo. Eos enim à tot jam sæculis linguam patriam incorruptam adhuc retinere, confirmat etiam [e] Ubbo Emmius: de Frisicâ illud etiam adjiciens, [f] *in universum cum Anglico sermone tantum cognationis & similitudinis habere, ut ad nullum omninò aliarum gentium, ne finitimarum quidem, propiùs accedat.* Cui & illud addendum, quod ex Leidensi [g] profertur Chronico. *S. Willebrordus cum suis ex Angliâ veniens, primùm applicuit in Valachriâ insulâ Zelandiæ, & venit Westcapellam ubi Deus erat Mercurius: ibiq; Evangelium linguâ Frisonicâ, quasi Friso, Frisonibus prædicavit.*

[d] Id. histor. lib. 14.

[e] Histor. Frisic. lib. 1. pag. 69.

[f] Ibid. pag. 76.

[g] à Vorpero Thaboritâ, lib. 1. histor. Fris. cap. 8. & Cornel. Kempio, lib. 2. rer. Frisic. cap. 22.

Iam si Frisij hi utrique ejusdem fuerint originis, & communi etiam tam inter se quàm cum Anglis sermone fuerint usi; minùs erit mirandum, Frisones quoq; à Bedâ inter eas gentes connumerari, à quibus nostri Anglosaxones genus traxerint. Verba illius, libro V. Historiæ Ecclesiasticæ cap.[e] X. (vel, ut antiqui MSS. distinguunt, IX.) hæc sunt. *Eo tempore venerabilis & cum omni honorificentiâ nominandus famulus Christi & sacerdos Ecgbertus, quem in Hiberniâ insulâ peregrinam ducere vitam pro adipiscendâ in cœlis patriâ retulimus, proposuit animo pluribus prodesse; id est, inito opere Apostolico verbum Dei aliquibus earum quæ nondum audierant gentibus euangelizando committere. Quarum in Germaniâ plurimas noverat esse nationes, à quibus Angli vel Saxones, qui nunc Britanniam incolunt, genus & originem duxisse noscuntur. Unde hactenùs à vicinâ gente Britonum corrupti Germani nuncupantur. Sunt autem Fresones, Rugini, Dani, Hunni, antiqui Saxones, Boructuarij.* Ubi notandum, ante illud tempus de quo Beda agit, quodq; in finem septimi post Christum seculi incidit, Francis in Gallias quas occupaverant commigrantibus, Saxonas in sedes ab eis derelictas paulatim concessisse, & non modò oram maritimam inter Albim & Rhenum interjectam insedisse, sed etiam ad interiores Germaniæ penetrâsse: ne quis tum ijsdem eos finibus conclusos fuisse existimet,

quibus

quibus ante adventum in Britanniam continebantur.

Sunt quidem qui existiment [h] ante ductas, vel ab Anglis in Britanniam, vel à Francis in Galliam colonias, Saxonas portuosum illud emittendisq; ac recipiendis navibus aptissimum litus inter Albim Rhenumq; consedisse: sed nullâ firmâ, quantum adhuc ego video, authoritate subnixi. Diocletiani ævo, Francos æquè ac Saxones *per tractum Belgica & Armorica mare infestâsse*, libro IX. historiæ suæ testatur Eutropius: atq; *agilem fuisse piratico in opere gentem Saxonum in totâ maritimâ à Rheno fluvio usq; in Daniam urbem quæ vulgò Danmarc nuncupatur*, eo tempore quo in Britanniam sunt advocati, in primo Annalium suorum libello affirmat Fabius Ethelwerdus. Per oram illam maritimam fecisse piraticam Saxones non negamus: in continente verò tractus illius eos sedes fixisse, nondum invenimus. Nam ne Zosimo assentiamur [i] qui Quados, Saxonum partem, Bataviam pulsis inde Francis Salijs occupavisse, & Julianum Salios tutatum Quados in deditionem redegisse narrat; illud primò facit, quòd Quadi pars Saxonum nulla fuerit, deinde quòd [k] Eunapius Sardianus (cujus Zosimus historiam [l] transscripsit potiùs, quàm novam ipse scripsit) neq; *Quados* istos, neq; quos eorum loco apud Zosimum substituit Cluverius) *Cauchos*, neq; omninò *Saxonas*, sed *Chamavos* fuisse retulit: ipso quoq; Juliano, in [m] epistolâ ad Senatum populumque Athenensem, rem à se gestam similiter exponente. Τῶν μὲν μοῖραν τοῦ Σαλίων ἔθνους, Χαμάβους δὲ ἐξήλασα. *Saliorum partem excepi; Chamavos expuli.*

[h] Camden. Britann. pag. 93. Cluver. German. antiqu. lib. 1. cap. 36. pag. 488. & lib. 3. cap 21. pag. 590. edit. 1.

[i] Zosim. histor. lib. 3.

[k] Eunap. in Eclog. legation. ab Hœschelio edit. pag. 8.

[l] Phot. Bibliothec. num. 98.

[m] Julian. Oper. part. 1. pag. 314. edit. Paris. ann. 1630.

Neq; ullum omninò justi ponderis, præter Bedæ illud unicum jam à nobis explicatum, occurrit testimonium, quod Friscæ originis Angloſaxones fuisse doceat. Antiquiora enim illa quæ tanti æstimat, Frisiæ suæ decus, [n] Ubbo Emmius, me sanè multum non moverunt: *Marcellini* in vitâ Suidberti, gentilis sui & laborum socij,

[n] Ubb. Emmer. Fris. lib. 3. pag. 98. 99.

cij, unum; *Procopij*, ætati isti quâ illa in Britanniam expeditio accidit haud paulo propioris, alterum. *Ipse Suidbertus sitiebat salutem omnium hominum, & præcipuè paganorum Frisiorum & Saxonum, eo quod Angli ex ipsis propagati sint:* inquit Marcellinus ille. atq; iterùm de eodem, & reliquis Willibrordi socijs: *Quoniam sancti Doctores propagati fuerunt in Angliâ de stirpe Frisonicâ & Saxonicâ; ideò convenienter potuerunt ijs prædicare Euangelium Christi linguâ Germanicâ.* quibus citatis subdit Emmo. *Hoc sanè teste, qui de suisq; socijs ea scribit, & pietatis eximiâ laude claret, majorem requirere non debemus.* Sed virum illum sagaciſſimum fugit, ſubditium esse Marcellinum istum: cui à [o] Stephano Vito (viro antiquitatum, non Hiberniæ solùm suæ sed aliarum etiam gentium, scientissimo) ita larva est detracta, ut [p] qui illius posteà in se suscepit patrocinium, imperitum aliquem non modò *stylum mutâsse, & loco antiquorum nominum quarundam provinciarum & urbium magis recentia collocâsse*, sed etiam *nonnulla imperitè de suo capite veritati minùs consona addidisse*, idq; *certum esse*, & *negari non posse*, coactus fuerit agnoscere.

[o] apud Gretserum lib. 1. Observation. in Philippum de Divis Eyſtettensib. cap. 9.

[p] Edouard. Maihew, tabul. 2. de scriptorib. Anglic. ordinis Benedict. cap. 40.

Ex Procopij libro IIII. de bello Gothico citantur istæ [q] *Britanniam insulam tres numerosissimæ gentes incolunt, quarum unicuiq; suus Rex imperat nominantur hæ gentes Angili*, FRISONES, *&, qui cum insulâ cognatum nomen habent, Britones*, quibus hoc quoq; epiphonema ab Emmio est subjunctum. *Et quid desideres amplius?* Verùm & hoc etiam clarissimum illum virum latuit, non de *Britanniâ* scripsisse ista Procopiũ, sed de *Britiâ*; quam [r] eodem ipso in loco à Britanniâ disertis verbis secernit, atq; inter Britanniam & Thulem (quæ illa Scandinavia est) sitam fuisse indicat; ut de corrigendum illud Isacij Tzetzæ, scholiastæ *Lycophronis*. Περὶ τὸν Ὠκεανόν ἐστιν ἡ Βρεττανία νῆσος (Βρεττίαν debebat dicere, vel saltem intelligere) μεταξὺ τῆς τε ἐν Λύσσῃ κειμένης Βρεττανίας, καὶ Θούλης, τῆς πρὸς ἀνατολὰς. *In Oceano est*

[q] Camden. Britann. pag. 94.

[r] Procop. lib. 4. Gothic. pag. 349. edit. Græc.

est Britannia insula, inter Britanniam ad Occidentem positam, et Thulem Ortum spectantem. Que enim Tzetzæ fratres (Iohannes in Hesiodi Ἔργα, & Isacius in Lycophronis Alexandram) de animabus defunctorum in Britanniam deportatis fabulati sunt, ea omnia ad Britanniam à [f] Procopio relata observavimus.

[f] Ibid. pag. 352.

Sed missis istis παρέργοις, de tempore quo Hengistus & Horsus ad Guortigernum accesserunt, deinceps inquiramus. Anno Domini CCCLXXXV. illud factum, [t] Iohannes *Leidensis* & [u] Annales Frisiorum tradiderunt. In [x] antiquissimis Chronicis linguâ Cambro-britannicâ conscriptis, *à tempore Guorthigerni usq; ad bellum Badonicum, quo Arthurus dimicavit adversus Saxones & eos debellavit, 128. anni:* deinde *à bello Badonico usq; ad bellum de Camlan, in quo casus est Arthurus, 22. anni* numerantur. Cùm autem Arthuri excessus in [y] Britannicâ Historiâ ad annum DXLII. sit relatus: subductis inde 128. & 22. Dominicæ æræ annus CCCXCII. relinquetur. Atqui adhuc sub Romanorum imperio vixisse Britannos, non est dubium: neq; Saxonas priùs in auxilium eos advocâsse, quàm à Romanis penitùs fuissent derelicti, æquè certum est. Ut nullo modo fides Francisco Irenico sit adhibenda; [z] qui Anglosaxonas *inopinato ductu in Angliam trajecisse Valentiniani temporibus, ac Romanos omnes ad internecionem occidisse* commiscetur: & eorum hîc tantùm sententiæ sit attendendum; qui sub Theodosij junioris vel successoris Marciani imperio rerum Britannicarum conversionem hanc contigisse tradiderunt.

[t] Io. Gerbrand. Chronic. Belgic. lib. 1. cap. 9.
[u] Cornel. Kemp. rer. Frisic. lib. 2. cap. 22.
[x] Iohan. Prise. Histor. Britannic. defens. pag. 121, 122.
[y] Galfrid. Monemuth. lib. 11. cap. 1.
[z] Irenic. Germanic. Exegesi. lib. 6. cap. 17.

Ad Felicis & Tauri Consulatum, qui in annum CCCCXXVIII. incidit, anonymus Ninij interpolator Saxonum adventum refert. Iisdem quoq; Consulibus, *partem Galliarum propinquam Rheno, quam Franci* (Saxonibus contermini) *possidendam occupaverunt, Aëtij Comitis armis receptam* testatur Prosper in Chronico. cui & illud addendum putaverim, quod ex alijs Consularibus

[a] Greg. Turon. histor. lib. 2. cap. 9.

Fastis à [a] Gregorio Turonensi est productum: *Theodomerem regem Francorum, filium Richimeris quondam, & Ascilam matrem ejus, gladio interfectos.* Statim enim subjungit Gregorius: *Ferunt etiam* TUNC *Chlogionem utilem ac nobilissimum in gente suâ regem Francorum fuisse.* Anno autem CCCCXXVIII. vel proximè sequente, ex Tironis Chronico colligitur, regnare in Franciâ cœpisse Chlogionem sive Chlodium hunc: quem & Theodomeris illius filium ac successorem facit [b] Fredegarius Scholasticus; ea omnia Theodomeri Richimeris filio adscribens, quæ vetus gestorum regum Francorum [c] abbreviator, & cum eo Ado Viennensis, Aimoinus atq; Sigebertus, Faramundo Marcomiri filio tribuunt.

[b] pag. 95. edit. M. Freheri.

[c] ibid. pag. 58.

Britannici verò illius Chronographi supputationem ne quis desideret; ex duobus antiquissimis Cottonianæ Bibliothecæ codicibus descriptam exhibebimus hîc & illustrabimus.

A Mundi principio usq; ad Constantium & Rufum, 5658. anni reperiuntur.

Item à duobus Geminis, Rufo & Rubellio, usq; in Stilichonem Consulem, 373. anni sunt.

Item à Stilichone usq; ad Valentinianum filium Placidiæ & regnum Guortigirni, 28. anni: & à regno Guorthini (al. *Guortigirni*) *usq; ad discordiam Guitolini & Ambrosij, anni sunt 12. quod est Guoloppum, id est, Cat-gualoph.*

Guortigirnus autem tenuit imperium in Britanniâ Theodosio & Valentiniano Consulibus: & in quarto anno regni sui Saxones ad Britanniam venerunt, Felice & Tauro Consulibus, CCCCI. *anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi.*

Ab anno quo Saxones venerunt in Britanniam, & à Guortigirno susceptì sunt, usq; ad Decium & Valerianum, anni sunt 69.

Victorius Aquitanus Fastos suos Consulares à duorum Geminorum (*Fusij*, quem ille *Rufum* appellavit, & *Rubellij*) Consulatu inchoatos, in Constantini & Rufi Consulatu (qui in annum æræ nostræ CCCCLVII. incidit) terminaverat. *Ex tempore Dominicæ passionis, diebus Kalendarum Ianuariarum, & nominibus Consulum, à duobus Geminis, Rufo scilicèt & Rubellio, usque ad Consulatum Constantini & Rufi, diligenti annotatione collectis, per* CCCCXXX. *annos, cum Lunis atq; temporibus: ac deinceps sine Consulibus, per annos censum & duos futuros, ut* DXXXII. *annis omnis summa consistat, patefacere properavi.* Sic ille, in Canonis Paschalis Præfatione ad Hilarum: ubi & (Eusebianas rationes secutus) à *Mundi origine usque ad Constantinum & Rufum Consules*, 5658. annos dinumerat. Hunc igitur, ut videmus, ducem secutus est Britannus noster: qui ex ijsdem quoq; Fastis, à duobus Geminis usque ad Stilichonis (cujus strenuam in Britanniâ à Scotorum, Pictorum & Saxonum incursionibus tutandâ navatam operam Claudianus prædicat) Consulatum, 373. annos percenset; utroq; nimirùm, & Geminorum & Stilichonis priore Consulatu simul numerato. A Stilichonis deinde Consulatu illo, qui in annum CCCC. incurrit, *usque ad Valentinianum filium Placidiæ, & regnum Guortigirni*, XXVIII. annorum intervallum constituit: quum ad Theodosij XI. & Valentiniani I. Consulatum, quo juxta illum Guortigernus regnum, & juxta rei veritatem Valentinianus Placidiæ filius imperium exorsus est, XXV. ad Felicis & Tauri Consulatum XXVIII. ponendi fuissent. His verò Consulibus Saxones huc advenisse addit; anno, non ab *Incarnatione*, ut in codicibus perperàm est exaratum, sed à *Passione* Domini CCCCI. Ad Consulatum enim Felicis & Tauri annotatus habetur annus CCCCI. Victorianæ periodi, à duorum Geminorum Consulatu deductæ; in quo Victorius, antiquissimos secutus Patres, Christum crucifixum credidit. A Saxonum deniq; adventu hoc an-

nos LXIX. numerat noster Chronologus *usq; ad Decium & Valerianum:* quod postremum par Consulum in Victorianorum Fastorum continuatione, quæ ad manus ipsius pervenerat, extitisse verisimile est. Anno autem vulgaris nostræ CCCCXCVIII. Decium Paulinum Consulem invenimus: non Valeriano tamen, sed Iohanne Scythâ collegâ addito.

In breviori illo Chronico quod Tironi Prospero tribuitur, ad annum post excessum Honorij XVIII^um. ante obitum verò Theodosij junioris IX^um. circa annum videlicèt Christi CCCCXLI. annotatum legimus. *Britannia, usq; ad hoc tempus variis cladibus eventibusq; lacerata, in ditionem Saxonum rediguntur.* indeq; in Chronico quod Marci Maximi Cæsaraugustani Episcopi præfert titulum; ad annum CCCCXLIIII. *Britannia, usq; ad hoc tempus variis cladibus dilacerata, tandem per deditionem Saxonibus traditur.* Sed horum Chronicorum incerta est auctoritas: ut eâ præponderari non debere videatur, vel Gildæ Britanni fides, qui ante tertium Aëtij Consulatum eos huc advocatos non fuisse indicat; vel Anglosaxonicorum omnium Annalium testimonium, qui ante annum CCCCLV. Hengisti regnum non incipiunt. Quæ enim ex B. Germani vitâ contrà sunt objecta, quàm nullas vires habeant, in superioribus satis declaravimus.

In ipsum annum CCCCXLVI. quo tertium Consulatum gessit Aëtius, Anglorum adventum Sigebertus conjicit. Latino-saxonici Annales, quos Cottonianæ Bibliothecæ à Camdeno relictos fuisse [d]memoravimus, ad annum CCCCXLVIII. referunt: cum quibus etiam facit quod [e] Cuspinianus ex Iordani sive Iornandis, ut ille putat, ineditis Annalibus protulit. Nos verò Annales illos cum Hermanni Contracti Chronico ab Henr. Canisio edito eosdem fuisse deprehendimus: indeq; locum hunc, qui mutilus à Cuspiniano est productus, ita restituimus. *Anglisaxones à Britannis contra Pictos & Scotos*

[d] Suprà, cap. 3. pag. 36.

[e] Io. Cuspin. Commentar. in Cassiodori Consulare, pag. 542.

Scotos [*auxilio asciti, insulam petunt, & hostibus fugatis in socios*] *arma convertunt; & post multa bella, magnâ ex parte insulâ subactâ potiti sunt.* Fabius Ethelwerdus, & cum eo Annales linguâ Anglosaxonicâ conscripti, nec non Guilielmus Malmesburiensis, Henricus Huntingdonensis, Alanus de Insulis, Matthæus Florilegus & alij, annum CCCCXLIX. eorum adventui assignant: illis, ut videtur, venerabilis Bedæ verbis adducti [f] *Anno ab Incarnatione Domini quadringentesimo quadragesimo nono* (ita enim ex MSS. legendum; non, ut habent editi codices, *quadringentesimo nono*) *Marcianus cum Valentiniano quadragesimus sextus ab Augusto regnum adeptus, septem annis tenuit. Tunc Anglorum sive Saxonum gens invitata à præfato rege* (Vurtigerno) *Britanniam tribus longis navibus advehitur.* Verùm quum ante annum proximè sequentem Marcianum imperium non inijsse certò constet: vel ad Valentiniani & Avieni Consulatum, id est, annum CCCCL. cum Florentio Wigornensi eorum adventus potiùs fuisset referendus; vel, ut in vulgato Mariani Scoti Chronico habetur, ad Consulatum Herculani & Asporatij, quem in annum CCCCLII. incurrisse ex Fastis liquet. Neque enim in ipso præcisè imperij initio, sed intra septennium illud quo Marcianus rebus præfuit, huc appulisse Anglos significare Beda voluit: vel intra quinquennium potiùs quo unâ cum Valentiniano imperium administravit. *Horum* enim *tempore Anglos, à Britonibus accersitos, Britanniam adijsse,* in Historiæ suæ ἀναπεφαλαιώσει Chronicâ ipse indicat.

[f] Bed. lib. 1. histor. cap. 15.

Genscricum Vandalorum regem, post captam Carthaginem, non modò in Siciliam, sed etiam *in Scotiam ac Britanniam transiviss*e, ibiq; *se retinuisse, usque dum Attila superbia defervuerat*, contra historiæ fidem affirmat [f] Franciscus Irenicus. Etsi enim per cunctas Romani Imperij provincias Genscericum piraticam passim fecisse constet; adeò nullo locorum habito delectu, ut [g] feratur

[f] Irenic. Germaniæ Exegesi lib. 6. cap. 35.

[g] Procop. Vandalic. lib. 1.

quondam, quum è Carthaginis portu velis passis soluturus esset, interrogatus à nauclero, quò tendere populabundus vellet, respondisse, *Quò Deus impulerit*: tamen ad Britanniam aut Scotiam nostram aliquando enm accessisse, neq; in nostrorum neq; in exterorum monumentis uspiam invenimus. Ad Attilæ verò superbiam (cujus ab Irenico hîc injecta mentio) quod attinet: eam anno CCCCLI. ab Aëtio compressam fuisse notum est, memorabili illo in Campaniæ Gallicanæ campis Catalaunicis commisso prælio; de quo Iornandes. [h] *In hoc famosissimo & fortissimarum gentium bello ab utrisq; partibus* CLXII. *millia cæsa referuntur, exceptis* XC. *millibus Gepidarum & Francorum qui ante congressionem publicam noctu sibi occurrentes, mutuis concidêre vulneribus; Francis pro Romanorum, Gepidis pro Hunnorum parte pugnantibus.*

[h] Iornand. de reb. Geticis, cap. 41.

Francos enim, cum vicinis suis Saxonibus, auxiliares Romanis hîc adfuisse testatur [i] idem: licèt inter eos qui Attilæ castra sunt secuti Francos quoq; connumeret Appollinaris Sydonius, in Panegyrico quem Avito Augusto socero suo dixit, Hunnici exercitus copias ita recensens.

[i] Ibid. cap 36.

——*pugnacem Rugûm comitante Gelono,*
Gepida trux sequitur; * *Scotum Burgundio cogit:*
Chunnus, Bellonotus, Neurus, Basterna, Toringus,
Bructerus, ulvosâ quem vel Nicer abluit undâ,
Prorumpit Francus.

* *Ita legunt vulgati codices: licèt in MSS. Scerum aut Scœrum haberi notent Sidonij Scholiastæ, Savaro & Sirmondus.*

Unde verò acciderit, ut una Francorum pars Aëtio, altera Attilæ se adjunxerit, causam (Franciarum rerum scriptoribus hactenus ignoratam) ita nobis in Historiâ suâ aperuit Priscus Panites, Græcus Rhetor. [k] Τῶ Ἀττήλᾳ ἦν τὸ πρὸς φράγγους πολέμιος πρόφασις ἡ τοῦ σφῶν βασιλέως τελευτή, καὶ ἡ τῆς ἀρχῆς τῶν υἱέων παίδων διαφορά· τῶ πρεσβυτέρᾳ μὲν Ἀττήλαν, τῶ δὲ νεωτέρᾳ Αἴτιον ἐπὶ συμμαχίᾳ ἐπάγεσθαι ἐγνωκότος. ἐν χαλεπῶ τὴν Ῥώ-

[k] Eclog. Legationum, ab Hœschelio edit. pag. 27.

μην

μην εἴδομεν πρεσβευόμενον, μήπω ἰούλου ἀρχόμενον, ξανθὸν τὴν κόμην, τοῖς αὐτοῦ πόρικε χυμένην διὰ μέγεθος ὤμοις. θετὸν δὲ αὐτὸν ὁ Αἔτιος ποιησάμενος παῖδα, καὶ πλεῖστα δῶρα δοὺς, ἅμα τῷ βασιλεύοντι ἐπὶ φιλίᾳ τε καὶ ὁμαιχμίᾳ ἀπέπεμψε. *Francos bello lacessendi Attalæ causa fuit Regis ipsorum obitus, & de regno inter liberos controversia. Seniori Attila studebat, juniorem Aëtius tuebatur: quem Romæ vidimus legationem obeuntem, nondum lanugine efflorescere incipiente, flavâ comâ, & capillis propter densitatem & magnitudinem super humeros effusis. Hunc autem Aëtius in filium adoptaverat, & plurimis donis ornatum ad Imperatorem, ut amicitiam & belli societatem cum eo contraheret, miserat.*

Atq; hinc Gregorij Turonensis narrationi lux aliqua affulget: qui cùm dixisset,[1] *Aetium cum Francis Gothisq́, conjunctum adversus Attilam conflixisse*, & Gothorum rege in prælio occumbente, Thorismodo filio ipsius post partam victoriam ut in patriam festinaret persuasisse, *ne insistente germano, patris regno privaretur*; addit, eundem Aëtium *simili & Francorum regem dolo fugavisse*. ac si illi quoq; author fuisset ad proprias sedes remeandi, ne paternum regnum eo absente à fratre ipsius similiter occuparetur. Regem verò hunc qui Aëtio subsidio venit, non alium quàm *Meroveum* fuisse, à quo sequentes Francorũ reges *Merovingorum* tulerũt nomen, Robertus Gaguinus, Paulus Æmilius, Carolus Sigonius & reliqui, pro certo sumunt atq; concesso: temporis quoq; ratione non refragante. Regni enim Merovei initium circa annum CCCCXLVIII. (quod Sigebertus Gemblacensis & Matthæus Florilegus retinent) vel CCCCXLIX. in Tironis Chronico videmus collocatum. Atq; ut Clodioni sive Chlogioni (cujus suprà meminimus) immediatè successisse agnoscunt omnes, ita etiam *de hujus stirpe* (ut notat [m] Gregorius) *quidam Meroveum regem fuisse adserunt*: non affinem utique (ut [n] Aimoinus voluit) sed potiùs filium. Idenim ut credamus, non tam

[1] Gregor. Turon. histor. lib. 2. cap. 7.

[m] Ibid. cap. 9.

[n] Aimoin. de gest. Francor. lib. 1. cap. 6.

[o] Guilielmi

o Malmesbur. de gest. Reg. Anglor. lib. 1. cap. 3.

o Guilielmi Malmesburiensis (qui *Faramundi nepotem* fuisse ait) vel p Fredegarij Scholastici (qui, crassâ licèt additâ fabellâ, ex Clodionis saltem uxore susceptum fuisse tradit) nos movet testimonium; quàm Prisci authoritas, qui ipsum Meroveum (si modo illum fuisse demus qui adhæsit Aëtio) conspexit, & præcedentis Regis filium fuisse expressè tradidit.

p Fredegar. Epitom. Gregor. cap. 9. pag. 95. edit. Freheri.

Ad Anglos jam redeo: de quibus homo Italus, nostrarum rerum rudis, Pomponius Lætus. *Qui in Britanniâ erant, cùm Scotorum & Pictorum rapinas & impetus ferre non possent, Anglorum regem Vertigomarum ad opem ferendam popposcerunt.* Hunc de rege Anglorum errorem sanè jocularem unde ille exculpserit nescio, nisi ex his fortè verbis q Pauli Aquilegiensis diaconi. *Residui Britannorum, dum continuos Scotorum impetus formidarent, ultrà jam de Romanorum præsidio diffidentes, Anglicorum gentes cum suo rege Vertegerno, ad defensionem suæ patriæ invitavere: quos amicabili societate exceptos, versâ in contrario vice, hostes pro adjutoribus impugnatoresq; senserè.* Quod verò subdit Paulus; *Sequenti deinceps tempore gens Anglorum sive Saxonum Britanniam tribus longis navibus advehitur:* non ad sequentem aliquam, sed ad illam ipsam cujus anteà meminerat Anglorum expeditionem, esse referendum, non ex Bedâ solùm liquet, quem ille in his rebus authorem sequi solet, sed etiam ex Gildâ, primum horum adventum ita enarrante. *Tum erumpens grex catulorum de cubili leænæ Barbariæ, tribus ut linguâ ejus exprimitur cyulis, nostrâ longis navibus, secundis velis (omine auguriisq; quibus vaticinabatur, certo apud eum præsagio, quòd ter centum annis patriam cui proras librabat insideret; centum verò quinquaginta, hoc est, dimidio temporis sæpiùs vastaret) evectus, primùm in orientali parte insulæ, jubente infausto tyranno, terribiles infixit ungues; quasi pro patriâ pugnaturus, sed eam certiùs impugnaturus.*

q Paul. Diacon. addit. ad Eutrop. lib. 14.

r Apollinar. lib. 8. epist. 6.

Ad quorum pleniorem intellectum, notandum est, I. *Saxonum pandos myoparones*, ut eos appellat r Sidonius. (*dromones*,

(*dromones*, à cursus celeritate, eos nominat hîc Ethelwerdus *celoces* [f] Galfridus) ab Anglis hæles vocari; vocabulo ad Gildæ *cyulos* proximè accedente. licèt ob celeritatem Frisicâ linguâ Schiulen postius dictos [t] Suffridus Petrus opinetur. II. Quia Britannia olim *Romana Insula* (ut eam vocat [u] Prosper) habebatur, atq; ita *Romanum nomen tenebat*, testante [x] Gildâ, *ut non Britannia sed Romania censeretur*; ideò Romanam linguam ab eodem Gildâ suam hîc appellari: Germaniam verò, unde Anglosaxones advenerant, *Barbariæ* nomine designari. Quicquid enim Romani nominis ac linguæ studiosum, *Romaniæ*; quicquid à Romanorum imperio & moribus alienum, *Barbariæ* nomine notabatur. Unde de Chariberto rege, qui ætati Gildæ suppar fuit, [y] Venantius Fortunatus:

Hinc cui Barbaries, illinc Romania plaudit;
Diversis linguis laus sonat una viri.

III. Anglos ultra 1180. jam annos in Britanniâ consedisse: quicquid inepti illi vates de breviori temporis spatio cecinerint. Et nugatoribus quibusdam tamen sic arrisit hoc insomnium; ut Ambrosio quoq; Merlino consimile oraculum affingendum putaverint. [z] *Exin coronabitur Germanicus vermis, & aureus princeps humiliabitur. Terminus illi positus est, quem transvolare nequibit. Centum namq; & quinquaginta annis in inquietudine & subjectione manebit: trecentis verò insidebit.* IIII. Appulisse Hengistum & Horsam in locum quem vulgo *Hyp-Wines-fleot* nominatum, Ethelwerdus & Anglosaxonicorum Annalium scriptores affirmant: quiq; hodie *Ebsfleete* esse putatur in Thanato Cantij insulâ. Eam autem insulam novis advenis primùm fuisse traditam, præter alios, Ninius & Malmesburiensis confirmant; simulq; locum hunc Gildæ illustrant, eos *primùm in orientali parte insulæ terribiles infixisse ungues*, asserentis. Ut enim in Orientali Britanniæ plagâ Cantium, ita in Orientali Cantij parte Thanatos sita est.

[f] Galfrid. Monemuth. lib. 6. cap. 10.
[t] Suffrid de Origin. Frisior. lib. 2. cap. ult.
[u] Suprà pag. 320.
[x] Gild. epist. §. 5. & 10.
[y] Fortunat. lib. 6. epigram. 4.
[z] Galfrid. Monemuth. lib. 7. cap. 3.

Quid posteà secutum, ita [a] Beda explicat. *Inito ergo certamine cum hostibus, qui ab Aquilone ad aciem venerant, victoriam sumpsere Saxones. Quod ubi domi nunciatum est, simul & insulæ fertilitas, ac segnitia Britonum; mittitur confestim illò classis prolixior armatorum, ferens manum fortiorem, quæ præmissa adjuncta cohorti, invincibilem fecit exercitum. Susceperunt ergo qui advenerant donantibus Britannis, locum habitationis inter eos; eâ conditione, ut hi pro patriæ pace & salute contra adversarios militarent, illi militantibus debita stipendia conferrent.* quod à Gildâ Britanno, paulò acriùs, sic est expressum. *Cui* [*] *supradicta genitrix, comperiens primo agmini fuisse prosperatum, ita mittit satellitũ canumq; prolixiorem catastam; quæ ratibus advecta, adunatur cum manipularibus spurijs. Inde germen iniquitatis, radix amaritudinis, virulenta plantatio, nostris condigna meritis, in nostro cespite ferocibus palmitibus pampinisq; pullulat. Igitur intromissi in insulam Barbari, veluti militibus & magna (ut mentiebantur) discrimina pro bonis hospitibus subituris; impetrant sibi annonas dari: quæ multo tempore impertitæ, clauserunt (ut dicitur) canis faucem.*

[a] Bed. lib. 1. histor. cap. 15.

[*] *barbara leana Germaniæ.* Gloss. Gild. MS.

Pergit Beda. *Confluentibus certatim in insulam gentium memoratarum catervis, grandescere populus cœpit advenarum; ita, ut ipsis quoq;, qui eos advocaverant, indigenis essent terrori. Tum subito inito ad tempus fœdere cum Pictis, quos longiùs jam bellando pepulerant, in socios arma vertere incipiunt.* Quæ ne sine justitiæ aliquo colore suscipere viderentur; ἐπιμήνια, sive stipendia menstrua, parcè nimis atq; restrictè ab indigenis sibi suppeditata causabantur. *Queruntur,* inquit Gildas, *non affluenter sibi epimenia contribui; occasiones de industriâ colorantes: & ni profusior eis munificentia cumularetur, testantur se cuncta Insulæ, rupto fœdere, depopulaturos. Nec mora, minas effectibus prosequuntur.*

Anno post adventum ipsorum *sexto, inijsse bellum Hengest & Horsam contra Wirthgernum in campo Eglesthrip:*

thrip: ibiq; interfectum Horsam, & Hengest cepisse regnum, scribit Fabius Ethelwerdus. Anno CCCCLV. prælium hoc commissum fuisse, atq; Horsâ cæso Hengistum regnum inijsse, Annales omnes Anglo-saxonici consentiunt: ad quem annum, in Annalibus etiam Asserio Menevensi attributis, ita annotatum legimus. *Bellum apud Cantiam in loco qui dicitur Ægelesthrep contra Brittones & regem Brittonum Guirthegirnum; in quo cecidit Horsa. Et frater ejus Hengistus regnum suscepit cum filio Oisc apud Cantuarios.* & in Florentij Wigornienſis Chronico. *Hengest & Hors cum Wirtgerno Britonum rege in loco qui dicitur Ægelesthrep pugnavere: & licèt in eâ pugnâ Hors occisus esset, Hengest tamen victoriam habuit; & post hoc cum filio suo Æsc regnare cœpit.* Ninius (& [b] Britannica cum eo Historia) prælium hoc à Vortimero Vortigerni filio factum refert. post aliud ab eodem ad flumen Dervent gestum: *Primum* recensens *bellum super flumen Dervent. Secundum bellum super vadum quod dicitur in linguâ eorum Episford, in nostrâ autem linguâ Satheneghabail: & ibi cecidit Horsa, cum filio Guorthigirni cujus nomen erat Catigirnus.*

[b] Galfrid. Monemuth. lib. 6. cap. 13.

[c] Matthæus Florilegus tria hîc prælia distinguit. Unum apud flumen *Derewent*: ubi *Vortimerus victoriam adeptus, cœpit possessiones amissas civibus indigenis restituere, ipsosq; diligere, Ecclesias destructas restaurare, atq; viros Ecclesiasticos, præcipuè religiosos honorare.* Alterum apud *Aillesford*: in quo victor fuerit Vortimerus. Tertium deniq;, in quo Horsus & Catigirnus sunt interfecti. *Derwentum* autem flumen, non Eboracense illud hic intelligendum, sed *Darentum* Cantianum; à *Darentford* sive *Dartford* opido illi appositio satis cognitum. Secundus ille locus, qui ab alijs *Ægleſthrep*, in Annalibus Saxonicis Petroburgensibus *Ægleſford* & hodie *Ailesford* dicitur: prope quem Catigirni (ut putatur) memoriæ positum saxeum cernitur monumentum, *Keits coty house* vulgo appellatum; neq; *Horsted* procul dissi-

[c] Flor. histor. ann. 454. & 455.

tum, quod ab Horsâ accepit nomen. Tertius locus qui Horsofatalis fuit, & Ninio *Episford*, Henrico Huntingdonienſi *Aeilſtreu* vel *Elſtre* eſt dictus, *in Orientalibus Cantij partibus* ſitus fuiſſe videatur, in quibus ad ſua uſq; tempora Horſam, *occiſum in bello à Britonibus, monumentum habuiſſe ſuo nomine inſigne*, [d] Beda confirmat.

[d] Bed. lib. 1. hiſtor. cap. 15.

Atq; hîc etiam illud obiter notandum, eodem ferè tempore inijſſe hîc Hengiſtum regnum ſuum, quo apud Francos Merovingorum primus regnare cœpit Childericus: de quo, ad annum CCCCLVI. Cæſar Baronius. *Liquet, ab hujus anni tempore, cùm res Romanæ collapſæ eſſent, & Gothis negotium eſſet cum Suevis, Francos in Galliâ ſuas firmâſſe ſedes, regnumq; ſtabiliſſe Pariſijs, Childerico regnante.* quanquam [e] Iacobo Sirmondo, patriarum ſaltem rerum multo quàm ille erat intelligentiori, certiùs liqueat; Childerici filium & ſucceſſorem Chlodovæum (quem Χλωθοχεῖον Agathias, *Chlovechum*, in 8 epiſtolæ ad Epiſcopos epigraphâ, ipſe ſe appellat) *Francici regni fines adhuc anguſtos nec ſtatos devictis Romanis, ſubactis Alamannis, Gothis profligatis dilatâſſe, ſedemq; Pariſijs conſtituiſſe.* Cui & [h] Malmesburienſis noſtri illam, de communi utriuſq; gente ſermone, obſervationem libet adjicere. *Naturalis lingua Francorum communicat cum Anglis; eo quòd de Germaniâ gentes amba germinaverint.* illa nimirùm lingua, *quam Franci Transrhenani tenunt*; & quâ Carolum magnum Francorum regem uſum fuiſſe, ex Vitâ ipſius paulo ante confirmaverat.

[e] Sirmond. in Francorum regum Catalogo, præfix. tomo 1. Concilior. Galliæ.

[f] Ibid. pag 176.

[h] Guil. Malmeſ. bur. de geſt. reg. Anglor. lib. 1. cap. 3.

Anno verò gratiæ CCCCLVI. ut habet Matthæus Florilegus, *Horſo defuncto, Saxones Hengiſtum fratrem ejus in regnum Cantiæ ſublimaverunt. Quo etiam anno ter contrà Britones pugnâſſe legitur. Sed probitati Vortimeri, ad inſulam Thanet confugit; ubi quotidie prælio navali vexabatur. Tandem Saxones cymbas ſuas vix ingreſſi, relictis mulieribus & filijs, in Germaniam redierunt.* & ante eum Henricus Huntingdonienſis in libro Hiſtoriarũ 2.

Scripſe-

Scripserunt quidam Hengistum (post interfectum fratrem Horsum) *in eodem anno ter contra eos pugnâsse, nec potuisse resistere probitati Gortimeri: sed semel ad insulam* Thanet, *semel ad naves fugîsse, & pro his qui abierant in patriam misisse.* & ante utrumq; Ninius Britannus. *Guorthemir filius Guortbigirni cum Hengisto & Horso & illorum gente potenter pugnabat, & eos usq; ad insulam quæ dicitur Taneth expulit; illosq; illic tribus vicibus conclusit, obsedit, percussit, comminuit, tetruit. Ipsi itaq; legatos trans mare usq; in Germaniam miserunt, vocando ciulas cum ingenti numero bellatorum virorum & fortium: & postea pugnabant contra reges nostræ. Aliquando vincebant, & dilatabant terminos suos: aliquando vincebantur, & expellebantur. Et Guorthemir quatuor bella contra eos avidè gessit.* quorum postremum ab eo commissum *in campo juxta Lapidem tituli, qui est super ripam Gallici maris.* (quiq; à lapide illo adhuc Stonar nomen retinet, in Thanato insulâ non procul à Rhutupino portu positus.) ubi *Barbari*, inquit Ninius, *victi sunt, illeq; victor fuit. Et ipsi in fugam usq; ad ciulas suas reversi sunt, in eas muliebriter intrantes: ille autem post modicum intervallum temporis mortuus est.*

Anno enim *sequenti*, ut narrare pergit Huntingdonensis, *regnante Leone Imperatore* (*qui regnavit 17. annis*) *morbo periit filios juvenum Gortimerus: cum quo simul spes & victoria Britonum extincta est. Hengisti igitur & Æsc filius suus receptis auxiliys à patriâ suâ, & morte juvenis freti bello se preparant apud Creganford. Britanni verò quatuor phalanges maximas quatuor ducibus munitas fortissimis bello prostituunt. Sed cùm ludum belli Britones inîssent, numerum Saxonum majorem solito malè ferebant. Recentes quippe, qui supervenerant, & viri electi erant: securibus & gladys horribiliter corpora Britonum findebant. Nec tamen cesserunt, donec quatuor duces eorum prostratos & casos viderunt: tunc verò ultra quàm credi potest perterriti, à Kent usq; in Londoniam fugerunt; & nunquam in Cantiam postea*

gratiâ pugnandi venire ausi sunt. Pugnam hanc ad *Creccanford* Cantij oppidulum (ad Creccam sive Creiam fluvium non longè à Dartfordiâ positum, & *Creiford* hodie appellatum) anno CCCCLVII. quo Leo senior imperare cœpit, factam fuisse; etiam Fabius Ethelwerdus & Florentius Wigornienſis, unâ cum Annalibus Saxonicis Ecclesiæ Christi Cantuarienſibus ac Petroburgenſibus, confirmant: licèt in alijs ad præcedentem annum, non ita rectè, referatur.

Britannorum jam aliam de Saxonibus narrationem à Ninio, licèt non admodùm eleganti sermone, expositam hîc adjungimus; ut utriusq; gentis historiæ à studioso lectore inter se conferri possint *Post mortem Guorthemir regis Guorthigirni filij, & post reversionem Hengisti cum suis turmis, fallax consilium hortati sunt; ut dolum Guorthigirno cum exercitu suo facerent. At illi legatos ut pacem impetrarent miserunt, & ut perpetua amicitia inter illos fieret, Et Guorthigirnus cum suis majoribus natu concilium fecerunt; & scrutati sunt quid facerent. Tandem consilium omnibus fuit, ut pacem facerent: & legàti Saxonum reversi sunt. Posteà verò conventum adduxerunt: ut ex utrâque parte Britones & Saxones sine armis convenirent statutum est; & amicitia firma aduvicem esset. Hengistus nequissimus omni familiæ suæ jussit, quòd unusquisq; † artavum suum sub pede suo in medio ficonis sui poneret: & quando clamavero ad vos & dixero,* **Nemet eour** * *saxes; cuttellos vestros ex § ficonibus vestris educite, & in illos irruite, & fortiter contrà resistite. Et regem illorum nolite occidere, sed eum ob causam filiæ meæ quam dedi illi in conjugium tenete: quia melius est nobis, ut ex manibus nostris redimatur. Et conventum adduxerunt, & in unum convenerunt: Saxones autem amicabiliter locuti sunt (& mente interim vulpeculi more agebant) & vir juxta virum socialiter sederunt. Et Hengistus, sicut dixerat, vociferatus est; & omnes seniores trecenti Guorthigirni regis jugulati sunt, ipseq; solus captus & catenatus est: ac regiones plurimas pro*

redemptione

† id est, *cultellum.* Iohan. Ianuens. in Catholico.

* *Quippe brevis gladius apud illos Saxa vocatur. Vnde sibi Saxonum nomen traxisse putatur.* Theoderic. Engolhus. Chronic.

§ *sheeis:* quæ à Græcobarbaris etiam σκέψις appellantur.

redemptione animæ suæ tribuit illis; id est, Eastsexe, Suthsexe, & Middlesexe.

Kalendis Maijs juxta Ambrij cœnobium, haud longè à Sarisburiâ, conventum hunc factum narrat [i] Historia Britannica: ibiq; circiter quadringentos sexaginta occisos fuisse; quorum corpora à B. Eldado (Glocestrensi episcopo) in vicino cœmiterio, Christiano more, postmodum sepulta fuerint. *Trecentos Britanniæ Principes ibi peremptos*, ex Leidensi Chronico [k] Vorperus Thaborita & [l] Cornelius Kempius referunt. Totidem quoq; [m] Iohannes Gerbrandus Leidensis: [n] alibi tamen inter eos, *duodecim Duces Britanniarum*, quasi præcipuos recensens, Postquàm enim totam Britanniam B. Germani operâ ad cultum Christi *secundò* redijsse dixisset; *in eo Christianitatis cultu permansisse* eam addit, *usque dum Hengistus Rex Frisiæ Paganus & Æschus ejus filius* [*] *duodecim Duces Britanniarum ferè cum omnibus suis principibus & adjutoribus occiderunt. Et extunc totam Britanniam fidem Christi deseruisse* asserit: donec Gregorius Magnus per Augustinum & Mellitum Angliam ad baptismi gratiam *tertiò* revocaret. Ubi veteres Britannos & novos advenas Anglos non magis ille videtur distinxisse, quàm [o] Albertus Krantzius, qui Gregorium scribit *primum Angliæ prædicatores immisisse; quum jam diu abolita esset in provinciâ religio Christi; quam Lucius quondam Britanniæ rex ab Alexandro primo ejus nominis summo pontifice impetravit in insulâ prædicari.*

Christianam tamen religionem ab Anglosaxonibus hîc dominantibus miserum in modum hoc tempore fuisse oppressam negari non potest: de quâ calamitate jam tum imminente, Ambrosium Merlinum ita vaticinatum fuisse tradiderunt [p] Britones. *Cultus religionis delebitur; & Ecclesiarum ruina patebit.* verùm statim subjecisse. *Prævalebit tandem oppressa; & sævitiæ exterorum resistet.* Præsentia verò mala à Gildâ veracissimo historico ita habemus expressa, stylo planè dithyrambico. *Con-*

[i] Galfrid. Monemuth. lib. 6. cap. 15. & lib. 8. cap. 9.

[k] Vorper histor. Fris. lib. 1. cap. 8.

[l] Kemp. rer. Fris. lib. 2. cap. 21.

[m] Iohan Leidens. Chronic. Belgic. lib. 1. cap. 9.

[n] Id. lib. 2. cap. 1.

[*] Anno 465. Hengistum & Æscum filium ejus, ad *Wippedes-fleet* commisso prælio, *duodecim Duces Britannorum* occidisse, in Fabij Ethelwerdi Florentij Wigornienſis, & Anglosaxonum Chronicis legimus.

[o] Krantz. Metropol. lib. 1. cap. 6.

[p] Galfrid Monemuth. lib. 7. cap. 3.

fovebatur,

fovebatur, ultionis justa præcedentium scelerum causâ, de mari usque ad mare ignis, Orientali sacrilegorum manu exaggeratus. (in Orientali enim parte Insulæ Saxones primas sedes posuisse jam ante dixerat:) *& finitimas quasq; civitates agrosq; populans, non quievit accensus, donec cunctam penè exurens Insulæ superficiem, rubrâ Occidentalem truciq; Oceanum linguâ de ambiret. In hoc ergo impetu (Assyrio olim in Iudæam comparando) completur quoq; in nobis secundùm historiam, quod Propheta deplorans ait.*

q Psalm. 74. (al 73) 7. Incenderunt igni sanctuarium tuum; in terrâ polluerunt tabernaculum nominis tui. *& iterùm.* r Psalm. 79. (al. 78.) 1. Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam: coinquinaverunt templum sanctum tuum, &c. *Ita ut cunctæ coloniæ crebris arietibus, omnesq; coloni (cum præpositis Ecclesiæ, cum Sacerdotibus ac populo) mucronibus undiq; micantibus ac flammis crepitantibus simul solo sternerentur: & miserabili visu, in medio platearum unâ, turrium (edito cardine avulsarum) murorumq; celsorum saxa, sacra altaria, & cadaverum frusta (crustis ac * figillantibus purpurei cruoris tecta) velut in quodam horrendo torculari mista viderentur; & nulla esset omnimodis (præter domorum ruinas, bestiarum volucrumq; ventres) in medio sepultura. salvâ sanctarum animarum reverentiâ; si tamen multæ inventæ sunt, quæ arduis cœli id temporis à sanctis Angelis vehterentur. Ita enim degeneraverat tunc vinea illa, olim bona in amaritudinem; uti rarò secundùm Prophetam videretur, quasi post tergum vindemiatorum, racemus vel spica.*

* al. *fœdigestantibus.*

Eadem, sed contractiùs, ex Gildâ repetit Beda: quorum hæc summa. s *Ruebant ædificia publica simul & privata; passim sacerdotes inter altaria trucidabantur, præsules cum populis sine ullo respectu honoris ferro pariter & flammis absumebantur: nec erat qui crudeliter interemptos sepulturæ traderet.* His à se citatis Bedæ verbis t Hector Boëthius, de Saxonum quodam decreto (à seipso, ut videtur, excogitato) præmittit ista. *Vetitum eo decreto, ne quispiam Britannici sanguinis in Albione extra*

s Bed histor. lib. 1. cap. 15.

t Boëth. Scotor. histor. lib. 8.

Gualiæ

Gualiæ fines, post tum qui vicesimus ex eo foret dies, inveniretur: neve quis profiteretur Christi dogma, Christianóve ritu sacra perageret; capitali pœnâ in edicto minùs obtemperantes propositâ. Eo prætereunte die, exercere Saxones crudeliter pœnam in rebelles. cœperat q; per procaces in utriusq; sexus omnem ætatem, in regionibus quæ Saxonum cessissent nomini, cædes evagari. Sævitum immanissimè in Christi sacerdotes, templa, cœnobia. posteaq; octavum Historiæ suæ librum hâc narratione claudit. *Passi sunt complures sub idem tempus antistites & sacerdotes, propter Christi nominis confessionem à Saxonum feritate in Albione (utiqui Britannicas res memoriæ prodiderunt, literis mandaverunt) constantissimis animis martyrium. Alij aliò fugientes, secundioribus se rebus servaverunt: & inter eos Patricianus episcopus vitâ & disciplinâ insigni apud Congallum* Scotorum *regem; à quo prædijs & agris in Monâ insulâ donatus, vitam planè Christiano dignam decendo & exhortando ad meliora peregit. Quievit is beatissimo fine, perspicuum cunctis exemplum, studiosam vitam Deo q; optimo maximo semper acceptâ relinquens, Conrano regè Scotis imperitante.*

Hujus persecutionis, in anni CCCCLXII. historiâ, ita meminit Matthæus Florilegus. *Ecclesias & ecclesiastica omnia ad solum usque destruebant, sacerdotes juxta sua altaria trucidabant, sacras Scripturas igne concremabant, per sanctorũ martyrũ sepulturas cumulos terræ congerebant.* Eadem repetit Iohannes Fordonus in Scotichronico: additâ hâc totius hujus tragœdiæ veluti catastrophe. *Viri religiosi & conjugati substantiam, conjuges, liberos & (quod majus est) libertatem relinquentes, exteras ac transmarinas petebant regiones. Nonnulli de miserandis reliquijs qui ab hâc clade evadere poterant spelunças & nemoralia loca, quidam q; boreales partes & quidam australes, Scotiam videlicet Walliam & Cornubiam, petierunt.* quæ Gildas, qui à calamitosissimâ illâ tempestate proximè abfuit, ita deplorat. *Nonnulli miserarum reliquiarum in montibus deprehensi acervatim jugulabantur. Alij fame*

confecti accedentes manus hostibus dabant in ævum servituri: si tamen non continuò trucidarentur, quod altissimæ gratiæ stabat loco. Alij transmarinas petebant regiones; cum ululatu magno, seu celeusmatis vice, hoc modo sub verborum finibus cantantes: [u] Dedisti nos tanquam oves escarum, & in gentibus dispersisti nos. *Alij montanis collibus (minacibus præruptis vallatis) & densissimis saltibus, marinisq; rupibus, vitam suspectâ semper mente credentes, in patriâ licèt trepidi perstabant.* Ex ijs verò qui transmarinas petebant regiones quidam, ut [x] Iohannes Leidensis innuit, (licèt locus in libro edito sit depravatus) *fugientes venerunt ad terram Armoricæ dictam; quam obtinentes nominaverunt Britanniam minorem: & illa Britanniæ nunc est Ducatus Franciæ. Quidam autem alij Britones fugientes ad Hollandiam, atq; ad ostia Rheni fluminis ubi Rhenus intrat mare, prope Catwyck vela divisarunt: & ibidem castrum munitissimum construxerunt, quod Britton appellaverunt; vicinumq; populum eis subjecerunt.*

[u] Psalm. 44. 11. al. 43. 12.

[x] Io. Gerbrand. Chronic. Belgic lib. 1. cap. 13.

Hoc castrum idiomate Teutonico **Die burch te Britten** idem [y] alibi appellatum docet; quasi *Brittenburgum* sive *Britonum castellum* dixeris: eodemq; sensu ab accolis Hollandis hodie **Het huys te Britten**, id est, *Domus Britannica* nuncupatur. In Batavico litore ad medium Rheni ostium sita est arx ista: cujus hodie rudera tantùm & fundamenta manent, marinis fluctibus & arenarum cumulis ita obtecta; ut non nisi recedente maris æstu, & vehementiore vento continuatis flatibus litus nudante, conspicienda se præbeant. Ejus ichnographia quadrata, ducentis quadraginta pedibus quaquaversum producta, justum duorum Romanorum jugerum spatium complexam fuisse demonstrat. [§] Præsidiarium enim Romanorum munimentum hoc fuisse, præter alia, veteres nummi, lapides, coctiles lateres imbricesq; cum suis inscriptionibus in ijsdem ruinis reperti dubitare nos non sinunt: quos in Bataviæ suæ capite X. Hadrianus Iunius, & in Antiquitatum Batavicarum

[y] Id. lib. 5. cap. 30.

[§] Vid. Stephanum Vinandum Pighium, in Hercule Prodicio, pag. 45. 46.

carum Tabulario Petrus Scriverius spectandos nobis proposuit. Ut igitur castrum hoc à Britonibus constructum Iohanni Leidensi concedere non possumus: ita à Romanis jam derelictum occupavisse illud Britones, *vicinumq; populum* (quod ille retulit) sibi *subjecisse*, ne quasi quiddam incredibile existimetur, facit Procopij Cæsariensis à nobis jam productum [a] testimonium; qui Iustiniani temporibus *Brittiam* (distinctam à Britanniâ nostrâ insulam) à tribus numerosissimis nationibus, *Anglis, Frisonibus, & qui idem cum insulâ habebant nomen Britonibus*, habitatam fuisse scripsit. Si verum enim est quod ille ait, * *ex adverso maximè ostiorum Rheni*, in Oceano fuisse sitam: non alia quàm Batavorum insula hæc esse poterit.

[a] Supr. pag. 400.

* κατακυρὺ τῶν τοῦ Ῥήνου στομάτων μάλιστα. Procop. rer. Gothicar. lib. 4.

Neq; de *Frisonibus* hîc quicquam mirè quùm non solùm [a] Plinij & [b] Taciti ætate *Frisios* hîc consedisse liqueat; sed posterioribus etiam temporibus Frisiæ partem & [c] Trajectensem provinciam habitam fuisse constet, & Septentrionalem Hollandiam, quæ *West-Frisia* sive Occidentalis Frisiæ nomen adhuc retinet, & Hollandiæ Comitibus *Dominorum Frisiæ* titulum olim dedit. Sed unde *Angili* vel *Angli* illi huc adveherint, videndum. *Magnam certè Anglorum copiam ex Britanniâ duce Hengisto in Frisiam trajecisse, ex Annalibus nostris intelligimus*; inquit [d] Suffridus Petrus. [e] *Leidensem* quoq; *civitatem ab Hengisto filio* (ut illeait) *Regis Frisiæ, ex Britanniâ pulso, primò ad ripam Rheni fundatam, ex Annalibus refert* Cornelius Kempius: [f] *constructoq; castello ad orientem Rheni ripam, præsidem in eo constitutum Dibaldum Borbgravinni, ut viatoribus passagium liberum præberet, & tutum negotiatoribus accessum & recessum præstaret; unde postea & civitas sumpsit nomenclaturam vulgari idiomate* Leiden.

[a] Plin. natur. Histor. lib. 4. cap. 15.
[b] Tacit. lib. de Germaniâ.
[c] Bed. Histor. Ecclesiastic. lib. 5. cap. 12.
[d] Suffrid. de Origin. Frisiot. lib. 2. cap. 11.
[e] Kemp. rer. Frisic. lib. 2. cap. 1.
[f] Ibid. cap. 21.

Id Iohannes Gerbrandus Leidæ ipse ortus, plenius enarrat. Cùm enim dixisset [g] Hengistum *collectis armigeris ex Saxoniâ inferiori* (sive Frisiâ) *patriâ suâ, cum*

[g] Iohan. Leidens. Chronic. Belgic. lib. 1. cap. 9.

Sclavensibus id est Hollandensibus in Britanniam trajecisse: quid ab eâ exercitus parte factum, quæ patrias sedes iterùm repetijt, ita explicat. [h] *Cùm Saxones Frisones cum Sclavensibus, id est, Hollandensibus revelti fuissent, cæteris ibidem dimissis; & jam non habentes opus præ manibus, nescirent quid agerent, & quò se verterent: pervexerunt pariter ad sylvam Immitem, in manu forti; & ibidem apud cursum Rheni fluminis magnum castrum fundaverunt, quod nunc Leydis nominatum. In eodem ergo Leydensi castro ordinaverunt, ex seniorum consensu, constituerunt q, pro nemoris custodiâ quendam Burchgravium seu Castellanum, virum robustum, cum animosis pleriſque viris; ut idem Castellanus sive Burchgravius cum eis defenderet & securè duceret mercatores euntes & redeuntes ab illo castro ad castrum Wiltenborch & Slavenborch: & ideò dicebatur castrum illud* Leyden, *id est, ductio,* quod ipsum etiam de Pyrgo sive* Burgo illo ab Hengisto condito (ipsius enim *Lugduni Batavorum* opidi structuram longè antiquiorem fuisse Ptolemæi & Tabularum Itinerariarum evincit authoritas) vulgata Hollandiæ Chronica secuti, nostri quoq; ævi [i] viri doctiores retulerunt.

[h] Ibid. cap. 10.

* De Burch.

[i] Ianus Dousa, in Odâ 2. Lugdunens. Iohan. Meurs. Athenar. Batav. lib. 1. cap. 15. Gotfrid. Hegenitius, in Itinerario Frisio-Hollandico. Vid. Hadrian. Iun. Batav. cap. 17. pag. 169. 270.

Et quidem Hengistiani exercitus partem non exiguam, *exterminatis dispersisq, insulæ indigenis, domum recessisse*, ex antiquioribus authoribus, [k] Gildâ atq; [l] Bedâ, didicimus. Sed cùm patriam Hengisto non Friſicam illam, è Batavorum vicinià, sed Danicam jam assignaverimus: quærendum an ille, cum *Anglis* suis, à Vortimero è Britanniâ (ut Britannica indicat Historia) pulsus: an victor, fugientes Britannos insecutus, coloniam huc deduxerit, & novam arcem præsidiariam hîc extruxerit quæ veteri ab eis occupato munimento semper imminearet. Procopius enim tres istos populos (Friſicum videlicèt indigenam, Anglicum & Britannicum advenas) non in unam coaluisse Rempublicam, sed suis quoq; Regibus subjectos fuisse significat: & à Brittenburgo non nisi duarum circitèr horarum itinere distat Burgum illud,

[k] Gild. epist. §. 25.

[l] Bed. histor. lib. 1. cap. 16.

lud, à quo Burg-gravij Leidenſes nomen olim habuerunt. quod tamen non ab Hengiſto, ſed à Mandetho neſcio quo (patre Lemanni regis Batavorum ejus nominis primi) conditum affirmat in Batavia ſuâ Cornelius Haemrodius. ut de Philippo Cluverio, [m] cui *Romanæ* videtur eſſe ſtructuræ (lapidibus eamdem quam Brittenburgum ſpecie præ ſe ferentibus vetuſtatem); & alijs, à quibus [n] *Normannorum* opus fuiſſe creditur, nihil dicam. Hâc enim de re quiſque quod volet ſentiat, per me quidem licebit.

[m] Cluver. German. antiqu. lib. 2. cap. 36.

[n] Io. Latius, in Hollandiæ deſcript. lib. 5.

Britannos apud Plinium, libro IIII. cap. 17. & *Britannicianos* in Notitiâ utriuſque Imperij, ad Brittenburgios illos trahit [o] Abrahamus Ortelius, ad Armoricanos [p] Paulus Merula. Verùm Plinij * *Britanni*, ſive *Brianni* potiùs, in Atrebatium finibus ab illis fuerant quærendi: & in Notitiarum libro, ut *Pannonicianos* à Pannoniâ, ita etiam *Britannicianos* à Britanniâ noſtrâ deduci, quid vetat? Britannorum verò coloniam in Armoricam traductam, à Conſtantio quidem Chloro ſignificat Radulphus Niger in Chronico, à filio ejus Conſtantino Magno [q] Guilielmus Malmesburienſis, à Maximo tyranno [r] Ninius, Galfridus Monemuthenſis, Henricus Huntingdonienſis, Giraldus Cambrenſis, Matthæus Florilegus, & poſterioris ævi complures alij. Sed poſt Saxonum adventum hoc factum, neq; ſolus neq; primus Iohannes Leidenſis, ſed & ante & poſt illum tradiderunt alij. In quibus & vetus eſt ſcriptor Armoricanus; qui Fracanum conſobrinum Cotonij regis Britannici, cum filio ſuo Wingualoëo (Winwaloco & Galnutio alijs dicto) è majore Britanniâ in Armoricam tranſmigrâſſe oſtendens, de tempore Britannicæ coloniæ eò deductæ præmittit iſta. [s] *Britannorũ ſoboles ratibus ad iſtam devecta eſt citra mare Britannieũ terram, tempore quo gens barbara (dudùm aſpera in armis, moribus indiſcreta) Saxonum maternum poſſedit ceſpitem. Tunc ſe chara ſoboles in iſtum concluſit ſinum: quo loco, magnis laboribus feſſa, ad horam conſedit*

[o] Ortel. Theſaur. Geographic. voc. *Britanni*.

[p] Merul. Geograph. part. 2. lib. 3. cap. 31.

* Vid. Cluveri German. lib. 2. cap. 27.

[q] Malmeſbur. de geſt. Reg. lib. 1. cap. 2.

[r] Vid. ſupr. cap. 3. pag. 199. & 201.

[s] Vita S. Wingualoëi, MS. in Bibliothecâ Cottonianâ.

consedit sine bello quieta. Similiter & Eginhartus in Annalibus, quos anonymos Hermannus comes Nuenarius, adulterino Adelmi Benedictini titulo prænotatos Marquardus Freherus emisit. [c] *Cùm ab Anglis ac Saxonibus Britannia insula fuisset invasa, magna pars incolarum ejus mare trajiciens, in ultimâ Galliâ finibus Venetorum & Coriosolitarum regiones occupavit.* & author fragmenti Historiæ Francicæ, ex vetustâ membranâ Floriacensis cœnobij à Petro Pithœo editi. *Iuxta* Normannos *habitationem habent Britanni: qui pulsi à Britanniâ Insulâ dudum à Saxonibus, eandem regionem quam modò incolunt sibi vindicantes, appellavere à suâ gente Britanniam, quæ priùs Cornu Galliæ dicebatur.* & [d] Iohannes Gobellinus: *Britanni ab Anglis ex insulâ pulsi, in continentem navigantes, inter Guascones & Nortmannos sedes sortiti sunt, in quâ nomen & linguam retinuere; multis civitatibus occupatis, quarum una est Venetensis appellata.* ut Paulum Æmilium, Albertum Krantzium, Reinerum Reineccium, & alios recentiores omittam.

Pro quibus illud maximè facit, quòd ante tempora Childerici I. (quem eodem propè anno cum Hengistò regnum inijsse ostendimus) Britannorum Galliam incolentium nulla certa apud authores occurrat mentio. Dicit quidem [e] Papirius Massonus, in Notitiâ utriusq; Imperij hæc verba haberi: *Aletha civitas maritima Britanniæ Celticæ.* sed fefellit eum memoria. Neq; causam afferunt alij, quare vel [f] Βρεταvὸς Dionysij Periegetæ, vel [g] *Britones* sive *Brittones* Iuvenalis, Martialis & Ausonij, de minoris hujus magis quàm de majoris nostræ Britanniæ incolis accipere debeamus. Childerico verò regnante Armoricam *à Britannis possessam* & [h] *Letaviam dictam* fuisse, in Vitâ Gildæ quam ex Floriacensi Bibliothecâ Iohannes à Bosco edidit; & *Britannos de Biturica à Gothis expulsos fuisse, multis apud Dolensem vicum peremptis,* in [i] Gregorij Turonensis historiâ; & Concilio Turonico I. anno CCCCLXI. celebrato [k] *Mansuetum* Episco-

[c] Annal. Francor. ann. 786.

[d] Gobellin. Commentar. Pij II. lib. 3. pag. 156. & lib. 6. pag. 271. edit. Romanæ.

[e] Masson. Descript. fluminis Franciæ, pag. 144.

[f] Vid. Camden. Britann. pag. 9. & 80.

[g] Vid. Eliæ Vineti Commentar. in Ausonij Epigram. 107. & Mosellam, S. 246.

[h] *Letania* perperàm legitur in codice edito. Vid. suprà, pag. 86.

[i] Gregor. hister. lib. 2. cap. 18.

[k] Tom. 1. Concilior. Galliæ, pag. 126.

Episcopum Britannorum interfuisse & subscripsisse; & *Britannos super Ligerim sitos*, in Apollinari Sidonio disertis verbis legimus. cujus & ad Riothamum epistola extat (quem *Riothimum Britonum regem* Iornandes nominat) in quâ Britannorum illorum mores graphicè describit *Geralus* (inquit) *epistolarum, humilis, obscurus, despicabilisq; etiam usq; ad damnum innocentiæ ignavia, mancipia sua, Britannis clam solicitantibus, abducta deplorat. Incertum mihi est, an sit certa causatio: sed si inter coràm positos æquanimiter objecta discingitis, arbitror hunc laboriosum posse probare quod objicit; si tamen inter argutos, armatos, tumultuosos, virtute, numero, contubernio contumaces, poterit ex æquo & bono solus, inermis, abjectus, rusticus, peregrinus, pauper audiri.* Et de Brittiâ quidem Batavicâ, atq; Britanniâ Armoricâ, ista dicta sufficiant.

[c] Sidon. lib. 1. epist. 7.
[d] Id. lib. 3: epist. 9.
[e] Iornand. de reb. Getic. cap. 45. *Vid.* Sigebert. Chronic. ann. 470.

CAP. XIII.

De Fausto Britanno Semipelagianorum coryphæo, & Concilijs Arelatensi atq; Lugdunensi quibus ille interfuit: de Gennadij quoq; Ecclesiasticorum dogmatum libello, & Lucidi Palinodiâ. De Gildâ Albanio, Davide Menevensi, & Dubricio archiepiscopo. De Ambrosij Aureliani regno, & rebus gestis. De Gelasij Romani & Iohannis Alexandrini scriptis contra Pelagianos editis: & Romanæ LXX. *Episcoporum Synodi decreto. De Godelberto presbytero, Paulino, Gundleo, Cadoco & Winwaloco. De Nazoleado & Arthuro Britannorum regibus; & Gildæ Albanij exitu. De Iltuto, & ejus discipulis. De Synodis Brevicensi & Victoriana in Britanniâ habitis. De Badonico prælio, & nativitate Gildæ Badonici.*

Antè

ANte Saxonum in Britanniam adventum, in Gallijs Faustum Britannum consedisse [a] ostendimus: qui Maximo primùm in Lirinensis monasterij præfecturâ, deinde in urbis Reiensis Episcopatu successit. Unde in [b] Epistolâ ad ipsum Faustum, Apollinaris Sidonius. *Precum peritus Insulanarum, quis de palæstrâ congregationis eremitidis & de senatu Lirinensium cellulanorum in urbem quoq; cujus ecclesiæ sacra superinspicis, transtulisti, nil ab abbate mutatis per sacerdotem: quippe cùm novæ dignitatis obtentu, rigorem veteris disciplinæ non relaxaveris.* & [c] alibi ad eundem:

[a] Suprà, cap. 11. pag. 343. 348.

[b] Sidon. lib. 9. epist. 3.

[c] Id. Carm. 16.

——Quæ gratia patrem
Mansit Honoratum: fuerit quis Maximus ille,
Urbem tu cujus monachosq; antistes & abbas,
Bis successor agis.

Ita, in Eucharistico ad Faustum, Sidonius; quod hoc ab eo concluditur voto.

Quicquid agis, quocumq; loci es, semper mihi Faustus,
Semper Honoratus, semper quoq; Maximus esto.

Episcopus jam factus, cum Auxanio collegâ, Romanæ interfuit Synodo, in anniversario Hilari Pontificatus die sub finem anni CCCCLXII. habitæ: [d] in quâ constitutum, ut apud Gallos Concilia quotannis fierent, Metropolitanis per Leontium Arelatensem * Episcopum ad illa peragenda convocatis. Inter ea unum adversùs eos qui, Augustini de Prædestinatione doctrinâ perperàm intellectâ, fatali cuidam necessitati res humanas subjecisse videbantur, in ipsâ Arelatensi civitate est congregatum: in quo, sententiam Synodi scripto explicandi cura Fausto est commissa. Id ipse in scripti illius Præfatione ad Leontium (non Forojulienſem, uti putavit [e] Baronius, sed Arelatensem illum episcopum) ita affirmat. *Quòd pro sollicitudine pastorali, beatæ Papæ Leonis, in condemnando Prædestinationis errore, Concilium sum-*

[d] Tom. 1. Conciliorum Galliæ, pag. 129. 130. 131. 134. 135.

* Vid. Concil. Arelatens. II. Can. 18.

[e] Baron. an. 490. § 30.

summorum Antistitum congregâstis ; universis Galliarum Ecclesijs præstitistis. Quod verò ad ordinanda ea, quæ collatione publicâ doctissimè protulistis, operam infirmis humeris curamq; mandâstis, parùm ut reor tanto negotio, parùm sanctæ existimationi vestræ consuluistis, & me judicio charitatis, vos periculo electionis onerâstis. ac demùm ambiguis hisce verbis Prælationem illam claudit. *In quo quidem opusculo, post Arelatensis Concilij subscriptionem, novis erroribus deprehensis, adjici aliqua Synodus Lugdunensis exegit.*

Hæc verba à fine totius Operis huc fuisse translata, sine omni ratione, pronuntiavit [f]Severinus Binius: quasi quicquam ad summam rei interesset, sive in Prologo legerentur illa, sive in Epilogo. *In fine* (inquit) *hujus Commentarij & libelli ipse Faustus vel alius quis dolosè addiderat hæc verba: ut scilicèt aliquo fuco venditari posset, quasi scriptum de gratiâ & libero arbitrio commentarium duæ Synodi recepissent & approbâssent. Fraude hâc animadversâ, suprà recensita verba prudenter meritoq; inde sublata, & ante illud Fausti opus collocata sunt ; ut sua quæq; tempori & auctoribus redderentur, neve Faustus simpliciores, infaustè decipere posset.* Hæc ille: huc ineptè referens, quæ [g]Cæsar Baronius (ex cujus Annalibus suas is in Concilia annotatiunculas eisdem penè verbis descripsit) ad subscriptionem, quæ Fausti epistolæ ad Lucidum legitur appositæ, cum aliquo saltem verisimilitudinis colore accommodaverat. Sed verba illa in fine Prologi ad Leontium ambigua sunt, ut monui: quæ sic vel possent accipi, ac si ipsius Fausti Opusculo Concilium Arelatense subscripsisset; vel ita, ut post absolutum Arelatense illud Concilium & subscriptionibus Patrum firmatum, novi alij errores, in proximâ Lugdunensi Synodo sint deprehensi, quorum detectionem ad finem Operis attexere necessarium videretur.

[f] Bin. Not. in concil. Arelatens. III.

[g] Baron. ann. 490. §. 16.

Si priori modo verba illa accipias: accipienda simul erit Thomæ Malvendæ Dominicani & (qui ejus expur-

gationem Bibliothecæ Patrum suam fecit) Iohannis Mariæ Brasichellani, Pontificij Palatij Magistri, censura ista. [h] *Neutiquàm ullus ob id existimet ab utroq; Concilio approbatos tres* (repone *duos*) *libros Fausti de Gratiâ; ut ipse mendaciter innuere videtur in præfatoriâ Epistolâ ad Leontium Episcopum Forojuliensem*; vel Arelatensem potiùs, ut jam docuimus. Non extant quidem hodie Conciliorum Arelatensis & Lugdunensis Acta, ut quid de Prædestinationis doctrinâ senserint certò possimus statuere: interim tamen in tot doctrinâ & pietate præstantes viros ita injuriosos esse nos non decet ut, unius *versipellis vulpeculæ* (eo enim nomine, nec injuriâ, Faustum notavit [i] Baronius) auctoritate freti, reliquiarum Pelagianæ hæreseos patronos eos fuisse credamus. Et ut rigidiorem Prædestinationis absolutæ prædicationem illi Patres omninò non probaverint: nihil tamen necesse est, ut cum Fausto totos in Semipelagianorum castra concessisse existimemus. cùm, ut hodie, ita illis etiam temporibus, nonnulli mediam quandam semitam sint ingressi: in quibus præcipuum locum obtinet eruditus ille librorum de Vocatione gentium auctor, quos vulgati libri Ambrosio Mediolanensi & Prospero Aquitanico, alij conjecturâ ducti Hilario Arelatensi (quem eundem cum [k] Hilario illo qui, unâ cum Prospero, Augustini contra Massilienses causam egit fuisse opinantur) haud rectè adscripserunt.

Lugdunensis ille Episcoporum conventus occasione fortasse dedicationis ecclesiæ Lugdunensis, à loci illius antistite [l] Patiente tunc extructæ, factus est: in quo, cæteris hoc rogantibus Præsulibus, Faustum celeberrimam concionem habuisse, hisce verbis qui præsens eam audijt, in epistolâ ad eundem posteà scriptâ testimonium dat Apollinaris Sidonius. [m] *Licèt prædicationes tuas, nunc repentinas, nunc cùm ratio poposcisset elucubratas, raucus plosor audierim; tunc præcipuè, cùm in Lugdunensis ecclesiæ dedicatæ festis hebdomadalibus collegarum sacrosanctorum*

[h] Tom. 1. Indicis librorum expurgandorum, edit. Romæ an 1607. in censurâ tomi 4. Bibliothecæ Patrum.

[i] Baron. not. in Martyrolog. Roman. Septemb. 11.

[k] Vid. supr. cap. 11. pag. 346.

[l] Sidon. Apollinar. lib. 2. epist. 10.

[m] Id. lib. 9. epist. 3.

sanctorum rogatu exorareris ut peragrares. Ibi te inter spiritales regulas vel forenses medioximum quiddam concionantem (quippe utrarumq; doctissimum disciplinarum) pariter erectis sensibus auribusq; curvatis ambiebamus; hinc parum factitantem desiderio nostro, quia judicio satisfeceras. Neq; aliò videtur referendum, quod in vetusto codice Conciliorum adnotatum legitur; [n] *De libro Ecclesiasticorum dogmatum, quem S. Patiens protulit.*

[n] Tom. 1. Concilior. Galliæ, pag. 152.

Circumfertur liber ille, tum falso [o] Augustini, tum [p] Gennadij Massilienſis presbyteri vero titulo prænotatus. *Augustino* eum tribuit non Gratianus solùm, cum recentioribus; sed Rabanus Maurus etiam in fine libri quarti de Universo (cui & integrum hoc scriptum inseruit:) *Gennadio* verò, præter alios, [q] Hadrianus I. Papa, (qui *Massilienſem Episcopum* illum appellat) [r] Walafridus Strabus, & Rathrannus Corbeiensis monachus; in eo tamen lapsus, quòd hunc cum alio ejusdem temporis & nominis, qui sedi Constantinopolitanæ præfuit, confuderit. Sic enim ille libro 3. contra Græcos, nondum in lucem edito: *Gennadius Constantinopolitanus Episcopus, vir multâ lectione antiquorum peritus, in libro Ecclesiasticorum dogmatum de Spiritus sancti processione sic loquitur.* In hujus libri capite XXI. sententiam suam de Gratiâ & libero arbitrio auctor ita explicat. *Libertati arbitrij sui commissus est homo statim in primâ mundi conditione: ut, * salvâ vigilantiâ mentis adnitente, etiam in præcepti custodiâ perseveraret; si vellet in eo quod creatus fuerat permanere. Postquàm verò seductione serpentis per Evam cecidit, naturæ bonum perdidit pariter & vigorem arbitrij; non tamen electionem; ne non esset suum quod § emendaret peccatum, nec merito indulgeretur quod non arbitrio diluisset. Manet itaq; ad quærendam salutem arbitrij libertas, id est, rationalis voluntas: sed admonente priùs Deo, & invitante ad salutem; ut vel eligat vel sequatur vel agat occasione salutis, hoc est, inspiratione Dei. Ut autem consequatur quod eligit, vel quod sequitur, vel quod occasione agit;*

[o] Tomo 3. Oper. Augustin.
[p] Gennad. de Eccleſiaſt. dogmatib. edit. Hamburg. an. 1614.
[q] Hadrian. Reſponſ. ad Capitulare Caroli M. de Imaginib. cap. 59.
[r] Walafrid. de reb. Eccleſiaſtic. cap. 30.

* al. *ſolâ*

§ al. *eviteret*

Dei esse liberè confitemur. Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus: ut acquiescamus salutari inspirationi, nostræ potestatis est; ut adipiscamur quod acquiescendo admonitioni cupimus, divini est muneris; ut non labamur adepto salutis munere, solicitudinis nostræ est & cœlestis pariter adjutorij; ut labamur, potestatis nostræ est & ignaviæ.

Quæ verò in eo capite & triginta proximis sequuntur, neq; apud Rabanum habentur, neq; in antiquis MSS. codicibus: utpote *ab erudito quodam & recentiore scriptore interjecta, propter errores aliquot præcedentium capitum*. quemadmodum in Censurâ Appendicis III. Tomi Operum Augustini Lovanienses Theologi observârunt: ubi & *librum hunc non esse Catholici scriptoris* pronuntiant, & *quædam habere à lectore cavenda*. Speciatim verò quod in XXI.° isto capite de viribus liberi arbitrij post lapsum relictis docetur, [f] Iohannes Soteallus Montidiensis (Iohannis Hesselij, Theologiæ apud Lovanienses Professoris Regij, judicium secutus) *Pelagianæ hæreseos esse constare* asserit: ideoq; *libro huic, quoniam non satis Catholicus erat, studiosum quempiam* illa quæ diximus *Capitula subjecisse*; quæ *sic capiti* XXI.° *libri ejusdem ex professo repugnent, ut aliquantulum considerati satis statim eluceat, non nisi ad ejus redargutionem fuisse annexa*. Quibus addenda & vetus illa quam [g] Lugdunensis Ecclesiæ nomine, de eodem Florus Magister tulit sententia. *Hominem absq; laboris sui studio ad Deum pervenire non posse; non est Catholicum, sed Pelagianum. Invenitur in libello; cujus titulus est Dogmatum Ecclesiasticorum, quædam talis definitio: sed omninò (ut alia nonnulla in eodem libello) Pelagiani erroris est. Et ideò quicunq; eum propter alia quædam utilia legit, cùm hujusmodi ibi sensus invenerit, meminerit solicitè Apostoli dicentis:* Omnia probate, quod bonum est tenete.

[f] Iohan. Soteau. Præfat. in Opera Prosperi, edit. Lovan. ann. 1565.

[g] Lugdunens. eccles. lib. adversus Iohannem Scotum: tomo 9. Bibliothec. Patr. part. 1. pag. 1011. edit. Colon.

2. Thess. 5. 21.

Et certè Gennadium Massilienses suis, qui ab Augustini doctrinâ discesserant, sese adjunxisse; libelli illi quibus Hieronymi Chronicon, Hæreseon Indiculum &

Eccle-

Ecclesiasticorum scriptorum Catalogum continuavit, manifestè ostendunt. In Appendice enim ad Indiculum illum de Hæresibus, novo *Prædestinatianorum* excogitato nomine, damnatos fuisse illos qui Augustini de Prædestinatione sententiam sunt amplexi, [a] alibi declaravimus. Ut dubitandum non sit, ex ejusdem quoq; Appendice ad Hieronymianum Chronicon (scripsisse enim Gennadium *librum Chronicarum, ubi Hieronymus dimisit*, apud Bostonum Buriensem legimus) in breves illos Annales qui falsum Tironis Prosperi nomen præferunt notationem illam profectam fuisse, quam ibidem commemoravimus. *Prædestinatorum hæresis, quæ ab Augustino accepisse dicitur initium, his temporibus serpere exorsa est.* præsertim quum in [x] Scriptorum Catalogo de Augustino scribat: licèt *ex multiloquio non effugerit peccatum; errorem tamen illius (sermone multo contractum, luctâ hostium exaggeratum) nec dum hæresis quæstionem dedisse.* & Prosperum [y] ibidem insimulet, quòd *opuscula Cassiani, quæ Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamet ut nociva.* & hos ipsos Fausti libros suo quoq; calculo ita approbet. [z] *Edidit opus egregium de Gratiâ Dei, quâ salvamur; & Libero humanæ mentis Arbitrio, in quo salvamur. In quo opere docet, gratiam Dei semper & invitare, & præcedere, & adjuvare voluntatem nostram; & quicquid ipsa libertas arbitrij pro Labore piâ mercedis acquisierit, non esse proprium meritum, sed gratiæ donum.*

[a] Histor. Gotteschalc. cap. 2.

[x] Gennad. Scriptor. Ecclesiastic Catalog. cap. 38.

[y] Ibid. cap. 84.

[z] Ibid. cap. 85.

At quantum fraudis in istâ Gratiæ prædicatione lateat, aperuerunt illi, qui ex ipso Opere integram Fausti de necessitate gratiæ & naturalibus liberi arbitrij viribus sententiam explicârunt. quod inter recentiores [a] Alphonsus Alvarez præstitit; audiendos esse negans, *qui Faustum inter Patres referunt, cùm non inter Patres sed inter hostes gratiæ Christi sit computandus:* inter antiquos [b] Iohannes Maxentius, qui suo quoque tempore nonnullos Faustum catholicum conatos fuisse defendere speciatim monet, quòd *primus partes non homini sed gratiæ Dei tribueret;*

[a] Alvarez de Auxilijs, lib. 1. disput. 2.

[b] Tomo 6 Bibliothec. Patr. pag. 380. 381. edit. Colon.

[c] Faust. de grat. & libero arbitr.

tribueret; prolato eam in rem testimonio [c] ipsius, sententiam Apostoli I Corinth. XV. 10. ita ediserentis. *Gratiâ Dei, inquit, sum id quod sum. Primas partes soli gratiæ piè subiectis adscribit, media quæque laboris magisterio & obedientiæ deputat; utrumq; in consummatione moderatus, gratiam laboremq; conjungit. Non dicit, Ego sine gratiâ; aut, Gratia sine me: sed, Gratia Dei mecum.* Verùm eâdem *Gratiæ* acceptione homonymâ, quâ usus olim fuerat Pelagius, lectori fucum hîc feciisse, ostendit Maxentius. *Gratiam*, inquit, *cui hoc loco Faustus primas partes tribuit, non eam quâ per Spiritum sanctum fit ut verbo Dei foris secùs intonanti assensum præbeamus & obedientes efficiamur, sed prædicationem divinorum asserit eloquiorum: ut videlicèt gratia sit, quòd nobis divina eloquia prædicantur; nostrum autem sit, ut eidem prædicationi consentiamus.* quod etiam ipsius Fausti verbis hîcce, ex libri primi capite XXVIII. (quod nobis XVII. est) productis confirmat. *Clamat voluntas; quia sola per se elevari nescit infirmitas. Ita Dominus [invitat volentem,] attrahit desiderantem, eripit adnitentem. Quid est autem attrahere, nisi prædicare, nisi Scripturarum consolationibus excitare, increpationibus deterrere, desideranda proponere, intentare metuenda, judicium comminari, præmium polliceri?*

Itaq; Gennadij illam de hoc Fausti opere prolatam sententiam, Romani Palatij Magister Brasichellanus, (sive Malvenda ille fuerit) Bibliothecæ Patrum tertium expurgans Tomum, ita castigandam censuit. *Gennadius & Faustum & ejus Opera laudat: sed nulla fides in his ei adhibenda; quòd eo tempore quo ista scribebat, nimiùm Pelagianis addictus, eorum encomia celebrabat. Notissimum autem est, Faustum erroris Semipelagianorum antesignanum, & ejus scripta à sanctâ Romanâ Ecclesiâ repudiari: ut Tomo 4. initio Operum ejusdem annotabimus.* quod etiam variis testimonijs eo in loco cùm confirmâsset; ita tandem concludit. *Ex his plenè perspectum habeas, quàm cautè scripta Fausti sint tibi perlegenda; in quibus in errores multos*

Pela-

Pelagiani dogmatis plerumque offendes. Si eos aves collectos inspicere; consule Ioannem Maxentium in responsione ad epistolam Hormisdæ Papæ ad Possessorem.

Similiter & Theophilus Raynaudus Iesuita. [d] *Gennadius ex Cassiani & Fausti laudibus, Prosperi autem rejectione, non obscurè se prodit Semipelagianum.* & de ipso Fausto. [e] *Faustum laborâsse errore Semipelagianorum quoad salutis initium, diserte asserit Petrus Diaconus lib. de Incarn. & grat. Christi cap. ult. & non posse eum notâ illâ eximi (quamvis subobscurè plerunque errorem prodat, ac ita ut egrè teneatur) mihi videtur indubitatum, ex tam multorum illius ævi Catholicorum Doctorum concitatione in Faustum. Ut proinde operam ludant recentiores qui pro Fausto pugnant, & eum usquequaque Catholicum fuisse tanto pòst tempore persuadere nituntur; decepti exilitate meriti naturalis quod respectu gratiæ admittit, & interdum vix nomine meriti dignatur, ob tenuitatem; ita ut non obstante aliquali illo merito gratiam agnoscendam incolæ, eandem fingerè asserere videatur.* & [f] Bartholomæus Petrus Lintrensis, in Academiâ Duacenâ Theologiæ Professor primarius. *Constat certè doctissimis Ecclesiæ Patribus libros duos Fausti de gratiâ & libero arbitrio displicuisse ut subdolè scriptos; sic ut cùm verbis damnet hæresim Pelagij, ipsam artificiosis vijs corroboret.* deinde de receptiorum quibusdam, eâ fraude circumventis, addit. *Imposuit sanè calliditas Fausti Erasmo, qui libros illos duos publicavit, putans esse Catholici auctoris: imposuit etiam alij, qui eos curans imprimi, titulum eis dedit Opus insigne.* quorum prius illud à Iohanne Molano (Theologiæ in Lovaniensi Academiæ Professore, & Pontificio librorum Censore) accepit: qui, in Præfatione ad Opera Fulgentij, Fausti duos libros habere nos monuit, *ab Erasmo Roterodamo, cui calliditas Fausti imposuit, sub nomine Catholici scriptoris editos.*

Pluribus quoq; hâc de re agit in Annalibus suis Cæsar Baronius: causam totam ita demùm determinans. ¶ *Non est quidem, ut pro Fausto aliqua possit in ejus defen-*

[d] Raynaud. Defens. Valerian. cap. 7. §. 5.

[e] Ibid. cap. 3. §. 6.

[f] Bartholom. Petri in Romanæ sedis definition. veter. de Gratiâ Dei.

[g] Baron. an. 490. § 33.

sionem

sionem vel excusationem Apologiæ elaborari, quem constat
[h] Ibid. §. 35. 36. *in universo orbe Catholico impugnatum.* & posteà [h] *Quinam autem colligantur ex Fausti duobus libris illis errores scriptis S. Augustini & sententiæ Ecclesiæ Catholicæ adversantes; tu vide illos collectos à Maxentio in Responsione ad Hormisdam Romanum Pontificem, ubi in pluribus Faustus declaratur hæreticus. Videre namq; est eundē Faustū in conventibus sanctorum Patrum, ut Saul inter Prophetas, Prophetam & ipsum apparuisse, eadem cum illis sentientem: sed privatis posteà scriptis dolosâ arte totam de justificatione hominis destruxisse sententiam; dum captiosè videre volens pugnare contra Pelagium, Pelagio favisse compertus est. Ejusmodi planè erant Pelagianorum, immò & Pelagij ipsius, fallaces artes; dum videri volentes eam hæresim confutare, eandem firmiùs stabilirent. Cùm igitur Fausti sententiæ ubiq; ab Ecclesiâ Catholicâ fuerit contradictum; videant quanto periculo quidam ex recentioribus, dum in Novatores insurgunt, ut eos confutent, à S. Augustini sententiâ de Prædestinatione recedunt.*

Addenda his est & antiquioris authoris, Adonis Viennensis Episcopi, de Gennadij illo judicio & perverso Fausti dogmate, ab eodem producta sententia. *Faustus ex abbate Lirinensis monasterij apud Regium Galliæ episcopus factus, Pelagianum dogma destruere conatus, in errorem labitur: unde qui ejus sensus in hâc parte Catholicos prædicant (sicut Gennadius de illustribus viris scribens) omninò errant. Ita enim liberum arbitrium tam Augustinus quàm cæteri Catholici in Ecclesiâ Dei docent, ut illuminatio, virtus & salus illi à Christo, & per Christum, & cum Christo sit: Faustus verò iste ita liberum Christianum arbitrium docere conatur, ut illuminatio ejus, virtus & salus, non à Christo sed naturâ sit. Contra hunc scribit lucidissimâ fide Avitus Viennensis Episcopus, ejus redarguens errorem: similiter & Iohannes vir eruditus Antiochenus presbyter.* Hæc Ado Viennensis in Chronico: per *Avitum*, celebrem illum Viennensis ecclesiæ antistitem Alci-

Alcimum Avitum intelligens; cujus adhuc ad Burgundionum regem scriptum extat, quo Fausti ad Benedictum Paulinum editam Epistolam refutavit. De *Iohanne* enim, quem non alium quàm *Maxentium* hîc accipimus, pluribus dicendum erit suo loco.

Ut à nostri verò temporis [i] scriptoribus notatum est, contra doctrinam S. Augustini, ejus nomine suppresso, libros hosce edidisse Faustum: sic à Maxentio quoq; observatum olim fuit, doctrinæ Fausti *ita contradixisse Augustinum, ut credas eum jam tunc non nisi contra scripta Fausti respondisse.* Augustini verò, in epistolâ ad *Græcum* Diaconum, hunc in modum ipse Faustus meminit. [k] *In scriptis sancti Pontificis Augustini, etiamsi quid putatur apud doctissimos viros esse suspectum: ex his quæ damnanda judicâsti, nihil noveris reprehensum.* Ejusdemq; in scripto hoc præsente mentionem hanc facit perquàm honorificam. [l] *Opus naturalis legis in cordibus hominum fuisse conscriptum, beatissimus Pontifex Augustinus doctissimo sermone prosequitur.* Alijs quoq; ejusdem Patris testimonijs ad incautos decipiendos abusum fuisse, Facundus Hermianensis indicat: quæ in nostris libris non invenimus. Nam mutilum hoc opus ad nos perveniisse, ex Iohannis Maxentij citationibus etiam animadvertimus: qui non solùm prioris libri *vigesimum octavum* caput illud numerat, quod nobis non nisi *decimum septimum* est; sed etiam *caput ejusdem libri* XV. *agens contra eos qui non generale sed speciale asserunt donum esse credulitatis,* commemorat, atq; hæc ex eo producit verba, *non Augustino tantùm verum etiam Apostolo aperiè contraria.*

Sed dicis quia non omnibus detur sed donum sit personale credulitas; & illis tantùm credere suppetat, quibus Deus specialiter donavit ut crederent. Non ita est. Nam dum eam Dominus etiam ab incredulis exigit, omnibus insertam eam esse demonstrat. Cui autem etiam ipsâ naturæ lege non suppetat credere, quando & dæmones credunt & contremiscunt?

[i] Sixt. Senens. Bibliothec. sanct. lib. 6. annotat 252. Alphons. Alvarez de auxiliis, lib. 1. disput. 2. §. 3. Iohan. Lat histor. Pelagian. lib. 2. fin. cap. 10. Gerard. Voss. histor. Pelag. lib 4. part. 1. thes. 1. (pag. 400.)

[k] Faust. epist. 2.

[l] Id. de grat. & libero arbitr. lib. 2. cap. 7.

quorum nihil in noſtris habemus codicibus. Locus autem ille Facundi, ex libri contra Mutianum Scholaſticum initio petitus, ſic ſe habet. *Fauſtus Gallus in quæſtione liberi arbitrij, male intellectis & incongruè adhibitis ipſius beati Auguſtini ſententijs, fallebat & in aſſenſionem ſui erroris inducebat incautos: qui tamen à ſanctæ memoriæ Fulgentio Ruſpenſi detectus atq; convictus eſt.* Nam præter illa Aviti & Iohannis Antiocheni ab Adone commemorata ſcripta; Fulgentij quoq; Afri legiſſe ſe teſtatur [m] Iſidorus *de gratiâ Dei & libero arbitrio libros Reſponſionum ſeptem, in quibus Fauſto Galliæ Regienſis urbis Epiſcopo Pelagianæ pravitati conſentienti reſpondens, obnititur ejus profundam deſtruere calliditatem.*

[m] Iſidor. Hiſpal. de Scriptorib. Eccleſiaſtic. cap. 14. al. 27.

Ad quam *profundam calliditatem* & illud referri poterit, quòd non Semipelagianiſmo ſolùm ſuo Arelatenſis & Lugdunenſis Synodi velum prætexuerit, ſed quòd hâc etiam prætenſâ ſpecie ad ſuas partes Lucidum presbyterum (quem *Neſtorianũ*, ſine ullâ cauſâ, [n] Menardus nominat) pellexerit; quaſi nihil aliud quàm ipſius Synodicæ Patrum ſententiæ explicationem ſcriptũ à ſe editum contineret. Primò enim datis ad eum literis, & ſex quibus ſubſcriberet propoſitis anathematiſmis, Arelatenſis (quæ tum agebatur) Synodi cenſuram, ni faceret, interminatus, hominem terruit. Poſt habitum deinde & Arelatenſe & Lugdunenſe Concilium libros illos ſuos (ut ex fine Prologi liquet) de gratiâ Dei & humanæ mentis arbitrio abſolvit: quorum ſententia, certis quibuſdam articulis comprehenſa, velut in Lugdunenſi recèns ſtatuta Concilio, denuò Lucido eſt propoſita, ut ad illius normam errores ſuos (*Prædeſtinatianos* ſcilicèt; de quibus [o] alibi à nobis dictum) emendaret. Atq; inde nata eſt illa Lucidi Palinodia, Epiſcopis XXVII. ſive, ut aliæ habent editiones, XXX. aut XXXI. directa: cujus hoc initium. *Correptio veſtra ſalus publica, & ſententia veſtra medicina eſt. Unde & ego ſummum remedium duxi, ut præteritos errores accuſando excuſem, & ſaluti ſerâ*

[n] Claud. Menard. in notis ad Auguſtini opus imperfect. contra Iulian. pag. 483.

[o] Hiſtor. Gotteſchalc. cap. 2.

pre-

professione me diluam. Proinde, juxta prædicandi recentia statuta Concilij, damno vobiscum sensum illum, qui dicit laborem humanæ obedientiæ divinæ gratiæ non esse jungendum. cum aliis articulis,[p] non tam ex superiore illâ Epistolâ quam privatâ auctoritate ad Lucidum Faustus scripserat, quàm ex libris de Gratiâ & libero arbitrio, quibus totius Concilij sensum expressum à se fuisse comminiscebatur, depromptis.

[p] *Vid.* Iohann. Lat. Histor. Pelagian. lib. 2. fin. cap. 13.

In memoriam enim hîc revocandum est, quod de Fausto, sive Leontij sive totius Arelatensis Concilij postulato Opus illud se scripsisse significante, monendum hîc censuit clarissimus Vossius. [q] *Mandati limites excedens, ea in libello suo inseruit, quibus Claudianus Mamertus, & alij præstantissimi viri qui Synodo interfuere, nunquam, puto, subscripsissent. Sic enim Prædestinatos refellit, ut in contrarium lapsus errorem, non obscurè Semipelagianam defendat opinionem.* & de Concilio quoq; Lugdunensi. [r] *Minimè putamus subscriptarum fuisse omnibus istis, quæ libro suo Faustus complexus fuit. Imò fortasse nec literis Lucidi (etsi is scribere se dicat secundùm recentia statuta Concilij) calculum adjecisset: quandoquidem quæ fusiùs disserit Faustus, penè omnia hæc à Lucido paucis comprehensa videmus. Facilius tamen ijs, ob ambiguitatem verborum, qualecunq; mantelum invenire est, quàm libro Fausti.* Quod verò simul ibidem agnoscit, *Lugdunense Concilium Arelatensis Synodi anathematismos approbâsse;* idq; *ex præfatione Fausti apertius esse, quàm ut negari possit:* ad doctissimi viri sententiam eâ in re non possumus accedere. quum *anathematismorum* aliquorum in illâ Præfatione nulla omninò occurrat mentio; neq; literis & anathematismis Fausti ipsum Arelatensem conventum in quàm subscripsisse adhuc constare arbitremur.

[q] *Vossi.* Histor. Pelagian. lib. 1. fin. cap. 8.

[r] Id. lib. 7. part. 1. thes. 5.

Iohannes quidem Maria, Romani Palatij Magister, pro auctoritate suâ rem totam ita definijt. [s] *Sciendum epistolam Fausti ad Lucidum Presbyterum, approbatam tot Episcoporum subscriptione in Concilio Arelatensi, & Epistolam*

[s] Ind. Expurgator. Roman. in tom. 4. Bibliothec. Patr.

stolam Lucidi Presbyteri ad Episcopos congregatos in Synodo Lugdunensi, quæ ambæ operi Fausti præmittuntur, sanas esse atq; catholicas, judicio duarum Synodorum confirmatas. Sed ignoravit ille (quod vidit Vossius) in Epistolâ Lucidi summatim comprehensa fuisse illa, quæ fusiùs in libris de Gratiâ & libero arbitrio sunt declarata: aliàs Epistolam illam ut *sanam & catholicam* non commendâsset, qui de ipso Fausti opere hanc tulerat sententiam. *Certissimum est Faustum fuisse Semipelagianorum antesignanum, & scriptionem istam ejus multis Pelagianorum erroribus refertam.* Et quum alteram illam *Epistolam Fausti ad Lucidum presbyterum approbatam* TOT *Episcoporum subscriptione in Concilio Arelatensi* commemorat; eorum non videtur numeravisse nomina, qui præter ipsum Faustum decem tantùm sunt, vix pars eorum tertia quibus suam epistolam inscripsit Lucidus.

[s] Baron. Not. in Martyrolog. Roman. Septemb. 11.
[a] Franc. Swert. Athen. Belgic. in *Henr. Gravio.*

Neq; verò dissimulavit [s] Baronius (quem ducem hîc sive Malvenda sive Palatij Magister est secutus) *Henricũ Gravium* professorem Lovaniensem (cui, [a] ut *eximiæ probitatis spectatæq; eruditionis viro*, tumulum ipse posuit; quemq; in rebus ad Pelagianam Historiam pertinentibus apprimè versatum fuisse, Notæ quibus septimum Augustini tomum illustravit satis testantur) *non esse legitimam subscriptionem illam ad epistolam Fausti* existimavisse: quam & irreptitiam fuisse, vel ipse præfixus titulus suspicionem cuivis injicere potuisset. *Et subscripserunt Episcopi, qui ordine subsequuntur, qui in* EA *quoq; Synodo adfuerunt.* Ubi quum relativum illud cum antecedente contextu minùs cohærere animadvertisset contaminator ille Conciliorum Severinus Binius; novum hunc à se confictum titulum antiquioris illius loco supposuit. [x] *Ab Arelatensi Concilio adjecta subscriptio & approbatio hæc est.* Qui Gallicana Concilia posteà edidit, [y] titulum prorsùs prætermittere maluit. Sed pro Gravio facit vetustus codex MS. bibliothecæ S Galli; [z] in quo Episcoporum subscriptiones nullæ extant: nisi illa for-

[x] Tom. 2. Concil. part. 1. pag. 633. edit. Colon. ann. 1618.
[y] Tom. 1 Concilior. Galliæ, pag. 150 edit. Paris. an. 1629.
[z] Henr. Canis. Antiqu. Lection. tom. 5. part. 2.

fortasse ipsius Fausti unica. *Item aliâ manu. Faustus exemplar Epistolæ meæ relegi, & subscripsi.* Atq; ut maximè daremus, Faustum Episcopis alijs, ambiguitate verborum circumventis, ut Epistolæ ad ipsos nihil attinenti nomina sua apponerent persuasisse: cur tamen toti Arelatensi Synodo subscriptio ista tribueretur, nullam videmus rationem; cùm & paucorum numero Episcoporum ea fit, neq; inter illos pauculos Arelatensis archiepiscopi, totius Concilij Præsidis, nomen uspiàm compareat. *Leontij*, inquam, illius; cui *Concilij summorum Antistitum congregati, & erroris* (ut ille vocat) *Prædestinationis* in eo condemnati, præcipuam laudem in Operis sui Præfatione ipse Faustus tribuit.

Vidit hoc perspicacissimus [a] Vossius: sed Arelatensis Ecclesiæ antistitum catalogo destitutus seipsum hîc satis expedire non valuit. Ravennio quidem Æonium, & huic Cæsarium in Arelatensi sede successisse, statuerat primùm [b] Cæsar Baronius: sed quum *Leontium* hîc desiderari posteà animadverteret, [c] eum inter Æonium & Cæsarium collocavit, quem inter Ravennium & Æonium interponere debuisset. Æonium enim immediatè Leontio successisse, ex Ruricij ad eundem Æonium noviter ordinatum Episcopum literis constat: quarum hoc est exordium. [d] *Agnito transitu sancto, & venerabilis apud me recordationis Domini mei decessoris vestri, Leontij, animo & mente confusus diu multum & tristatus sum, quòd & impedientibus peccatis meis tanto antistiti occurrere non merueram, & tali essem parente privatus.* Æonio deinde immediatè successisse Cæsarium, non minùs clarè testatur in Vitâ ejusdem Cæsarij discipulus ipsius Cyprianus. *Sanctus*, inquiens, *Æonius episcopus clerum & cives aliquot alloquitur, ipsosq; rerum Dominos per internuncios appellat; ut, nostra quàm ipse Domino volente decesserit, nullum alium quàm Cæsarium sibi substituant.* quod ita quoq; factum fuisse narrat.

[a] Voss. Histor. Pelagian. lib. 1. fin. cap. 50.

[b] Baron. an. 441. §. 13.

[c] Id in Appendic. tom. 10. ad an. 441. & 453.

[d] Ruric. lib. 1. epist. 15.

Quin & apud ipsum [e] Baronium Hilari Papæ haben-

[e] Baron. an. 463. §. 15. 16.

tur literæ anno CCCCLXIII, ad Leontium Arelatensem episcopum datæ: agnoscitq; [f] idem, *Auxanium*, qui primo loco Fausti epistolæ subscripsisse dicitur, eundem esse cum Auxanio Episcopo qui anno præcedente, unâ cum Fausto, Romanæ Hilari Papæ Synodo adfuit. Ut mirandum sit [g] Claudium Robertum, qui in Arelatensium archiepiscoporum serie invertendâ Baronium errantem est secutus, hîc verum dicentem deseruisse, & Auxânium qui *interfuit Concilio Lugdunensi, & subscripsit epistolæ Lucidi Presbyteri*, illum fuisse tradidisse, quem anno DXLIIII. in Arelatensi cathedrâ successorem habuit Cæsarium: si in eo tamen id mirandum, qui non solùm hoc in loco *epistolam Lucidi Presbyteri* ab *epistolâ Fausti Episcopi* distinguere oblitus fuerit; sed etiam in ejusdem Catalogi parte præcedente, inter Arelatenses archiepiscopos *Julianum* Pelagianum. & quidem ante annum CCCXLIX. collocare nihil dubitaverit.

[f] Id. an. 490. §. 25. cum ann. 462. §. 7.

[g] Claud Robert. in Galliâ Christianâ, pag. 18.

Extat. Apollinaris Sidonij ad Faustum epistola; in quâ de scripto quodam bipartito ab illo edito suum hoc interponit judicium. [h] *Legimus opus operosissimum, multiplex, acre, sublime, digestum titulis, exemplisq; congestum, bipartitum sub dialogi schemate, sub causarum themate quadripartitum. Scripseras autem plurima ardenter, plura pomposè; simpliciter ista, nec argutè illa nec callidè: gravia maturè, profunda sollicitè, dubia constanter, argumentosa disputatoriè, quædam severè, quæpiam blandè, cuncta moraliter, lectè, potenter, eloquentissimè. Itaq; per tanta te genera narrandi toto latissimæ dictationis campo sequutus, nihil in facundiâ cæterorum, nil in ingeniis facilè perspexi juxta politum.* Ad duos Fausti libros de gratiâ Dei, & humanæ mentis libero arbitrio, spectare hæc contendit [i] Cæsar Baronius (quàm verè, jam non disputo:) & tria [k] de libris illis ex hâc Sidonij epistolâ observat. I. *Faustum illos non omnibus communicâsse: utique ex malâ conscientiâ timentem, ne qui in eis essent laquei sub herbis latentes, ab aliquo*

[h] Sidon. lib. 9. epist. 9.

[i] Baron. ann. 490. §. 15.

[k] Ibid. §. 13. 14.

quo acuti ingenij viro & dogmatum callentissimo detecti, penitùs dissiparentur. II. *Sidonium, etsi virum pium & doctum, penetralia tamen rerum Ecclesiasticarum adhuc juniorem haud fuisse perscrutatum*; quippe *in sacris dogmatibus* (ut paulo antè dixerat) *adhuc tyronem.* III. *In Britanniam, ubi diu viguit dogma Pelagij*, missos fuisse libros istos: quod ex his Sidonij verbis ille colligit. *Legi volumina tua, quæ Riochatus antistes ac monachus, atq; istius mundi bis peregrinus, Britannis tuis pro te reportat.*

Verùm pronomen illud TUIS non dogmatis hîc communionem denotat, sed patriæ. Etsi enim Faustum * Facundus & ante eum § alij Africani Episcopi, in Synodicâ suâ de gratiâ Dei & humano arbitrio Epistolâ, *Gallum* appellant; & Africanus quoq; Episcopus Possessor in literis ad Hormisdam *natione Gallum* fuisse dicat: tamen ab ipsis Gallis *externum* cum fuisse habitum, vel illa jam dictæ epistolæ Sidonianæ conclusio satis ostendit. *Quocirca merito te beatissimum boni omnes, idq; supra omnes tuâ tempestate concelebrabunt: cujus ita dictis vita factisq; duplicitèr inclaruit, ut quandoquidem tuos annos jam dextra numeraverit,* (sic enim loquitur, quasi centesimum jam Faustus attigisset ætatis annum) *sæculo prædicatus tuo, desiderandus alieno, utrâq; laudabilis actione decedas, te relicturus* EXTERNIS, *tua proximis.*

* Suprà, pag. 434. § de quibus, capite sequente,

Atq; inde est, quòd ipse Faustus in [l] epistolâ ad Felicem, patriciæ dignitatis virum, *relegationis* suæ meminerit; & in [m] epistolâ ad Ruricium, Lemovicensem Episcopum, ita de se ipse scripserit. *Dum novos cives commercio charitatis acquirimus, dum de acquisitorum salute gaudemus; inter hæc positi bona, præsenti insultamus exilio, & patrem* (lege *patriam*) *nos non amisisse sed commutâsse cognoscimus. Nam dum fideles famuli Dei in necessitatibus nostris bonitatem suæ devotionis exercent, sine sede propriâ possessores, sine possessione divites sumus.* & in [n] aliâ ad eundem. *Gratias ad vos, dum vobis de patriâ scribimus, qui nobis patriam in peregrinatione fecistis, qui indefessâ liberalitate*

[l] Faust. epist. 1.

[m] Id. epist. 6.

[n] Id. epist. 9.

tate patriæ desideria temperâstis: vim quandam divinæ justitiæ, succedentibus sibi beneficijs, inferentes; ut quod inulerat ad castigationem, converteret ad honorem, conferret ad consolationem, mutaret ad requiem mentis, &c. *nos vestro locupletaret obsequio, vos nostro ditaret exilio.* Alcimus Avitus deniq;, Viennensis Episcopus, in Epistolâ ad Burgundionum regem contra ipsum Faustum scriptâ, eum * *ortu Britannum, habitaculo Reiensem,* disertis verbis fuisse asserit. è majore utique Britanniâ ortum; si (ut dictum est) & ante Saxonum in Britanniam adventum ad Gallos Faustus concesserit, & non priùs in Armoricam à Britannis deducta fuerit colonia, quàm ipsorum patriam Saxones occupavissent.

* Vid. Sirmondi notas ad Facund. pag. 562.

Thomas Dempsterus in Scotorum numero illum reponit: eâdem vanitate, quâ illum & cum Fausto Episcopo Fulgentij Ruspensis & cum Congello Abbate Columbani nostri præceptore eundem facit. De priore, in Vitâ B. Fulgentij à discipulo ipsius conscriptâ, cap. c III. hæc legimus, *Fuit tunc temporis Episcopus quidam laudabiliter prædicandus, nomine Faustus; qui pro fide Catholicâ non longè à cathedrâ suâ jussus fuerat relegari. De multis enim sacerdotibus hoc Hunerici tyranni persecutoris astuta malignitas ordinaverat; ut juxta patriam propriam peregrinationis incommodum sustinentes, ad negandum Deum facilè flecterentur.* Ubi Faustum hunc & *Africanum* Episcopum fuisse significat, & *laudabiliter prædicandum,* & à Fulgentio patris loco habitum: ideoq; longè diversum à Fausto illo, quem in capite XXVI.° *Episcopum Galliarum* extitisse, & *Pelagianis occultè favisse,* &, *ne serperet virus* ab illo sparsum, à Fulgentio detectum & refutatum fuisse, idem scriptor refert. De Abbate, Notkeri Balbuli, in Martyrologio suo ad V. Idus Junias memoriam S. Columbæ celebrantis, verba hæc sunt. *Cùm plurimos discipulos vel socios sanctitatis suæ pares habuisset, unum tamen, Congellum scilicèt, Latinè Faustì nomine illustrem, præceptorem beatissimi Columbani, magistri Domini*

mini & Patris nostri Galli) virtutum ac meritorum suorum quasi unicum, exemplo Isaac, reliquit hæredem.

Et fuisse quidem eum S. Columbani magistrum, Ionas etiam docet; de Columbano, in Vitæ ejus cap.[c] III.* ita scribens. *Dedit operam ut monachorum necteretur societati, ac monasterium cujus vocabulum est* *Benchor *petijt: in quo præsul virtutum ubertate eluebat B. Congellus, egregius inter suos monachorum pater; quiq, & religionis studio, & regularis disciplinæ cultu, præcipuus habebatur.*

* Vid. suprà, cap. 6. pag. 132.

Inter S. Columbæ verò non discipulos numerandus ille (quippe educatus, ut in Vitâ illius legimus, à S. *Finiano* in monasterio ipsius *Cluain-Ædnech, posito in aquilonali Laginensium plagâ juxta radices montis Bladini*) sed socios. Indeq; ab * Adamnano inter quatuor illos *Monasteriorum sanctos Fundatores* numeratur, qui de Scotiâ sive Hiberniâ ad invisendum S. Columbam in Hymbam insulam transmeârunt. Nomen verò illius, non *Faustum*, sed *Pulchrum pignus* interpretati sunt alij. Ita enim de illo & Benchorensi cœnobio ab illo extruendo vaticinantem S. Patricium inducit † Iocelinus. *Annorum sexaginta circulo completo, nascetur quidam filius vitæ, Comgallus nomine; quod interpretatur, Pulchrum Pignus. erit enim dilectus Deo & hominibus; atq, ob morum meritorumq, pulchritudinem intendens prosperè procedet, & regnabit cum Christo inter ipsius pignora computandus. Ipse in loco luce præostenso Ecclesiam Sanctorum ædificabit; in quâ innumera filiorum lucis & vitæ agmina Christi servitio mancipanda coadunabit.* Omninoq; Fausti Rhegiensis Episcopi & Comgalli Benchorensis ætate invicem collatâ apparet, priùs vitâ decessisse Faustum quàm in lucem editus fuerit Comgallus: ut Dempsterus istos inter se ineptè admodùm confuderit.

* Adamnan. de Vit. Columbæ, lib. 3. cap. 21. edit. H. Canisij, 12. Messinghami.

† Iocelin. de Vit. Patricij, cap. 98.

Quo tempore Reiensem episcopatum apud Gallos administravit Faustus, in Britanniâ claruerunt Gildas Albanius & Dubricius Cambrius. Gildam Badonicum, qui de Britanniæ excidio Epistolam scri-

pſit toties â nobis laudatum, & Gildam Albanium in unum conflavit Vitæ S. Gildæ ſcriptor, quem ex Floriacenſis Bibliothecæ veteribus membranis Iohannes à Boſco in lucem edidit: quum unum ab altero diſtinguendum temporum ratio neceſſariò requirat. Albanij vitam habeo, à Caradoco Lancarvanenſi deſcriptam: quod rude illud diſtichon ad ſcripti calcem adjectum indicat.

Lancarbanenſis dictamina ſunt Caratoci:
Qui legat emendet, placet illi compoſiteri.

Is, de juvenis in Galliam ſuſcepto itinere & in Britanniam reditu, tradit iſta. *Tranſfretavit mare Gallicum, in civitatibus Galliæ remanſit, ſtudens optimè ſpatio ſeptem annorum: & in termino ſeptimi anni, cum magnâ mole diverſorum voluminum, remeavit ad majorem Britanniam. Auditâ famâ famoſiſſimi advenæ; confluxerunt ad eum Scholares undiq;. Audierunt ab eo ſeptem diſciplinarũ ſcientiam ſubtiliſſimè: unde ex diſcipulis Magiſtri effecti ſunt ſub Magiſtrali honore. Religio ſapientiſſimi Doctoris magnificabatur & collaudabatur instantum à Britannigenis omnibus, quòd nec pares inveniebatur, nec poterat inveniri, proſuis meritis excellentibus.* deinde hæc de prædicatione ejus ſubjicit. *Prædicator erat clariſſimus per tria regna Britanniæ. Reges timebant timendum: cui obediebant, auditâ acceptabili ſuâ prædicatione. Prædicabat omni Dominicâ die apud maritimam Eccleſiam quæ ſtat in Pepidiaue regione, in tempore Triſuni regis; innumerabili multitudine plebis illum audiente. Et dum inciperet prædicare, retenta eſt vox prædicationis in prædicante.* Eſt autem *Pepidiaue* Pembrochienſis Comitatus Promontorium, à Cambrobritannis **Cantreb Dewi**, ab Anglis **Saint Dabios land** appellatum; quòd natus ibi fuerit S. David, eodemq; Meneviam ſedem archiepiſcopalem tranſtulerit.

David hic Arthuri regis avunculus, *Sancti* (filij Cereti regis, qui * Cereticæ provinciæ nomen dediſſe dicitur) & *Nonnitæ* cujuſdam filius fuiſſe perhibetur. Quum mater verò infantulum in utero ferret, *contigit* (inquit

* Cardigan.

(inquit in ejus Vitâ Giraldus Cambrensis, illam à Lancarvanensi cœptam narrationem pertexens) *ut Ecclesiam quandam in loco sitam cui nomen* Cair mozba, *id est, Urbs maritima vel castrum, orandi gratiâ more consueto mulier intrâsset; in quâ Doctor egregius Gildas sermonem tunc fortè ad populum faciebat. Quâ ingressâ, statim obmutuit: adeò ut nec unum prædicationis verbum amplius enunciare valuerit. Interrogatus autem à populo cur ita diutiùs interrupto sermone taceret, respondit. Ego quidem communi loquelâ vos alloqui possum: prædicare verò, nescio quo eventu, nullatenùs possum.* Ex quibus corrigendus est Alanus de Insulis, qui Merlini illud vaticinium exponens, [*Prædicator Hiberniæ propter infantem in utero crescentem obmutescet*] post Augustini in Angliam adventum (quem plus centum annis nativitate Davidis posteriorem fuisse constat) hoc factum retulit. *Sanctus David* (inquit) *Britonum Walensium archiepiscopus, dum adhuc in materno utero clauderetur, & die quâdam prædicator Hiberniæ, qui cum Augustino à B. Gregorio in Angliam misso venerat & ab eodem Augustino in Hiberniam missus fuerat, Verbum Dei populo prædicaret; superveniente matre Sancti David, repentè obmutuit. Qui postmodùm resumpto usu loquendi, cum spiritu prophetiæ, instar Zachariæ patris B. Iohannis prophetavit: & dixit mulieri illi, magni meriti fore puerum quem gestabat, & excelsum in verbo gloriæ; & cui ipse meritò cedere, utpote meliori, deberet & quasi obmutescere.* Quomodo verò *Hiberniæ prædicator* habitus fuerit Gildas, suo dicendum erit loco.

Neque enim *Patricius* noster hîc intelligendus venit: quem totis triginta ante natum Davidem annis, relictâ valle Rosinâ sive Menevîâ, in Hiberniam concessisse, ex Ricemarcho, Giraldo Cambrensi & Iohanne Tinmuthensi, S. Davidis vitam enarrantibus, cognoscimus; indeq; etiam subducto calculo, sub annum CCCCLXII. Davidem in lucem fuisse editum colligimus. Baptizatum verò *in loco qui* Porthcleis *appella-*

tur (qui prope Meneviam positus, nomen adhuc retinet) *à Relveo Menevensium Episcopo, qui divinâ providentiâ eádem illuc horâ de Hibernia venerat*, scribit Giraldus: de loco in quo nutritus est, hæc etiam subnectens. *Puer nutritus est in loco qui Vetus Rubus dicitur; qui & Cambricè* Hen-meneu, *Latinè verò Vetus Menevia vocatur. Sortitus est autem locus hic nomen ab Hibernico* Muni, *quod &* Rubus *sonat: unde &* Kil-muni *Hibernicè adhuc hodie Ecclesia Menevensis appellatur. Puer itaq; crescebat, gratiâ plenus: literarumq; addictus studijs, supra coætaneos perspicacis ingenij velocitate proficiebat.*

Porrò Gildam (ut ad eum jam revertamur) annos natum *triginta* in Armoricam à Britannis tunc possessam, *Childerico* Merovei filio Francis imperante, concessisse refert [q] liber Floriacensis: & primò quidem in *insulâ quæ in Rauvisij pagi prospectu sita est* aliquandiu substitisse, & vicinorum liberos magisterio & doctrinæ ipsius commendatos erudijsse; deinde verò in continentem trajecisse, ibiq; monasterium *ad quoddam castrum in monte Rauvisij in prospectu maris situm*, & [r] parvum Oratorium *super ripam fluminis Blaveti* (ad quod, ubi in maris sinum se infundit, ejusdem nominis opidum cernitur) *sub quâdam eminenti rupe* construxisse. denique [s] *à fratribus rogatum religiosis, qui ad eum è Britannijs venerant, post decem annos ex quo inde recesserat, scripsisse Epistolarem libellum; in quo quinque Reges ipsius Insulæ redarguis, diversis sceleribus atq; criminibus irretitos.* ubi Epistolaris libri scriptorem cum eo qui *Childerici* tempore venit in Galliam confundit, errore manifesto: quum Childerico regnante authorem illius Epistolæ nondùm natum fuisse constet. quippe qui *annum obsessionis montis Badonici* (de quo posteà) eundem & suæ *nativitatis* fuisse profiteatur: unde & *Badonici* cognomentum, quo à Gildâ (de quo nunc agitur) *Albanio* distingueretur, à nonnullis illi datum est.

[q] Vit. Gild. cap. 12. in Bibliothecâ Floriacensi Iohan. à Bosco.

[r] Ibid. cap. 13.

[s] Ibid. cap. 15.

Dubricij

Dubricij matrem Eurdilam fuisse aiunt, filiam Peibani reguli cujusdam Cambriæ. *Quis verò pater ejus extiterat, ignoratur: quidam idcirco erronei eum patre carere mentiuntur*, inquit Iohannes Tinmuthensis. Alius *regem Erchyng, Pepiau nomine*, ex Warwicensis collegij Chronicis patrem illi assignat. *Crevit illius fama* (ut Vitæ scriptorem loquentem audias) *cum utriusq; legis novæ & veteris peritiâ per totam Britanniam; ita quòd ex omni parte totius Britanniæ scholares veniebant. Non tantùm rudes, sed etiam viri sapientes & doctores ad eum studendi causâ confluebant: inprimis sanctus Theliaus, Samson discipulus suus, Ubelinus, Merchiguinus, Elguoredus, Gunuinus, Longual, Arthodu, Longur, Arguistil, Iunabin, Condbram, Gorman, Guernabin, Iouan, Elhebarn, Iudnon, Curdocui, Aidan, Cinuarch, & cum his mille clericos per septem annos continuos in podio Hentlan-super ripam Guy in studio literarum divinæ sapientiæ & humanæ retinuit; exemplum eis præbens in semetipso religiosæ vitæ et charitatis perfectæ. Et per aliud spatium in nativitatis suæ solo, id est Miserbdil, eligens locũ unum in angulo illius insulæ opportunum sylvis & piscibus super ripam Guy, cum suis innumerabilibus discipulis mansit, per plures annos regendo studium: nomen loco imponens* Moch-rhos *Britannicè, id est, Porci locus; quòd in somnis admonitus est, ut ibi habitaculum & Oratorium fundaret, ubi scropham albam cum porcis cubantem reperit.* Warwicum, ut scribit Iohannes Rossus, *veniens sedem habuit Episcopalem ubi nunc Castrum Warwici situm est; Ecclesiamq; in honorem B. Mariæ condidit, quæ usq; dies nostros apparuit.* licèt ejus extructionem Rogero, secundo è Normannico sanguine Warwici Comiti, Camdenus attribuat. Landavenses, ut [t] alibi ostendimus, Dubricium suum archiepiscopum fuisse gloriantur: alij [u] urbis Legionum archiepiscopum constitutum ferunt ab Ambrosio Aurelio; de cujus regno, & re adversùs Saxones bene gestâ, ut aliquid dicamus locus jam postulat.

[t] Supr. cap. 5. pag. 79 80.
[u] Ibid. pag. 72.

Saxonici exercitus partem non exiguam, vastatâ

Britanniâ, domum redijſſe; ex Gildâ & Bedâ in ſuperiore capite eſt dictum. *At ubi hoſtilis exercitus, exterminatis diſperſiſq́; inſulæ indigenis domum reverſus eſt, cœpiſſe & illos paulatim vires animoſq́; reſumere, emergentes de latibulis quibus abditi fuerant;* x *Beda* narrat. &, quem ille ſecutus eſt, Gildas: *Tempore*, inquit, *interveniente aliquanto, cùm receſſiſſent domum crudeliſſimi prædones, roborata à Deo reliquiæ (quibus configunt undique de diverſis locis miſerrimi cives tam avidè, quàm apes alvearia procellâ imminente) ſimul deprecantes eum toto corde & (ut dicitur) innumeris onerantes æthera votis, ne ad internecionem uſque delerentur; duce Ambroſio Aureliano viro modeſto (qui ſolus fortè* * *Romanæ gentis tantæ tempeſtatis colliſione occiſis in eâdem parentibus, purpurâ nimiùm indutis, ſuperfuerat; cujus nunc temporibus noſtris ſoboles magnoperè avitâ bonitate degeneravit) vires capeſſunt, victores provocantes ad prælium. queis victoria, Domino annuente, ex voto ceſſit.*

x Bed. lib. 1. hiſt. cap. 16.

* Vid. ſupr. pag. 67. & 373.

Ante Saxonum adventum claruiſſe Ambroſium hunc ſignificavit Ninius; Vortigerni regis hiſtoriam ſic exorſus. *Guorthigirnus regnavit in Britanniâ: & dum ipſe regnabat, urgebatur à metu Pictorum Scottorumq́;, & à Romanico impetu, necnon & à timore Ambroſy. Interea venerunt tres ciulæ à Germaniâ in exilio pulſæ: in quibus erant Hors & Hengiſt.* & ab ipſo horum adventu initium regni illius deducit Sigebertus: ad annum Chriſti CCCCXLVI. iſta adnotans. *A Germaniâ Angli Britanniam veniunt, eamq́; ab hoſtibus tutam faciunt eſſe: non multo pòſt eam ſibi vindicant. Ambroſium Aurelianum ſibi Britanni regem ſtatuunt; ejuſq́; ductu per annos* XLV. *vario belli eventu, contra Anglos confligunt.* quo temporis curriculo completo, anno CCCCXCI. *Britannos, non valentes amplius ferre virtutem Anglorum, ut victos conceſſiſſe in jus & nomen eorum*, contra Britannicæ hiſtoriæ fidem narrat. In Chronologicâ appendice (cujus * jam meminimus) ad Ninium adjectâ, *à regno Guorthigirni uſq́; ad*

* Suprà, pag. 402.

ad discordiam Guitolini sive Vitaliani & *Ambrosij*, quæ prælio Guoloppino causam dedisse dicitur, anni duodecim numerantur.

S. Germanum & Lupum, *consentiente rege Ambrosio Aurelio & omni clero, Dubricium archiepiscopum consecravisse*, affirmat in ejusdem Dubricij vitâ Iohannes Tinmuthensis: juxta quam rationem, anno CCCCXXX. regnavisset ille in Britannia. [y] Henricus Huntingdonensis *anno septimo adventus Saxonum in Angliam* (qui illi est Christi CCCCLVI.) in prælio apud *Aceleſtreu* commisso, primam aciem *Ambrosium Aurelianum*, duas reliquas Vortigerni filios *Gortimerum* & *Catigernum* duxisse scribit. Ipsum quoq; Vortigernum, post filij Gortimeri sive Vortimeri mortem regni Britannici gubernacula resumentem, incendio ab Ambrosio sublatum fuisse [z] Galfridus Monemuthensis retulit: quod Matthæus Florilegus anno CCCCLXVI. factum notat; in anno demùm CCCCXCVII. regnum Ambrosij simul cum vitâ terminans. [a] Hector Boëthius, anno CCCCXCVIII. Britannorum regno admotum, [b] septem penè annos illud gessisse scribit. David Pouelus, in Britannicorum Regum Catalogo, XIX. regni annos illi tribuit: ab anno CCCCLXXXI. eos inchoans, & in anno *quingentesimo* (quod à [c] Georgio Buchanano etiam factum) eosdem finiens.

[y] Henr. Huntingd. histor. lib. 2: Vid. suprà, pag. 411. 412.

[z] Vid. suprà, cap. 12. pag. 386.

[a] Boëth. histor. Scotor. lib. 8.

[b] Id. lib. 9.

[c] Buchanan. rer. Scoticar. lib. 5. in rege 44.

De Odobogare sive Odoacre Herulo, anno CCCCLXXVI. Italiæ regno potito, in vitâ S. Severini (qui Noricis Euangelium annunciavit) ab Eugyppio abbate descriptâ, ista legimus. [d] *Odobogar rex sancto Severino familiares literas dirigens, si qua speranda duceret dabat suppliciter optionem; memor illius præsagij, quo eum expresserat quondam regnaturum. Tantis itaque Sanctus alloquijs invitatus, Ambrosium quendam exulantem rogat absolvi. Cujus Odobogar gratulabundus paruit imperatis.* Hunc nostrum esse Ambrosium putavit [e] Baronius; ad annum CCCCLXXVII. ita de illo scribens.

[d] Eugyp. Vit. Severin cap. 32. à Velsero edit. Augustæ Vindelic. an. 1595.

[e] Baron. an. 476. §. 2. & 477. §. 30. 31.

Hic

Hic purpuram quidem assumpsisse, non autem nomen Imperatoris, reperitur: ipseq; primus id tentavit (ut Gilda testatur) non autem & parentes, ut legitur apud [f] *Bedam, qui sub Zenonis Imperio hæc contigisse tradit, sicut & Ado in Chronico; licèt quoto anno ipsius Zenonis id acciderit, nemo prodat. Nos hoc anno posuimus, sequenti nimirùm à liberatione Ambrosij ab exilio sub Odoacre: si hunc eundem cum illo Ambrosio esse velimus; quod ut opinemur, multa persuadent.* cùm nihil tamen in totâ hâc narratione occurrat, quod prudenti cuiquam hoc persuadeat; præter unum *Ambrosij* nomen, quod illi cum multis alijs commune fuisse constat.

[f] Beda de sex ætat. in Zenon. & de Gest. Angl. lib. 1. cap. 16.

Quòd enim ipsum Ambrosium Aurelianum, non parentes illius, purpuram in Britanniâ sumpsisse asserit, mendosæ Gildæ editioni à Polydoro Vergilio procuratæ illud debet; in quâ, pro *indutis* (quod nos ex Manuscriptis Gildæ exemplaribus, lectioni Bedæ congruenter, exhibuimus) *indutus* legitur. cujusmodi vitium in Bedæ quoq; Chronicon, quo Paulus Diaconus est usus, irrepsisse videatur. Cùm enim Beda scripserit; *Britones duce Ambrosio Aureliano viro modesto, qui solus fortè Romanæ gentis Saxonum cædi superfuerat, occisis in eâdem parentibus purpurâ indutis, victricem eorum gentem provocantes ad prælium vicisse*: eum secutus Paulus, rem ita extulit. [g] *Apud Britanniam Ambrosius Aurelianus, qui solus fortè Romanæ gentis Saxonum cædi superfuerat, purpuram induit; victoresq; Saxones, Britonum ducens exercitum, superavit sæpè.* Ut admodùm debili nitantur hîc fundamento Onuphrius Panuinius & Octavius de Strada, qui in Romanorum Imperatorum Catalogo *Imp. Cæsarem Ambrosium Aurelianum, Pium, Felicem, Augustum* recensent: utpote *Imp. appellatum in Britanniâ anno Domini* CDLXXV. *Urbis conditæ* MCCXXVII. & *non longè pòst occisum*, si illis sine teste hîc loquentibus cuiquam credere libeat.

[g] Paul. Diacon. in continuat. Eutrop. fin. lib. 16.

Guilielmus Malmesburiensis, de Guortimeri filij Vorti-

Vortigerni obitu verba faciens; *Eo,* [h] inquit, *extincto Britonum robur emarcuit, spes imminutæ retrò fluxerunt. Et jam tunc profectò pessum îssent, nisi Ambrosius solus Romanorum superstes, qui post Vortigernum Monarcha regni fuit, intumescentes Barbaros eximiâ bellicosi Arthuri operâ pressisset.* Ac si Ambrosio æqualis fuisset Arthurus; quem post mortem Ambrosij à fratre ipsius Uthero Pendracone genitum communis aliorum est sententia. Ambrosij verò *laudes eximius Britonum historicus Gildas, præ cæteris eorum Regibus, non tacuit; imò posteris eleganti stylo ejus gesta fideliter conscripta dereliquit*: quemadmodum in Scotichronico legimus. Et quidem librum [i] *quem Gildas de victoriâ Aurelij Ambrosij inscripsit*, (si titulus non mentitus fuerit authorem) habuisse se Galfridus Monemuthensis significat: ex quo, simul & Britannico codice quem ex Armoricâ delatum à Gualtero Oxoniensi archidiacono acceperat, longam hâc de re historiam [k] ipse pertexit; cujus summa hæc est.

[h] Malmesbur. de gest. reg. lib. 1. cap. 1.

[i] Galfrid. histor. lib. 4. cap. ult.

[k] Id. lib. 8. cap. 3. 4. &c.

E medio sublato Vortigerno, Saxones sese trans Humbrum receperunt: quos ocyùs insecutus Ambrosius, *cùm nationes præteriret, inspiciens illas desolatas, condolebat, maximè autem propter ecclesias usq; ad solum destructas; quibus restaurationem promittebat, si triumpho potiretur.* Hengistus adversùs eum circiter ducenta milia armatorum in campum qui dicebatur *Maisbeli* eduxit: sed conserto prælio fusus est ejus exercitus; ipseq; juxta urbem Conani, Britannis *Cair-Conan*, Anglis *Cuningè-burg* dictam, (Eboracensium Conisburgh ea est, ad Danum sive Donum fluvium posita) ab Eldole Claudiocestriæ Duce captus, in hostium potestatem venit. Captâ deinde urbe, cùm quid de Hengisto statuendum esset deliberaretur; Eldadus Claudiocestrensis Episcopus, frater Eldol, vir summæ prudentiæ & religionis, hunc in modum locutus est. *Etsi omnes istum liberare conarentur; ego ipsum in frusta conciderem. Insequerer namq; Prophetam Samuelem; qui cùm Agag regem Amalech*

1.Sam.15.33. *lech in potestate tenuisset, concîdit illum in frusta, dicens: Sicut fecisti matres sine liberis, sic faciam hodie matrem tuam sine liberis inter mulieres. Sic ergo facite de Hengisto, qui alter Agag existit.* Quo dicto, Eldol Hengistum extra urbem ductum obtruncavit.

Anno CCCCLXXXIX. hoc factum scribit Matthæus Florilegus: addens etiam, *Hengisto successisse Osric filium ejus, cognomento Æsc, super gentem Saxonum in Cantiâ; à quo reges Cantiæ usq; hodie Æsc-kynges vocantur.* unius tantùm anni metachronismo ab Ethelwerdo & Anglo-saxonicis Annalibus discrepans: qui mortis Hengisti (ut & omnium omninò victoriarum quas à Saxonibus reportârunt Britones) mentione prorsùs prætermissâ, anno præcedente Æscam apud Cantuarios regnum inijsse retulerunt. ad quem annum, in Florentij Wigornienſis quoq; Chronico legimus. *Hengest, postquam regnum Cantuariorum* XXXIIII. *annis strenuissimè rexit, vitæ finem fecit. Cui successit in regnum Æsc filius suus; &* XXIIII. *annis regnavit.*

Octam deinde Hengisti filium qui Eboraco se incluserat, & Eosam cognatum ejus qui in urbe Alclud (sive Dunbrittoniâ) se muniverat in deditionem accepisse Ambrosium narrat Galfridus, regione juxta Scotiam eis concessâ: atq; ita triumphatis hostibus,* Ecclesijs restaurandis & Reipublicæ constituendæ enixè operam dedisse. Nam *tota,*[1] inquit, *intentio ipsius versabatur circa regni restitutionem, Ecclesiarum reformationem, pacis ac legis renovationem, justitiæ compositionem. Exinde petivit Guintoniam, ut eam sicut cæteras restitueret. Cumq; in restauratione ejus quæ ponenda erant posuisset: monitu Eldadi Episcopi,* ivit ad monasterium prope Cair Caradoc quæ nunc Salesberia dicitur; *ubi consules & principes jacebant, quos nefandus Hengistus prodiderat. Erat ibi cœnobium trecentorum fratrum in monte Ambrij, qui (ut fertur) fundator ejus olim extiterat.* Apud Iohannem Tinmuthensem, in Vitâ Dubricij, locus iste est *Mons Ambrosij, qui nunc vulgo*

Stan-

* Vid. supr. cap. 5. pag. 72.

[1] Galfrid. lib. 8. cap. 9.

* Vid. supr. cap. 12. pag. 415.

Stanhenges dicitur. in quo ingentium quæ ibi conſpicitur ſaxorum ſubſtructionem, non in principum illorum (ut vulgo creditur) ab Ambroſio, ſed in ipſius Ambroſij memoriam à Britannis poſitam fuiſſe Polydorus aſſerit. *Britannus,* inquit [m] ille, *duci ſuo Ambroſio de Republicâ bene merito magnificum poſuit ſepulchrum, factum ad formam coronæ, ex magnis quadratis lapidibus, eo loci, ubi* * *pugnando ceciderat; ut tanti ducis virtus ne oblivione eorum, qui tunc erant, aut reticentiâ poſterorum inſepulta eſſet. Extat etiam nunc id monimentum in diœceſi Sariſberienſi prope pagum, quam Amiſberiam vocant.* vel Ambresburiam potius, vocabulo *Ambroſij vicum* denotante.

[m] Polydor. Vergil. Anglic. hiſtor. lib. 3.

* A Saxonibus occiſum fuiſſe, refert etiam Huldrichus Mutius, Germanic. Chronic. lib. 5.

Superioribus tamen temporibus & *Ambrij* (ſi hujuſmodi quis fuit) & *Ambroſij* memoriam reliquiarum *S. Melori* celebritas apud Ambresburienſes obſcuravit. *Meliorem* eum appellat Philippus Ferrarius, in Catalogo Sanctorum generali, ad diem III. Januarij; & anno CCCCXI. paſſum fuiſſe ex Iohanne Capgravio annotat. quanquam Capgravius Kalendis Octobris martyrio vitam illum finiſſe dicat, in ipſis Chriſtianæ fidei à Britannis acceptæ primordijs. *Dum in exordio,* inquit, *Chriſtianæ fidei Apoſtolica doctrina per orbem terrarum in omnibus gentibus diffunderetur, converſa eſt Britanniæ gentilitas ad fidem; & multi Domino credentes, & Apoſtolica præcepta ſequentes, varijs virtutum miraculis fulſerunt: de quorum numero beatum Melorum fidenter credimus extitiſſe. Fuit enim beatus Melorus de nobili Britannorum genere; cujus pater Melianus ducatum Cornubiæ tenuit.* &c.

Ut Saxonicorum illorum principum ab Hengiſto interemptorum in ævum conſervaretur memoria, *Tremouno* ſive *Tremorino* Urbis Legionum archiepiſcopo ſuggerente, ab Ambroſio Aurelio rege * Ambroſium Merlinum vatem accerſitum fuiſſe refert Galfridus: & cum exercitu quindecim milium armatorum (cui Uther Pendraco frater regis præfuerit) in Hiberniam miſſum,

* De eo videnda noſtra Epiſtolarum Hibernicarum Recenſio, pag. 160. 161.

nobilem illam structuram lapidum ex *Killarao* monte (Gillomanio Hiberniæ rege frustrà repugnante) secum asportâsse, atq; in Sarisburiensi planitie, in quâ hodie ea cernitur, collocâsse. De quâ fabulâ (licèt planè anili, communi tamen famâ multùm celebratâ) audiatur, si placet, Alexander Nechamus in suo de Divinæ sapientiæ laudibus Poëmate.

Nobilis est lapidum structura, Chorea Gigantum:
Ars experta suum posse, peregit opus.
Quod ne prodiret in lucem segnius, artem
Se, viresq; suas consuluisse reor.
Hoc opus adscribit Merlino garrula fama;
Filia figmenti fabula vana refert.
Illâ congerie fertur decorata fuisse
Tellus, quæ mittit tot Palamedis aves.
Hinc tantum munus suscepit Hibernia gaudens:
Nam virtus lapidi cuilibet ampla satis.
Nam respersus aquis magnam transfundit in illas
Vim, queis curari sapiùs æger eget.
Uther Pendragon molem transvexit ad Ambri
Fines, devicto victor ab hoste means.
O quot nobilium, quot corpora sacra virorum,
Illic Hengisti proditione jacent!
Intercepta fuit gens inclyta, gens generosa;
Intercepta, nimis credula, cauta minùs.

Item Giraldus Cambrensis, in Hiberniæ Topographiâ. [a] *Fuit antiquis temporibus in Hibernia lapidum congeries admiranda, quæ & Chorea Gigantum dicta fuit: quia Gigantes eam ab ultimis Africæ finibus in Hiberniam attulerant, & in Kildarensi planicie, non procul à castro Nasensi, tamingeniq; virium opere mirabiliter erexerant. Unde & ibidem lapides quidam aliis similimi, similiq; modo erecti, usq; in hodiernum diem conspiciuntur. Mirum qualiter tanti lapides, tot etiam & tam magni magnam*

[a] Girald. Topograph. distinct. 2. cap. 18.

in

in unum locum vel congesti fuerint, vel erecti; quantoq; artificio lapidibus, tam magnis & altis, alij superpositi sint non minores: qui sic in pendulo & tanquàm in inani suspendi videntur, ut potiùs artificum studio, quàm suppositorum podio innixi videantur. Iuxta Britannicam historiam lapides istos Rex Britonum Aurelius Ambrosius divinâ Merlini diligentiâ, de Hiberniâ in Britanniam advehi procuravit: & ut tanti facinoris egregium aliquod memoriale relinqueret, eodem ordine & arte quâ priùs, in loco constituit, ubi occultis Saxonum cultris Britanniæ flos cecidit, & sub pacis obtentu, nequitiæ telis, malè tuta regni juventus occubuit.

In agro verò Kildariensi, à castro Natensi duobus ferè passuum milibus, bina ejusmodi saxa conspiciuntur, quos *longos lapides* vocant. quanquã Britannicæ scriptor historiæ *Killair*, in Occidentali Midiâ sitam, intellexisse hîc potiùs videatur; ubi lapidem quendam suo tempore o Giraldus extitisse notat, *qui umbilicus Hiberniæ diceretur quasi in medio & meditullio terræ positus.* pro quo tamen umbilico, *Birra* in comitatu Regio alius quidam excavatus lapis hodie ostenditur. Sed ad Sarisburiensem illam de quâ agimus saxorum molem nulla in Hiberniâ propiùs accedit, quàm quæ in agro Corcagiensi cernitur, juxta opidum à lapidibus illis in loco olim silvestri positis, *Cloughtekilty* appellatum: in quo fundamenta etiam conspiciuntur amplissimæ domus, quam nobilis illius Iohannis Magnavillani (sive *de Mandeville*, XXXIII. annorum peregrinatione notissimi) fuisse tradunt accolæ.

o Ibid. distinct. 3. cap. 4.

De Britannici exercitus ex Hiberniâ reditu subjicit p Galfridus. *Cum gaudio in Britanniam reverti cœperunt: & prosperantibus ventis applicant; sepulturasque virorum cum lapidibus apparant. Quod cùm indicatum fuisset Aurelio, diversos nuncios per diversas partes Britanniæ direxit: jussitq; clerum ac populum submonere, submonitos verò in montem Ambrij convenire, ut cum gaudio & honore prædictam sepulturam repararent. Ad edictum ergo illi-*

p Histor. Britannic. lib. 8. cap. 12.

tur (qui prope Meneviam positus, nomen adhuc retinet) *à Relveo Menevensium Episcopo, qui divinâ providentiâ eâdem illuc horâ de Hibernia venerat*, scribit Giraldus: de loco in quo nutritus est, hæc etiam subnectens. *Puer nutritus est in loco qui Vetus Rubus dicitur; qui & Cambricè* Hen-meneu, *Latinè verò Vetus Menevia vocatur. Sortitus est autem locus hic nomen ab Hibernico* Munj, *quod &* Rubus *sonat: unde &* Kil-muni *Hibernicè adhuc hodie Ecclesia Menevensis appellatur. Puer itaq; crescebat, gratiâ plenus: literarumq; addictus studijs, supra coætaneos perspicacis ingenij velocitate proficiebat.*

Porrò Gildam (ut ad eum jam revertamur) annos natum *triginta* in Armoricam à Britannis tunc possessam, *Childerico* Merovei filio Francis imperante, concessisse refert [q] liber Floriacensis: & primò quidem in *insulâ quæ in Renvisij pagi prospectu sita est* aliquandiu substitisse, & vicinorum liberos magisterio & doctrinæ ipsius commendatos erudijsse; deinde verò in continentem trajecisse, ibiq; monasterium *ad quoddam castrum in monte Renvisij in prospectu maris situm*, & [r] parvum Oratorium *super ripam fluminis Blaveti* (ad quod, ubi in maris sinum se infundit, ejusdem nominis opidum cernitur) *sub quâdam eminenti rupe* construxisse. denique [s] *à fratribus rogatum religiosis, qui ad eum è Britannijs venerant, post decem annos ex quo inde recesserat, scripsisse Epistolarem libellum; in quo quinque Reges ipsius Insulæ redarguit, diversis sceleribus atq; criminibus irretitos.* ubi Epistolaris libri scriptorem cum eo qui *Childerici* tempore venit in Galliam confundit, errore manifesto: quum Childerico regnante authorem illius Epistolæ nondùm natum fuisse constet. quippe qui *annum obsessionis montis Badonici* (de quo posteà) eundem & suæ *nativitatis* fuisse profiteatur: unde & *Badonici* cognomentum, quo à Gildâ (de quo nunc agitur) *Albanio* distingueretur, à nonnullis illi datum est.

[q] *Vit. Gild. cap. 12. in Bibliothecâ Floriacensi Iohan. à Bosco.*

[r] *Ibid. cap. 13.*

[s] *Ibid. cap. 15.*

Dubricij

Dubricij matrem Eurdilam fuisse aiunt, filiam Peibani reguli cujusdam Cambriæ. *Quis verò pater ejus extiterat, ignoratur: quidam idcirco erronei eum patre carere mentiuntur*; inquit Iohannes Tinmuthensis. Alius *regem Erchyng, Pepiau nomine*, ex Warwicensis collegij Chronicis patrem illi assignat. *Crevit illius fama* (ut Vitæ scriptorem loquentem audias) *cum utriusq; legis novæ & veteris peritiâ per totam Britanniam; ita quòd ex omni parte totius Britanniæ scholares veniebant. Non tantùm rudes, sed etiam viri sapientes & doctores ad eum studendi causâ confluebant: inprimis sanctus Theliaus, Samson discipulus suus, Ubelinus, Merchiguinus, Elguoredus, Gunuinus, Longual, Arthodu, Longur, Arguistil, Iunabin, Condbram, Gornan, Guernabin, Iouan, Elhebarn, Induon, Curdocui, Aidan, Cinuarch, & cum his mille clericos per septem annos continuos in podio Hentlan super ripam Guy in studio literarum divinæ sapientiæ & humanæ retinuit, exemplum eis præbens in semetipso religiosæ vitæ et charitatis perfectæ. Et per aliud spatium in nativitatis suæ solo, id est Miserbdil, eligens locũ unum in angulo illius insulæ opportunum sylvis & piscibus super ripam Guy, cum suis innumerabilibus discipulis mansit, per plures annos regendo studium: nomen loco imponens* Pochrhos *Britannicè, id est, Porci locus; quòd in somnis admonitus est, ut ibi habitaculum & Oratorium fundaret, ubi scropham albam cum porcis cubantem reperit.* Warwicum, ut scribit Iohannes Rossus, *veniens sedem habuit Episcopalem ubi nunc Castrum Warwici situm est; Ecclesiamq; in honorem B. Mariæ condidit, quæ usq; dies nostros apparuit.* licèt ejus extructionem Rogero, secundo è Normannico sanguine Warwici Comiti, Camdenus attribuat. Landavenses, ut [t] alibi ostendimus, Dubricium suum archiepiscopum fuisse gloriantur: alij [u] urbis Legionum archiepiscopum constitutum ferunt ab Ambrosio Aurelio; de cujus regno, & re adversùs Saxones bene gestâ, ut aliquid dicamus locus jam postulat.

[t] Supr. cap. 5. pag. 79 80.
[u] Ibid. pag. 71.

Saxonici exercitus partem non exiguam, vastatâ

Britanniâ, domum redijsse; ex Gildâ & Bedâ in superiore capite est dictum. *At ubi hostilis exercitus, exterminatis dispersisq́; insulæ indigenis domum reversus est, cœpisse & illos paulatim vires animosq́; resumere, emergentes de latibulis quibus abditi fuerant;* [x] *Beda* narrat. &, quem ille secutus est, Gildas: *Tempore*, inquit, *interveniente aliquanto, cùm recessissent domum crudelissimi prædones, roborata à Deo reliquiæ (quibus confuginunt undique de diversis locis miserimi cives tam avidè, quàm apes alvearia procellâ imminente) simul deprecantes eum toto corde & (ut dicitur) immumeris onerantes æthera votis, ne ad internecionem usque delerentur; duce Ambrosio Aureliano viro modesto (qui solus fortè* [*] *Romanæ gentis tantæ tempestatis collisione occisis in eâdem parentibus, purpurâ nimirùm indutis, superfuerat; cujus nunc temporibus nostris soboles magnoperè avitâ bonitate degeneravit) vires capessunt, victores provocantes ad prælium. queis victoria, Domino annuente, ex voto cessit.*

[x] Bed. lib. 1. hist. cap. 16.

[*] Vid. supr. pag. 67. & 373.

Ante Saxonum adventum claruisse Ambrosium hunc significavit Ninius; Vortigerni regis historiam sic exorsus. *Guorthigirnus regnavit in Britanniâ: & dum ipse regnabat, urgebatur à metu Pictorum Scottorumq́;, & à Romanico impetu, necnon & à timore Ambrosij. Interea venerunt tres ciulæ à Germaniâ in exilio pulsæ; in quibus erant Hors & Hengist.* & ab ipso horum adventu initium regni illius deduxit Sigebertus: ad annum Christi CCCCXLVI. ista adnotans. *A Germaniâ Angli Britanniam veniunt, eamq́; ab hostibus tutam faciunt esse: non multo pòst eam sibi vindicant. Ambrosium Aurelianum sibi Britanni regem statuunt; ejusq́; ductu per annos* XLV. *vario belli eventu, contra Anglos confligunt.* quo temporis curriculo completo, anno CCCCXCI. *Britannos, non valentes amplius ferre virtutem Anglorum, ut victos concessisse in jus & nomen eorum*, contra Britannicæ historiæ fidem narrat. In Chronologicâ appendice (cujus [*] jam meminimus) ad Ninium adjectâ, *à regno Guorthigirni usq́;*

[*] Suprà, pag. 402.

ad

ad discordiam Guitolini sive Vitaliani *& Ambrosij*, quæ prælio Guoloppino causam dedisse dicitur, anni duodecim numerantur.

S. Germanum & Lupum, *consentiente rege Ambrosio Aurelio & omni clero, Dubricium archiepiscopum consecravisse*, affirmat in ejusdem Dubricij vitâ Iohannes Tinmuthensis: juxta quam rationem, anno CCCCXXX. regnavisset ille in Britannia. [y] Henricus Huntingdonensis *anno septimo adventus Saxonum in Angliam* (qui illi est Christi CCCCLVI.) in prælio apud *Aeilestreu* commisso, primam aciem *Ambrosium Aurelianum*, duas reliquas Vortigerni filios *Gortimerum & Catigernum* duxisse scribit. Ipsum quoq; Vortigernum, post filij Gortimeri sive Vortimeri mortem regni Britannici gubernacula resumentem, incendio ab Ambrosio sublatum fuisse [z] Galfridus Monemuthensis retulit: quod Matthæus Florilegus anno CCCCLXVI. factum notat; in anno demùm CCCCXCVII. regnum Ambrosij simul cum vitâ terminans. [a] Hector Boëthius, anno CCCCXCVIII. Britannorum regno admotum, [b] septem penè annos illud gessisse scribit. David Powelus, in Britannicorum Regum Catalogo, XIX. regni annos illi tribuit: ab anno CCCCLXXXI. eos inchoans, & in anno *quingentesimo* (quod à [c] Georgio Buchanano etiam factum) eosdem finiens.

[y] Henr. Huntingd. histor. lib. 2: Vid. suprà, pag. 411. 412.

[z] Vid. suprà, cap. 12. pag. 386.

[a] Boëth. histor. Scotor. lib. 8.

[b] Id. lib. 9.

[c] Buchanan. rer. Scoticar. lib. 5. in rege 44.

De Odobogare sive Odoacre Herulo, anno CCCCLXXVI. Italiæ regno potito, in vitâ S. Severini (qui Noricis Euangelium annunciavit) ab Eugyppio abbate descriptâ, ista legimus. [d] *Odobogar rex sancto Severino familiares literas dirigens, si qua speranda duceret dabat suppliciter optionem; memor illius præsagij, quo eum expressérat quondam regnaturum. Tantis itaque Sanctus alloquijs invitatus, Ambrosium quendam exulantem rogat absolvi. Cujus Odobogar gratulabundus paruit imperatis.* Hunc nostrum esse Ambrosium putavit [e] Baronius; ad annum CCCCLXXVII. ita de illo scribens. *Hic*

[d] Eugyp. Vit. Severin cap. 32. à Velsero edit. Augustæ Vindelic. an. 1595.

[e] Baron. an. 476. §. 2. & 477. §. 30. 31.

Hic purpuram quidem assumpsisse, non autem nomen Imperatoris, reperitur: ipseq; primus id tentavit (ut Glida testatur) non autem & parentes, ut legitur apud [f] *Bedam, qui sub Zenonis Imperio hæc contigisse tradit, sicut & Ado in Chronico; licèt quoto anno ipsius Zenonis id acciderit, nemo prodat. Nos hoc anno posuimus, sequenti nimirùm à liberatione Ambrosij ab exilio sub Odoacre: si hunc eundem cum illo Ambrosio esse velimus; quod ut opinemur, multa persuadent.* cùm nihil tamen in totâ hâc narratione occurrat, quod prudenti cuiquam hoc persuadeat; præter unum *Ambrosij* nomen, quod illi cum multis alijs commune fuisse constat.

[f] Beda de sex ætat. in Zenon. & de Gest. Angl. lib. 1. cap. 16.

Quòd enim ipsum Ambrosium Aurelianum, non parentes illius, purpuram in Britanniâ sumpsisse asserit, mendosæ Gildæ editioni à Polydoro Vergilio procuratæ illud debet; in quâ, pro *indutis* (quod nos ex Manuscriptis Gildæ exemplaribus, lectioni Bedæ congruenter, exhibuimus) *indutus* legitur. cujusmodi vitium in Bedæ quoq; Chronicon, quo Paulus Diaconus est usus, irrepsisse videatur. Cùm enim Beda scripserit; *Britones duce Ambrosio Aureliano viro modesto, qui solus fortè Romanæ gentis Saxonum cædi superfuerat, occisis in eâdem parentibus purpurâ indutis, victricem eorum gentem provocantes ad prælium vicisse*: eum secutus Paulus, rem ita extulit. [g] *Apud Britanniam Ambrosius Aurelianus, qui solus fortè Romanæ gentis Saxonum cædi superfuerat, purpuram induit; victoreq; Saxones, Britonum ducens exercitum, superavit sæpè.* Ut admodùm debili nitantur hîc fundamento Onuphrius Panuinius & Octavius de Strada, qui in Romanorum Imperatorum Catalogo *Imp. Cæsarem Ambrosium Aurelianum, Pium, Felicem, Augustum* recensent: utpote *Imp. appellatum in Britanniâ anno Domini* CDLXXV. *Urbis conditæ* MCCXXVII. & *non longè pòst occisum*. si illis sine teste hîc loquentibus cuiquam credere libeat.

[g] Paul. Diacon. in continuat. Eutrop. fin. lib. 16.

Gulielmus Malmesburiensis, de Guortimeri filij

Vorti-

Vortigerni obitu verba faciens; *Eo,* [k] inquit, *extincto Britonum robur emarcuit, spes imminutæ retrò fluxerunt. Et jam tunc profectò pessum iissent, nisi Ambrosius solus Romanorum superstes, qui post Vortigernum Monarcha regni fuit, intumescentes Barbaros eximiâ bellicosi Arthuri operâ pressisset.* Ac si Ambrosio æqualis fuisset Arthurus; quem post mortem Ambrosij à fratre ipsius Uthero Pendracone genitum communis aliorum est sententia. Ambrosij verò *laudes eximius Britonum historicus Gildas, præ cæteris eorum Regibus, non tacuit; imò posteris eleganti stylo ejus gesta fideliter conscripta dereliquit*: quemadmodum in Scotichronico legimus. Et quidem librum [i] *quem Gildas de victoriâ Aurelij Ambrosij inscripsit*, (si titulus non mentitus fuerit authorem) habuisse se Galfridus Monemuthensis significat: ex quo, simul & Britannico codice quem ex Armoricâ delatum à Gualtero Oxonienſi archidiacono acceperat, longam hâc de re historiam [k] ipse pertexit; cujus summa hæc est.

[k] Malmesbur. de gest. reg. lib. 1. cap. 1.

[i] Galfrid. histor. lib. 4. cap. ult.

[k] Id. lib. 8. cap. 3. 4. &c.

E medio sublato Vortigerno, Saxones sese trans Humbrum receperunt: quos ocyùs insecutus Ambrosius, *cùm nationes præteriret, inspiciens illas desolatas, condolebat, maximè autem propter ecclesias usq; ad solum destructas; quibus restaurationem promittebat, si triumpho potirentur.* Hengistus adversùs eum circiter ducenta milia armatorum in campum qui dicebatur *Maisbeli* eduxit: sed conserto prælio fusus est ejus exercitus; ipseq; juxta urbem Conani, Britannis *Cair-Conan*, Anglis *Cuninge-burg* dictam, (Eboracensium **Conisburgh** ea est, ad Danum sive Donum fluvium posita) ab Eldole Claudiocestriæ Duce captus, in hostium potestatem venit. Captâ deinde urbe, cùm quid de Hengisto statuendum esset deliberaretur; Eldadus Claudiocestrensis Episcopus, frater Eldol, vir summæ prudentiæ & religionis, hunc in modum locutus est. *Etsi omnes istum liberare conarentur; ego ipsum in frusta conciderem. Ita sequeretur namq; Propheram Samuelem, qui cùm Agag regem Ama-*

1.Sam.15.33. *lech in potestate tenuisset, concidit illum in frusta, dicens: Sicut fecisti matres sine liberis, sic faciam hodie matrem tuam sine liberis inter mulieres. Sic ergo facite de Hengisto, qui alter Agag existit.* Quo dicto, Eldol Hengistum extra urbem ductum obtruncavit.

Anno CCCCLXXXIX. hoc factum scribit Matthæus Florilegus: addens etiam, *Hengisto successisse Osric filium ejus, cognomento Æsc, super gentem Saxonum in Cantiâ; à quo reges Cantiæ usq; hodie Æsc-kynges vocantur.* unius tantùm anni metachronismo ab Ethelwerdo & Anglo-saxonicis Annalibus discrepans: qui mortis Hengisti (ut & omnium omninò victoriarum quas à Saxonibus reportârunt Britones) mentione prorsùs prætermissâ, anno præcedente Æscam apud Cantuarios regnum inijsse retulerunt. ad quem annum, in Florentij Wigornienſis quoq; Chronico legimus. *Hengest, postquam regnum Cantuariorum* XXXIIII. *annis strenuissimè rexit, vitæ finem fecit. Cui successit in regnum Æsc filius suus; &* XXIIII. *annis regnavit.*

Octam deinde Hengisti filium qui Eboraco se incluserat, & Eosam cognatum ejus qui in urbe Alclud (sive Dunbrittoniâ) se muniverat in deditionem accepisse Ambrosium narrat Galfridus, regione juxta Scotiam eis concessâ: atq; ita triumphatis hostibus,* Ecclesijs restaurandis & Reipublicæ constituendæ enixè operam dedisse. Nam *tota,*[1] inquit, *intentio ipsius versabatur circa regni restitutionem, Ecclesiarum reformationem, pacis ac legis renovationem, justitiæ compositionem. Exinde petivit Guintoniam, ut eam sicut cæteras restitueret. Cumq; in restauratione ejus quæ ponenda erant posuisset; monitu Eldadi Episcopi,* ivit ad monasterium prope Cair Caradoc quæ nunc Salesberia dicitur; *ubi consules & principes jacebant, quos nefandus Hengistus prodiderat. Erat ibi cœnobium trecentorum fratrum in monte Ambrij, qui (ut fertur) fundator ejus olim extiterat.* Apud Iohannem Tinmuthensem, in Vitâ Dubricij, locus iste est *Mons Ambrosij, qui nunc vulgo*

* Vid. supr. cap. 5. pag. 72.

[1] Galfrid. lib. 8. cap. 9.

* Vid. supr. cap. 12. pag. 415.

Stan-

Stanhenges dicitur. in quo ingentium quæ ibi conſpicitur ſaxorum ſubſtructionem, non in principum illorum (ut vulgo creditur) ab Ambroſio, ſed in ipſius Ambroſij memoriam à Britannis poſitam fuiſſe Polydorus aſſerit. *Britannus*, inquit [m] ille, *duci ſuo Ambroſio de Republicâ bene merito magnificum poſuit ſepulchrum, factum ad formam coronæ, ex magnis quadratis lapidibus, eo loci, ubi* * *pugnando ceciderat; ut tanti ducis virtus ne oblivione eorum, qui tunc erant, aut reticentiâ poſterorum inſepulta eſſet. Extat etiam nunc id monimentum in diœceſi Sariſberienſi prope pagum, quam Amiſberiam vocant.* vel Ambresburiam potiùs, vocabulo *Ambroſij vicum* denotante.

[m] Polydor. Vergil. Anglic. hiſtor. lib. 3.

* A Saxonibus occiſum fuiſſe, refert etiam Huldrichus Mutius, Germanic. Chronic. lib. 5.

Superioribus tamen temporibus & *Ambrij* (ſi hujuſmodi quis fuit) & *Ambroſij* memoriam reliquiarum *S. Melori* celebritas apud Ambresburienſes obſcuravit. *Melioren* eum appellat Philippus Ferrarius, in Catalogo Sanctorum generali, ad diem III. Januarij; & anno CCCCXI. paſſum fuiſſe ex Iohanne Capgravio annotat. quanquam Capgravius Kalendis Octobris martyrio vitam illum finiſſe dicat, in ipſis Chriſtianæ fidei à Britannis acceptæ primordijs. *Dum in exordio*, inquit, *Chriſtianæ fidei Apoſtolica doctrina per orbem terrarum in omnibus gentibus diffunderetur, converſa eſt Britanniæ gentilitas ad fidem; & multi Domino credentes, & Apoſtolica præcepta ſequentes, variis virtutum miraculis fulſerunt: de quorum numero beatum Melorum fidenter credimus extitiſſe. Fuit enim beatus Melorus de nobili Britannorum genere; cujus pater Melianus ducatum Cornubiæ tenuit.* &c.

Ut Saxonicorum illorum principum ab Hengiſto interemptorum in ævum conſervaretur memoria, *Tremouns* ſive *Tremorino* Urbis Legionum archiepiſcopo ſuggerente, ab Ambroſio Aurelio rege * Ambroſium Merlinum vatem accerſitum fuiſſe refert Galfridus: & cum exercitu quindecim milium armatorum (cui Uther Pendraco frater regis præfuerit) in Hiberniam miſſum,

* De eo videnda noſtra Epiſtolarum Hibernicarum Recenſio, pag. 160. 161.

nobilem illam structuram lapidum ex *Killarao* monte (Gillomanio Hiberniæ rege frustrà repugnante) secum asportâsse, atq; in Sarisburiensi planitie, in quâ hodie ea cernitur, collocâsse. De quâ fabulâ (licèt planè anili, communi tamen famâ multùm celebratâ) audiatur, si placet, Alexander Nechamus in suo de Divinæ sapientiæ laudibus Poëmate.

Nobilis est lapidum structura, Chorea Gigantum:
Ars experta suum posse, peregit opus.
Quod ne prodiret in lucem segnius, artem
Se, viresq; suas consulaisse reor.
Hoc opus adscribit Merlino garrula fama;
Filia figmenti fabula vana refert.
Illâ congerie fertur decorata fuisse
Tellus, quæ mittit tot Palamedis aves.
Hinc tantum munus suscepit Hibernia gaudens:
Nam virtus lapidi cuilibet ampla satis.
Nam respersus aquis magnam transfundit in illas
Vim, queis curari sæpiùs æger eget.
Uther Pendragon molem transvexit ad Ambri
Fines, devicto victor ab hoste means.
O quot nobilium, quot corpora sacra virorum,
Illic Hengisti proditione jacent!
Intercepta fuit gens inclyta, gens generosa;
Intercepta, nimis credula, cauta minùs.

Item Giraldus Cambrensis, in Hiberniæ Topographiâ. [a] *Fuit antiquis temporibus in Hiberniâ lapidum congeries admiranda, quæ & Chorea Gigantum dicta fuit: quia Gigantes eam ab ultimis Africæ finibus in Hiberniam attulerant, & in Kildarensi planitie, non procul à castro Nasensi, tam ingenij quàm virium opere mirabiliter erexerant. Unde & ibidem lapides quidam alijs similimi, similiq; modo erecti, usq; in hodiernum diem conspiciuntur. Mirum qualiter tanti lapides, tot etiam & tam magni nunquàm*

[a] Girald. Topograph. distinct. 2. cap. 18.

in

in unum locum vel congesti fuerint, vel erecti; quantoq; artificio lapidibus, tam magnis & altis, alij superpositi sint non minores: qui sic in pendulo & tanquàm in inani suspendi videntur, ut potiùs artificum studio, quàm suppositorum podio innixi videantur. Iuxta Britannicam historiam lapides istos Rex Britonum Aurelius Ambrosius divinâ Merlini diligentiâ, de Hiberniâ in Britanniam advehi procuravit: & ut tanti facinoris egregium aliquod memoriale relinqueret, eodem ordine & arte quâ priùs, in loco constituit, ubi occultis Saxonum cultris Britanniæ flos cecidit, & sub pacis obtentu, nequitiæ telis, malè tuta regni juventus occubuit.

In agro verò Kildariensi, à castro Nasensi duobus ferè passuum milibus, bina ejusmodi saxa conspiciuntur, quos *longos lapides* vocant. quanquã Britannicæ scriptor historiæ *Killair*, in Occidentali Midiâ sitam, intellexisse hîc potiùs videatur; ubi lapidem quendam suo tempore o Giraldus extitisse notat, *qui umbilicus Hiberniæ diceretur, quasi in medio & meditullio terræ positus.* pro quo tamen umbilico, *Birra* in comitatu Regio alius quidam excavatus lapis hodie ostenditur. Sed ad Sarisburiensem illam de quâ agimus saxorum molem nulla in Hiberniâ propiùs accedit, quàm quæ in agro Corcagiensi cernitur, juxta opidum, à lapidibus illis in loco olim silvestri positis, *Clonghskilty* appellatum: in quo fundamenta etiam conspiciuntur amplissimæ domus, quam nobilis illius Iohannis Magnavillani (sive *de Mandeville*, XXXIII. annorum peregrinatione notissimi) fuisse tradunt accolæ.

o Ibid. distinct. 3. cap. 4.

De Britannici exercitus ex Hiberniâ reditu subjicit p Galfridus. *Cum gaudio in Britanniam reverti cœperunt: & prosperantibus ventis applicant; sepulturasque virorum cum lapidibus apparant. Quod cùm indicatum fuisset Aurelio, diversos nuncios per diuersas partes Britanniæ direxit: jussitq; clerum ac populum submonere, submonitos verò in montem Ambrij convenire, ut cum gaudio & honore prædictam sepulturam repararent. Ad edictum ergo illius*

p Histor. Britannic. lib. 8. cap. 12.

us venerunt Pontifices & Abbates, & ex vnoquoque ordine qui ei subditi fuerant: & cùm omnes conveniſſent, inſtante die quæ prædeſtinata fuerat, impoſuit Aurelius diadema capiti ſuo, feſtumq; Pentecoſtes regaliter celebravit: tribuſq; ſequentibus diebus continuè celebrationi vacavit. Interea honores qui poſſeſſoribus carebant, domeſticis ſuis largitur; ut eis obſequij ſui laborem remuneraret. Evacuatæ erant duæ metropolitanæ ſedes, Eboraci videlicèt atque urbis Legionum, à paſtoribus ſuis: quibus communi populorum conſilio conſulere volens, conceſſit Eboracum Sampſoni illuſtri viro, ſummaque religione famoſo; urbem verò Legionum Dubricio, quem divina providentia in eodem loco profuturum elegerat. Cumq; hæc & cætera in regno ſuo ſtatuiſſet: præcepit Merlino lapides circa ſepulturam erigere, quos ex Hiberniâ aſportaverat. At ille præceptis ejus obediens, eodem modo quo in Killarao monte Hiberniæ poſiti fuerant, erexit illos circa ſepulturam: & ingenium virtuti prævalere comprobavit.

Ejuſdem Merlini *inſtinctu, Vortigonum regem Britonum valdè dilataviſſe fidem Chriſti*, ſcribit Wernerus Laërius in ſuo Temporũ quem appellat Faſciculo; Utheri Pendraconis fratrem (ut ex ſequentibus liquet) Ambroſium eo nomine intelligens: de cujus in fide Chriſtianâ propagandâ ſtudio Hectorem Boëthium, ſi placet, audias. *Migrant Ambroſij edicto populariter è Britanniâ in Germaniam cuncti Saxonum generis ad bellum idonei: cæteris vectigalibus factis; eâ lege ut Chriſti dogma profiterentur in Albione manere permiſſis. Venientes haud multo poſt tempore peregrinis è regionibus Britanni, in quas Saxonũ dudum arma declinantes confugerant, patrias ſedes abeuntibus Saxonibus occupârunt. Chriſti templa Ambroſij piâ operâ reſtituta; Pontifices ſacerdoteſq; ſuus ſunt vocati in ſedes; vera religio undique culta; Deorum gentilium ſtatuæ effractæ; qui gentilitatis ſacerdotes inventi in Britanniâ, diris ſupplicijs affecti. Sacris ſupplicationibus plures dies Londini eſt operè navatum, ſacræ ædes apertæ, &c.*

[9] Boëth. Scotor. hiſtor. lib. 8.

Verùm

Verùm Saxonum nonnulli in Britanniâ Ambrosio permittente remanentes, Christianam mentientes religionem, clàm idolis litabant: quâ re compertâ, capti sacrificuli, cæsi loris, illâ sine commiseratione ad unum sunt cremati. Quæ eâdem licentiâ in Ambrosij laudem sunt excogitata, quâ Iudæorum & Hæreticorum patrocinij affictum illi crimen est in impolitis illis [r] Gottefridi Viterbiensis versiculis.

[r] Gotfrid. Chronic part. 18.

Aurelius primogenitus, regnique monarchus,
Sic pacis sancita facit, sic profligat actus;
Ut reparet patria gaudia, lata quies.
Confovet optima, dissipat horrida, regia norma;
Pralia deprimit, abdita rejicit, apta reformat:
Rex erat, imò pater, gesta paterna parent.
Attamen admissâ patris feritate patrizat:
Nam priùs inflixa renovat tormenta remissa,
Et tenet erroris dogmata plena dolis.
Æmulus ipse Dei, populi fit tutor Hebrei,
**Atria scripta vehit, sectamque fovet Manichæi;* *Arria
Catholicique rei prorsùs habentur ei.
Post annos paucos, post multa pericula rerum,
Suscipit Aurelius fatum finemque dierum;
Iustus apud proceres, sed reus ante Deum.

Dubricium episcopum primùm Landavensem deinde Legionum urbis archipræsulem, non solùm verbo Pelagiana dogmata vehementer improbâsse, sed etiam librum contra Pelagianos scripsisse, [s] Iohannes Balæus asserit, cujus rei penès ipsum fides esto. In Dalmatiæ verò & Piceni provincijs eam hæresim hoc tempore pullulare cœpisse, ex Gelasij Romani Pontificis literis anno CCCCXCIII. conscriptis intelligimus. Sic enim ille, in [t] epistolâ ad Honorium episcopum. *Nunciatum nobis est in regionibus Dalmatiarum quosdam recidiva Pelagiana pestis zizania seminâsse: tantumque illic eorum prævalere blasphemiam, ut simplices quosque mortiferi furoris*

[s] Balæ Scriptor. Britann. Centur. I. cap. 51.

[t] Gelas epist 5. tomo 1. Conciliorum edit. Binij.

roris insinuatione decipiant. Est quidem error ipse nefarius tanto perniciosior ad subrependum, quanto ad fallendum verisimilitudinis colore versutior: præstante [tamen] *Domino, adest fidei Catholicæ pura veritas, concordibus universorum patrum deprompta sententijs, quæ & subtile virus funestæ pravitatis exponat, & humano generi salvando conferat de scripturarum confectione medicinam. Nullatenùs igitur discretionem rerum nondum abundantia corda conturbet; donec & occultum vulnus appareat, & salvatio singularis eluceat: quoniam quantalibet arte fallaciæ spiritus perditionis armetur; sancto gladio spiritus principalis & detegitur & necatur.*

[u] Ibid. epist. 6. Et in [u] alio ad eundem Rescripto. *Non solùm dilectio tua nostrâ non debet vigilantiâ permoveri, sed præsentis colloquij salutatione perceptâ, nobiscum potiùs industriam propriæ sociare solertiæ; quatenùs vel sive tentata sint talia, protinùs corrigantur, vel ne qualibet obreptione tententur, attentiùs præcavendo subintrare non valeant. De quibus autem ij, quos tua charitas destinavit, si pleniùs instrui voluerint, sequentes tituli cum suis responsionibus intimabunt. & quoniam se his acquiescere præfati eatenùs sunt professi, ut eadem se & primitùs tenuisse firmarent, sed ante ullius in quæstionem vocata vellent manifestiùs expediri: studuimus (quantum inter occupationes fieri potuit, quæ nos minimè respirare patiuntur) largiente Domino, sequentes paterna vestigia, de talibus quæ cepimus non silere. Quam regulam sobriè sentiendi quisquis fideli corde sectatur, inter Orthodoxos meritò debeat æstimari: quisquis verò putaverit abnuenda, ab Apostolicis sese non ambigat exulare doctrinis.*

[x] Ibid. epist. 7. Idem in [x] epistolâ ad Piceni Episcopos per Romulum diaconum missâ, de deliro quodam sene Pelagianæ hæreseos zizania in eâ provinciâ disseminante scribit ista. *Oblatus est nobis miserabilis senex Seneca nomine, qui non modò totius est eruditionis alienus, sed ipsius quoq; intelligentiæ cõmunis prorsùs extraneus, in Pelagianæ voraginis*

Apocal 16. 13. *cœno (sicut de quibusdam in Apocalypsi legimus) velut una*

ranarum

vanarum imprudenter immersus, inq; illâ fœce horribiliter volutatus, nullatenùs inde qualiter emergere posset inveniens: quia puritatem relinquens Catholicæ veritatis, quanto se per lubricum falsitatis conatur attollere, tanto magis ejus lutosis foveis circumclusus obruitur &c. Hæc etiam ipsa quæ idem proferre videbatur, olim & ab hæreticis Pelagianis in medium producta docuimus & à Catholicis prædicatoribus competenter elisa; Pelagium, Cœlestium, Iulianum, cæteroſq; complures oratoriæ facundiæ viros in hâc assertione probavimus fuisse convictos, & tam Ecclesiasticis constitutis, quàm Imperialibus etiam percussos fuisse præceptis: proinde istum ferre non posse firmavimus, in quibus illi tales tantiq; prostrati sunt; qui nec ipsa, quæ ab illis sunt disputata, vel intellectu capere, vel eloquio simili possit astruere. Deinde tria Pelagianæ sententiæ capita, *quæ sibi præcipuè hic sevum lugendus* (ut ille loquitur) *ascivit*, diligenter refutat.

I. *Cùm in uteris matrum opere divino creentur infantes; justum non videri, quòd factura Dei sine ullis propriis actionibus cuiquam peccato gignatur obstricta.*

II. *Parvulos sine sacro Baptismate pro solo originali peccato non posse damnari.*

III. *Gratiam ad salutem non esse necessariam; illamq; secundùm hominum merita conferri.*

Confutatione peractâ, Episcopos primùm coarguit, qui putridum silicernium tam diu sustinuerunt. *Quapropter*, inquit, *nimis incusamus fratres & coëpiscopos nostros, maximè per Piceni provincias Ecclesiam Domini gubernantes; qui non solùm ineptissimi sonis abjectaq; personæ pravum non deterruere colloquium, verùm & suo nutrivere consensu. Quis audiat? quis ferat? passos esse Pontifices, ut cadaver nescio quod indignum, presbyterum sibi non acquiescentem audire, communione privaret? Quomodo talis vel susceptus ab aliquo, vel patienter auditus est?* deinde in Hæreticum & ejus asseclas hanc profert sententiam. *Nusquàm loci prorsus inveniatur præfatæ pestis assertor; nec ac-*

ceſſum prorſùs Eccleſiæ, vel uſquam participationem Catholicæ communionis inveniat, qui hæreticorum mavult ſubſequi nefariâ profeſſione conſortium: & hì cum quibus antèa probabitur noxium miſcuiſſe colloquium, niſi reſipiſcunt & ab ejus ſocietate diſcedunt, ab Eccleſiaſtico remoti ſervitio, devotâ ultione plectantur, quò cæteris cavendi miniſtretur exemplum. Nullum adeàt: nec uſquàm loqui damnatæ olim blaſphemiæ jam ſinantur.

Fertur etiam Gelaſij adverſùs Pelagianam hæreſim ſcriptum ſingulare, ex vetuſto Codice Vaticano editum: cujus hoc initium. *De Pelagianis quidem ſenſibus blaſphemiſq́, ſacrilegis, & apud majores noſtros tam divinis quàm humanis legibus juſtâ diſcuſſione damnatis, nimis eſt copioſa materia; quia & illorum eſt multiplex pernicioſa perverſitas (eoq́, nocentior, quo veriſimilitudinis colore ſubtilior) quam de ipſius humani generis principe, pravo funeſtoq́ commento, non ità conceptam rerum conſequentium mendacijs texuerunt. Neceſſe eſt enim, ut qui à principio deviârit ab integro tramite, vagus ubiq́, progrediens, quanto ſe currere fortiùs putet, tanto plus erret; & in his ut competit refutandis diſputatio prolixa debeat adhiberi: quoniam quidem perfectæ medicinæ mos eſt, originem vel intelligere priùs vel reſerare morborum; eiſq́, patefactis, medelam conficere congruentem. quæ cuncta, ſi Dominus vitam facultatemq́, tribuerit, in quantum cœleſti rore vegetati valebimus, aliâs moliemur explicare. Nunc autem hunc articulum, qui quoſdam movere perhibetur, ſufficienter interim duximus explicandam; ut eodem conveniente inſpectio, quod in cæteris cavere jam debebant, Domino Deo noſtro præſtante, perpendant. Æſtimant igitur quidam in hâc vitâ poſſe quenquam hâc perfectione conſiſtere; ut nullis prorſùs fragilitatis humanæ pulſetur affectibus, nec corporeis exagitetur illecebris.* de quo articulo deinceps diſſerit: & hominem non vivere ſine peccato, multis Scripturæ prolatis teſtimonijs, confirmat.

Extabat & Iohannis Talaidæ Alexandrini Epiſcopi

ad

ad Gelasium Apologia; in quâ Pelagio & ejus sectatoribus anathema dictum fuisse, in Bibliothecâ suâ testatur Photius. [y] Ἀναθεματίζει δὲ, inquit, καὶ Ἰωάννης ὁ Ἀλεξανδρείας, ἐν τῇ πρὸς Γελάσιον τὸν Ῥώμης ἀπολογίᾳ, ὃ μόνον τῶν Πελαγιανῶν αἱρεσιν, ἀλλὰ καὶ Πελάγιον, καὶ Κελέστιον, καὶ ἔτι Ἰουλιανὸν, ὃς καὶ αὐτῶν ἐγνώσθη διάδοχος. *Damnavit & anathemate Iohannes Alexandrinus, in Apologiâ ad Iohannem Romanum Episcopum, non solum Pelagianam hæresim; verum etiam Pelagium ipsum atq; Cœlestium, unâ cum Iuliano, qui in hâc ipsis sectâ successisse deprehensus est.* Adhuc verò superest Romana LXX. Episcoporum Synodus sub eodem Gelasio habita: in quâ non modò *Cœlestius, Pelagius, & Iulianus* damnantur, atq; *Augustini, Hieronymi & Prosperi* (*viri*, ut ibi appellatur, *religiosissimi*) libri commendantur, sed etiam *Cassiani presbyteri & Fausti Regiensis* Opuscula inter apocrypha & improbatæ lectionis scripta nominatim recensentur; eaq; ratione tùm Pelagianorum tùm Semipelagianorum dogmata totius Synodi decreto reprobantur. quod illum Cassiani & Fausti laudatorem Gennadium fugisse videtur, quum librum suum de Ecclesiasticis dogmatibus Gelasio censendum obtulit. quanquam si quid reliquiarum Pelagianismi in eo delitesceret, partim *tribus adversus Pelagium libris* ab ipso editis dilui, partim sub sanctioribus illis effatis quæ huic ipsi Operi sunt interspersa abscondi potuisse non diffideret. [z] *Initium salutis nostræ Deo miserante habemus.* [a] *Nullum credimus ad salutem nisi Deo invitante venire.* [b] *Bonæ cogitationes semper à Deo sunt.* [c] *Nullus sanctus & justus caret peccato.*

[y] Phot. Bibliothec. num. 54.

[z] Gennad. Ecclesiast. dogmat. cap. 31.
[a] Ibid. cap. 56.
[b] Ibid. cap. 82.
[c] Ibid. cap. 86.

Hoc enim *de Fide* suâ Opus illud esse putatur, cujus in scriptorum suorum recensione ita ipse meminit. *Ego Gennadius Massiliæ presbyter scripsi adversus omnes hæreses libros octo, adversus Nestorium libros sex, adversus Pelagium libros sex, & Tractatus de mille annis* [*in Apocalypsi B. Iohannis.*] *Et* HOC *opus de Fide meâ misi ad Gelasium*

lasium urbis Romæ Episcopum. quod pronomen demonstrativum verba ista tractatui *de Ecclesiasticis dogmatibus* subjuncta fuisse arguit, non alteri *de Ecclesiasticis scriptoribus* libello; cui in Suffridi Petri editione (consentientibus etiam codicibus, quibus in suis Scriptorum catalogis Honorius Augustodunensis, Bostonus Buriensis & Iohannes Trithemius sunt usi) attexta conspiciuntur. Hîc verò in memoriam revocandum est quod * suprà indicavimus, Hieronymiani Catalogi, ut *Hæreticorum*, ita etiam *Scriptorum Ecclesiasticorum* Supplementum edidisse Gennadium, quum Timotheus hæreticus adhuc viveret in exilio; à quo revocatus anno CCCCLXXV. post biennium vivere desijt. Et quidem in *Timotheanis* terminatur Gennadianus Hæreticorum Indiculus. quæ enim in libro edito sequuntur, ex [d] Isidoro Hispalensi sunt tradu&ta: quem hinc etiam (unâ cum exscriptoribus suis, [e] Rabano, [f] Honorio & [g] Gratiano) in *Bonosiacis* suo loco restituendis obiter emendare liceat. Cùm enim hîc *Bonosiaci* proximè ante *Acephalos* sint collocati; antiquarius aliquis eorum ordinem antiquiorem fuisse animadvertens, ex eâ sede motos inter *Donatistas* & *Circumcelliones* temerè intrusit: planè contra Isidori mentem, qui Circumcelliones describens ut *supradictæ hæresis habentes doctrinam*, non *Bonosiacos* sed *Donatistas* (quorum partem *Circumcelliones* extitisse notum est) præcessisse demonstrat.

Scriptorum Ecclesiasticorum continuationem auxit posteà Gennadius, & ad initia Imperij Anastasij perduxit. In ipso Anastasij exordio librum ab eo fuisse editum, ex eo colligit [h] Baronius, quòd *de Gelasio Papâ agens ipsum vitâ functum esse ait sub Anastasio Imperatore, quem constat primo Anastasij anno nondum absoluto vitâ functum esse; de reliquis verò scriptoribus qui post hæc floruerunt nihil scribat, ut de Avito Episcopo Viennensi, & alijs.* Verùm memoriæ lapsu manifesto Gelasij exitum eo anno collocat, in quo ponendum erat Pontificatus ipsius initi-

* Supr. cap. 11. pag. 319.

[d] Isidor. Origin. sive Etymolog. lib. 8. cap. 5.
[e] Raban. de Institut. Cleric. lib. 2. cap. ult.
[f] Honor. Augustodun. libell. de Hæresib.
[g] Gratian. caus. 24. quæst. 3. cap. penult.

[h] Baron. Annal. tom. 6. ann. 490. §. 46.

initium: neq; advertit, in eâdem Suffridianâ Catalogi Gennadiani editione, in quâ mortis Gelasij facta est mentio, etiam Cæsarium Arelatensem commemorari; qui non solùm sub Hormisdâ cum Avito Viennensi claruit, sed etiam [i] Arausicano Concilio XXXIII. post mortem Gelasij annis contra Semipelagianos habito, sub Felice IIII. præfuit. Ex quo dubium illud expediri facilè poterit, quod verbis hisce proximè præcedentibus, de libelli Ecclesiasticorum dogmatum interpolatore, ab eodem Baronio est propositum. *Quæ à capite vigesimoprimo ejusdem commentarij usq; ad vigesimum secundum interjacent, non esse Gennadij, sed Gennadij correctoris, optimè observavit doctissima schola Lovaniensis: fuerit ne id factum censurâ Gelasij, librum ad se missum cognoscentis et emendantis, vel ejus jussione alius aliquis id præstiterit, haud affirmare omninò auderem, vel negare.* Nam ut caput XXII. cum decem sequentibus ex Celestini I. [k] Capitulis, & XXXIII. cum quatuor proximis ex [l] Africanâ Synodo, ita XXXVIII. & tredecim sequentia ex Arausicano illo Concilio tot annis post Gelasij excessum celebrato ad verbum sunt descriptâ; ac non modò post Gelasij, sed etiam post Rabani tempora (ut [m] ostendimus) recentioris alicujus critici studio, medicamenti loco, suspectæ sanitatis scripto interposita.

[i] Id. in Appendic. tom. 10. ad annum 529.

[k] Supr. pag. 361.

[l] Supr. pag. 276.

[m] Supr. pag. 428.

Ante mortem verò Gelasij multoq; magis ante Pontificatum Felicis IV. sui de Ecclesiasticis scriptoribus libelli Appendicem Gennadium absolvisse (ideoq; *Gelasij & Cæsarij* commemorationem illam, ac pari ratione additamenta illa reliqua ad veterem editionem à Suffrido Petro adjecta, à posteriore esse manu) ex hisce authoris de *Theodulo* verbis deprehendisse mihi videor. *Moritur hic scriptor ante triennium, regnante Zenone.* Anno enim CCCCXCI. quo Consulatum gessit Olybrius, Zenonem interijsse, ex Fastis Cassiodori, Marcellini Comitis & Victoris Tonnonensis liquet: succedente Anastasio; quem in Consulatu ejusdem Olybrij filij Ariobindæ,

mense Xanthico sive Aprili, feriâ quintâ majoris Hebdomadæ (quæ eo anno in XI. Aprilis diem incidit) Indictione XIV. inauguratum fuisse, in Constantinopolitano Chronico legimus, quod Alexandrini nomine à Matthæo Radero habetur editum. Ultra annum igitur CCCCXCIIII. nequaquàm processit Gennadius, Asterij atq; Præsidij Consulatu prænotatum: ad quem Romanam LXX. Episcoporum Synodum, absq; ullo tamen veterum vel codicum vel authorum testimonio, retulit Severinus Binius. Et quum ante biennium Gelasium Pontificatum inijsse constet, cujus in *Honorato Massiliensi* ille meminit; ipso anno CCCCXCIIII. qui Anastasij tertius, Gelasij verò secundus fuit, supremam libro manum Gennadium appositisse, ego mihi facilè persuaserim. Num verò ad annum æræ Hispanicæ DLXXII. sive Christi DXXXIIII. (quod in Chronico Maximo Cæsaraugustano tributo legimus) vitam ille produxerit; viderint alij.

[a] Io. Trithem. de scriptorib. Ecclesiastic. in *Godelberto*.

[b] Sigebert de scriptorib. Eccles. cap. 23.

[p] Dempster. Histor. Ecclesiastic. Scotor. lib. 7. num. 608.

[a] Claruit etiam, [b] *ut ferunt*, temporibus Anastasij Augusti, anno Domini quingentesimo, Godelbertus presbyter, qui Alcimi Aviti Viennensis episcopi, ut [b] Sigebertus scribit, *studium imitatus, per historias & allegorias divinæ Scripturæ ab initio Mundi usq; ad partum Virginis heroico pede eleganter cucurrit*. De eo Thomas Dempsterus. [p] *S. Godelbertus presbyter, Rhetor disertissimus, Philosophus Platonicæ sectæ subtilissimus, Theologus memorabilis, nec Anglo-Saxo, nec Britannus, sed Scotus (ut discere potuisset non ab Annalibus modo nostris, sed à magistro suo Balæo singularis impudentiæ Ioannes Pitseus:) præceptorem habuit S. Sedulium; ad cujus imitationem, Heroicum suum Poëma à Mundo creato usq; ad Christum natum summâ majestate perduxit.* Atqui *Scotum* hunc fuisse, neq; in Annalibus ullis ego adhuc invenire potui, neq; in Balæo: cujus de Godelberti patriâ verba hæc sunt. [q] *Ex aliquotum scriptorum conjecturis, genere Anglosaxonicus fuit: eum nihilominùs poëtam Britannicum Lilius Gyraldus*

[q] Io Balæ. scriptor. Britann. Centur. I. cap. 49.

dus in Poëtarum historijs vocat. quanquam nec *Britannicum* fuisse, vel [r] Lilius Gyraldus, vel scriptorum (quod ego quidem sciam) ante Balæum quisquam alius, tradiderit.

[r] Lil. Gregor. Gyrald. Poëtar. histor. Dialog. 5.

Nomen certè illius, Anglosaxonicæ & Francicæ potiùs quàm Britannicæ vel Scoticæ est originis: ut si Anastasij temporibus ille claruerit, (de quo mihi nondum liquet) in Francicorum scriptorum numero, cùm Anglosaxones à Christianâ fide adhuc fuerint alieni, reponendus fuisse videatur. Nam quòd in *Sanctorum* Catalogum Dempsterus eum refert, & (quòd [s] Cottam fortasse legisset, *neq; indisertum Academicum pertimuisse, nec sine istâ Philosophiâ rhetorem quamvis eloquentem*) inter *Rhetores disertissimos* atq; *Philosophos Platonicæ sectæ subtilissimos* eundem connumerat; commenti genus est illi homini non minùs familiare, quàm librorum qui nunquam scripti sunt ex ipsius otioso deprompta cerebro recensio. Trithemius, præter Poëma illud à Sigeberto commemoratum, cujus titulum fuisse dicit, *Allegoriæ Scripturarum lib. 4. & alia plura scripsisse* Godelbertum retulit. Balæus, ne non amplius aliquid quàm Trithemius vidisse putaretur, præter illud Opus non solùm *Homiliarum & Epistolarum librum unum*, sed etiam *alia plura composuisse* addit, *licèt non compareant.* & ne nihil quam illi plus noviisse Dempsterus existimaretur, præter *Homiliarum lib.* 1. & *Epistolarum libros quinque* (tot enim illi commini sci libuit) *Poëmatum* quoq; *Latinorum variorum librum unum* scripsisse asserit. quæ non habenda nauci sunt omnia.

[s] apud Ciceron. initio lib. 2. de naturâ Deor.

Apud Britannos verò claruisse dicuntur hoc tempore Paulinus Gundleus, & Cadocus. Paulinum Giraldus Cambrensis laudat: de Davidis Menevensis institutione ita scribens. *Succedente tempore, crescentibus quoq; virtutum meritis, ad centesimum summopere fructum aspirans, carnemq; ab omni libidine servans immunem; ad sacros gradatim ordines provectus, tandem sacerdotali dignitate est sublimatus.*

sublimatus. Exin profectus est in Vectam insulam, ubi Paulinus Germani discipulus, divinis ex toto mancipatus officijs, gratam Deo vitam agebat: ut præceptoris ejusdem tam doctrinis instructus quàm exemplis informatus, longè efficaciùs & divinis scripturis imbueretur, & ad patriam à viâ felici cursu transveheretur. De Gundleo & Cadoco ista refert, in eorum Vitâ, Iohannes Tinmuthensis. *S. Gundleus filius regis Australium Britonum extitit: & post mortem patris regno in septem partes diviso, sex ejus fratres portiones suas acceperunt; & ipsi quasi seniori in omnibus parebant. Gundleus verò ex uxore suâ Gladusâ filium suum nomine Cadocum genuit, virum sanctum & Deo placentem.* Posteà, *regno Cadoco filio suo commendato,* Ecclesiam construxit; ibiq; *in magnâ abstinentiâ et vitæ sanctimoniâ vivere cœpit.* Cadocus autem monasterij Nancarbanensis sive Lhancarvanensis (in Glamorgantâ tribus passuum millibus à Cowbrigiâ positi) *Abbas effectus, ipsum sæpè visitans confortabat: asserens non inchoantibus coronam esse promissam, sed perseverantibus in bonum. Pascebat q; Cadocus centum quotidie clericos, totidem pauperes, & totidem viduas; præter advenas & hospites ad illum crebrò venientes. Licèt enim Abbas multos sub se monachos regeret; portionem tamen regni patris sui possidens, indigentibus necessaria distribuit.*

[t] Quo tempore viam universæ carnis ingressurus erat S. Patricius, ([u] *Ecclesiæ Christi eximium decus, & totius Hiberniæ splendidum sidus*) S. Winwalocus Britannus vitam apud Armoricos agens monasticam, ad insulam quandam se transtulit; in eâq; cum socijs suis triennio mansit, vitam ducens eremiticam. Unde ad continentem rediens, in *Tauraco* monasterio reliquam vitæ partem exegit, ibiq; [x] *plenus dierum* V.° *Nonas Martias, quartâ feriâ in primâ Quadragesimæ hebdomadâ*, (in illum verò mensis Martij diem anno DIIII. dies *Cinerum* incidit) animam Deo reddidit. Anno DVIII. Cerdicum Saxonem & filium ipsius Kenricum unâ die quinq;

[t] Iocelin. in Vitâ Patricij, cap. 182.

[u] Vit. Winwaloci, apud Surium, tom. 3. Mart. 3.

[x] Vit. ejusd. MS. in Bibliothecâ Cottonianâ.

milia

milia Britannorum cum rege suo *Nazaleod* sive *Natanleod* occidisse, Anglosaxonum tradunt Annales; indeq; regionem illam usque ad *Cerdices-ford* (ea hodie Hantonien sium *Chardford* est) Nazanleogæ sive Natanleagæ nomen accepisse. y Hector Boëthius Utherum Pendraconem Britannis tunc imperâsse, & Nathaliodo huic, *homini obscuræ originis, longâ familiaritate viri magis quàm virtute pellectum, summam detulisse belli administrationem*; eundemq;, *præstantissimum secundùm regem dutem, cum quindecim hominum millibus* cæsum fuisse scribit. Matthæus Florilegus, vel ejus saltem interpolator, anno DVIII. Utherum regem, infirmitate laborantem, *Ducem Nathanlioth principem militiæ Britonum ordinavisse*; eumq; cum *quinque milibus virorum* corruisse refert: deinde de novâ clade, post triennium ecclesijs Britanniæ à Saxonibus illatâ, subjungit ista.

y Boëth. Histor. Scotor. lib. 9.

Anno gratiæ DXI. *videntes Saxones qui Britanniam inhabitant Uther Pendragon regem gravi infirmitate depressum, convenerunt omnes in unum, ut omnes insulanos à finibus suis expellerent, & junctis viribus fertilem patriam sibi in perpetuum subjugarent. Perlustrantes itaq; quasq; provincias, cùm neminem sibi resistere cognovissent, totam fere insulam à mari usque ad mare devastare cœperunt. Nec Prælatis ecclesiarum vel rebus Ecclesiasticis parcentes, Christianitatem penè totam in insulâ deleverunt. Insulani autem Regem infirmum deserentes, ad montium abrupta & silvarum latibula confluxerunt: secundùm illud antiquum proverbium;*

Cui caput infirmum, cætera membra dolent.

In hâc persecutione promovendâ non postremas *Cerdiei* partes fuisse ferunt: de quo in Wintonien sis Ecclesiæ historiolæ capite 9°. ita legimus. *Bonitate fidei Christianæ per adventum Cerdici in partibus Gewisæorum exclusâ, secundò Monachi interficiuntur in ecclesiâ Amphibali, quæ Vetus cœnobium vocatur, in Wentanâ civitate: & de monasterio Christi & sancti Amphibali ecclesia illa*

templum efficitur Dagon CXLII. *annis, usque adventum S. Birini Gewisæorum Apostoli; qui missus est à B. Papâ Honorio, & venit in terram Gewisæorum* XLI.* *post adventum S. Augustini in Angliam, anno scilicèt gratiæ* DCXXXV.* & in Antiquitatibus ejusdem Ecclesiæ, similiter. *Monachi denùò introducti inhabitant ecclesiam Wintoniæ in quietâ pace, à morte videlicèt Diocletiani usque ad adventum Cerdicij Saxonici & pagani ac Westsaxonum Regis primi, hoc est,* CCX. *annis. Et tunc iterùm monachi occisi sunt à paganis Saxonibus, & ecclesia Wintoniæ de domo Dei & sancti Amphibali templum efficitur Dagon; videlicèt* CXLII. *annis, usque ad adventum sancti Birini Gewisæorum primi Episcopi & Kinigilsi Regis. Ab adventu Cerdicij & secundâ monachorum interfectione, & à tempore quo ecclesia Wintana efficitur templum Dagon, florent anni nongenti octo.* (ad tempus nimirùm,* quo ista ab authore scripta sunt.) & in majore Thomæ Rudburni Chronico, lib. 2. cap. 1. *Cerdicus sive Cerdicius super Britones plures exercens victorias, post adventum suum anno* XIIII.* *monarchiam Occidentalium Saxonum adeptus, regni diadema suscepit; coronatus more gentili apud Wintoniam, in loco quem de Christi ecclesiâ. i. Wintonienſi, monachis interfectis, pagani templum fecerant Dagon; anno Dominicæ incarnationis* DXVI.* *anno secundo regni Arthuri regis Britonum.*

*Vid. supr. pag. 165, 166.

Quòd si in perplexis antiquiorum istorum temporum rationibus extricandis conjecturæ locum aliquem liceat concedere: quandoquidem *Natanleodum* illum, de quo diximus, non modò *Regem* Fabius Ethelwerdus, Florentius Wigornienſis & Angloſaxonici omnes Annales, ſed etiam *Regem maximum Britannorum* x Henricus Huntingdonienſis appellat, videndum an eo nomine alius hîc poſſit accipi, quàm ipſe rex *Utherus*; qui proprio nomine *Natanleodus* dictus, *Admirandi* ſive *Horribilis* (id enim Cambro-britannis Uthr ſonat) ob res fortiter à ſe geſtas cognomentum poſtea obtinuerit.

xH. Huntingd. hiſtor. lib. 2.

nuerit. quomodo in notulis Ninio adjectis, de filio & successore illius Arthuro legimus. *Mâb uter Britannicè, Latinè filius horriblis: quoniam à pueritiâ suâ crudelis fuit. Arthur Latinè translatum, sonat* * *ursum horribilem; vel malleum ferreum, quo confringuntur mola leonum.* Hoc verò ita posito, & certior aliquanto harum rerum institui posset Chronologia, & de regni Arthuriani initio aliquid haberemus tandem comperti; de quo tantopere inter scriptores videmus variari.

* Ut Græcis ἄρκτος, ita Britannis Arth Ursum notat.

Inter exteros enim, [a] Iacobus Meyerus anno CCCCLVIII. *floruisse regnum Arthuri in Britanniâ* asserit: sub Hilario, qui post triennium Pontificatum Romanum est adeptus, illum regnavisse Martinus Polonus annotat. Circa annum Leonis Imperatoris XI. (qui ejusdem Hilarij postremus, Christi CCCCLXVII. numeratur) cœpisse illum regnare refert in Speculo Historiali Vincentius; & eum secutus monachus Nussiensis, in magno Chronico Belgico à Pistorio edito. *Mortuo*, inquit [b] Vincentius, *Uther-pendragon Rege, sublimatus est in regno filius ejus Arthurus; cujus mirabiles actus etiam ora linguæve personant populorum: licèt plura esse fabulosa videantur. Qui multâ probitate pollens, cunctis se amabilem exhibebat; quia cum virtute animi etiam mirâ liberalitate afflubebat.* Zenone Leonis successore imperante, Arthurum regnâsse significant in Chronicis suis Radulphus Niger, Valerius Anselmus Ryd & Huldricus Mutius. Anno CCCCLXXXV. (qui Zenonis fuit duodecimus) natum illum fuisse [c] Iohannes Gerbrandus retulit. *Quindecim* annorum juvenem [d] Guilielmus Malmesburiensis, [e] Galfridus Monemuthensis, [f] Matthæus Florilegus & [g] Eulogij author; *octavum decimum* ætatis agentem annum, [h] Ranulphus Cestrensis, [i] Iohannes Tinmuthensis & [k] Georgius Buchananus, Regem factum fuisse narrant. Anno DXV. Radulphus de Baldoc & Thomas Rudburnus; DXVI. Matthæus Florilegus & David Pouelus; DXXVIII. [k] Buchananus; DXXII. [l] Hector

[a] Meyer. Annal. Flandr. lib. 1.

[b] Vincent. lib. 20 cap. 56. Antonin. Chronic. tit. 11. cap. 2. §. 2.

[c] Iohan. Leidens. Chronic. Belgic. lib. 1. cap. 13.

[d] Malmesbur. de Antiquitat. eccles. Glastonienſ.

[e] Histor. Britannic lib. 9. cap. 1.

[f] Flor Histor. ann. 516.

[g] Eulog. lib. 5.

[h] Polychronic. lib. 5 cap. 6.

[i] Iohan. in Aurea historiâ.

[k] Buchanan. rer. Sceticar. lib. 5. in Rege XLV.

[f] H. Boëth. Scotor hist. v. lib. 9.

Hector Boëthius, regnare illum cœpisse tenuit.

Guilielmus Malmesburiensis libro 1. de gestis Regum Anglorum capite 2. anno Dominicæ Incarnationis CCCCXCV. *Cerdicum* in Britanniam venisse, ac Britones ita contudisse docet, ut *in ejus jura volentes concesserint*; posteaq; *crebras circumquaque victorias extendentem, post adventum suum vicesimo quarto anno in occidentali parte insulæ, quam illi West-saxam vocant, monarchiam adeptum esse.* Idem verò, in Glastonienſis ecclesiæ Antiquitatum libello, *hujus Cerdici anno decimo cœpisse regnare super Britones Arthurum* ait: quo etiam anno *surrexisse apud Britones Arthurum belligerum*, in Ranulphi Cestrensis Polychronico, & Iohannis Tinmuthensis Aureâ historiâ legimus; anno nimirùm *gratiæ*, ut Henricus Marleburgensis explicat DXXVIII. [m] Westsaxonici regni cum Malmesburiensi & Huntingdoniensi, ab anno DXIX. deducto principio. Addit verò Ranulphus. *In quibusdam Chronicis legitur, quòd Cerdicus sæpiùs cum Arthuro confligens, si semel vinceretur aliâ vice acrior surrexit ad pugnam: tandem Arthurus extædiatus, post XXVI. annum adventus Cerdici, fidelitate sibi juratâ, dedit ei Hamteschiram & Somersetam; quam partem vocavit Westsexam.* Factum hoc ex Divionensis cujusdam Chronicis, refert Lelandus, non post XXVI. sed *post duodecimum annum adventus Cerdici*; qui in æræ Christianæ DVI. incidit. [n] Thomas Rudburnus, decennio insuper addito, *anno Dominicæ Incarnationis* DXVI. quem ille *secundùm regni Arthuri* numerat, *Cerdicum sæpiùs cum Arthuro conflixisse, pertæsum Arthurum cum Cerdico deinceps prælia inire fœdus cum illo pepigisse, & concessisse Cerdicum Cornubiensibus ut sub annuo tributo ritum Christianæ religionis observarent, in majore memorat Historiâ.*

[m] Polychronic. lib. 5. cap. 6.

[n] Rudburn. Chronic. lib. 2. cap. 1.

Res à Gildâ Albanio in Britanniâ, Arthuro regnante, gestas in ejus vitâ Caradocus sic enarrat. [o] *Cadocus Abbas Nancarbanensis ecclesiæ rogavit Gildam Doctorem ut regeret studium scholarium per anni spatium: & rogatus*

[o] Caradoc. Lancarvan. vit. Gild. cap. 14.

tus rexit utillimum, nullâ mercede acceptâ à scholaribus, praeter orationes cleri & scholarium. p Ubi ipsemet scripsit opus quatuor Euangelistarum; quod adhuc remanet in ecclesiâ sancti Cadoci, auro & argento undique coopertum, ad honorem Dei & Scriptoris sanctissimi & Euangeliorum. Tenent Walenses indigenæ illud volumen pretiosissimum in conjurationibus suis, nec audent aperire ad videndum, nec confirmant pacem & amicitiam inter inimicos, nisi illud affuerit imprimis appositum. q Finito anni spatio, & scholaribus recedentibus à studio, sanctus Abbas Cadocus & Gildas Doctor optimus communi consilio adierunt duas insulas, scilicèt Rouech & Echni. Nolebant impediri in Ecclesiastico officio à confluentiâ hominum: propterea nescibant melius consilium, quàm relinquere Carbanam vallem & adire in ulare secretum. r Dum sic perseveraret S. Gildas intentus jejunijs & orationibus, venerunt piratæ de insulis Orcadibus: qui afflixerunt illum, raptis ab eo suis famulis servientibus & ductis in exilium cum spolijs & omnibus suæ habitationis supellectilibus. Unde afflictus nimiùm, non potuit ibi amplius habitare.

p Cap. 15.

q Cap. 16.

r Cap. 18.

s Reliquit insulam, ascendit naviculam, & ingressus est Glastoniam cum magno dolore; Meluas rege regnante in * æstivâ regione. Susceptus vir suscipiendus à Glastoniense Abbate, docuit confratres & diversas plebes, seminans semen seminandum cœlestis doctrinæ. t Ibi scripsit historias de Regibus Britanniæ. Glastonia, id est, Urbs vitrea: quæ nomen sumpsit à vitro & * urbis nomine primitùs in Britannico sermone. u Obsessa est itaque ab Arthuro tyranno cum innumerabili multitudine, propter Guennivar uxorem suam, violatam & raptam à prædicto iniquo Rege, & ibi detenta (propter refugium inviolati loci, propter munitiones arundineti & fluminis ac paludis) causâ tutelæ. x Quæsiverat Rex rebellis reginam per anni circulum; audivit tandem illam remanentem: illicò commovit exercitum totius Cornubiæ & * Dihueniæ; paratum est bellum inter inimicos. Hoc viso Abbas Glastoniæ, comitante clero &

s Cap. 19.

* Sommerſetſhire.

t Cap. 20.

* Buvp

u Cap. 21.

x Cap. 22.

* Devoniæ, Cambrobritanniæ Ducatuque dictæ.

Gildâ Sapiente, intravit medias acies: consuluit Meluas Regi suo pacificè ut redderet raptam. Reddita ergo fuit, quæ
y Cap. 23. *reddenda fuerat, per pacem & benevolentiam.* y *His peractis, duo Reges largiti sunt Abbati multa territoria: qui venerunt ad templum S. Mariæ visitandum & orandum; confirmante Abbate fraternitatem dilectam pro pace habitâ, & pro beneficijs quæ fecerant & ampliùs quæ facturi erant. Inde redierunt Reges pacificati: promittentes veneranter obedire reverentissimo Abbati Glastonienſi, & nunquam violare sanctissimum locum nec etiam subjacentia loco principali.*

z Cap. 24. z *Habitâ licentiâ Abbatis Glastonienſis, cleri & populi, cupivit religiosissimus Gildas eremitariam iterùm vitam*
* *Axi* *colere supra ripam* * *fluminis proximi Glastoniæ: & voluntatem complevit in opere.*
a Cap. 25. a *Ubi ædificavit ecclesiam in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: in quâ jejunabat & orabat assiduè, & cilicio indutus, exemplum donans omnibus irreprehensibile bene vivendi cum religione. Visitabant sancti viri illum visitandum, de longinquis partibus Britanniæ: admoniti redibant, & audita hortamenta & consilia retinebant cum exultatione.* Mortuus tandem Gildas, & ad Glaſtonienſem Abbatiam delatus,
b Cap. 27. b *sepelitur in medio pavimento ecclesiæ B. Mariæ.* Hæc, in illius Vitâ, Caradocus Lancarvanenſis: quibus & hoc, ex Guilielmi Malmesburienſis de Glaſtonienſis eccleſiæ antiquitate libello petitum, adjungimus. *Sicut à majoribus accepimus, Gildas neq; insultus neq; infacetus historicus (cui Britanni debent, si quid notitiæ inter ceteras gentes habent) multum annorum ibi exegit, loci sanctitudine captus: ibiq; anno Domini* DXII. *de medio factus, in vetustâ ecclesiâ ante altare est sepultus.*

Idem obitus annus & in magnâ Glaſtonienſis eccleſiæ Tabulâ illi aſſignatur (ubi *strenuissimi regis Arthuri capellanus* nuncupatur) & in Vitâ illius à Iohanne Capgravio editâ; ubi migraſſe etiam *quarto calendas Februarij* legitur. In anonymo tamen Glaſtonienſi Chronogra-

nographo, ad annum DXXII. annotatum reperi: *S. Gildas Britonum historiographus migravit ad Dominum; corpusq; suum in vetustâ Ecclesiâ ante altare Beatæ Mariæ usq; ad combustionem Ecclesiæ requievit.* Post combustionem enim illam, quam anno MCLXXXIIII. contigisse [c] ostendimus, *in vetustâ Ecclesiâ effossa esse corpora sanctorum Patricij à dextris altaris, Indracti sociorumq; ejus à sinistris, & sancti Gildæ de pavimento ante altare, & in scrinijs collocata*, Guilhelmi Malmesburiensis interpolator retulit. Quod etiam in Glastonienſis cœnobij reliquiarum Indiculo ita consignatum invenimus. *In feretro* S. David Menevensis archiepiscopi *continentur reliquiæ S. Gildæ Britonum historiographi: & solùm deficiunt hanchiæ. Qui post obitum suum sepultus fuit in vetustâ Ecclesiâ ante altare gloriosæ virginis Mariæ: & ibidem sexcentos, quinquaginta, & viginti duos annos usq; ad combustionem ejusdem Ecclesiæ jacuit; & postea, sicut Domino placuit, translatus fuit in scrinio argenteo.*

[c] Supr. cap. 6. pag. 118. & 120.

Philippus Ferrarius, in Catalogo generali Sanctorum qui in Martyrologio Romano non sunt, nono Kalendas Februarij, Benaventæ in Angliâ S. Sophiæ Episcopi & martyris anno 490. ibidemq; S. Cadocci martyris anno 500. passi, memoriam celebrari asserit. Verùm Iohannes Capgravius, ad quem nos ille remittit, unum & eundem facit *Cadocum* & *Sophiam*: neq; *Beneventam* hîc intelligit aliam, quàm notissimam illam Italiæ urbem Beneventanam. Narrat enim Cadocum, Gildæ de quo jam egimus perfamiliarem, Abbate in monasterio suo Lancarvanensi ordinato discipulo suo Ellenio (reginæ cujusdam transmarinæ filio) de terrâ Britanniæ decessisse; & novo *Sophiæ*, quòd sapientiâ Dei plenus esset, accepto nomine, Beneventanæ civitatis primò Abbatem, deinde Episcopum effectum, nono Kalendas Februarij martyrio ibidem vitam finivisse: atq; hâc demùm fabellâ totam illius Legendam concludit. *In ejus honore fundata est ibi Ecclesia magna super sepulchrum ejus;*

ejus; in quâ nullus Britannus intrare permittitur. Futurum est enim, ut asserunt cives, quendam Britonem ex suo in Britanniam monasterio, scilicet Lancarvan, illuc advenire; & reliquias corporis sancti furto inde quandoque auferre. Quinimò, quod gravius est, post ablationem corporis sancti fontem illum qui secùs est urbem (quem ad operariorum usum in ædificatione murorum civitatis per illius preces de tellure manare fecit) velut mare super totam urbem & illius habitatores inundaturum præsagiunt.

Hujus Cadoci, dum Lancarvanensis fuisset Abbas, hortatu [d]Iltutum (nobilissimi militis Bicani & Rieniguilidæ filiæ regis minoris Britanniæ filium) seculo renunciâsse ferunt; postquàm à consobrino suo Arthuro rege *cum honore receptus, tandem ad regem Morganensium veniens Curiam ejus sub ipso rexisset, secundus à rege factus.* Hunc S. Germani fuisse discipulum & in [e] Vincentij Speculo historiali & in [f] Landavensi Regesto legimus: licèt id ægrè temporum ratio patiatur. [g] A Dubricio Landavensi episcopo in loco qui ab illo **Lan-iltut**, id est, *Ecclesiæ Iltuti* accepit nomen est constitutus. Is locus,* Morganiæ prope mare, nec procul à Lancarvanensi Cadoci monasterio ad Bovertonum positus, paulo contractiùs **Lan-twit** hodie appellatur. Ibi Ecclesiâ primùm, deinde monasterio extructo, Merchiauno cognomento Vetano Morganiæ rege approbante, gymnasium aperuit: de quo scriptor vitæ ipsius anonymus. *Confluebant ad illum scholares plurimi: quorum de numero quatuor isti; Samson, Paulinus (vel Paulus potiùs) Gildas & Dewi (id est, David) studebant sapienter eruditi; aliíq; complures sicut illi.* & vitæ Gildæ scriptor, ex Floriacensi Bibliothecâ editus. [h] *In Schola Doctoris Hilduti erudiebantur plurimi nobilium filij; inter quos præclariores erant, tam generis nobilitate quàm morum probitate, Samson videlicet atque Paulus: sed hos quoque mirâ ingenij sagacitate superabat Gildas beatus. Ex quibus Samson sanctissimus postea Britannorum extitit Archiepiscopus;*

[d] Iohan. Tinmuthens. in vitâ Iltuti.

[e] Vincent. lib. 21. cap. 105.

[f] Regest. Landav. in vitâ Samsonis.

[g] Ibid. in vitâ Dubricij.

* Gla-morgan-shire.

[h] Vit. Gild. cap. 3.

Paulus

Paulus verò Oxismorum Ecclesiæ præfuit Episcopus. Gildas autem non *Albanius* (de cùjus morte jam egimus) hîc intelligendus sed (de cujus nativitate in fine hujus Capitis erit agendum) *Badonicus*: Samson *Dolensis*, & Paulus * *Leonensis* in Britanniâ Armoricâ Episcopi sunt pariter accipiendi. * S. Paul de Leon.

Dubricij Landavensis Episcopi temporibus claruisse etiam *Cungarum* eremitam author est [i] Capgravius: quem ab Angligenis & Walensibus, quòd eos viam Domini doceret, *Doccuinum* vocatum fuisse ait. Eum apud Somersettenses primùm, in loco qui ab ipso *Cungresbiria* nomen posteà acceperit, deinde apud Morganenses, oratorium in honorem sanctæ & individuæ Trinitatis construxisse memorat, atq; in utroq; duodecim Canonicos, qui regulariter viventes Deo ibidem deservirent, constituisse: circumjacente territorio, huic quidem à *Poulento* Glamorgantiæ rege, illi verò ab *Iuâ rege Anglorum largissimo*, liberaliter donato. Quis autem alius ille Iua esse poterit, quàm clarissimus ille Occidentalium Saxonum rex Ina? quo consentiente, Episcopalem sedem translatam fuisse prodiderunt alij [k] à *Cungresburiâ* (in cujus nomine non tam *Cungari* quàm * *Cangorum*, veterum hujus tractus incolarum, deprehendi fortasse poterit vestigium) *ad villam quæ tunc Tethiscine nunc verò Welles nominatur*; ab *Inâ* quidem rege (ut inquit [l] Lelandus) *loci illustratore Fontanetum, at antiquitùs à Theodoro regulo Theodorodunum dicta.* Ut quum Dubricij temporibus Inæ regnum longè posterius fuisse nullum sit dubium, de Capgravij in hâc narratione fide non minùs dubitare liceat, quàm in ipsius Cungari parentelæ designatione; dum *cujusdam Constantinopolitani Imperatoris & Imperatricis Luciriæ* unicum filium fuisse retulit.

[i] Io. Capgrav. in vitâ S. *Cungari.*

[k] Supr. cap. 5. pag. 65.

* Vid. Camden. in Somersetshire, pag. 168.

[l] Io. Leland. in Elencho antiquor. nomin. subjuncto Assertioni Arturij.

Dubricio quoq; adhuc superstite, anno Christi DXIX. contra Pelagianos *Brevicensem* Synodum fuisse habitam, in [m] capite V.° ex alijs annotavimus: cujus

[m] Supr. pag. 81.

Synodi, ut & *Victorianæ* eam subsecutæ, pleniorem historiam, ex Davidis Menevensis Vitâ à Giraldo Cambrensi descriptâ excerptam, visum est hîc subjicere. *Pelagiana labes & hæresis detestanda, per B. Germanum Autissiodorensem & Lupum Trecensem in Insulam transmissos olim extincta, recidivo morbo recidivaq; malitiâ in fidei Catholicæ perniciem jam resuscitata, universali totius Cambriæ Synodo colligendæ occasionem dedit. Unde & collectis in* * *Ceretică regione apud Brevi Episcopis & Abbatibus virisq; religiosis diversorum ordinum multis, nec non & laicis Principibus ac populis de universâ regione collectis; cùm à pluribus in publicâ audientiâ sermo factus populum, hæreticâ pravitate pænè irrevocabiliter infectum, ad fidei reducere tramitem non prævaluisset: tandem Paulinus Episcopus, cum quo David olim liberalibus disciplinis in pueritiâ fluduerat, ut propter Episcopum nuper à Patriarchâ consecratum (Davidem* enim, cum *Eliud qui nunc Telianus vulgò vocatur & Paterno*, Hierosolymam profectum à Patriarchâ Episcopalem ordinationem accepisse jam narraverat Biographus) *virum sanctum, discretum pariter & disertum, qui nondum advenerat, communiter ab omnibus ad tantum Ecclesiæ discrimen mitteretur, verbis quidem suasorijs peroravit. Mittuntur itaq; nuncij semel & secundò; nil proficientes. Erat enim vir sanctus contemplationi deditus; de temporalibus rebus & secularibus, nisi necessitate urgentiore compulsus, aut nihil aut parùm curans. Tandem verò duo mittuntur viri sanctissimi ac fidelissimi; Daniel videlicèt & Dubricius.* Ab his persuasum, cùm ad Synodum accessisse Davidem & injunctum prædicationis officium peregisse Giraldus narravisset, de totius rei exitu demùm addit. *Sermone completo, tota (cooperante gratiâ) hæresis evanuit, discussa penitùs & deleta. Pater autem David communi omnium, tam cleri scilicèt quàm populi, electione pariter & acclamatione (cui & honorem anteà destinatione Dubricius cesserat) in Cambria totius Archiepiscopum est sublimatus.* deinde alterius Synodi acta,

* Cardiganshire.

&

& utramq; subsecutum Ecclesiæ Cambricæ sub Davidis regimine florentem statum, ita explicat.

Processu temporis & alia Synodus collecta est, cui nomen Victoriæ: in quâ, convocato denuò totius Cambriæ clero, ea quæ in priori Synodo firmata fuerant, adjectis quoq; quibusdam super Ecclesiæ commoditatibus, firmo rigoris examine sunt renovata. Ex his itaq; duabus Synodis omnes Cambriæ totius Ecclesiæ modum & regulam (Ecclesiâ quoq; Romanâ auctoritatem adhibente & confirmante) susceperunt: quarum decreta, quæ ore promulgaverat, præsul David suâ quoq; sanctâ manu literis mandavit; suaq; Ecclesiæ, aliisq; per Cambriam pluribus, reservanda commendavit. Quæ quidem, sicut & alij quamplurimi nobilis Bibliothecæ thesauri egregij, tam vetustate quàm incuriâ, Piratarum quoq; crebris insultibus (qui de Oreadum insulis æstivo tempore longis navibus advecti, maritimas Cambriæ provincias vastare consueverant) evanuerunt. Predictis itaq; temporibus in Cambriæ finibus Ecclesia Dei floruit insignis, & multis de die in diem fructibus adolevit: multis passim in locis monasteria sunt constructa, multæ fidelium congregationes in variis ordinibus ad Christi obsequia sanctâ devotione collectæ. Cunctis autem pater David, tanquàm in speculâ positus eminentissimâ, vitæ speculum erat & exemplum: instruebat subditos verbo, instruebat & exemplo; efficacissimus ore predicator, sed opere major. Erat enim audientibus doctrina, religiosis forma, egentibus vita, orphanis munimen, viduis fulcimen, pupillis pater, monachis regula, secularibus via, omnibus omnia factus ut omnia lucrifaceret Deo.

Davidem *avunculum* fuisse [n] aiunt magni illius Arthuri; quem duodecim prælijs cum Saxonibus dimicavisse refert Ninius (falso Gildæ nomine ab [o] Henrico Huntingdonensi hîc citatus) *in monte Badonis* eorum postremo commisso. Cujus prælij genuinus Gildas, tunc natum se testatus, hisce verbis meminit. *Ex eo tempore* (quo à Saxonibus scilicèt victoriam Ambrosius Aure-

[n] Galfrid. Monemuth. lib. 9. cap 12. Girald. in Vitâ Davidis.

[o] H. Huntingd. histor. lib. 2.

lianus reportavit) *nunc cives, nunc hostes vincebant; ut in istâ gente experiretur Dominus solito more præsentem Israelem, utrùm diligat eum an non: usque ad annum obsessionis Badonici montis* [*qui prope Sabrinum ostium habetur,*] *novissimæq; fermè de furciferis non minimæ stragis; quiq; quadragesimus quartus* (*ut novi*) * *oritur annus, mense jam uno emenso, qui & meæ nativitatis est.* &, qui illi σύγχρονος fuisse dicitur, Britannicorum Bardorum princeps Thaliessinus:

* MS. Cantabrig. oritur

Gwae ynttwy yr ynbydion, pan vy waith Maddon
Arthur benn haelion y lafneu by gochion
Gwnaeth ar y alon gwaith gwyr galynion
Gouynion gwaed dareod mach deyrn ygogledd,
Heb drais heb drossedd.

quæ in Latinum sermonem traducta ita exhibuit D. Iohanes Prisæus:

O miseros illos nimiùm sub monte Badone
Quum cruor Arthuri, magnatum principis, ensem
Inficeret; fusiq; foret jam sanguinis ultor
Heroüm, quorum auxilio Borealia justè
Regna fletere diu.

P Britannic. histor. lib. 9. cap. 3. 4.

P Galfridus Monemuthensis prælij hujus historiam enarrans fusiùs, Saxones *usque ad Sabrinum mare* colonorum depopulatione factâ, *inde arrepto itinere versus pagum Badonis, urbem obsedisse* scribit: deinde Arthurum *Sumersetensem provinciam ingressum, visâ cominùs obsidione,* milites suos ad pugnam animâsse, eosq; S. Dubricij urbis Legionum archiepiscopi *benedictione hilaratos,* hostium castra primùm quidem *ad proximum montem* compulisse, die verò sequente profligavisse. Quæ *Sabrini maris* hîc injecta mentio glossemati illi ansam dedisse videtur quod Gildæ verbis ex Bibliothecæ Cantabrigiensis manuscripto codice attextum exhibuimus. Nam *urbem Badonis* eandem esse rectè notavit in Dubricij Vitâ Iohannes Tinmuthensis cum eâ *quæ nunc Bathonia vocatur.* Hanc enim in Sumersetensi agro positam

tam, Britannis *Cair Badon*, & montem vicinum *Bannesdowne* (quod q *excelsum collem* sonare dicitur) & vallem ad Avonam fluvium hîc procurrentem *Nant Badon* appellari, à r Camdeno præterea est observatum.

q Io Davies, in Britannico-Latino Lexico, voc. *Bann.*

r Camden. in Somersetshire, pag 170.

Ad tempus pugnæ quod attinet: Saxonum hanc stragem s Beda factam notat *quadragesimo circiter & quarto anno adventus eorum in Britanniam*: annorum illum numerum à Gildâ editum ad anteriora referens; quum tempus quo scripta ab eo ista sunt spectâsse potiùs videatur. perinde ac si dixisset, à clade Badonicâ *quadragesimum quartum* tunc numerari cœpisse annum; unico quippe anni illius mense adhuc elapso; idq; ex suâ ipsius ætate se novisse; quandoquidem & suæ nativitatis & illius victoriæ eundem fuisse annum à parentibus ipse didicerit. Itaq; anno gratiæ DXX. prælium hoc factum fuisse prodit Matthæus Florilegus: Britannico quoq; Chronographo suffragante, quem *à bello Badonico* ad eadem Arthuri annos XXII. numeravisse t jam ostendimus. Quo posito, & Gildam anno illo DXX. in lucem editum, & anno DLXIIII. scriptam ab eo fuisse hanc quam illius habemus Epistolam, pariter erit consectarium.

s Beda histor. lib. 1. cap. 16.

t Suprà, cap. 12. pag. 401.

CAP. XIIII.

De Fausti & Semipelagianorum doctrinâ, Possessoris, Hermisdæ P. Iohannis Maxentij, Petri Diaconi, Africanorum episcoporum in Sardiniâ exulantium, Fulgentij Ruspensis, Cæsarij Arelatensis, Felicis IIII. *Papæ, Arausicanæ & Valentinæ Synodi, atq; Bonifacij* II. *Pontificis, judicia. Diploma quod Cantabrigiensi Academiæ ab Arthuro concessum fuisse fingitur. De Arthuri, Iltuti & Davidis Menevensis exitu. De Paterno, Theliau, Samsone, & alijs Doctoribus Britannorum. De Gildâ Badonico; & ab eo, tum de Regibus (Constan-*

stantino, Aurelio, Vortiporio, Cuneglaso, Maglocuno) tum de Clero Britannico, editâ Querelâ. De Gurmundo & Ceretico, & regni Britannici excidio.

QUo tempore Pelagiana in Britanniâ profligata est hæresis, ejusdem reliquiæ, superinductis à Fausto coloribus Christiano orbi pridem commendatæ, novas in Constantinopolitanâ ecclesiâ turbas & rixas excitârunt. de quibus ad Romanum Pontificem Hormisdam Africanus Episcopus Possessor ita retulit. [a] *Arbitror vestram beatitudinem non latêre, quantis in Constantinopolitanâ urbe Ecclesia laboret insidijs, & ad morem veteris morbi in saniem vulnus iterùm quærat erumpere, quod obductum creditur cicatrice. Unde cùm quorundam fratrum animus de codice Fausti cujusdam (* natione Galli, Regina civitatis Episcopi; qui de diversis rebus, & frequentiùs dè gratiâ Dei disertè visus est disputare) in scandalum moveretur; alijs, ut se habent humana studia, in contrarium renitentibus, me crediderunt de hoc ambiguo consulendum. Dixi quidem ea, quæ à tractatoribus pro captu proprij ingenij disputantur, non ut canonica recipi, aut ad Synodalium vicem pro lege servari; sed habere nos certa scilicèt quæ veteri lege vel novâ conscripta, & generalibus Patrum sunt decreta judicijs, ad fundamentum fidei ac religionis integram firmitatem. Hæc autem, quæ Antistites diversi conscripserunt, pro qualitate sui, sine præjudicio solere censeri. Sed cùm hæc, quantum in eorum frequenti postulatione persensimus, magis eis excusatio videretur; vel pro eorum prece, vel pro obsequij occasione reddendi Apostolatui vestro, per Iustinum Diaconum meum præsumpsi apices meæ parvitatis ingerere: quibus principaliter orationum vestrarum munimen exposcens, quæso ut consulentes, quid de præfati auctoris dictis videatur, auctoritate Apostolica responsionis agnoscant. maximè quòd filij quoq; vestri magistri militum, Vitalianus & * Iustinianus, præcipuè super hâc*

[a] Inter epist. 66. & 67. Hormisdæ, tomo 1. Epistolar. Pontific. edit. Romæ, anno 1591.

* Vid. supr. cap. 13. pag. 439. 440.

* qui Imperator postea factus est.

hâc re reſcripto beatitudinis veſtræ ſimiliter informari deſiderant.

Hiſce literis, XV. Kalend. Auguſti *Ruſtico Conſule*, id eſt, anno Chriſti DXX. acceptis, ſequentibus ejuſdem Auguſti Idibus Hormiſda ſic reſcripſit. [b] *Hi quos vos de Fauſti cujuſdam Galli Antiſtitis dictis conſuluiſſe literis indicâſtis, id ſibi reſponſum habeant: neq; illum, neq; quemquam, quos in auctoritate Patrum non recipit examen Catholicæ fidei; aut Eccleſiaſticæ diſciplinæ ambiguitatem poſſe gignere, aut religioſis præjudicium comparare.* hâc Epiſtolæ concluſione additâ. *De arbitrio tamen libero & gratiâ Dei quid Romana, hoc eſt, Catholica ſequatur & ſervet Eccleſia; licèt in variis libris B. Auguſtini & maximè ad Hilarium & Proſperum abundè poſſit agnoſci, tamen & in ſcriniis Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur: quæ ſi ibi deſunt, & neceſſaria creditu, deſtinabimus; quanquam qui diligenter Apoſtoli dicta conſiderat, quid ſequi debeat evidenter cognoſcat.*

[b] Hormiſd. epiſt 67. edit. Roman. & tomo 6 Bibliothec. Patr. edit. Colon. pag. 375.

Ad hanc Hormiſdæ epiſtolam reſpondens Iohannes Maxentius, Auguſtini & Fauſti dogmata inter ſe comparat: id quod conſultò à ſe factum ait, [c] *ut cùm in brevi collata ad invicem contraria ſibi reperta fuerint, evidenter pateat libros Fauſti eſſe hæreticos; ſicq; confundantur omnes, qui eos hactenùs defendunt catholicos, quorum principem & auctorem Poſſeſſorem Africanum Epiſcopum* fuiſſe affirmat. in quem idcircò, re confectâ, (*Fauſtum* enim *& Pelagianos egregiè refelliſſe* agnoſcit & [d] Bellarminus) ita demùm inſultat. *Eat nunc Poſſeſſor, & adhuc in pernicie propriâ, & eorum qui ſibi conſentiunt, defendat Fauſti libros catholicos; quos non ſolùm ſcriptis ſanctiſſimi viri Auguſtini, verumetiam ſummorum & præcipuorum Chriſti Apoſtolorum ſententijs contrarios penitùs veritas docet: ſicut hoc loco manifeſtâ ratione probavimus.*

[c] Tom. 6. Biblioth Patr. pag. 380.

[d] Bellarmin. Catalog. ſcript. Eccleſiaſtic. in Io. Maxent.

Iohannem hunc Maxentium, & ſocios ejus monachos Scythas *fuiſſe palàm Eutychianos perfidos*, Pontificij Palatij Magiſter [e] Iohannes Maria Braſichellanus, à [f] Cæſare Baronio

[e] Tom. 1. Indic. expurgator. edit. Romæ anno 1607. in cenſurâ Tomi 4. Bibliothecæ Patrum.

[f] Baron. ann. 519. §. 99. 101.

Baronio (sive ipse sive, ex quo ista videtur descripsisse, Thomas Malvenda) miserè hîc seductus: quum reipsâ Calchedonensis Concilij acerrimos contra Eutychianos defensores illos extitisse clarius sit, quàm ut ullis novorum hominum præstigijs eludi possit. Alio verò erroris genere, hunc eundem *S. Iohannem Maxentium, Gallum, monachum & Abbatem Pictaviensem, congregationis Gallicanæ Floriacensis* fuisse, affirmat in [g] Ligno Vitæ Arnoldus Wion, & eum in Apparatu sacro secutus Antonius Possevinus: Gallicanum *Maxentium*, qui Pictonum celebri [*] monasterio & opido S. *Maixent* nomen dedit, confundens cum *Iohanne viro erudito, Antiocheno presbytero*, quem contrà Faustum scripsisse, ex Adonis Viennensis Chronico ostendimus. Ex hâc enim ipsâ Iohannis Maxentij adversùs Hormisdam epistolâ ad verbum desumpta invenimus, quæ de Augustini & Fausti doctrinâ contrariâ ex Adone [h] eo loco retulimus. [i] *S. Augustinus ita humanum arbitrium liberum docet; ut illuminatio, virtus & salus illi à Christo, & per Christum, & cum Christo sit. Faustus verò ita liberum Christianum arbitrium docere conatur; ut illuminatio, virtus & salus, non à Christo, sed naturâ sit.* quod discrimen deinde pleniùs Iohannes hunc in modum explicat.

[g] Wion. lib. 2. cap. 70.

[*] Vid. Gregor. Turonens. histor. Francor. lib. 2. cap. 37.

[h] Suprà, cap. 13. pag. 432.

[i] Io. Maxent. respons. ad epist. Hormisd. tomo 6.° Biblioth. Patr. pag 380. edit. Colon.

Ille nos Christianos, fideles atq; obedientes Deo salubriter per gratiam Christi, quam nobis per incarnationis suæ donavit præsentiam, esse definit: iste, juxta profana commenta Pelagij, naturaliter esse discernit. Refutans namq; callidè ejusdem Pelagij sensum, & quasi exprobrans quòd omninò Christi negaverit gratiam; necnon & illos, qui nullis præcedentibus meritis (juxta Apostolum) gratiam Dei hominibus dari fatentur: ipse quasi sapientissimus & prudentissimus (novus novæ pravitatis Apostolus) gratiam Dei secundùm meritum fidei & laboris dari, nititur edocere; ut jam sic Dei gratia non sit gratiâ. Nam quum nemo obediat sive laboret nisi volens, nemo velit nisi scierit quid ei conveniat laborare: iste post scientiam & voluntatem seu obedientiam humano

*humano labori adjungit gratiæ adjutorium ; ut videlicèt gratia & labor humanus (cujus possibilitatem non per eandem gratiam, sed naturaliter ineſſe omnibus asserit) pariter sociati, reliqua perficiant opera. Et hoc quidem se pollicetur defendere: posteà autem immemor sui promissi, totam * plenius gratiam evacuare convincitur.*

* penitùs

Cujus verò Eccleſiæ Iohannes presbyter fuerit, etiamsi non expreſſiſſet Ado, ex ipsius Confeſſione satis potuiſſet intelligi; ubi libellum citans quem de fide suâ ad Theodoſium ſcripſerat Flavianus,[k] HUIUS *Vrbis Epiſcopum* illum nominat. Unde apparet, ex urbe Antiochenâ à Maxentio & ſocijs illam *Fidei ſuæ Confeſſionem* ad legatos fuiſſe miſſam quos Conſtantinopolim anno DXIX. Hormiſda Romanus Pontifex deſtinaverat. In cujus Confeſſionis parte poſteriore, cur *de gratiâ Dei* agendum ſibi putarent, hæc ab eis ratio eſt reddita.

[k] Maxent Confeſſ. fidei ; ibid. pag. 371.

[l] *Quid jam de gratiâ Dei (non quâ creamur, ſed de eâ quâ recreamur & renovamur) ſentiamus, breviter exponentes; ſanctitati veſtræ neceſſariò credimus facere debere manifeſtum. Eo quòd etiam in hâc parte inimici gratiæ Dei, id eſt, Pelagij & Celeſtij ſectatores nimiùm nobis infeſti eſſe videntur.* Deinde de ſtatu innocentiæ & lapſus atq; gratiæ neceſſitate ſententiâ ſuâ explicatâ, quid de libero arbitrio credi oporteat ſic exponunt.

[l] Ibid. pag. 373.

Liberum naturale arbitrium ad nihil aliud valere credimus, niſi ad diſcernenda tantùm & deſideranda carnalia ſive ſecularia; quæ non apud Deum, ſed apud homines poſſunt fortaſſis videri glorioſa: ad ea verò quæ ad vitam æternam pertinent, nec cogitare, nec velle, nec deſiderare, nec perficere poſſe, niſi per infuſionem & inoperationem intrinſecùs Spiritus ſancti, qui eſt etiam ſpiritus Chriſti. Spiritum enim Chriſti qui non habet, hic non eſt ejus. Quòd ſi quis credit in Chriſto, jam Chriſti eſt. Sicut & verum eſt, non utiq; per donum naturæ, ſed per Spiritum ſanctum eſt, qui Chriſti eſt. Qui jam credit in eum, qui juſtificat impium, ut confiteatur, quia Dominus eſt Ieſus: quòd nemo poteſt dicere, niſi in Spi-

Rom. 8. 9.

1. Corinth. 12.3. ritu sancto. *Quapropter anathematizamus eos, qui naturale aut substantiam aliquam dicunt esse peccatum. Anathematizamus etiam eos, qui contra vocem Apostoli audent dicere, nostrum est velle, Dei vero perficere; cùm idem doctor & velle & perficere donum testetur esse divinum, ipso dicente: Deus enim est qui operatur in vobis, & velle & perficere pro bonâ voluntate. Credentes etiam omnes ab Abel usq; ad Christum, si qui salvati sunt, eâ gratiâ quâ & nos esse salvatos.* similiterq; Anathematismos suos ita concludunt. [m] *Anathematizamus omnem sensum Pelagij & Celestij, & omnium qui illis similia sapiunt; suscipientes omnia quæ in diversis locis contra ipsos acta sunt & scripta à Præsulibus Apostolicæ sedis, id est, Innocentio, Bonifacio, Zosimo, Celestino, Leone, Attico etiam Constantinopolitano, Augustino & Africanæ provincia Episcopis.*

Philip. 2.13.

[m] Ibid. pag. 374.

Agebant eo tempore in Sardiniâ sexaginta Byzacenæ provinciæ Episcopi, à Thrasamundo Vandalorum rege Ariano ex Africâ in exilium eò deportati: inter quos & Fulgentius erat, Ruspensis episcopus; de quo, in Vitâ Illius, author σύγχρονος. [n] *Huic, quandocunq; transmarinis literis de fide vel de diversis quæstionibus interrogabantur Episcopi, respondere pro omnibus ab omnibus imponebatur. Ita sicut sanctæ memoriæ Aurelius Carthaginiensis Ecclesiæ antistes inter sua privilegia meruit, ut literas ex Africano Concilio dandas solus ipse scriberet; sic iste meruerat ut literas ex illo Concilio dirigendas solus ipse dictaret. Sexaginta quippe & eo amplius Episcopos tunc catena ligabat exilij, quorum lingua & ingenium beatus Fulgentius Episcopus fuit. Propterea quandocunq; rescribebant consulentibus, Episcoporum nomina* * *functorum dicebantur in titulo: sed solius B. Fulgentij sermo tenebatur in stylo. Præterea quoq; publici tractatus epistolas, si quis fortè ex ipsis absentem plebem suam corrigere voluisset; ad B. Fulgentium accedebat, & per ministerium linguæ ejus officium suæ dispensationis implebat. O mirabilem virum, non sibi soli sed omnibus natum! Sola enim Ruspensis ecclesia doctorem meruerat:*

[n] Vit. Fulgent. cap. 30.

* licèt in duobus, quæ sola supersunt, eorum scriptis vix quarta pars nominum sit relicta, reliquis brevitatis causâ prætermissis.

meruerat: & pars maxima Concilij Byzaceni de ipsius sermone vivebat.

Hoc clarissimorum Confessorum venerandum Concilium, inter alios, Scythici etiam illi monachi (à quorũ partibus stetit Maxentius) & cæteri fratres qui in fidei causâ ex Oriente Romam cum eis sunt missi, de præsentibus controversijs consulendos putaverunt. Monachi verò illi à Iustiniano in epistolâ ad Hormisdam, *Achilles, Iohannes, Leontius & Mauritius* (pro quo, sine justâ aliquâ ratione, à •Baronio substitutus est *Maxentius*) nominantur: quibus & *Petrus Diaconus & Iohannes Lector* sese adjunxerunt. Extant *de Incarnatione & gratiâ Domini nostri Iesu Christi* partis utriusq; scripta: Petro Diacono, cum socijs, suum ita concludente. *Quorum omnium sanctorum patrum imbuti doctrinis, anathematizamus Pelagium & Celestium, simulq; etiam Iulianum Eclanensem, & qui illis similia sapiunt: præcipuè libros Fausti Galliarum episcopi, qui de monasterio Lirinensi profectus est; quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non dubium est. In quibus non solùm contra horum omnium sanctorum patrum, verumetiam contra ipsius Apostoli contradictionem veniens, humano labori subjungit gratiæ adjutorium; atq; totam omninò Christi evacuans gratiam, antiquos sanctos non eâ gratiâ, quâ & nos (secundùm quod docet beatissimus Petrus Apostolus) sed naturæ possibilitate salvatos impiè profitetur.*

• Baron. ann. 419. §. 96.

Act. 15. 11.

Fulgentius verò & cæteri Africani præsules librum suum hoc claudunt Epilogo. *Deus qui hominem condidit, ipse prædestinatione suâ & donum illuminationis ad credendum, & donum perseverantiæ ad proficiendum atq; permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparavit: quiq; non aliter perficit in opere, quàm in suâ sempiternâ atq; incommutabili habet voluntate dispositum. Cujus prædestinationis veritatem quâ nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris*

Ephes. 1. 4.

oris professione proferre (si ante ultimum diem vitæ præsentis, impietatis suæ contumaciam quâ Deo vivo & vero rebellis obsistit non abjecerit) manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit & prædestinavit ad regnum. Pro quibus tamen nec oratio fidelium debet desistere, nec charitas aliquando torpere: ut Deus eis gratiam suæ illuminationis donet: per quam in eis semen divini sermonis fructificet; qui frustrà exterioribus auribus sonat, nisi Deus spirituali munere auditum hominis interioris aperiat.

Præter communem hunc ad omnes, peculiaris Fulgentij ad Petrum Diaconum liber transmissus extat: in quo, non de hisce tantùm quæstionibus, sed de universâ fidei regulâ, catholicam Ecclesiæ doctrinam brevi quasi tabellâ delineandam ille sibi proposuit. Unde ad præsens spectantia negotium Capitula hæc excerpsimus.

) Fulgent. de fide ad Petr. cap. 31. & 4. sequent.

p *Firmissimè tene, & nullatenùs dubites; neminem hîc posse hominum pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminaverit, & gratuitâ suâ miserationè converterit. Apostolus enim dicit*: Ne fortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis. 2. Tim. 2. 25, 26.

Firmissimè tene, & nullatenùs dubites; posse quidem hominem, quem nec ignorantia literarum nec aliqua prohibet imbecillitas vel adversitas, verba sanctæ legis & Evangelij, sive legere, sive ex ore cujuscunque prædicatoris audire: sed divinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratiâ suâ prævenerit; ut quod audit corpore, corde etiam percipiat, & acceptâ divinitùs bonâ voluntate atq; virtute, mandata Dei facere & velit & possit. 1. Corinth. 3. 6. Philip. 2. 13. Neq; enim qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: qui etiam operatur in nobis & velle & perficere pro bonâ voluntate.

Firmissimè tene, & nullatenùs dubites; Deo incommutabili non solùm præterita & præsentia, sed etiam futura omnia

omnia incommutabiliter esse notissima; cui dicitur: Deus, qui occultorum es cognitor, qui scis omnia antequàm fiant. Dan. 13. 42. *Susannæ.*

Firmissimè tene, & nullatenùs dubites; Trinitatem Deum incommutabilem rerum omnium atq; operum tam suorum quàm humanorum certissimum cognitorem, ante omnia secula scire quibus esset per fidem gratiam largiturus: sine quâ nemo potest ex initio mundi usq; in finem à reatu peccati tam originalis quàm actualis absolvi. Quos enim Deus præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui. Rom. 8. 29.

Firmissimè tene, & nullatenùs dubites; omnes quos vasa misericordiæ gratuitâ bonitate Deus fecit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo: neq; perire posse aliquem eorum quos Deus prædestinavit ad regnum cœlorum; nec quenquam eorum quos non prædestinavit ad vitam ullâ posse ratione salvari. Prædestinatio enim illa gratuitæ donationis est præparatio, quâ nos Apostolus ait prædestinatos in adoptionem filiorum Dei per Iesum Christum in ipsum. Ephes. 1. 5.

Eosdem Africanos Episcopos in Sardiniâ exulantes de gratiæ & liberi arbitrij quæstione consuluerunt etiam *Iohannes* quidam *presbyter & Archimandrita* atq; *Venerius diaconus*: quorum prior *Iohannes Maxentius* fortè fuerit; quem ut *Antiochenum presbyterum* fuisse ex Adone, ita pro *Archimandritâ* se gessisse ex illis Dioscori Diaconi verbis possumus colligere. q *Maxentius, qui sub Abbatis vocabulo dixit se congregationem habere; si interrogetur, aut cum quibus monachis vixit, aut in quo monasterio, aut sub quo Abbate monachus factus est, dicere non potest.* quâ ratione, inter Pauli exitum & Euphrasij ingressum vacante sede Antiochenâ, istas ab eis scriptas fuisse literas liceret conjicere. Ad eas verò respondit tùm seorsum Fulgentius, *de veritate Prædestinationis & gratiæ* tribus libris editis; tùm communiter Byzaceni præsules alij, Synodicâ ejusdem argumenti conscriptâ

q Dioscor. Suggest. post Hormisdæ Epist. 64. pag. 528. 529. edit. Roman.

Epistolâ. Fulgentianæ *de gratiâ* doctrinæ summa est: [r] eam *non omnibus hominibus universaliter dari, & quibus datur non æqualiter dari. Illius est enim,* (inquit) *vel quibus eam, vel quantam dare, qui non eam humanis voluntatibus aut operibus debitam retribuit, sed gratuitam illuminandis cordibus misericors ac benignus infundit. Et ideò cui voluerit, & quantam voluerit, profectò largitur; quia neq; ullo bonæ voluntatis exortu, neq; effectu cujusquam boni operis prius quàm gratiam tribuat invitatur.*

[r] Fulgent de verit. prædest. & grat. lib. 2. pag. 75. edit. Paris. ann. 1612.

De veritate *Prædestinationis* sententiam suam doctissimus Pater ita aperit. [f] *Omnes prædestinati sic vocantur ut justificentur, sic justificantur, ut glorificentur. Ac per hoc prædestinavit quos voluit, & ad opera bona, & ad præmia sempiterna: prædestinavit ad vitam bonam, prædestinavit ad vitam æternam: prædestinavit ad fidem, prædestinavit ad speciem: prædestinavit adoptandos in seculo, prædestinavit glorificandos in regno: prædestinavit per gratiam faciendos primogeniti fratres, prædestinavit per gratiam perficiendos ejusdem unigeniti coheredes. Hæc omnia sicut in se continet prædestinationis æternitas, sic implet prædestinantis Dei misericordia, & justa majestas.* [t] *Prædestinatio utique filiorum Dei ad hoc utiliter non solùm cognoscitur, verumetiam prædicatur; ut in omnibus bonis humanæ voluntatis & operis, dum divina prædestinatio in æternâ gratiæ præparatione cognoscitur, ejusdem prædestinationis effectus in ipsâ gratiæ donatione nihilominùs agnoscatur: ac per hoc in istâ filiorum Dei adoptione, quam Deus & prædestinando præparavit ex æternitate, & vocando ac justificando largitur in tempore, gratia Dei glorificetur, & ipsa laudetur.*

[f] Id. lib. 3. pag. 131. 132.

[t] Ibid. pag. 133. 134.

[u] *Cujus prædestinationis ita manet æterna firmitas & firma æternitas, non solùm in dispositione operum, verumetiam in numero personarum: ut nec de illius numeri plenitudine quispiam salutis æternæ gratiam perdat; nec extra illius numeri quantitatem ad donum salutis æternæ perveniat. Deo enim, qui scit omnia antequam fiant, sic non est incertus prædestinatorum*

[u] Ibid. pag. 135.

destinatorum numerus, sicut dispositorum operum dubius apud eum non invenitur effectus. [x] *Ita nemo potest ejus mutare prædestinationem, sicut nullus potest ejus vincere voluntatem. Quod si numerus ille certus non est apud Deum, aut divina scientia fallitur, aut voluntas divina mutatur, aut divina virtus adversitate qualibet superatur. Quod si aliquid horum soli possunt impij dicere, aut fortè nec impius aliquis audet horum dicere aliquid; nemo divinam prædestinationem neget: quandoquidem illius Dei prædestinatio vera provisus asseritur, cujus scientia irreprehensibilis, & voluntas incommutabilis, & virtus insuperabilis invenitur.*

[x] Ibid. pag. 136.

Ex Byzacenorum Patrum Epistolâ Synodicâ hæc tantùm excerpta damus. [y] *Accepimus vestræ caritatis epistolam, quæ nostrum ex parte relevavit, ex parte verò mœstificavit exilium. Gaudemus enim, quia rectam teneris de gratiâ Dei sententiam, cujus lumine illuminatur, & juvamine gubernatur, liberum humanæ mentis arbitrium. Sed quâdam fumus nebulâ mœroris affecti, quia significâstis quosdam fratres in quæstione de gratiâ Dei, & humano arbitrio non rectum tenere fidei catholicæ tramitem: sed adversùs Dei gratiam elevare velle humani arbitrij libertatem. Ubi primùm (dilectissimi) debetis agnoscere, immò vos non ambigimus agnovisse, ad hoc divinitùs ista permitti, ut hinc divinæ gratiæ virtus documento possit indicij manifestioris intelligi. Quandoquidem ipsa gratia nullatenùs agnoscitur nisi detur: quæ quamdiu non est in homine, tamdiu necesse est ut ei aut sermone repugnet, aut opere.*

[y] Epist. Synodic. ejusd. edit. pag. 2.

[z] *Quod autem vos dicitis, solâ Dei misericordiâ salvari hominem; illi autem dicunt, nisi quis propriâ voluntate cucurrerit & elaboraverit, salvus esse non poterit: dignè utrumq; tenetur, si rectus ordo servetur divinæ misericordiæ & voluntatis humanæ, ut illa præveniat, hæc sequatur: sola Dei misericordia initium salutis conferat; cui deinde voluntas hominis cooperatrix sua salutis existat. ut misericordia Dei præveniens voluntatis humanæ dirigat cursum; & humana voluntas obediens, eâdem misericordiâ subsequente, secundùm*

[z] Ibid. pag. 9.

cundùm intentionem currat ad bravium, per hoc humana voluntas in eo quod currit utiliter & laborat, ex Dei misericordiâ sibi esse donum cursus ac laboris agnoscat: nec sit ingrata misericordiæ, per quam salutis accipit initium, ut per ipsum perveniat ad plenum sempiternæ salutis effectum: quia tunc erit bona, si Dei præveniatur dono; & tunc permanebit bona, si ejus non destituatur auxilio.

[a] Ibid. pag. 13.

[a] *Contra prædestinationem verò sanctorum magna pervicaciæ est aliquem vel parare, vel habere conflictum; cùm Apostolicæ prædicationi nullus audeat refragari, quâ non solùm dicitur de Domino,* Quos autem præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij ejus; *& alio loco,* Rom. 8. 29. Ephes. 1. 5. Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum: *verùm etiam ipsum caput nostrum, ipsum primogenitum in multis fratribus, beatus Paulus prædestinatum confidenter prædicat dicens.* Qui factus est ei Rom. 1. 3, 4. ex semine David secundùm carnem; qui prædestinatus est filius Dei in virtute, secundùm Spiritum sanctificationis. *Quisquis ergo prædestinatum Christum & Sanctos ejus negat, Apostolicam fidem perversus oppugnat. Omnes autem prædestinati ipsi sunt, quos vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Qui propterea omnes dicuntur, quia in utroq; sexu, ex omni hominum genere, gradu, ætate & conditione salvantur. Semper quippe voluntas Dei omnipotentis impletur; quia potestas ejus nullatenùs vincitur.* 1. Tim. 2. 4. Psalm. 135. (al. 134.) 6. *Ipse est enim qui* omnia quæcunq; voluit, fecit in cœlo & in terrâ, in mari & in omnibus abyssis; *& cujus voluntati nemo resistit. Verum namq; est quod de se testatus est Filius, quia in vivificandis nullum initium humanæ voluntatis expectat; sed ipsam voluntatem * bonæ faciendæ vivificat.*

* bonam

[b] Ibid. pag. 15.

[b] *Præ omnibus studium gerite libros sancti Augustini, quos ad Prosperum & Hilarium scripsit, memoratis fratribus legendos ingerere. Quorum mentionem beatæ memoriæ Hormisdæ sedis Apostolicæ gloriosus Antistes in epistolâ, quam consulenti se sancto fratri consacerdotiq; nostro Possessori*

fori rescripsit, * *cum magno praeconio catholicæ laudis inseruit. Hæc (dilectissimi fratres) interrogantibus vobis, breviter communi voluimus respondere rescripto. Cæterùm unus ex nobis, in quantum Dominus servis suis recti gratiam dignatur donare sermonis, illis omnibus, quæ memoratos fratres adversùs gratiam & prædestinationem intimâstiu vel sentire vel dicere, tribus libris vestro nomine dedicatis, sufficienti disputatione respondit. quique adversùs duos libros Fausti Galli septem libros edidit; quos cùm recensueritis, agnoscetis protinùs, quemadmodum memorati Fausti commenta veritati contraria, Catholicæ fidei penitùs inimica, discussio prodidit, ratio manifesta convicit, auctoritas divina compressit, & præcedentium Patrum consona prorsùs attestatio confutavit.*

* Supra, pag. 479.

Quâ occasione, & quo tempore, editi sint adversùs Faustum libri illi septem (qui hodie non extant; *suppressi fortassis operâ Pelagianizantium,* ut [c] Bartholomæus Petrus Lintrensis conjicit) his verbis nos docet scriptor Vitæ Fulgentij. [d] *Ita erat notior omnibus gentibus; ut duo libri quos Faustus Episcopus Galliarum contra gratiam subdolo sermone composuit (favens occultè Pelagianis, sed Catholicus tamen volens videri) Constantinopoli offensi, à plurimis fratribus ad beatum Fulgentium probandum dirigerentur. Quibus ne occultum serperet virus, septem libris ipse respondit; plus laborans exponere, quàm convincere: quia dubios sermones ejus exponere, hoc erat delirantis argumenta convincere. Magnus planè hujus operis labor mercedem debitam citò suscepit. Mox enim ut est dictatio ipsius finita, protinùs est longissimæ captivitatis catena disrupta. Mors enim Thrasamundi Regis, & mirabilis bonitas Hilderici regnare incipientis, Ecclesiæ Catholicæ per Africam constitutæ libertatem restituens, Carthaginiensi plebi proprium donavit Antistitem; cunctisq; in locis ordinationes Pontificum fieri, clementissimâ auctoritate mandavit. Beatus itaq; Fulgentius, postquàm sapienter expugnâsset Pelagianos, lætificatos meruit videre Catholicos. Thra-*

[c] Barthol. Petr. in Apostol. sedis Definitionib. de gratiâ, pag. 38. edit. Duac. ann. 1628.

[d] Vit. Fulgent. cap. 28. 29.

samundi verò mortem & Episcoporum restitutionem in *Maximi* Consulatu, hoc est, anno Christi DXXIII. contigisse docet Victor Tonnonensis in Chronico: licèt alij ad annum referant præcedentem.

Etsi igitur in exilio accepram à se fuisse Iohannis & Venerij epistolam Patres Byzaceni clarè indicent: tamen post reditum ex exilio ad eam illos rescripsisse, colligi fortasse possit ex mentione quam faciunt non solùm septem illorum librorum contra Faustum, sed etiam de gratiâ & prædestinatione trium à Fulgentio editorum, & mortis præterea Romani antistitis Hormisdæ; quem quum ista scriberent vitâ fuisse functum satis innuunt, dum *beatæ memoriæ* titulum illi attribuunt. Atqui Hormisdâ adhuc superstite Episcopos in Africam revocatos esse confirmat, in illius Vitâ, libri Pontificalis auctor: Vitæq; Fulgentianæ scriptor, uti *mox* post finitos septem adversùs Faustum libros *protinùs longissimæ captivitatis catenam disruptam* esse, ita [e] *jam reversum de exilio* Fulgentium *De veritate prædestinationis & gratiæ libellos tres confeciss*e, disertis verbis asserit. *Extant & duo ejus libri*, inquit [f] Isidorus, *de veritate prædestinationis ad Episcopos missi: in quibus demonstrat quòd gratia Dei in bonis voluntatem humanam præveniat; & quòd Deus quosdam prædestinationis suæ munere justificans præeligit, quosdam verò in suis reprobis moribus occulto quodam judicio derelinquit.* Quod de veritate prædestinationis opus duobus libris ad Episcopos scriptum, diversum planè videtur ab illis quos habemus tribus de veritate prædestinationis & gratiæ ad Presbyterum missis & Diaconum: quos [g] Baronius quum non vidisset, *tres libros ad Monimum de duplici prædestinatione scriptos* à Vitæ Fulgentij authore designatos fuisse perperàm credidit.

[e] Vit. Fulgent. cap. 29.

[f] Isidor. de Scriptorib. Ecclesiastic. cap. 14. al. 27.

[g] Baron. ann. 523. §. 36.

De prædestinatione autem non in totis tribus illis ad Monimum libris agitur, sed in primo tantùm: cujus summam compendiariam, in secundi initio, sic proposi-

tam

tam invenimus. *Prædestinationem Dei nihil aliud esse, nisi præparationem operum ejus, quæ in æternâ suâ dispositione aut misericorditer se facturum præscivit aut justè. & quia in peccatis nec misericordia invenitur nec justitia, ideò omnem iniquorum malam voluntatem quâ peccant, præscitam, non tamen esse à Deo prædestinatam; cùm ipsam voluntatem malam non aliter essent habituri, nisi in eo, quo fuissent à Domino recessuri. Nec Deum prædestinâsse discessionem hominis à se, cùm causa ipsius discessionis sola voluntaria esset aversio peccatoris: quæ quia Deum futura non latuit, in æternâ præscientiâ ejus præparatam sibi pœnam justa retributionis invenit.*

Prædestinationis enim nomine (ut in [h] primo illo libro Fulgentius sese explicat) *non aliqua voluntatis humanæ coactitia necessitas exprimitur, sed misericors & justa futuri operis divini sempiterna dispositio prædicatur. Deo autem misericordiam & judicium cantat Ecclesia: cujus hoc opus est in homine, ut occulto voluntatis suæ, non tamen injusto consilio, aut gratuitam misericordiam præroget misero, aut debitam justitiam rependat injusto. Imò aut misericorditer debitori donet, quod si vellet, justè posset exigere: aut justè cum usuris, quod suum est exigat, & iniquo debitori, quod debetur iniquitatibus reddat. Ac sic, aut istum prorsùs indignum misericordia præveniat, aut illum ira dignum inveniat. Ipse enim donat gratis indigno gratiam, quâ justificatus impius illuminetur munere bonæ voluntatis, & facultate bonæ operationis, ut præveniente misericordiâ bonum velle incipiat, & subsequente misericordiâ bonum quod vult facere valeat. Utrumq; autem prædestinando Deus præparavit in illâ incommutabili voluntate, in quâ sic futurum effectum hominis renovandi disposuit, ut ejus voluntas in opere novo nova esse non possit.*

[h] Fulgent. ad Monim. lib. 1. cap. 7.

Psalm. 101. (al. 100.) 1.

Fulgentium in Pelagianis reliquijs proterendis excepit Cæsarius Arelatensis archiepiscopus: qui, si quid damni vel à Lirinensibus * suis, vel ab Hilario & Leontio (qui Arelatensi cathedræ ante ipsum præfuerunt)

* Vid. supr. cap. 11. pag. 344.

orthodoxorum causa passa est, abundè resarcivit. Is [i] *de Gratiâ & libero arbitrio edidit testimonia, divinarum Scripturarum & sanctorum Patrum judiciis munita: ubi docet, Nihil hominem de proprio agere aliquid boni posse, nisi eum divina gratia prævenerit. Quod opus etiam Papa Felix per suam Epistolam roboravit, & in latius promulgavit:* ut apud Gennadiani Catalogi* continuatorem legimus. De ejus obitu ista referunt, qui morienti adfuerunt, Messianus presbyter & Stephanus diaconus. [k] *Cùm semianimem ipsum redderet conspectibus nostris infirmitas, & inter hæc septuagesimum tertium gereret totius vitæ tramitis annum, è quibus quadragesimum in Pontificatu verteret circulus gyrum; & animadverteret per Spiritum imminere sibi transitus diem: inter non modicos quos patiebatur dolores sciscitatus est, quam proximè esset beatissimi Augustini depositionis dies. & cùm imminere commemorationem ejus didicisset. Confido, ait, in Domino, quòd meum transitum non longè divisurus est ab ipsius patris Augustini natali; quia, ut ipsi scitis, quantum dilexi ejus catholicissimum sensum, tantum me etsi discrepantem meritis minimè tamen reor distantiâ longiore depositionis meæ diem ab ejus obitus tempore sequestrari.* Mortuus est autem [l] *tertiano die post S. Geneſij festum, id est, sexto Kalendarum Septembrium, ante diem depositionis S. Augustini*; anno DXLIII. quo ad successorem ipsius Auxanium noviter ordinatum Vigilij extat epistola, [m] *data* XV. *Kalend. Novembres, * iterùm* P. C. *Basilij* V. C. Ex quibus colligere promptum est, sub initium anni CCCCLXXI. natum, sub exitum DIII. factum illum fuisse Pontificem: & quod inde est consequens, non à Felice III. (quo obeunte Cæsarius XXI.[am] ætatis vix egressus est annum) sed à Felice illius nominis *quarto*, hoc opus fuisse corroboratum.

Cui & hoc debet Ecclesia, quod præclara illa de Gratiâ & libero arbitrio Capitula promulganda curaverit; quæ à Cæsario & collegis in Concilio Arausicano secundo,

[i] Gennad. Catalog. Scriptor. Ecclesiastic. à Suffrido Petro edit. cap. 86.

* Vid. supr. cap. 13. pag. 461.

[k] Vit. Cæsarij, lib. 2. in Chronologiâ Lerinensi Vinc. Barralis, pag. 258.

[l] Ibid. pag. 259.

[m] Tom. 1. Concilior. Galliæ, pag. 170. * Ita habet Baronius, ann. 544. §. 12.

secundo, *Decio juniore Consule*, id est, anno DXXIX. æræ nostræ, V. Nonas Iulias sunt recitata & manuum subscriptionibus confirmata. de quibus ita Cæsar Baronius. [n] *Recitantur capita in Gallias ab ipso Romano Pontifice missa: profitentes ea cuncta haud recentem esse Ecclesiæ doctrinam, sed antiquorum Patrum definitionem, eandemq; Apostolicæ sedis autoritate firmatam: quæ Apostolica sedes (ut suis locis superiùs est declaratum) S. Augustini se professa est de gratiâ & libero arbitrio probare sententiam. Nihil ergo præterea novitas sibi vendicet & præsumptio humana præsumat. Quot igitur Arausicani Canones, tot sunt Catholicæ Ecclesiæ stabilitæ sententiæ; à quibus absq; prævaricationis piaculo haud liceat fideli recedere.* & Iacobus Sirmondus: [o] *Faustum, & si qui tum in Galliâ, quod dissimulari non potest, cum eo senserunt, aliquo modo excusare ratio illa videtur, quòd ante Synodum Arausicanam vixerint; cujus placitis Ecclesia deinceps, tanquam normâ doctrinæ, adversùs Semipelagianorum errores usa est.*

[n] Baron addit. ad tom. 7. ann. 529. in 10. tomi Appendice.

[o] Sirmond. in Notis ad *Apollinar. Sidon. lib. 9. epist. 9.* Vid. quæ in Tom. 1. Conciliorum Galliæ, pag 148. & 605.

Nec enim priùs, inquit [p] Theophilus Raynaudus, *fumans adhuc hæc Pelagij favilla planè extincta est, quàm sedes Apostolica transmissis ad tractus illius Episcopos Capitulis, quæ Arausica in Lirinensi Basilicæ dedicatione publicè proposita & à Patribus congregatis firmata ac denunciata sunt, omnem incendij illius velut scintillam, doloso cineri suendæ humanæ libertatis ac divinæ justitiæ suppositam, feliciter compressit anno Christi* (juxta novissimam Card. Baronij subductionem) DXXIX. *sedente Felice* IIII. Ex quâ temporis notatione illud prætereà observandum monet [q] Bartholomæus Petrus Lintrensis*; *factionem totam Massilienſium, & similium, hîc à sede Apostolicâ ritè fuisse condemnatam: quoniam hoc tempore jam omnia sua mysteria illi factiosi, aliq; at q; alij, protulerant; ut conqueri non potuerint sese per hos Canones illegitimè damnari, quòd non sufficienter fuissent auditi & intellecti. Fuerant enim jampridem intellecti, melius fortasse quàm voluissent, ejusmodi*

[p] Raynaud. Defens. Valerian. cap. 4. §. 19.

[q] Barthol Petr. in Romanæ sedis definition. de Gratiâ, pag. 83. 84.

homines; qui suos errores principio verbis ambiguis solebant efferre inter Catholicos, ut ad effugium semper diverticulum aliquod haberent paratum.

His ita præmissis, Arausicani hujus Concilij Acta integra visum est hîc subjicere: ut ad hanc doctrinæ veteris normam subinde respicientes, à Novatorum tendiculis & nobis cavere & nos faciliùs expedire valeamus.

CONCILII ARAVSICANI,

De Gratiâ & libero arbitrio,

PRÆFATIO.

Cùm ad dedicationem Basilicæ quam illustrissimus Præfectus & Patricius filius noster Liberius in Arausicâ civitate fidelissimâ devotione construxit, Deo propitiante, & ipso invitante convenissemus, & de rebus quæ ad Ecclesiasticam regulam pertinent, inter nos spiritalis fuisset oborta collatio; pervenit ad nos esse aliquos, qui de gratiâ & libero arbitrio per simplicitatem minùs cautè, & non secundùm fidei catholicæ regulam, sentire velint. Vnde id nobis, secundùm admonitionem & auctoritatem Sedis Apostolicæ, justum ac rationabile visum est, ut pauca capitula ab Apostolicâ nobis sede transmissâ, quæ ab antiquis patribus de sanctarum scripturarum voluminibus in hâc præcipuè causâ collecta sunt, ad docendos eos qui aliter quàm oportet sentiunt, ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris

ſtris ſubſcribere deberemus. quibus lectis, qui huc uſque non ſicut oportebat de gratiâ & libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei catholicæ conveniunt, animum ſuum inclinare non differat.

CAPITULA
à Romanâ Sede tranſmiſſa.

I.

Si quis per offenſam prævaricationis Adæ non totum, id eſt ſecundum corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, ſed animæ libertate illæſâ durante, corpus tantùmodò corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus, adverſatur ſcripturæ dicenti: [a] *Anima quæ peccaverit ipſa morietur*; &, [b] *Neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus cui obeditis?* &, [c] *A quo quis ſuperatur, ejus & ſervus addicitur.*

Rejectio falſorum dogmatum.

[a] Ezech. 18. 20.
[b] Rom. 6. 16.
[c] 2. Pet. 2. 19.

II.

Si quis ſoli Adæ prævaricationem ſuam, non & ejus propagini, aſſerit nocuiſſe; aut certè mortem tantùm corporis, quæ pœna peccati eſt, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ, per unum hominem in omne genus humanum tranſiſſe teſtatur, injuſtitiam Deo dabit, contradicens Apoſtolo dicenti: [d] *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes*

[d] Rom. 5. 12.

omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccaverunt.

III.

Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis; contradicit [e] Esaiæ prophetæ, vel [f] Apostolo idem dicenti: *Inventus sum à non quærentibus me, palàm apparui his, qui me non interrogabant.*

[e] Esai 65.1.
[f] Rom. 10.20.

IV.

Si quis ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem & operationem in nos fieri confitetur; resistit ipsi Spiritui sancto, per Salomonem dicenti: [g] *Præparatur voluntas à Domino.* & Apostolo salubriter prædicanti: [h] *Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bonâ voluntate.*

[g] Prov. 8.35. juxta LXX.
[h] Philip. 2.13.

V.

Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui justificat impium, & ad generationem sacri baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter

ter nobis ineſſe dicit; Apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur, beato Paulo dicente: [i] *Confidimus, quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet uſque in diem Domini noſtri* IESV *Chriſti.* & illud: [k] *Vobis datum eſt pro Chriſto non ſolùm ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patiamini.* &, [l] *Gratiâ ſalvi facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt.* Qui enim fidem quâ in Deum credimus, dicunt eſſe naturalem, omnes eos qui ab Eccleſiâ Chriſti alieni ſunt, quodammodo fideles eſſe definiunt.

[i] Philip. 1, 6.
[k] Philip. 1. 29.
[l] Epheſ. 2. 8.

VI.

Si quis ſine gratiâ Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri divinitùs; non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem ſancti Spiritus in nobis fieri confitetur; & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes & humiles ſimus ipſius gratiæ donum eſſe conſentit; reſiſtit Apoſtolo dicenti: [m] *Quid habes quod non accepiſti?* &, [n] *Gratiâ Dei ſum id quod ſum.*

[m] 1. Cor. 4. 7.
[n] 1. Cor. 15. 10.

VII.

Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid,

quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, Euangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati; hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Euangelio dicentis: o *Sine me nihil potestis facere.* & illud Apostoli: p *Non quòd idonei simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.*

o Ioan. 15. 5.
p 2. Cor. 3. 5.

VIII.

Si quis alios misericordiâ, alios verò per liberum arbitrium, quod in omnibus, qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum, ad gratiam baptismi posse venire contendit; à rectâ fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum; aut certè ita læsum putat, ut tamen quidam valeant, sine revelatione Dei, mysterium salutis æternæ per semetipsos posse conquirere. Quod quàm sit contrarium, ipse Dominus probat; qui non aliquos, sed neminem ad se posse venire q testatur, nisi quem pater attraxerit. sicut & Petro dicit: r *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in cœlis est.* & Apostolus: s *Nemo potest dicere Dominum* IESVM *nisi in Spiritu sancto.*

q Ioan. 6. 44.
r Matth. 16. 17.
s 1. Cor. 12. 3.

IX.

IX.

Divini est muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitiâ continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur. *Assertio doctrinæ veræ.*

X.

Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.

XI.

Nemo quicquam Domino rectè voverit, nisi ab ipso acceperit quod voveret, sicut legitur: *Quæ de manu tuâ accepimus damus tibi.* [1] [1] 1. Par. 29. 14.

XII.

Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.

XIII.

Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari: quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Vnde veritas ipsa dicit: [2] *Si vos* [2] Ioan. 8. 36.

filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.

XIV.

Nullus miser de quacunq; miseriâ liberatur, nisi qui Dei misericordiâ prævenitur, sicut dicit Psalmista: [z] *Citò anticipet nos misericordia tua Domine.* & illud: [y] *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.*

[z] Psal. 79. (al. 78.) 8.
[y] Psal. 59. 10. (al. 58. 11.)

XV.

Ab eo quod formavit Deus mutatus est Adam, sed in pejus per iniquitatem suam: ab eo quod operata est iniquitas mutatur fidelis, sed in melius per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit prævaricatoris primi: hæc, secundùm Psalmistam, [x] *Mutatio est dextera excelsi.*

[x] Psal. 77. 10. (al. 76. 11.)

XVI.

Nemo ex eo quod videtur habere glorietur, [a] tanquam non acceperit; aut ideò se putet accepisse, quia litera extrinsecùs, vel ut legeretur apparuit, vel ut audiretur sonuit. Nam sicut Apostolus dicit: [b] *Si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est.* [c] *Ascendens in altum captivavit captivitatem, dedit dona hominibus.* Inde habet quicunque habet. Quisquis autem se inde habere negat; aut verè non habet, aut [d] id quod videtur habere aufertur ab eo.

[a] 1. Cor. 4. 7.
[b] Gal. 2. 21.
[c] Psal. 68. 18. (al. 67. 19.) Ephes. 4. 8.
[d] Luc. 8. 18.

XVII.

XVII.

Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum Dei caritas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium quod est in nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. [Rom. 5. 5.

XVIII.

Nullis meritis gratiam prævenientibus, debetur merces bonis operibus si fiant: sed gratia quæ non debetur præcedit ut fiant.

XIX.

Natura humana, etiamsi in illâ integritate in quâ est condita permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Unde cùm sine Dei gratiâ salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratiâ poterit reparare quod perdidit?

XX.

Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstat ut faciat homo.

LXXI.

Sicut eis qui volentes in lege justificari, & à gratiâ exciderunt, verissimè dicit Apostolus; [f] *Si in lege justitia est, ergo Christus gratis mortuus est*: sic eis qui gratiam, quam commendat & percipit fides Christi, putant esse naturam, verissimè dicitur; Si per naturam justitia est, ergo Christus gratis mortuus est. Iam hîc enim erat lex, & non justificabat: jam hîc erat & natura & non justificabat. Ideò Christus non gratis mortuus est, ut [g] & lex per illum impleretur qui dixit, [g] *Non veni legem solvere, sed adimplere*; & natura per Adam perdita per illum repararetur, qui [h] dixit venisse se quærere & salvare quod perierat.

[f] Gal. 2. 21.

[g] Matth. 5. 17.

[h] Matth. 18. 11. Luc. 19. 10.

XXII.

Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hâc eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in viâ.

XXIII.

Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet. Quando autem id faciunt quod volunt, ut divinæ serviant voluntati; quamvis volentes agant quod agunt, illius

illius tamen voluntas est, à quo & præparatur, & * jubetur quod volunt. * al obtur

XXIV.

Ita sunt [1] in vite palmites, ut viti nihil conferant, sed inde accipiant unde vivant. sic quippe vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc & manentem in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis prodest utcunque, non Christo. Nam præciso palmite, potest de vivâ radice alius pullulare. Qui autem præcisus est, sine radice non potest vivere. [1] Iohan. 15. 4. 5.

XXV.

Prorsus donum Dei est diligere Deum. Ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus diligit. Displicentes amati sumus, ut fieret in nobis unde placeremus. Diffundit enim caritatem in cordibus nostris Spiritus Patris & Filij, quem cum patre amamus & filio.

SYNODI DECRETVM.

Ac sic secundùm suprascriptas sanctarum scripturarum sententias, vel antiquorum patrum definitiones, hoc Deo propitiante & prædicare debemus & credere:

I. Quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum

clinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus posteà aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est possit, nisi eum gratia miseri cordiæ divinæ prævenerit. Vnde & Abel justo, & Noë, & Abrahæ, & Isaac, & Iacob, & omni antiquorum patrum multitudini, illam præclaram fidem, quam in ipsorũ laude prædicat Apostolus
[k] Hebr.11. [k] Paulus, non per bonum naturæ, quod priùs in Adam datum fuerat, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam. Quam gratiam, etiam post adventum Domini, omnibus qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio haberi, sed Christi novimus simul & credimus largitate conferri; secundùm illud quod sæpe jam dictum est, & quod
[l] Philip.1.29. prædicat Paulus Apostolus: [l] *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut*
[m] Philip.1.6. *pro illo patiamini.* & illud: [m] *Deus qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri*
[n] Ephes.2.8. IESV *Christi.* & illud: [n] *Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est.* Et
[o] 1.Cor.7.25. quod de seipso ait Apostolus: [o] *Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem.* Non dixit quia e-
[p] 1.Cor.4.7. ram, sed ut essem. & illud. [p] *Quid habes quod non accepisti?* & illud: [q] *Omne datum bonum, & omne do-*
[q] Iacob.1.17. *num perfectum desursum est, descendens à patre lu-*
[r] Ioan.3.27. *minum.* & illud: [r] *Nemo habet quicquam, nisi illi datum fuerit desuper.* Innumerabilia sunt sanctarum scripturarum testimonia, quæ possunt ad probandam gratiam proferri: sed brevitatis studio prætermissa sunt, quia & reverâ cui pauca non sufficiunt,

ciunt, plura non proderunt.

II. Hoc etiam secundùm fidem catholicam credimus, quòd acceptâ per baptismum gratiâ omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.

III. Aliquos verò ad malum divinâ potestate prædestinatos esse non solùm non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.

IIII. Hoc etiam salubriter profitemur, & credimus, quòd in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur: sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui priùs inspirat, ut & baptismi sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adjutorio ea quæ sibi sunt placita implere possimus. Vnde manifestissimè credendum est, quòd & illius [f] latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, & [e] Cornelij centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, & [a] Zacchæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de naturâ, sed divinæ largitatis donum. [f] Luc 23. 42, 43. [e] Act. 10. 1. [a] Luc 19. 2.

Et quia definitionem antiquorum patrum, nostramque, quæ suprascripta est, non solùm religiosis, sed etiam laicis medicamentum esse, & desideramus & cupimus; placuit ut eam etiam & illustres ac magnifici viri, qui nobiscum ad præ-

fatam festivitatem convenerunt, propriâ manu subscriberent.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM ET *illustrium virorum.*

Cæsarivs in Christi nomine Episcopus constitutionem nostram relegi & subscripsi. Not. sub die v. Nonas Iulias, Decio juniore V.C. Consule.

Iulianus amartolus Episcopus relegi & subscripsi.

Constantius in Christi nomine Episcopus consensi & subscripsi.

Cyprianus in Christi nomine Episcopus consensi & subscripsi.

Eucherius in Christi nomine Episcopus consensi & subscripsi.

Item Eucherius in Christi nomine Episcopus consensi & subscripsi.

Heraclius in Christi nomine Episcopus consensi & subscripsi.

Principius in Christi nomine Episcopus consensi & subscripsi.

Philagrius in Christi nomine Episcopus consensi & subscripsi.

Maximus in Christi nomine Episcopus consensi & subscripsi.

Prætextatus in Christi nomine Episcopus consensi & subscripsi.

Alethius

Alethius in Christi nomine Episcopus consensi & subscripsi.
Lupercianus in Christi nomine Episcopus consensi & subscripsi.
Vindemialis in Christi nomine Episcopus consensi & subscripsi.

PETRVS MARCELLINVS FELIX * LIBERIVS V. C. & illustris Præfectus prætorij Galliarum, atque Patricius, consensi & subscripsi. * de quo, in Præfatione Synodi.
Syagrius V. INL. consensi & subscripsi.
Opilio V. INL. consensi & subscripsi.
Pantagathus V. INL. consensi & subscripsi.
Deodatus V. INL. consentiens subscripsi.
Cariatto V. INL. consentiens subscripsi.
Marcellus V. INL. consentiens subscripsi.
Namatius V. INL. consentiens subscripsi.

Huic Synodo in quibusdam codicibus MSS. [z] Bonifacij II. Epistolæ, ipsiq; epistolæ ista præfixa cernitur adnotatio. *In hoc loco continetur Synodus Arausica, quam per auctoritatem sanctus Papa Bonifacius confirmavit. Et ideò quicumque aliter de gratiâ & libero arbitrio crediderit, quàm vel ista auctoritas continet, vel in illâ Synodo constitutum est, contrarium se Sedi Apostolicæ, & universæ per totum mundum Ecclesiæ esse cognoscat.* quanquam ex Cypriani diaconi narratione appareat, ad Valentinam potiùs Synodum (sub Felicis IIII. excessum habitam) Bonifacij illam epistolam fuisse referendam. Sic enim ille, in Vitâ magistri sui Cæsarij. [y] *Susurris & malâ in-*

[z] Tom. 1. Conciliorum Galliæ, pag. 121. 123.

[y] Vit. Cæsarij, lib. 1 in Bibliothecâ Lerinensi Vincentij Barralis, pag. 147.

terpretatione quorundam, oboritur in Galliarum partibus contra prædicationem Dei hominis frustrà sinistra suspicio. Ob hoc antistites Christi ultra Ligeram consistentes caritatis amore collecti in Valentinâ civitate conveniunt: ubi etiam beatus Cæsarius infirmitatis causâ sollicitans, sicut disposuerat properare non potuit.

Misit tamen præstantissimos viros de Episcopis, cum presbyteris & diaconis; inter quos etiam Cyprianus Toloensis episcopus Antistes magnus & clarus enituit: omnia quæ dicebat de divinis utique Scripturis firmans, & de antiquissimis Patrum institutionibus probans; nihil per se in divinis profectibus quemquam arripere posse, nisi fuerit primitùs Dei gratiâ præveniente vocatus. Sed dum suam justitiam quærebant statuere, justitiæ [Dei] *non erant subjecti: non reminiscentes Dominum dixisse;* [a] Sine me nihil potestis facere. *&,* [b] Ego vos elegi, non vos me. *&,* [c] Nemo habet quicquam nisi datum illi fuerit desursùm. *& Apostolum:* [d] Gratiâ Dei sum id quod sum. *& alium:* [e] Omne datum optimum desursùm est. *& Prophetam:* [f] Gratiam & gloriam dabit Dominus. *& quòd tunc verè liberum homo resumat arbitrium, cùm fuerit Christi liberatione redemptus; sub quâ etiam absolutione valeat consequi perfectionis effectum. Quorum intensionibus vir Dei Cæsarius dedit veram & evidentem ex traditione Apostolicâ rationem. Nam beatæ memoriæ Bonifacius Romanæ ecclesiæ Papa eâdem collectatione compertâ; calcatâ intensione jurgantium, prosecutionem sancti Cæsarij Apostolicâ auctoritate firmavit.* Bonifacij verò epistola est ejusmodi.

[a] Iohann. 15. 5.
[b] Iohan. 15. 16.
[c] Iohan. 3. 27.
[d] 1. Cor. 15. 10.
[e] Iacob. 1. 17.
[f] Psalm. 84. 11. (al. 83. 12.)

DILE-

DILECTISSIMO FRATRI

Cæsario, Bonifacius.

PER filium nostrum Armenium presbyterum & Abbatem literas tuæ fraternitatis accepimus, quas ad nos sub eâ quâ in Deo tenemur caritate direxeras: quibus credideras postulandum, ut id quod à beatæ recordationis decessore nostro Papâ Felice pro catholicæ fidei popoſceras firmitate, meâ explicaretur instantiâ. Sed quia id voluntas superna disposuit, ut quod per nos ab illo speraveras, à nobis potiùs impetrares; petitioni tuæ, quam laudabili fidei sollicitudine concepisti, catholicum non distulimus dare responsum. Indicas enim, quòd aliqui Episcopi Galliarum, cùm cætera jam bona ex Dei acquieverint gratiâ provenire, fidem tantùm, quâ in Christo credimus, naturæ esse velint, non gratiæ; & hominibus ex Adam, quod dici nefas est, in libero arbitrio remansisse, non etiam nunc in singulis misericordiæ divinæ largitate conferri: postulans ut pro ambiguitate tollendâ, confessionem vestram, quâ vos è diverso fidem rectam in Christo, totiusque bonæ voluntatis initium, juxta catholicam veritatem, per prævenientem Dei gratiam singulorum definitis sensibus inspirari, auctoritate Sedis Apostolicæ firmaremus.

Atque ideò, cùm de hâc re multi patres, & præ cæteris beatæ recordationis Augustinus Episcopus, sed & majores nostri Apostolicæ Sedis Antistites,

tiſtites, ita ratione probentur diſſeruiſſe latiſſimâ, ut nulli ulteriùs deberet eſſe ambiguum, fidem quoque nobis ipſam venire de gratiâ: ſuperſedendum duximus reſponſione multiplici. maximè cùm ſecundùm eas, quas ex Apoſtolo direxiſti ſententias, quibus dicit: [a] *Miſericordiam conſecutus ſum, ut fidelis eſſem*; & alibi: [b] *Vobis datum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, verumetiam ut pro eo patiamini*; evidenter appareat fidem, quâ in Chriſto credimus, ſicut & omnia bona, ſingulis hominibus ex dono ſupernæ venire gratiæ, non ex humanæ poteſtate naturæ. Quod etiam fraternitatem tuam, habitâ collatione cum quibuſdam ſacerdotibus Galliarum, juxta fidem gaudemus ſenſiſſe catholicam: in his ſcilicèt, in quibus uno, ſicut indicâſti, conſenſu definierunt fidem, quâ in Chriſto credimus, gratiâ divinitatis præveniente conferri: adjicientes etiam, nihil eſſe prorſus ſecundùm Deum boni, quod ſine Dei quis gratiâ aut velle, aut incipere, aut operari, aut perficere poſſit; dicente ipſo Salvatore noſtro: [c] *Sine me nihil poteſtis facere.*

[a] 1.Cor.7.25.
[b] Philip.1.29.
[c] Ioan.15.5.

Certum eſt enim atque catholicum, quia in omnibus bonis, quorum caput eſt fides, nolentes nos miſericordia divina præveniat, ut in fide duremus, ſicut David propheta dicit: [d] *Deus meus miſericordia ejus præveniet me.* & iterùm: [e] *Miſericordia mea cum ipſo eſt.* & alibi: [f] *Miſericordia ejus ſubſequitur me.* Similiter & beatus Paulus dicit: [g] *Aut quis prior dedit ei, & retribuetur illi? quóniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.*

[d] Pſal.59.10. (al.58.11.)
[e] Pſal.89.24. (al.88.25.)
[f] Pſal.23.(al. 22,) 6.
[g] Rom.11.35, 36.

Vnde

Vnde nimis eos qui contrà sentiunt, admiramur, usque eo vetusti erroris adhuc reliquijs prægravari, ut ad Christum non credant Dei beneficio, sed naturæ veniri; & ipsius naturæ bonum, quod Adæ peccato noscitur depravatum, auctorem nostræ fidei dicant magis esse quám Christum, nec intelligant se Dominicæ reclamare sententiæ dicenti: h *Nemo venit ad me, nisi datum fuerit illi à patre meo.* sed et beato Paulo simul obsistere clamanti ad Hebræos: i *Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem* IESVM *Christum.* Quæ cùm ita sint, invenire non possumus quid ad credendum in Christo, sine Dei gratiâ, humanæ deputent voluntati, cùm Christus auctor consummatorque sit fidei.

h Ioan. 6. 65.

i Hebr. 12. 1. 2.

Quapropter affectu congruo salutantes, suprascriptam confessionem vestram consentaneam catholicis patrum regulis adprobamus. Illos autem, qui præcedente fide, cætera, sicut indicas, volunt gratiæ deputare, suâ professione constringimus, ut multo magis dono gratiæ etiam fidem cogantur adscribere, præter quam nihil est boni, quod secundùm Deum quilibet valeat operari; sicut beatus Apostolus dicit: k *Omne quod ex fide non est, peccatum est.* Quod cùm ita sit, aut nullum bonum gratiæ deputabunt, si ei fidem subtrahere moliuntur; aut si quod bonum esse dicunt de gratiâ, ipsa necessariò fides erit gratiæ deputanda. Si enim nihil boni est sine fide, fides autem ipsa venire negetur ex gratiâ; nullum, quod absit, bonum erit gratiæ deputandum. Ait enim Iacobus Apostо-

k Rom. 14. 23.

[l] Iacob. 1.17. Apostolus: [l] *Omne donum bonum, & omne donum perfectum desursùm est, descendens à patre luminum.* Et ipsi fatentur, ut dicis, dona cætera donari per gratiam; ipsa autem bona fide subsistere non ambigunt. Vniversa ergo necessariò fides erit gratiæ deputanda, à quâ bonum, quod gratiæ tribuunt, separare non possunt.

His itaque breviter assignatis; contra reliquas Pelagiani erroris ineptias, quas illa videtur epistola continere, quam à quodam tibi mandâsti sacerdote transmissam, respondendum non duximus: quia speramus de misericordiâ divinâ, quòd ita per ministerium tuæ fraternitatis atque doctrinam, in omnium, quos dissentire mandâsti, dignabitur cordibus operari; ut ex hoc omnem bonam voluntatem non ex se, sed ex divinâ credant gratiâ proficisci, cùm se senserint id jam velle defendere, quod nitebantur pertinaciter impugnare. Scriptum est enim; [m] *Præparatur voluntas à Domino.* & alibi: [n] *Scio quia non possum esse continens, nisi Deus dederit; & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset donum.* Deus te incolumem custodiat, frater carissime. Data VIII. Kalend. Februarias, Lampadio & Oreste VV. CC. Consulibus.

[m] Prov. 8. 35. juxta LXX.
[n] Sapient. 8. 21.

Qui primus epistolam hanc ex tenebris eruit diligentissimus [o] Sirmondus, Baronianam Chronologiam (quæ hinc potiùs emendanda fuerat) in constituendo Bonifacij initio secutus, legendum hîc suspicatur; P. C. *Lam-*

[o] Sirmond. Not. ad tom. 1. Concilior. Galliæ, pag. 605.

Lampadij & Orestis: qui Consulatum eorum secutus annus in æræ nostræ DXXXI. incurrit. Eâ verò ratione, diebus tantùm XLI. data fuisset hæc epistola ante diploma hoc, quod ab Arthuro rege Cantabrigiensi academiæ concessum fuisse aiunt.

Arthurus, regali à Deo fretus dignitate, omnibus suis Salutem.

Quia omnipotens Deus per misericordiam clementiæ suæ, absq; ullo antecedente merito sceptra regiminis mihi largitus est; libenter ei ex eo quod dedit mihi retribuo. Idcirco ejus gratiâ eruditus, pro amore cœlestis patriæ remedioq; animarum antecessorum meorum Britanniæ regum, pro augmentatione insuper rei publicæ regni mei Britanniæ, ac profectu * *spirituali scholarium in lege Domini jugiter Cantabrigiæ studentium; consilio & assensu omnium & singulorum Pontificum & Principum istius regni, & licentiâ sedis Apostolicæ, statuo præsenti scripto & firmiter decerno, ut civitas Scholarium predicta (ubi hactenùs splendorem scientiæ & lumen doctrinæ, gratiâ favente conditoris, mei prædecessores acceperunt) à publicis vectigalibus & operibus onerosis absolvatur: ut quietudine Doctores inibi & Scholares valeant doctrinæ studio inhærere; sicut gloriosus rex Britanniæ Lucius decrevit, Christianitatem amplectens prædicatione doctorum Cantabrigiæ. Quamobrem sint Scholares atq; Doctores Cantabrigiæ manentes, in tranquillitate perpetuâ tuti, privilegijs muniti, regalibus cum suis rebus & familiaribus ab omnibus secularibus servitutibus, nec non à regalibus tributis majoribus seu minoribus. Datum anno ab Incarnatione Domini* DXXXI. *septimo die Aprilis, in civitate London.*

* al. *specialis*

Nicolaus Cantelupus affirmat, inclytum regem Arthurum constituisse *Kynotum* quendam virum providum, Rectorem scholarium civitatis Cantabrigiensis anno ab Incarnatione Domini DXXIX. eiq; post

biennium, *pro ampliore firmitate, transmisisse Chartulam prædictam per suum nepotem Walwanum probitate clarum.* Hunc Kynotum, vel *Kinocum* potiùs, Lampaternensis eccl[esiæ] fuisse antistitem, atq; Davidi in sede Menevensi successisse refert [p] Monemuthensis Galfridus: Walwanum quoq; sive *Walguanium* [q] nepotem regis fuisse confirmans. Patrem enim Arthuri Utherum, fratris sui Aurelij Ambrosij tempore, filiam suam Annam Lotho Consuli Lodonesiæ (quæ olim *Pict-landia*, hodie *Landen* dicitur) in matrimonium collocâsse; indeq; Walganium & Modredum susceptos fuisse [r] narrat. In scriptis Cambrobritannicis, pater Llow, filij Pedyr & Gualchmai nominantur. quorum priorem, qui inito cum Saxonibus fœdere contra avunculum suum Arthurum posteà conjuravit, in vetere Triadum libro unâ cum Avarwy sive Androgeo filio Lud (qui Cæsaris est Mandubratius) & Guorthigerno, ut *tres viros qui maximo dedecori huic Insulæ fuerint*, adnumerari docet Iohannes Prisæus: posteriorem, qui pro avunculo contra fratrem dimicans in Cambalanico prælio cecidisse dicitur, celebratum fuisse docet Iohannes Lelandus, tum à Melchino vate Britannico, tum à Iohanne Annævillano; qui in Architrenio suo ita illum loquentem inducit.

[p] Suprà, cap. 5. pag. 82.

[q] Histor. Britannic. lib. 11. cap. 1.

[r] Ibid. lib. 8. cap 21. & lib. 9. cap. 9. 11.

Et Walganus ego, qui nil reminiscor avarâ
Illoculâsse manu: non hæc mea fulgurat auro
Sed gladio dextra; recipit quò spargat, & enses
Non loculos stringit nec opes in carcere miles
Degener & cupidè cumulato rusticus ære.
Et me bella vocant: & te tua forsitan urget
Sollicitudo. Vale.

Accedit & Guilielmi Malmesburiensis locus, de sepulcro illius in eâ Pembrochiensis Comitatus parte quam Rossiam vocant tempore Guilielmi I. reperto. [t] *Tunc in provinciâ Walliarum quæ Ross vocatur inventum*

[t] Malmesbur. de gest. Reg. Anglor. lib. 3.

est

est sepulcrum Walwini, qui fuit haud degener Arturi ex sorore nepos; regnavitq́, in eâ parte Britanniæ, quæ adhuc * *Walwertha* vocatur, *miles virtute nominatissimus, sed à fratre & nepote Hengisti regno expulsus, priùs multo eorum detrimento exilium compensans suum: communicans meritò laudi avunculi, quòd ruentis patriæ casum in plures annos distulerit. Sed Arthuri sepulcrum nusquàm visitur: unde antiquitas næniarum adhuc eum venturum fabulatur. Cæterùm alterius bustum, ut præmisi, tempore Guilielmi regis repertum est super oram maris quatuordecim pedes longum: ubi à quibusdam asseritur ab hostibus vulneratus & naufragio ejectus, à quibusdam dicitur à civibus in publico epulo interfectus. Veritatis ergo notitia labat in dubio; licèt neuter eorum defuerit famæ suæ patrocinio.*

* al. *Walwithia.* Matthæo Parisiensi, in anni 1087. historiâ, *Walwethai.*

De eodem in editâ Matthæi Florilegi historiâ, ad annum DXXXIII. ita legimus. *Erat tunc Walwanus filius Lothi* (sororij Arthuri) *duodecim annorum juvenis, Vigilio Papæ traditus ad nutriendum: à quo etiam & militiæ cingulum accepit.* quod à [c] Galfrido Monemuthensi, ex quo ille hausit, sic habetur expressum. *Erat tunc Walwanus filius Loth, duodecim annorum juvenis, obsequio Sulpicij Papæ ab avunculo traditus: à quo armatus accepit.* ab avunculo utique *Arthuro*, non à Papâ *Vigilio*, vel *Sulpicio*; sive is *Silverius* fuerit, sive nullus. Quærit verò hîc [d] Brianus Twynus; quomodo hic *puer Walwainus, & jam tum absens, in deferendo diplomate tabellarius Cantabrigiensis* fuerit? præter alia plurima, quibus diplomatis illius fidem elevat, illud etiam urgens; quòd eo tempore non sub Arthuri, sed sub Orientalium Anglorum potestate ager Cantabrigiensis fuerit: [e] hoc etiam Florilegi eam in rem citato testimonio. *Anno gratiæ* DXXVII. (quadriennio scilicèt ante datum hoc diploma) *venerunt de Germaniâ pagani, & occupârunt Eastangliam. i. regionem illam quæ Orientalium Anglorum regio dicitur; & omni crudelitatis genere Christianos afflixerunt.* licèt postrema hæc, de Christianorum persecutione, clausula neq; in edito

[c] Britannic. histor. lib. 9. cap. 11.

[d] Twyn. Antiquit. Acad. Oxon. Apolog. lib. 1. §. 106.

[e] Ibid. §. 27. 28.

dito libro neq; in eo quem in manibus habeo legatur manuscripto: & Orientalium Anglorum regnum à Guilielmo Malmesburiensi inchoetur etiam citiùs. Nam [y] *prius regno Westsaxonum, pullulavisse regnum Orientalium Anglorum* asserit: annum quoq; rationibus illius convenienter Ranulpho sic assignante. [x] *Anno gratiæ* CCCCXCII. *incepit regnum Orientalium Anglorum sub Uffâ: à quo omnes Orientales Anglos* * *Uffingas vocamus; quos nunc Ficanos seu Fikeys appellamus.*

[y] Malmesbur. de gest. regum, lib. 1. cap. 5.

[x] Ranulph. Cestrens. Polychronic. lib. 5. cap. 4.

* Vid Bedam, lib. 2. hist. cap. 15.

Neq; majorem quàm diploma illud fidem meretur assumentum Edvardi Confessoris legibus adjectum, de Synodis sive populorum conventibus ab Anglosaxonibus folcmote appellatis. [a] *Ita debent facere omnes Principes & Comites, & simul jurare coram Episcopis regni in* folcmote: *& similiter omnes Proceres regni, & Milites, & liberi homines universi totius regni Britanniæ facere debent in pleno* folcmote *fidelitatem Domino Regi coram Episcopis regni. Hanc legem invenit Arthurus, qui quondam fuit inclytissimus rex Britonum; & ita consolidavit & confœderavit regnum Britanniæ universum semper in unum. Hujus legis authoritate expulit Arthurus prædictus Saracenos & inimicos à regno.* nec non, *De jure & appendicijs corona regni Britanniæ*, illud alterum.

[a] Guil. Lambard. Archaionomia, fol. 135. b.

[b] *Arthurus qui fuit quondam inclytissimus rex Britonum, vir magnus fuit & animosus, & miles illustris. Parùm fuit ei regnum istud, non fuit animus ejus contentus regno Britanniæ: subjugavit igitur sibi strenuè Scantiam totam, quæ modò Norweia vocatur, & omnes insulas ultra Scantiam, scilicèt, Islandiam, & Grenlandiam, quæ sunt de appendicijs Norweiæ, & Snechordam, & Hiberniam, & Gutlandiam, & Daciam, Semelandiam, Winlandiam, Curlandiam, Roe, Femelandiam, Wirelandiam, Flandriam, Chertelam, Lappam, & omnes alias terras, & insulas orientalis Oceani usq; Russiam (In Lappâ scilicèt posuit orientalem metam regni Britanniæ:) et multas alias insulas ultrà Scantiam, usquedum sub septentrione, quæ sunt de appendicijs*

[b] Ibid. fol. 137. b. 138. a.

dicys Scantiæ, quæ modò Norweia vocatur. Fuerunt gentes feræ & indomitæ, & non habuerunt dilectionem Dei, nec proximi: quia ab Aquilone pandetur omne malum. Fuerunt autem ibi Christiani occultè. Arthurus autem Christianus optimus fuit, & fecit eos baptizari, & unum Deum per totam Norweiam venerari, & unam fidem Christi semper inviolatam custodire & suscipere. Ceperunt universi proceres Norweiæ uxores suas de nobili gente Britonum tempore illo: unde Norwegienses dicunt se exiisse de gente & sanguine regni hujus. Impetravit enim temporibus illis Arthurus rex à Domino Papâ & à Curiâ Romanâ, quòd confirmata sit Norweia in perpetuum coronæ Britanniæ in augmentum regni hujus: vocavitq; illam dictus Arthurus Cameram Britanniæ. Hâc verò de causâ dicunt Norwegienses se debere in regno isto cohabitare; & dicunt se esse de corpore regni hujus, scilicèt de coronâ Britanniæ.

His similima & maximè gemina sunt, atq; hominum prudentum judicio [c] *potiùs in anilibus quàm annalibus numeranda*, quæ longo sermone contexuit Monemuthensis Galfridus; ob hoc ipsum quoq;, si Guilielmo Neubrigensi credimus, in Anglicanæ suæ Historiæ Proœmio, *agnomen habens Arthuri, quòd fabulas de Arthuro ex priscis Britonum figmentis sumptas & ex proprio auctas per superductum Latini sermonis colorem honesto Historiæ nomine palliavit.* De quibus ut fusiùs & vehementiùs eo in loco Guilielmus, ita brevius & modestiùs in Polychronico suo ita agit Ranulphus. [d] *De isto Arthuro, quem inter omnes Chronographos solus Galfridus sic extollit, mirantur multi; quomodo veritatem sapere possint, quæ de eo prædicantur. pro eo quòd si Arthurus, sicut scribit Galfridus, ter dena regna acquisivit; si regem Francorum subjugavit, si Lucium procuratorem Reipublicæ apud Italiam interfecit: cur omnes historici, Romani, Franci, Saxonici, tot insignia de tanto viro omiserunt, qui de minoribus viris tot minora retulerunt?*

[c] Io. Leslæ. de reb. gest. Scotorum, lib. 4. in rege XLVI.

[d] Ranulph. Cestrens. Polychronic. lib. 5. cap. 6.

Ad hæc dicit Galfridus, suum Arthurum regem Francorum

corum Frollonem vicisse: cùm tamen de Frollonis nomine nusquàm reperiatur apud Francos. Item dicit, Arthurum tempore Leonis Imperatoris Lucium Hiberium Reipublicæ procuratorem extinxisse: cùm tamen juxta omnes historias Romanas constet nullum Lucium eo tempore Rempublicam procurâsse; neq; illum Arthurum ullatenùs tempore Leonis regnâsse (neq; etiam tunc natum fuisse) sed tempore Iustiniani, qui quintus fuit à Leone. Denique Galfridus dicit se mirari, quòd Gildas & Beda nullam de Arthuro in suis scriptis fecerunt mentionem: immò magis mirandum puto, cur iste Galfridus tantùm extulerit, quem omnes antiqui veraces & famosi historici penè intactum reliquerunt. Sed fortassis mos est cuiq; nationi aliquem, de suis, laudibus attollere excessivis; ut quemadmodum Græci suum Alexandrum, Romani suum Octavianum, Angli suum Richardum, Franci suum Carolum, sic Britones suum Arthurum prædicant: quod sæpè contingit, sicut dicit Iosephus, aut propter historiæ decorem, aut propter legentium delectationem, aut ad propri sanguinis exaltationem. Nam dicit Augustinus, de Civitate libro X. *capitulo* I. *quod Atheniensium gesta majora fuerunt famâ quàm reipsâ: & hoc propter scriptorum ibidem florentium præclara ingenia, qui sensum suum ad arduа & linguam suam ad laudisona laxare sunt gavisi.*

Ab Ambrosio tamen Merlino etiam prænunciata creduntur ista; de Arthuro, sub *Apri Cornubiensis* (quòd in Cornubiæ maritimo castro *Tintagel* fuisset genitus) involuero, per furorem ita vaticinante. [a] *Prævalebit tandem oppressa; & savitiæ exterorum resistet. Aper etenim Cornubiæ succursum præstabit; & colla eorum sub pedibus suis conculcabit. Insula Oceani potestati ipsius subdentur; & Gallicanos saltus possidebit. Tremebit Romulea domus savitiam ipsius; & exitus ejus dubius erit. In ore populorum celebrabitur; & actus ejus cibus erit narrantibus.* Quò enim, ait in hunc locum illius interpres Alanus de Insulis, *Arthuri Britonis nomen fama volans non pertulit & vulgavit, quousque Christianum pertingit imperium?*

[a] Galfrid. Monemuth. lib. 7. cap. 3. Matth. Florileg. ad ann. 465.

Quis,

Quis, inquam, Arthurum Britonem non loquatur? cùm penè notior habeatur Asiaticis gentibus, quàm Britannis: sicut nobis referunt Palmigeri nostri de Orientis partibus redeuntes. Loquuntur illum Orientales, loquuntur Occidui, toto terrarum orbe divisi. Loquitur illum Ægyptus; Bosphorus exclusâ non tacet. Cantat gesta ejus domina civitatum Roma; nec æmulam ejus quondam Carthaginem Arthuri prælia latent. Celebrat acta ejus Antiochia, Armenia, Palæstina. & Iosephus Exonienſis, in Antiocheide ſuâ:

Hinc celebri facto felici claruit ortu
Flos regum Arthurus; cujus cùm facta stupori
Non micnêre minùs, totus quod in aure voluptas
Et populo plaudente favus. Quæcunque priorum
Inſpice. Pellæum commendat fama tyrannum;
Pagina Cæsareos loquitur Romana triumphos:
Alcidem domitis attollit gloria monſtris.
Sed nec pinetum coryli, nec ſidera ſolem
Æquant. Annales Latios, Graioſq; revolve:
Priſca parem neſcit, æqualem poſtera nullum
Exhibitura dies. Reges ſupereminet omnes
Solus; præteritis melior, majorq; futuris.

&, qui non poëticâ ſed hiſtoricâ fide ſcripſit, Guilielmus Malmesburienſis. [f] *Hic eſt Arthurus, de quo Britonum nugæ hodieq; delirant: dignus planè quem non fallaces ſomniarent fabulæ, ſed veraces prædicarent hiſtoriæ; quippe qui labantem patriam diu ſuſtinuerit, infractaſq; civium mentes ad bellum acuerit.* quod Alanus ille Inſulenſis ita auget & amplificat. [g] *Verè dignus, de quo non aniles fabulæ mentiantur, ſed de quo veraces hiſtoriæ vera & laude digna loquantur. Nam & gentem ſuam ab alienigenis conculcatam priſtinæ dignitati reſtituit, & perfidos invaſores à patrijs finibus effugavit. Cultum religionis, penè deletum, in civitatibus & vicis & opidis reformavit: Eccleſias, à paganâ gente deſtructas vel diruptas, reſtauravit; & in eis paſtores*

[f] Malmesbur. de geſt. reg. Anglor. lib. 1. cap. 1.

[g] Alan. in Merlini Prophetiam, lib. 3.

flores & episcopos cum clericorum officijs, prout locorum dignitas exigebat, devoto religionis studio ordinavit.

Ejusdem Guilielmi de Glastonienſis eccleſiæ antiquitate libelli interpolator, partim ex Britonum partim ex Anglorum Chronicis, hanc de Arthuro narrationem conflavit. *Post multa quæ illustrissimè gessit in Britanniâ, commisso regno suo & reginâ Modredo * nepoti suo, cum suo exercitu transfretavit in Galliam; & eam sibi subjugavit. Multasq; alias provincias subjecit, bellum cum Romanis habuit: & post subsequentem hyemem in partibus illis moratus, multas civitates subjugare vacavit. Redeunte verò æstate, Arthurus versùs Romam tendens cum suo exercitu, eam sibi subjugare affectavit. Interim autem Modredus regnare appetens, sed solum Cerdicum timens, dedit Cerdico ut sibi faveret septem provincias: scilicèt* Southſer, Southerei, Barocſcire, Wiltſcire, Dorſet, Devenesſcire, *& Cornubiam. Cerdicus verò his consentiens, suas provincias novis Anglis instauravit: & coronatus est more gentili apud Wintoniam, Modredus verò super Britones apud Londoniam. Audiens autem rex Arthurus, de Gallijs rediit: Modredum nepotem suum (cui regnum cum Reginâ commiserat) persecutus in ultimos fines Cornubiæ, interfecit. In ipso tamen bello est ipse Arthurus lethaliter vulneratus: corpus verò ejus à nobili matronâ ejusdem regis cognatâ Morganis dictâ in insulam Avallonia, quæ nunc Glastonia dicitur, est delatum; ad sanandum vulnera sua. Sed ingravescente morbo, medicaminibus medicum proficientibus, anno Domini circitèr quingentesimo quadragesimo secundo defungitur.*

* de quo suprà, pag. 514.

At tempus Arthuriani obitus hîc assignatum, cum alterâ illâ de Modredi & Cerdici fœdere narrationis parte (quam ex *Chronicis Anglorum* petitam esse h Ranulphus notat) haud facilè conciliare possumus. Anglosaxonici enim Annales DXXXIIII. Christi anno Cerdicum interijsse docent: Fabio quoq; Ethelwerdo, Florentio Wigornienſi, & Guilielmo Malmesburienſi con-

h Polychronic. lib. 5. cap. 6.

consentientibus. Britannica verò Historia, [i] cum Glastonienſibus Chronographis, ad annum DXLII. exceſſum Arthuri refert: quod non ſolùm ex Waltero Oxonienſi & Galfrido Monemuthenſi tradit in majore ſuâ historiâ Thomas Rudburnus (ut de [k] Alano Inſulenſi, Matthæo Florilego, Wintonienſis monaſterij Annalibus, & alijs nihil dicam) ſed Scoticarum quoq; rerum ſcriptores, Iohannes Fordonus, Iohannes Major, Hector Boëthius & Georgius Buchananus, ſuo pariter calculo confirmant. à quo, ut multùm non diſcedit Radulphus de Baldock Londinenſis epiſcopus, cui anno DXLIII. vel Eulogij & Waverleienſium etiam Annalium ſcriptores, quibus anno DXLV. Arthurum lethale ſuum vulnus accepiſſe placet: ita [l] Guilielmi Neubrigenſis paralogiſmus nos abducit longiùs; dum Britannicâ Galfridi historiâ, quæ Arthurum à Vortigerno quartum, cum Anglicanâ Bedæ collatâ, quæ Ethelbertum Auguſtini ſuſceptorem ab Hengiſto item quartum conſtituit, *regnum Arthuri & ingreſſum in Britanniam Auguſtini concurrere debuiſſe*, (argumento parùm firmamenti ac virium habente) colligit.

[i] Vid. ſuprà, Pag. 116. 117.

[k] Alan. in Merlini Prophet. lib. 3.

[l] Neubrigenſ. in Hiſtor. Anglor. Proœmio.

[m] *Ipſe verò Arthurus, juxta Merlini vaticinium, dubium habet exitum; quia utrùm vivat, an mortuus fuerit, nemini certum æſtimatur eſſe:* inquit Vincentius Bellovacenſis. *Veriſſimè quidem*, addit Merlini interpres [n] Alanus Inſulenſis: *ſicut hodieq; probat varia hominum de morte ejus & vitâ opinio. Quod ſi mihi non credis, vade in Armoricum regnum, id eſt, in minorem Britanniam; & prædica per plateas & vicos, Arthurum Britonem more cæterùm mortuorum mortuum eſſe: & tunc certè reipſâ probabis, veram eſſe Merlini prophetiam, quâ ait, Arthuri exitum dubium fore. ſi tamen immunis evadere inde poteris; quin aut maledictis audientium opprimaris, aut certè lapidibus obruaris.* Cujus ridiculæ (ut ipſe quoq; agnoſcit) opinionis hanc qualemcumq; rationem conatur ille reddere. [o] *Hunc Britones, tantæ famæ tantæq; gloriæ virum,*

[m] Vincent. Speculum. Hiſtorial. lib. 11. cap. 74.

[n] Alan in Merlin. lib. 1.

[o] Id. lib. 3.

rum, nullâ ratione adduci possunt ut mortuum credant: præsertim cùm in nullis Annalibus inveniri possit scriptum, ubinam vel mortuus fuerit vel sepultus. Denique in Historiâ Britonum hoc tantummodo reperi, quòd in bello illo, quod adversus nefandissimum prediterem (Modredum videlicèt nepotem suum, fratrem Walgani) habuerit, lethaliter fuerit vulneratus. &c. Quia igitur de morte tanti Regis nec Historia ista nec alia quæpiam loquitur, nullâ ratione (ut dictum est) Britones ad credulitatem mortis ejus adduci possunt; sed omnis, aut penè omnis, illa natio adhuc eum in insulâ Avallonis, quò curatum deportatus est, delitere ac vivere opinantur. Quibus est illud Radulphi Nigri addere possumus. *A Modredo nepote suo lethaliter vulneratus, in insulam Avallonis est delatus: cujus sepulcrum tempore regis Richardi apud Glastingeburi est repertum; qui locus, paludibus olim circumseptus, Insula Avallonis Britannicè (id est, pomorum) vocitatus est. Sed quia Britannica Historia de ejus morte nil certum tradidit; Britones eum adhuc vivere delirant.* & Matthæi Florilegi. *Occultavit se Rex moribundus, ne casui tanto insultarent inimici, amicis molestarentur. Unde quoniam de morte Arthuri vel ejus* sepulturâ nihil referunt historiæ; *gens Britonum ipsum adhuc vivere, præmagnitudine dilectionis, contendunt.*

* Vid. Guil. Malmesbur. suprà, pag. 514.

Verùm sub finem regni, non Richardi I. (ut à Radulpho, & Eulogij authore, atq; § alijs est traditum) sed Henrici II. (quo Anglis imperante, suas in Merlinum Explanationes Alanus edidit) Glastoniæ Arthuri sepulchrum inventum fuisse, in VI.° libri hujus capite declaravimus. quod non rudis tantùm vulgi de Arthuro adhuc vivente somnia, sed Gilberti quoq; Genebrardi temeritatem redarguit; qui ‖ *Arcturum magnum nunquàm extitisse, ex Bedâ* (qui illius omninò non meminit) *posse intelligi*, satis inconsideratè pronuntiat. Sed Giraldum Cambrensem, qui Arthuri ossa paucis antè diebus effossa ipse conspexit, de illius excessu & Glastonien-

§ Vid. supr. cap. 6. pag. 121.

‖ Genebrard. chronograph. lib. 3. ad ann. Christ. 498.

sis

nienſi in quâ ſepultus eſt inſulâ diſſerentem audiamus.

¶ *Quoniam de rege Arthuro & ejus exitu dubio multa referri ſolent, & fabulæ confingi, Britonum populus ipſum adhuc vivere fatuè contendentibus: ut fabuloſis exſufflatis, & veris ac certis aſſeveratis, veritas ipſa de cætero circa hæc liquidò pateat, quædam hîc adjicere curavimus indubitatâ veritate comperta. Poſt bellum de * Kamlan apud Cornubiam, interfecto ibidem Moderedo proditore nequiſſimo & regni Britannici cuſtodiæ ſuæ deputati contrà avunculum ſuum Arthurum occupatore, ipſoque Arthuro ibi lethaliter vulnerato; corpus ejuſdem in inſulam Avaloniam, quæ nunc Glaſtonia dicitur, à nobili matronâ quâdam ejuſdem cognatâ & Morgani vocatâ, eſt delatum: quod poſtea defunctum, in dicto cœmiterio ſacro, eâdem procurante, ſepultum fuit. Propter hoc enim fabuloſi Britones & eorum cantores ſingere ſolebant, quòd Dea quædam phantaſtica, ſcilicet Morganis dicta, corpus Arthuri in inſulam detulit Avaloniam, ad ejus vulnera ſanandum. Quæ quum ſanata fuerint, redibit Rex fortis & potens ad Britones regendum (ut dicunt) ſicut ſolet: propter quod ipſum expectant adhuc venturum, ſicut Judæi Meſſiam ſuum, majori etiam fatuitate & infelicitate ſimul ac infidelitate decepti.*

¶ Giral. in Speculi Eccleſiaſtici diſtinct. 2. cap 9.

Notandum hîc autem, quòd Glaſtonia dicta eſt Inſula, quoniam mariſco profundo undiq; eſt clauſa, quæ Mediamnis magis propriè diceretur, quaſi medijs ſcilicet amnibus ſita; ſicut meliùs Inſulæ dicuntur quæ in ſalo, hoc eſt, in mari ſitæ noſcuntur. Avalonia verò dicta eſt vel ab Aval *Britannico verbo, quod pomum ſonat, quia ſolet locus ille pomis & pomerijs abundare; vel ab Avalone quodam territorij illius quondam dominatore. Item ſolet antiquitùs locus ille Britannicè dici* ynys gwydrin, *hoc eſt, Inſula vitrea, propter amnem ſcilicet quaſi vitrei coloris in mariſco circumfluentem: & ob hoc dicta eſt poſtmodum à Saxonibus terram occupantibus linguâ eorum Glaſtonia. Glas enim Anglicè vel Saxonicè vitrum ſonat.*

* Vid. Camden. in Cornwall. pag. 140. 141. & Hect. Boëth. Scotor. hiſtor. lib. 9. fol. 165. b.

Cum quibus comparare liceat, quæ Britannicæ hiſtoriæ

storiæ metaphrastes hâc de re cecinit: poëticâ licentiâ amnicam istam insulam in Oceanicam transformans, & ut beatarum illarum unam describens, de quibus [f] Horatius.

[f] Horat. Epodon. Od. 16.

Nos manet Oceanus circumvagus: arva, beata
Petamus arva, divites & insulas.

Sic enim ille, in libro Poëmatis sui nono.

Cingitur Oceano memorabilis Insula, nullis
Desolata bonis: non fur, nec prædo, nec hostis
Insidiatur ibi, nec vis, non bruma nec æstas
Immoderata furit; pax & concordia, pubes
Ver manet æternum. nec flos nec lilia desunt,
Nec rosa nec viola: flores & poma sub unâ
Fronde gerit pomus. habitant sine labe cruoris
Semper ibi juvenes cum virgine, nulla senectus
Nullaq; vis morbi, nullus dolor, omnia plena
Lætitiæ: nihil hîc proprium, communia quæque.
Regia virgo locis & rebus præsidet istis,
Virginibus stipata suis pulcherrima pulchris,
Nympha decens vultu, generosis patribus orta,
Consilio pollens, medicina nobilis arte.
At simul Arthurus regni diadema reliquit,
Substituitq; sibi regem, se transtulit illic
Anno quingeno quadrageno q; secundo
Post incarnatum sine patris semine natum.
Immodicè læsus Arthurus tendit ad aulam
Regis Avallonis: ubi virgo regia, vulnus
Illius tractans, sanati membra reservat
Ipsa sibi; vivunt q; simul, si credere fas est.

In eâdem insulâ Avalonicâ sepultum etiam fuisse illum, cujus in [e] superiore capite meminimus, Arthuri consobrinum) *sanctum Ituit, inter Walenses famosissimum*, refert Guilielmus Malmesburiensis, cum alijs Glastonienſium antiquitatum descriptoribus: à quibus discedit tamen Iohannes Tinmuthensis, illius mortem

[e] Supr. pag. 472.

sic

sic enarrans. *Cùm finis vitæ propinquaret ad minorem Britanniam regressus, apud civitatem Dolensem (clarus miraculis & signis atq; prodigijs celebris) terræ corpus Spiritumq; Deo commendavit octavo Idus Novembris.* [f] Vincentius Bellouanensis, *mediâ fèrè nocte* de carne illum exijsse; & duorum qui morienti aderant Abbatum, unum quidem *Atroclium* eâdem nocte, alterum verò *Isanum* post XL. dies eum subsecutum fuisse narrat. *Isanum* verò [t] Balæus, eumq; secutus [u] Harpsfeldius, atq; [x] Pitsius, ipsius Iltuti monasterio (quod in Glamorganiâ positum fuisse [y] declaravimus) ante Samsonem præfuisse scribit: sed *Isano*, ut videtur, pro *Piro* vel *Pyrone* (ut eum appellat [z] Vincentius) perperàm substituto. De Iltuti enim cœnobio in Vitâ Samsonis, quæ Landavensi Regesto est inserta, leguntur ista.

[f] Vincent. Specul. historial. lib 21. cap. 105.
[t] Io. Balæ. Scriptor. Britann. Centur. 1. cap. 62.
[u] Nic. Harpsfeld. histor. Ecclesiastic. Anglic. lib. 1. cap. 27.
[x] Io. Pits. de Britann. scriptor. ætat. 6. cap. 55.
[y] Suprà, cap. 13. pag 472.
[z] Vincent. Specul. hist. lib. 21. cap. 109. ex cujus collatione, etiam apud Capgravium in Samsonis Vitâ, *Iluti* nomen pro *Pyronis* positum observo.

Erat non longè à cœnobio * *insula quædam, in quâ monasterium erat constructum à viro nomine Piro. Illuc S. Samson, Deo ducente ac magistro* (Iltuto) *festinanter perrexit: & ibi gloriosam & angelicam vitam duxit; amabilis moribus, pijs insistens operibus, per vigil in orationibus.* posteaq; sequitur. *Piro morte prævento, S. Samson ad Abbatem illius monasterij ab omnibus est electus. Obediente autem illo, non voluntariè, primatum anno tertio & dimidio illius congregationis tenuit. Posteà verò quidam peritissimi Scoti Româ revertentes ad eum venerunt; quos perscrutans, sapientes agnovit, & Episcopo (Dubricio) permittente cum illis ad patriam illorum abijt: ibiq; aliquantulum demorans, ab omnibus religiosis ut Angelus est receptus.* per *Scotorum* patriam, *Hiberniam* intelligens: ut ex eâ quæ ibi subjicitur narratione manifestum est.

* Cùm prope Llan-Iltut, de quâ pag. 472. diximus, nulla habeatur insula: videndum an non Maridunensium Llan-elthyt sit potiùs hîc intelligenda, cui Bacchannis insula adjacet, non procul ab occiduo limite Morganensium. ª de quo suprà, cap. 5. pag. 83. & cap. 13. pag 474.

Intra tertium ab excessu Arthuri annum, inter annum videlicèt DXLII. & DXLV. *defunctum esse sanctum* [a] *Danielem Bangorensis ecclesiæ religiosissimum anti-*

stitem, [b] *Theonum Gloceſtrenſem epiſcopum in archiepiſcopum Londoniarum electum*, [c] *obiiſſe ſanctiſſimum Urbis Legionum archiepiſcopum Davidem in Menevia civitate intra abbatiam ſuam*; eiq;, *jubente Malgone Venedotorum rege in eâdem eccleſiâ ſepulto*, ſucceſſiſſe *in metropolitanâ ſede* [d] *Kinocum Lampaternenſis eccleſiæ antiſtitem*, [e] Britannica refert Hiſtoria. Anno DXLV. & *Arthurum regem inclytum lethaliter vulneratum eſſe*, & *S. Danielem Bangorenſem epiſcopum obiiſſe*; anno verò DXLVII. *S. Davidem Legionum archiepiſcopum obiiſſe*, *ſepultumq; eſſe in Menevia civitate infra* [f] *Monaſterium ſuum*, in Waverleienſis monaſterij Annalibus legimus. quo eodem anno *Demy* (ita enim Davidem appellant Britones) obiiſſe etiam Wintonienſis cœnobij Annales annotant: non præcedente anno DXLVI. ut falſò. Verùm & Britannicæ Hiſtoriæ narrationi convenientiùs, & temporis characteri à Giraldo Cambrenſi aſſignato, qui Kalendas Martias quibus ad Dominum migravit David in *tertiam feriam* incidiſſe innuit, ad annum DXLIIII. illius obitus fuiſſet referendus: quo tempore & LXXXII. ætatis exegiſſet annum, ſi [g] triginta annis poſt adventum S. Patricij in Hiberniam natum eum fuiſſe ſtatuamus. Nam ut annos illi cum Giraldo Cambrenſi & Iohanne Tinmuthenſi CXLVII. tribuamus, aut ad [h] Gregorij Romani exceſſum uſque illius vitam protendamus; animo adhuc noſtro perſuadere non poſſumus.

Daniel, ut habet [i] Balæus, *quieti applaudens, ob exercitia ſacra, eruditorum Apoſtolicique ordinis collegium in Arvonia Venedotorum terrâ inſtituit, non procul à trajectu in Monam inſulam, cui Portus dedit nomen.* ubi nova civitas ab illo [k] Mailgone rege erecta, qui Davidis Menevenſis ſepulturam curavit, à pulchro vel excelſo Choro *Ban-côr* ſive *Bangoræ* nomen poſteà eſt adepta. Hujus eccleſiæ Daniel à Dubricio Landavenſi primus ordinatus epiſcopus, cum eodem in inſulâ ſepultus eſt quæ [l] Enly Cumbricè vocatur & linguâ Saxonicâ Bardſey de

[b] Ibid. cap. 5. pag. 68.
[c] Ibid. pag. 82.
[d] Ibid. & cap. 14. pag. 513. 514.
[e] Galfrid. Monemuth. lib. 11. cap. 3.
[f] Suprà, cap. 5. pag. 82.
[g] Suprà, cap. 13. pag. 443.
[h] Supr. cap. 5. pag. 81. & 89.
[i] Io. Balæ. ſcriptor. Britann. Centur. 1. cap. 59.
[k] Supr. cap 6. pag. 133.
[l] Girald. Itinerar. Cambr. lib. 2. cap. 6.

de quâ in Vitâ Ælgari eremitæ legimus. *Insula Enli more Britannico vocatur Roma Britanniæ: propter longinquitatem & periculosum transitum, in extremitate regni sita; & propter sanctitatem loci & honestatem. Sanctitatem, cùm viginti milia sanctorum ibi jaceant corpora Confessorum tanquam Martyrum; Honestatem; cùm sit circundata undique mari.* &c. qui Sanctorum numerus in ore vulgi adhuc retinetur; yr ugain mil Saint nomine hodieq; eos nuncupantis.

Danielis & Davidis æquales, Iustinianus, Kynedus, Theliaus & Paternus fuisse memorantur: quorum in *Sanctilogio Britanniæ* Iohannes Tinmuthensis (indeq; in Iohannis Capgravij *Novâ Legendâ Angliæ*) Vitæ descriptæ extant. *Iustinianus* relictâ Britanniâ minore patriâ suâ, in *Insulâ Lemeneiâ* (quæ Ptolemæo *Limnus*, Britannis Lymen, Anglis Ramsey nominatur) Junâ cum *Honorio* regis *Theofrasti* filio religiosam vitam egisse; ibiq; à servis demùm peremptus, ad portum à suo nomine vocatum sepultus, indeq; ad ecclesiam Menevensem insulæ objacentem à Davide translatus fuisse dicitur. *Dibocum* ejusdem minoris Britanniæ principem quendam virum incesto stupro propriam filiam polluisse, & ex eâ *Kynedum* suscepisse ferunt: qui in provinciâ nomine *Soyt* ad unum à regis Arthuri palatio milliare in lucem editus, & in insulâ quæ Britannicè *Ynys-Weryn* Latinè *Insula turbæ* vocabatur non sine miraculo per XVIII. annos educatus, in Glamorgantiâ (à *Morgantio* terræ illius principe possessione quâdam acceptâ) cum Davide, Theliao & Paterno necessitudine conjunctus, reliquæ vitæ tempus exegerit. in illâ nimirùm Glamorgantiæ peninsula, quæ *Gowera Occidentalis* appellatur, et ad mare locum *S. Keneti sacelli* nomine notatũ adhuc conservat.[m] *Theliaus*, qui & *Elud* & *Madocus* dictus est, *Eusei* viri nobilis filius, in loco *Ecclus Gunnian* appellato natus; in scripturis sanctis à Dubricio primùm, deinde à[n] Paulino simul cum Davide Menevensi

[m] Supr cap 5. pag. 83. 84.

[n] de quo supra, cap. 13. pag. 463. 464.

vensi eruditus, ipsi Dubricio in Landavensi & Kinoco vel Cenauco (Davidis successori) in Legionensi archiepiscopatu successisse dicitur.

Petranus, gentis Armoricæ vir nobilis, suscepto ex *Gueanâ* uxore filio *Paterno*, Britanniam minorem deserens Hiberniam petijt; ibiq; magnâ vitæ abstinentiâ & virtutibus Deo placuit. Adolescente jam facto Paterno, octingenti & quadraginta septem monachi ducem eum eligentes, relictâ minore Britanniâ, prospero navigio oras insulæ majoris Britanniæ petijsse dicuntur. ubi, ut Iohannes Tinmuthensis rem narrat, *cepit sanctus cum sanctis locum in ecclesiâ cognomento Mauritaniâ; & ædificato ibidem monasterio, sub œconomo præposito & decano statuit: & benedictis fratribus Hiberniam navigavit; & visitato patre suo ac consolato, gratias Deo referebant.* Refert deinde, post reconciliatos ipsius interventu duos reges Hiberniæ inter se dissentientes, in Britanniam redijsse, *monasteria & ecclesias per totam Ceretici regionem quæ nunc* Cardiganshire *appellatur ædificavisse*, Mailgonem illum de quo diximus sive ° *Maelgunum regem Borealium Britonum* (qui *ad debellendos & depradandos australes Britones cum exercitu veniens*, Sanctum injuriâ affecerat) castigavisse, Hierosolymam unâ cum Davide & Theliao venientem à Patriarchâ Episcopalem ordinem accepisse, atq; *in ecclesiâ Mauritaniâ prafatâ post tantos labores quievisse.* Ea autem non aliâ hîc accipienda, quàm Episcopalis illa ecclesia Llan-padern-vaur appellata. in quo vocabulo decomposito, priora duo membra *Fanum Paterni*; postremum illud Vaur sive Mawr (M enim & V consonas in Cambrobritannicâ linguâ permutari inter se notum est) à quo *Mauritania* nomen deflexum videri posset, *Magnum* denotat.

° Vid. supr. cap. 5 pag. 88.

Eo in loco per XXI. annos illum vixisse ex Iohanne, Sulgeni patris Vitam enarrante, P declaravimus: ubi & Paterni sanctitatem sequenti hoc ille carmine conatus est depingere.

P Ibid. pag. 90.

Omnia

Omnia quæ mundi sunt vana & lubrica cernens;
Intendens animo cœlestia numina toto,
Devovit Christo totum servire per ævum.
Acetiam sanctum macians cruciamine corpus,
Semper inexhausto persistens valde labore,
Orans, jejunans, vigilans, lachrymansq; gemensq;;
Esuris alimenta simul, nexisq; levamen,
Hospitibus pandens aditum, sitientibus haustum,
Ægrotis curam, nudis miseratus amictum:
Prudens quæque gerens, perfecit cuncta potenter.
Ac sic lucifluum meruit conscendere regnum,
Cuncti quo sancti miro splendore beantur.

Postquàm *Cereticorum ecclesiam* (ut loquitur vetus Vitæ illius scriptor, quem in Bibliothecâ Cottonianâ vidimus) *& pascendo rexisset, & regendo pavisset*: à *Cadadauco* rege (qui, ultra terminos Britanniæ regno propagato, minorem Britanniam regno suo subjugaverat) in Armoricam revocatus, in Samsonis Dolensis metropolitæ familiaritatem venit. *Statuit autem sanctus Samson, ut quamvis omnis episcopatus terræ sibi censum redderet, sancti tamen Paterni episcopatus liber ab omni hemine fieret. Urbs autem Guenet sedes episcopatus sancti Patierni erat. Post hæc congregatâ Synodo, ubi multùm ab invidis & falsis fratribus fatigatus extitit, confirmatâ tamen demùm inter ipsum & Episcopos unitate pacis; timens ne per intolerantiam illorum aliquo vel tenui modo iraſceretur vel laderetur, humilitas ejus terram illam deserens Francos adiit, & XVII. Kalend. Maij in Domino obdormivit. Tres namq; ejus solemnitates minoris Britanniæ incolæ festivè venerantur & colunt: diem videlicèt quâ pax prædicta cum Episcopis reformata fuit Kalendis Novembris, & diem quâ gradum Episcopatus accepit* XII. *Kalendas Iulij, & diem obitus sui.* Habet ista in illius Vitâ Iohannes Tinmuthensis: à quo, de loco sepulturæ, scriptor vitæ

Ælgari eremitæ (in Landavensi Regesto) dissentit; non apud *Francos*, sed in *Enly* sive Berdseiâ Britannorum insulâ corpus illius conditum fuisse asseverans. Non alia autem est urbis *Guenet* hîc commemorata, quàm Venetorum illa in Armoricâ, *Venes* appellata: in quâ integro penè ante hoc tempus seculo Synodus est habita, cui [a] *Paternus* (& ipse quoq;, ut hariolantur nonnulli, Venetensis in eâ ordinatus Episcopus) interfuit: sed alius planè à nostro, quem ego *Paternum* illum fuisse facilè crediderim qui [b] Concilio Parisiensi III. circa annum Christi DLX. habito unâ cum *Samsone* subscripsisse legitur. licèt hîc *Paternum* Abrincensem præsulem, cujus ad Aprilis diem XVI. apud Surium vita conscripta extat, à [c] Baronio & alijs intelligi non ignorem.

[a] Tom. 1. Concilior. Galliæ, pag. 137. 140.

[b] Ibid. pag. 317.

[c] Baron. ann. 559. §. 32.

De *Samsone* Eboracensi archiepiscopo, qui è majore Britanniâ pulsus inter Armoricanos metropolitico suo munere functus fuisse traditur, quæ tum occurrerunt, in V.o capite protulimus. quibus & illam Turonensium assertionem, in Concertatione cum Dolensi ecclesiâ anno MCXCIX. coram Innocentio III. institutâ, jam visum est adjungere. [d] *Cum olim tota Britannia fuisset Turonensi ecclesiæ tanquam metropoli suæ subjecta; Britannis tandem conspirantibus contra regem Francorum, & proprium sibi constituentibus Regem, occasione Beati Samsonis quondam Eboracensis archiepiscopi qui, dum in partibus Britanniæ pateretur exilium, in Dolensi ecclesiâ cum Archiepiscopalibus insignibus ministrârat, Dolensis ecclesia contra Turonensem supercilium elationis assumpsit: Britannis volentibus sibi novum Archiepiscopum, sicut novum Regem creaverant, suscitare.* Huic autem *Eboracensi* Samsoni alium successisse Samsonem *Dolensem* archiepiscopum, ad annũ DLXI. affirmat Matthæus Florilegus: eundem nimirùm illum, quem cum Paterno Concilio Parisiensi adfuisse diximus.

[d] Innocent. III. Regest. lib. 2. epist. 79.

Ejus vita à diversis conscripta, Baldrici historiæ Pontifi-

Pontificum Dolensium, Vincentij Bellovacensis historiali Speculo, Iohannis Tinmuthensis Sanctilogio Britanniæ, & Bibliothecæ Floriacensi Iohannis à Bosco inserta cernitur: quorum Biographorum postremus genus ipsius hunc in modum explicat. [u] *Pater S. Samsonis Demetiano ex genere, Amon nomine, exortus est: & mater ejus Anna nomine, de Venetiâ provinciâ quæ proxima est eidem Demetiæ, exorta est.* Ubi per *Venetiam* Monemuthensis Comitatus est intelligendus, Guent Britannis appellatus: *Demetia* verò non cum [x] Ricemarcho & [y] Caradoco ad agrum Penbrochiensem restringenda, sed cum [z] Galfrido Monemuthensi & [a] Giraldo Cambrensi ad universam Australem Walliam extendenda hîc est; siquidem in Glamorganiâ (quæ Monemuthensi proxima est provinciola) natus est Samson, quemadmodum ex Lelando [b] Balæus retulit.

In scholâ [c] *egregij Britannorum magistri* Iltuti educatus Samson, ab ejus cœnobio (ut [d] priùs dictum) in vicinam insulam trajiciens, sub Piro abbate vixit, eiq; vitâ functo in monasterij regimine successit; & quarto post susceptum illud munus anno, cum eruditis quibusdam Scotis adijt Hiberniam. [e] Inde rediens, Amonem patrem ex insulano illo monasterio eductum, unâ cum Hibernico abbate quem dæmone liberaverat & quodam fratre presbytero, in eremo juxta *Habrinum* flumen (Sabrinam Hafren Britanni vocant) collocavit. Ipse ad interiora eremi penetrans, in secretissimo quodam specu diu vitam duxit. Posteà abbas in monasterio à S. Germano constructo constitutus; à Dubricio in Cathedrâ B. Petri Apostoli collocatus, & Episcopus ordinatus est. Demùm *ad Armoricas terras Britannicæ gentis, datâ sibi benedictione patris Dubricij abbatisq; Iltuti & totius cleri & populi, recessit*: sed priùs, *assumptis quibusdam secum fratribus citra Abrinum mare perrexit, terram matremq; suam visitavit, & Ecclesiam ab eâ factam consecravit.*

[u] Vit. Samson. in Floriac. Bibliothec. cap. 1.

[x] Ricemarch. in Vitâ Davidis Menev. MS.

[y] Caradoc. in Chronico Walliæ. pag. 71, 151, 154.

[z] Galfrid hister Britannic. lib. 3. cap. 10.

[a] Girald. Descript. Cambriæ, cap. 2.

[b] Io. Balæ. script. Britann. Centur. 1. cap. 68.

[c] Vit. Samson. in Floriac. Biblioth. cap. 3. Vincent. specul. histor. lib. 24. cap. 105.

[d] Suprà, pag. 521.

[e] Ex Regesto Landavensi.

Leguntur hæc in Samsonis vitâ, quæ in Landavensi habetur Regesto: cum quibus conferenda quæ in S. Maglorij vitâ memorantur, à Laur. Surio editâ. *B. Samson, cùm semper esset divinis rebus intentus & religioni præcipuè addictus, à Clero & populo electus est Episcopus; & à quibusdam ejus gentis præsulibus, licèt invitus, juxta sanctorum patrum decreta est ordinatus. Cùm autem diu in eâ gente* (majoris videlicèt Britanniæ) *versatus esset: valefecit plebi suæ, & cum B. Maglorio nonnullis, clericis & laicis in Britanniam minorem prædicandi causâ trajecit. Ubi cùm agente* * *Childeberto Francorum rege, Episcopi ministerium accepisset; per omnem regionem illam longè latèque diffusa est fama nominis ejus.* unde etiam cùm alijs usu & necessitudine est conjunctus, tùm † S. Germano; qui Parisiensis factus Episcopus, Parisiensi illi de quo diximus cum Samsone subscripsit Concilio.

Ex Amonis (patris Samsonis) fratre Umbrafele, & Annæ (matris Samsonis) juniore sorore Afrellâ, in majore Britanniâ natus est *Maglorius*: qui (cum cognato suo Samsone) ab Iltuto, ‖ *& liberalibus disciplinis, & sacris literis egregiè est institutus.* Samson ‡ *patruum Umbrafilem presbyteratus officio jam perfunctum monasterij in Hibernia abbatem* constituit; & postquàm Episcopus factus est, Maglorium filium ejus Diaconum ordinavit, in minorem Britanniam secum abduxit, & in Dolensi sive episcopatu sive archiepiscopatu (nam & *Archipræsul Dolensis* in ¶ Lotharij & Ludovici diplomate nominatus reperitur Maglorius) reliquit successorem. ** Amonis & Umbrafelis sororem Derwelam sive Darwalam matrimonio conjunxit sibi Wentus Comes, Guinicastrensis urbis conditor; atq; ex eâ jam decrepitâ filium suscepit, qui *Machuti* & *Maclovij* nomen obtinuit. Eum mater sexagesimo sexto (ut aiunt) ætatis suæ anno, nocte vigiliæ Paschalis, in Valle Carvanâ apud Morganenses peperit: ubi & baptizatus puer est & educatus à Brendano Hiberno abbate, qui * Lhancarva-

* Vid. supr. cap. 5. pag. 75.

† Vit. Samson. in Floriac. Bibliothec. cap. 30. 31.

‖ Vit. Maglorij, apud Surium, tom. 5. Octob. 24.

‡ Vit. Samson. in Regesto Landavensi.

¶ Vid. Theatr. Antiquitat. Paris. Iacobi Breulij.

** Vit. Machut. in Bibliothecâ Floriacensi à Io. Bosc. edit. cap. 1. & 8.

* Vid. supr. cap. 33. pag. 464.

carvanensi monasterio post Cadocum præfuit; & Clonafertæ demùm in patriâ suâ obijt, anno vel DLXXVII. vel DLXXXIII. nam & utrumq; Annales nostri Ultonienses indicant, & in utroq; dies XVII. Kalend. Iun. in Dominicam incidit; quod quo decessit ille tempore contigisse Vitæ scriptor annotat. Maclovius verò in Britanniâ Armoricâ § *Alethæ* urbis factus est Episcopus, quæ ab eo hodiernam *Saint Malves* accepit appellationem: in quâ quum [1] quadraginta sedisset annis, à malevolis civibus episcopatu pulsus, [m] maledictis *Britannis* (Aremoricis utique non, ut [n] Magdeburgenses Centuriatores habent, *Anglis*) in Gallias abijt; ubi à Leontio *Santonum* (non *Saxonum*; ut ijdem, vitiata Sigebertini Chronici exemplaria secuti, retulerunt) Episcopo humanitèr est exceptus. Britannos demùm, post septennalem terræ suæ cladem veniam postulantes, datâ rursùm benedictione absolvit: & apud Santones XVII. Kalend. Decembr. in Dominicæ noctis conticinio vitâ finitâ, extra urbis muros honorificè sepultus est à Leontio, non Burdegalensi (ut [o] Baronio est visum) sed Santonensi Episcopo; quem Remensi Concilio circa annum DCXXX. habito interfuisse [p] Flodoardus author est. Inter μακροβίους enim Machutus numeratur: utpote cui ultra ætatem centenariam, tres quidem annos [q] Capgravius, triginta [r] Sigebertus, triginta verò & tres [s] Floriacensis Bibliothecæ Biographus attribuit.

§ *Supr. pag.* 422.

[1] Iohan. Tinmuthensis, in Vitâ Machuti.

[m] *Sigebert. in Chronic. & eum secutus* Matthæus Florilegus, *ann.* 566.

[n] *Centur. 6. cap.* 10. *col.* 753.

[o] *Baron. ann.* 566. §. 19.

[p] Flodoard. histor. Remens. eccles. lib. 2. cap. 5.

[q] Io. Capgrav. in Legendâ Machuti.

[r] Sigebert. Gemblac. in Vit. Maclovij. cap. 26. apud Surium, tom. 6. Novemb. 15.

[s] Vit. Machut. cap. 16.

Gildam Britannum *floruisse Pelagio secundo pontifice Romano, qui factus est pontifex circiter annum salutis humanæ* DLXXX. scribit [t] Polydorus Vergilius: Radulpho de Diceto quoq; id similiter attestante; qui *Gildam Britonum gesta flebili sermone descripsisse anno incarnati Verbi* DLXXXIIII. affirmat. [u] Iohannes Trithemius, *Gildam discipulum B. Eluti abbatis & condiscipulum S. Samsonis Dolensiis episcopi claruisse anno* DC. *in Britanniâ*, asserit.

[t] Polyd. Vergil. epist. ad Cuthbert. Tonstal. Londinens. episc. præfix. Gildæ à se edito, anno 1525.

[u] Trithem. de vir. illustr. ord. Benedicti, lib. 3. cap. 47.

asserit. Nos in fine capitis præcedentis anno DLXIIII. à Gildâ scriptum fuisse collegimus hoc quod unicum illius extat opusculum. in quo, quæ rerum facies per annos XLIIII. à victoriâ Badonicâ ad illud tempus usque, in Britanniâ fuerit; his ille verbis explicat. *Sed ne nunc quidem ut anteà civitates patriæ inhabitantur, sed desertæ dirutaq; hactenùs squalent; cessantibus licèt externis bellis, sed non civilibus. Hæsit etenim tam desperati insulæ excidij, insperatiq; mentio auxilij memoriæ eorum qui utriusq; miraculi testes extitere: & ob hoc Reges, publici, privati, Sacerdotes, Ecclesiastici suum quiq; ordinem servârunt.*

At illis decedentibus, cùm successisset ætas tempestatis illius nescia, & præsentis tantùm serenitatis experta; ita cuncta veritatis ac justitiæ moderamina concussa ac subuersa sunt, ut earum non dicam vestigium, sed ne monimentum quidem in supradictis propemodùm ordinibus appareat. exceptis paucis, & valdè paucis, qui ob amissionem tantæ multitudinis, quæ quotidie prona ruit ad tartara, tam brevis numerus habentur; ut eos quodammodo venerabilis mater Ecclesia in suo sinu recumbentes non videat, quos solos veros filios habet. Quorum ne quis me egregiam vitam omnibus admirabilem Deoq; amabilem carpere putet (quibus nostra infirmitas in saccis orationibus, ut non penitùs collabatur, quasi columnis quibusdam ac fulcris saluberrimis sustentatur) si qua liberiùs de his imò lugubriùs, cumulo malorum compulsus, qui serviunt non solùm ventri sed Diabolo potiùs quam Christo, qui est benedictus in secula Deus, non tam disceptavero quàm deflevero. Quippè quid celabunt cives, quod non solùm nôrunt, sed exprobrant jam in circuitu nationes?

Atq; hîc contextus Gildæ filum abrumpitur in MS.o Cantabrigiensis academiæ codice; quem à *Cormaco* quodam descriptum fuisse, carmen hoc ad libri calcem adjectum indicat.

Historiam

Historiam Gildæ Cormac sic perlege scriptam
Doctoris digitis, sensu cultuq; redactam.
Hæc tenues superat, multos carpitq; superbos.

Cùm enim historica tantùm excerpenda sibi Cormacus proposuisset: non modò totam illam Gildæ flebilem querelam & acrem sui temporis hominum castigationem (quæ pars libri est multo maxima) sed etiam longissimam Præfationis ipsius partem prætermittendam sibi putavit; quæ in Cantabrigiensi exemplari ita decurtata legitur.

*In hoc libro quicquid deflendo potiùs quàm declamando, vili licèt stylo tamen benigno, fuero prosecutus; ne quis me affectu cunctos spernentis omnibúsve melioris (quippe qui communne bonorum dispendium malorumq; cumulum lacrymosis querelis defleam) sed condolentis Patriæ incommoditatibus miseriisq;, ejus ac remediis condelectantis, edicturum putet. Quis verò non tam fortissimorum militum enumerare trucis belli pericula velit statutum est, quàm desidiosorum, * sibi: fateor, cum immenso mentis dolore & animi compunctione cordisq; contritione & admonito sensu, sæpiùs hæc omnia in animo revolvere. Et, ut mihi rerum scrutator testis est Dominus, spatio bilustri temporis vel eo amplius prætereuntis, imperitiâ, sicut & nunc, unâ cum charissimis me amicis imperantibus, ut qualemcunq; gentis Britannicæ historiolam sive admonitiunculam scriberem. In zelo igitur domus Domini, sacræ legis, seu cogitatuum rationibus, vel fratrum religiosis precibus coactus, nunc persolvo debitum multo tempore anteà exactum: vile quidem stylo, sed fidele (ut puto) & amicale quibusq; egregiis Christi tyronibus; grave verò & importabile Apostatis insipientibus, quorum priores (ni fallor) cum lachrymis fortè quæ ex Dei charitate prosiluunt: alij enim atq; cum tristitiâ (sed quæ de indignatione & pusillanimitate deprehensæ conscientiæ exterqueitur) illud excipient. Igitur, Deo volente, pauca de situ Britan-*

* In libris editis, & breviùs & multo rectiùs, legitur. *Sibi, fateor, cum immenso cordis dolore (ut mihi rerum scrutator testis est Dominus) spatio bilustri temporis vel eo amplius prætereuntis, imperitiâ, sicut & nunc, unâ cum vilibus me meritis inhibentibus, ne qualemcunq; admonitiunculam scriberem.*

Britannia, de contumaciâ, &c. dicere conamur.

In ipso verò Opere, post temporum superiorum historiam explicatam, ad suæ ætatis hominum castigationem Gildas deveniens; Reges primùm & Iudices, Episcopos deinde & totum Sacerdotalem ordinem aggreditur: à Regum & Iudicum objurgatione isto ducto principio. *Reges habet Britannia sed tyrannos, Iudices habet sed impios; sæpè prædantes & concutientes, sed innocentes; vindicantes & patrocinantes, sed reos & latrones; quamplurimas conjuges habentes, sed scortantes & adulterantes; crebrò jurantes, sed perjurantes, voventes, & continuò propemodùm mentientes; belligerantes, sed civilia & injusta bella agentes; per patriam quidem fures magnoperè insectantes, & eos qui secum ad mensam sedent* [* latrones] *non solùm amantes sed & muuerantes; eleemosynas largiter dantes, sed è regione immensum montem scelerum exaggerantes; in sede arbitraturi sedentes, sed rarò recti judicij regulam quærentes; innoxios humilesq; despicientes, sanguinarios, superbos, parricidas, commanipulares & adulteros Dei inimicos (si fors, ut dicitur, tulerit) qui cum ipso nomine certatim delendi erant, ad sidera prout possunt, efferentes; vinctos plures in carceribus habentes, quos dolo sui potiùs quàm merito proterunt, catenis onerantes; inter altaria jurando demorantes, & hæc eadem ac si lutulenta paulo pòst saxa despicientes.*

* Vit. Gildæ. cap. 15. in Bibliothecâ Floriac. Iohan. à Bosco.

A generali deinde Principum reprehensione, ad singularem quinque Regulorum castigationem, qui simul eo tempore diversis Insulæ partibus præfuerant, descendit Gildas. Ubi Britannicæ historiæ scriptores similiter peccâsse possent videri, atq; [x] Theophilus Antiochenus fecerat; dum Reges illos, quos ex initio capituli XIIII. Geneseos diversis simul populis præsedisse novimus, in uno & eodem regno sibi invicem successisse tradidit. Sic enim & Monemuthensis [y] Galfridus, *inclytum illum regem Arthurum lethaliter vulneratum cognato suo Constantino filio Cadoris ducis Cornubiæ* (quæ Gildæ

[x] Theophil. lib. 2. ad Autolyc.

[y] Histor. Britannic. lib. 11. cap. 2. & 5. sequentib.

Gildæ est *Damnonia*) *diadema Britanniæ concessisse* narrat, *anno ab Incarnatione Dominicâ* DXLII. Venedotiæ sive septentrionalis Walliæ rege eodem tempore existente *Malgone*; qui Cambrobritannis Maelgun Guineth sive Mailgo Venedotus, Gildæ *Maglocunus* nuncupatur. *Exin* **tertio anno interfecto* Constantino, nepotem ipsius *Aurelium Conanum* (qui Gildæ *Caninus* potiùs, & Cambricis scriptoribus Rŷdian Wledic est dictus) *monarchiam totius Insulæ tenuisse* refert: eoq; *secundo regni sui anno defuncto*, *Vortiporium* (qui Gildæ *Vortiporius* etiam est, & Cambrorum Gwŷrthefŷr) *monarchiam totius regni adeptum*, *populum quatuor annis gubernavisse cum diligentiâ & pace*; successore relicto *Malgone* sive Maglocuno illo. Quâ ratione, ut anno DXLII. Constantinus; ita DXLV. Aurelius Conanus, DXLVII. Vortiporius, & DLI. Malgo Britannicam monarchiam obtinuisset. quanquam ad annum DLXXVIII. Vortiporij, & DLXXXI. Malgonis initium Matthæo Florilego referre libeat. Cum quibus nostrum Gildam, qui hos omnes veluti uno & eodem tempore regnantes pariter alloquitur, vix aliter conciliare possumus; quàm si intra imperantis Constantini triennium non hunc solùm Epistolam suam scripsisse, sed præterea etiam, ut Malgonem sive Maglocunum (quod ipse quoque Galfridus agnoscit) in Venedotiâ, & Vortiporium (quod Gildas indicat) in Demetiâ, ita Aurelium Conanum in Powisiâ vel aliâ aliquâ provinciâ regnavisse dicamus; & suo quemque ordine deinceps in Britannici imperij monarchiâ successisse. quanquam nec cum tempore quo libellum hunc à Gildâ exaratum fuisse diximus, nec cum Gildâ ipso satis hoc convenit, qui Constantinum eo tempore non Britannici regni monarchiam sed *Damnoniæ* sive Cornubiæ tyrannum fuisse innuit. Ut acriorem illam, quam in Galfridum Monemuthensem Guilielmus Neubrigensis hîc tulit, sententiam præteream. *De successoribus Arthuri pari impudentiâ*

* vel *quarto*; ut alia legunt exemplaria.

pudentiâ mentitur, tribuens eis usque ad septimam ferè generationem Britanniæ monarchiam. Sed ipsum jam Gildam, contra Constantinum, fulgurantem & tonantem audiamus.

* Ezech.19.2. *Cujus tam nefandi piaculi non ignarus est immundæ *leænæ Damnoniæ tyrannicus catulus Constantinus: qui* HOC ANNO *post horribile juramenti sacramentum, quo se devinxit nequaquàm dolos civibus (Deo primùm, jureq; jurando Sanctorum demùm choris & genitrice comitantibus fretis) facturum; in duarum venerandis matrum sinibus ecclesia carnaliſq; sub sancti Abbatis amphibalo latera regiorum teneerrima puerorum, vel præcordia crudeliter duûm totidemq; nutritorum (quorum brachia nequaquàm armis, quæ nullus penè hominum fortiùs hoc eis tempore tractabat, sed Deo altariq; protenta in die judicij ad tuæ civitatis portas, Christe, veneranda patientiæ ac fidei tuæ vexilla suspendent) inter ipsa (ut dixi) sacrosancta altaria, nefando ense hastaq; prodentibus laceravit; ita ut sacrificij cœlestis sedem purpurea ac si coagulati cruoris pallia attingerent.*

Et hoc ne post laudanda quidem merita egit. Nam multis antè annis, crebris alternatisq; fœtoribus adulteriorum vitijs, legitimâ uxore contra Christi Magistriq; gentium in-

[a] Matth. 19.6. [b] Coloss.3.19. *terdictum depulsâ dicentium:* [a] Quod Deus conjunxit, hômo non separet. *&;* [b] Viri, diligite uxores vestras. *Amarissimâ enim quoddam de vite Sodomorum in cordis sui infructuosâ bono semini glebâ furculamen incredulitatis & insipientiæ plantaverat: quod vulgatis domesticisq; impietatibus velut quibusdam venenatissimbribus irrigatum, & ad Dei offensam avidiùs se erigens, parricidij sacrilegijq; crimen produxit in medium. Sed nec adhuc priorum retibus malorum expeditus, priscis recentia auget malis.*

[c] Histor. Britannic. lib. 11. cap.4. Illud verò ab eo patratum homicidium magis explicatè [c] Galfridus sic enarrat. *Duos filios Modredi cepit: & alterum juvenem Guintonia, in ecclesiam sancti Amphibali fugientem, ante altare trucidavit; alterum verò Londonijs in quorundam fratrum cœnobio absconditum, atq; tandem*

dem juxta altare inventum, crudeli morte affecit. & Matthæus Florilegus. *Duo filij Modredi insurrexerunt in regem Britonum Constantinum, volentes patrem vindicare: qui Saxonibus confœderati, prælia plurima commiserunt. Quos tandem Constantinus in fugam pulsos persequens, unum Wintoniæ in ecclesiâ sancti Amphibali ante altare trucidavit; alterum verò Londoniæ, in quorundam fratrum cœnobio absconditum, crudeli morte damnavit.* Ita Matthæus, ad annum gratiæ DXLIII. quo scriptam hanc à Gildâ Epistolam fuisse oportuisset, si hujus Chronologia ut vero consentanea esset admittenda. Ubi illud de *Ecclesiâ sancti Amphibali*, ex Gildæ textu vitiato originem traxisse existimaverim: apud quem, [*sub sancto abbate Amphibalo,*] in aliquibus codicibus, & nominatim ijs quos in suâ editione Polydorus est secutus, legebatur. Unde & novum *Amphibalum* Simenum, Wintoniæ ad Amphibali martyris fani abbatem, qui ad ipsum etiam Gildam *De tam immani facinore Epistolam* scripsisse diceretur, extudit nobis [c] Iohannes Balæus, & eum secutus [d] Iohannes Pitsius. Atqui in vetustissimo Gildæ codice [*sub sancti abbatis amphibalo*] uti à Iosselino est editum, scriptum ipsi vidimus; hâc quoq; adjectâ glossulâ, *id est, byrro vel dubio.* Et quidem in Glossis quæ Isidoro tribuuntur, exponitur *Amfibulum, birrum villosum.* quod *birri* vocabulum ne cum Bonaventurâ Vulcanio hîc rejiciamus, movet nos locus ille [e] Vincentij de Deicolâ, Columbani nostri discipulo. *Birrum suum, quem Græci amfibulum vocant, deponere voluit refrigerandi gratiâ.* [*] Et ut Græcis ἀμφίβολον (sic enim aliquando hoc vestimenti genus dictum reperitur) *dubium*, ita ἀμφίβολον idem quod ἀμφιμάλλον & ἀμφίτριτον denotat, quod *utrinque villosum* est scilicet; ut quasi dubium videri posset, utrum latus interius vel exterius gestaretur. Interim *amphibalum* vestis externæ genus esse quoddam, quâ clerici & monachi olim utebantur; ex [f] Sulpicio Severo in vitâ Martini & [g] Adamnano in vitâ

[c] Balæ. Scriptor. Britann. Centur. 1. cap. 63.
[d] Pits. de Britann. scriptoribus ætat. 6. num. 46.
[e] Vincent. Specul. historial. lib. 23. cap. 4.
[*] Vid. Io. Meursij Glossar. Mixobarbar in voc. Βίρρος & Ἀμφίβολος, & Cl. Salmas. in Flav. Vopisc. pag. 391. & 398.
[f] Sulp. Severus sub init. Dialogi 2. de virtutib. Martini. [g] Adamnan. de S. Columb. lib. 1. cap. 3.

Columbæ manifestè deprehenditur. Ut ex minùs intellecto isto Gildæ loco, & *Amphibali* martyris nomen à [b] Galfrido primùm effictum, & Wintonienſi eccleſiæ deinde affictum fuiſſe, aliqua fortaſſe hinc commoveri poſſit ſuſpicio.

[b] Galfrid. hiſtor. Brit. lib. 5. cap. 5. & lib. 6. cap. 5. Vid. ſuprà, pag. 151.

Ad Gildam jam redeo: qui ad Conſtantinum deinceps hâc utitur apoſtrophâ. *Agè jam quaſi præſentem arguo, quem adhuc ſupereſſe non neſcio. Quid ſtupes animæ carnifex propriæ? Quid tibi flammas inferni voluntariè accendis nequaquàm defecturas? Quid inimicorum vices propriis te confodis ſponte enſibus, haſtis? Anne ipſa quidem virulenta ſcelerum ac ſi pocula pectus tuum ſatiare quiverunt? Reſpice quæſo, & veni ad Chriſtum, ſiquidem laboras, & immenſo pondere curvaris: & ipſe te (ut dixit) requieſcere faciet. Veni ad eum qui non vult peccatoris mortem, ſed ut convertatur & vivat. Diſſolve, ſecundùm Prophetam, vincula colli tui fili Sion. Redi (rogo) è longinquis licèt peccatorum receſſibus ad piſſimum patrem, qui deſpicienti porcorum ſordidos cibos ac pertimeſcenti diræ famis mortem & revertenti ſibi lætus occidere conſuevit vitulum filio ſaginatum, & proferre primam erranti ſtolam, & regium annulum: & tunc ſpei cœleſtis aſſi ſaporem præguſtans, ſenties quàm ſuavis eſt Dominus. Nam ſi hæc contempſeris; ſcias te inextricabilibus tenebroſiſq; ignium torrentibus jamjamq; inferni rotandum urendumq;.*

Matth. 11. 28.

Ezech. 33. 11.

Iſai. 52. 2.

Luc. 15.

Pſal. 34. 8. (al. 33. 9.)

Conſtantinum poſt hæc non tantùm reſipuiſſe, ſed etiam martyrio vitam finiviſſe, ſunt qui ferant. de quo in Hiſtoriæ Scotorum libro IX. retulit hæc Hector Boëthius. *Hunc Conſtantinum ſcribunt nonnulli Gualiæ regno aliquot annos adminiſtrato liberis & conjuge orbatum, terreni regni pertæſum, clam ſuis abiiſſe in Hiberniam. Ibiq; in piſtrino pauperum obſequiis amore Chriſti aliquandiu deſervîſſe incognitum. Inde monachi ſuaſu, cui quis eſſet patefecerat, tonſo capite ſacratum cœnobio inter pium cœtum Chriſti militiæ devotum imitandæ virtutis fratribus ſe præſtitiſſe exemplum. Ad Scotoſq; tandem miſſum*

à

à loci antistite, ut populum Christi dogmate erudiret, impiorum manibus passum martyrium. Cui aliquot post secula relato in Divorum numerum templa nonnulla sacrorum Pontificum authoritate dicata inter nostrates adhuc conspicantur. Ad XI. diem Martij natalem illius celebratum, in Martyrologio Germanico confirmat Petrus Canisius.

[i] Thomas Dempsterus (eâdem, opinor, fide quâ Constantij hujus, ut *Anglorum Guallorum Regis*, meminisse *Bedam* perridicule asseruerat) ne inter scriptores locum ille non haberet, *ex Catalogo Sconano* hos Operum ipsius recenset titulos.

[i] Dempster. Histor. Ecclesiast. Scotor. lib. 3. num. 258.

Meditationes.	*lib.* I.
Ad fratres Homilias.	*lib.* I.
De regno amisso.	*lib.* I.
De hostium suorum crudelitate Epistolas ad Convallum Scotorum regem.	*lib.* I.
Psalterium.	*lib.* I.

Quid verò de hoc aliud apud *Anglicanarum rerum Commentatores* ille invenerit, nescio: in [k] Britannicâ certè Historiâ, non martyrium in Scotiâ perpessum, sed domi vel à Conano successore interemptum vel Dei sententiâ percussum, intra lapidum structuram quæ Stanhenge nuncupatur non longè à Sarisburiâ sepultum eum fuisse legimus. Cùm tamen Damnoniæ sive *Cornubiæ* tyrannum Constantinum suum Gildas fuisse indicet: videndum an non ad eum etiam spectet, quod de *Constantino Cornubiensium Rege* (*Ducem Cornubiæ* Giraldus Cambrensis eum nominat) apud Iohannem Tinmuthensem in Vitâ Davidis Menevensis proditum invenimus. *Constantinus Cornubiensium rex, relicto regno suo, in ejus monasterio monachus effectus est: ibiq; diu felici conversatus servitio, tandem in aliam longinquam patriam migrans monasterium fundavit.*

[k] Galfrid. Monemuth. lib. 11. cap. 4.

Iam relicto Constantino ad *Aurelium*, sive Conanum sive Caninum, Gildas sermonem sic convertit. *Quid tu quoq;, ut* [l] *Propheta ait, catule leonine Aureli Canine agis? Nónne eodem quo supradictus (si non exitiabiliore) parricidiorum, fornicationum adulteriorumq; cœno velut quibusdam marinis irruentibus tibi vorariis feraliter undis? Nónne pacem patriæ mortiferum ceu serpentem odiens, civiliaq; bella & crebras injustè prædas sitiens, animæ tuæ cœlestis portas pacis ac refrigerij præcludis? Relictus (quæsò) jam solus, ac si arbor in medio campo arescens, recordare patrum fratrumq; tuorum supervacuam phantasiam juvenilem immaturamq; mortem. Num* [§] *centenis tu ob religiosa merita, vel coævus Mathusale, exceptus* [*] *penè omni prole servaberis? Nequaquàm. Sed, nisi citiùs (ut* [m] *Psalmista ait) conversus fueris ad Dominum, ens-min te vibrabit in brevi summa Rex ille, qui per Prophetam,* Ego, [n] *inquit, occidam, & ego vivere faciam: percutiam, & ego sanabo; & non est, qui de manu meâ possit eruere. Quamobrem* [o] *excutere de fœtido pulvere tuo, & convertere ad eum toto cordo, qui creavit te; ut tùm* [p] *exarserit in brevi ira ejus, beatus sis sperans in eum: sin aliàs, æterna te manebunt pœna, conterendum sævâ continuè & nequaquàm absumendum tartari fauce.* Hæc Gildas ad *Aurelium*: quem patrati parricidij & excitati belli civilis ita etiam insimulat Historia Britannica. [*] *Miræ probitatis juvenis, monarchiam totius insulæ tenens, ejusdem diademate dignus esset, si non foret civilis belli amator. Avunculum etenim suum, qui post Constantinum regnare debuit, inquietavit atq; in carcerem posuit; ejusq; duobus filijs peremptis, regnum obtinuit.*

Ad Demetarum deinde regem Vortiporium veniens Gildas, ita eum alloquitur. *Quid tu quoq; pardo similis moribus & nequitijs discolor, canescente jam capite, in throno dolis pleno, & ab imis vertice tenùs diversis parricidijs & adulterijs constuprato, boni regis nequam fili (ut Ezechiæ Manasses) Demetarum tyranne Vortipori, stupidè reges? Quid*

[l] Ezech. 19. 2.

[§] centenus

[*] al. ex

[m] Psalm. 7. 13.

[n] Deut. 32. 39.

[o] Esai. 52. 2.

[p] Psalm. 2. 12.

[*] Galfrid. Monemuth. lib. 11. cap. 5.

Quid te tam violenti peccatorum gurgites, quos ut vinum optimum sorbes, imò tu ab eis voraris, appropinquante sensim vitæ limite non satiant? Quid quasi culminis malorum omnium stupro, propriâ tuâ amotâ conjuge, ejusdemq; honestâ morte impudentis filiæ, quodam ineluctabili pondere miseram animam onerasti? Ne consumas (quæso) dierum quod reliquum est in Dei offensam: quia q nunc tempus acceptabile & dies salutis vultibus pœnitentium lucet; in quo benè operari potes, r *ne fiat fuga tua hyeme vel Sabbato.* Diverte, *secundùm* s *Psalmistam,* à malò, & fac bonum; inquire pacem *bonam* & sequere eam: *quia* oculi Domini super *te bona agentem,* & aures ejus erunt in preces tuas; & non perdet de terrâ viventium memoriam *tuam.* Clamabis, & exaudiet te; & ex omnibus tribulationibus *tuis* eruet te. t Cor *siquidem* contritum & humiliatum *timore ejus nusquàm Christus spernit. Alioquin* u vermis *tortionis tuæ* non morietur, & ignis *ustionis tuæ* non extinguetur.

q 2. Corinth. 6. 2.

r Matth. 24. 20.

s Psalm. 34. 14, 15, 16, 17 (al. 33. 15, 16, 17, 18.)

t Psalm. 51. 17. (al. 50. 19.)

u Esai 66. 24. Marc. 9. 44.

Quarto deinde loco *Cuneglasi* sequitur reprehensio; cujus nulla in Britannicâ historiâ relicta nobis est memoria. *Vt quid in nequitiæ tuæ volveris vetustâ face, & tu ab adolescentiæ annis ursè multorum sessor, aurigaq; currus receptaculi ursi, Dei contemptor* * *fortissq; ejus depressor, Cuneglase, Romanâ linguâ lanio fulve? Quare tantum certamen tam hominibus quàm Deo præstas? hominibus, civibus scilicèt, armis spetialibus; Deo infinitis sceleribus. Quid prater innumerabiles casus, propriâ uxore pulsâ, furciferam germanam ejus perpetuam Deo viduitatis castimoniam promittentem (ut Poëta ait) summum ceu teneritudinem cœlicolarum totâ animi veneratione vel potiùs hebetudine nymipharum (contra interdictum* x *Apostoli, denegantis posse adulteros regni cœlestis esse municipes) suspicis? Quid gemitus atq; suspiria Sanctorum propter te corporaliter* * *versantium, vice immanis leænæ dentium ossa tua quandoq; fractura, crebris instigas injuriis? Define quæso (ut* y *Propheta ait)* ab irâ, & derelinque *exitiabilem, ac temetipsum macera-*

* Clari

x 1. Corinth. 6. 9. 10.

* al. *marentium*

y Psalm. 36. 8.

maceraturum, quem cœlo ac terrâ, hoc est, Deo gregiq; ejus spiras, furorem: fac eos potiùs mutatis pro te orare moribus, quibus potestas suppetit supra mundum alligandi cùm in mundo reos alligaverint, & solvendi cùm pœnitentes solverint.

[a] 1. Timoth. 6. 17, 19. *Noli (ut ait [a] Apostolus) superbè sapere, vel sperare in incerto divitiarum, sed in Deo qui præstat tibi multa abundè; ut per emendationem morum thesaurizes tibi fundamentum bonum in futurum, & habeas veram vitam, perennem profectò, non deciduam. Alioquin scies, & videbis etiam in hoc seculo, quàm malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem ejus apud te; & in futuro tetro ignium globo aternorum te exuri, nec tamen ullo modo mori. Siquidem tam sceleratorum sint perpeti immortales igni animæ, quàm Sanctorum lætitiæ.*

Agmen claudit *Maglocunus*: quem, ut primum in malo, licèt ordine in Epistolâ positum novissimũ, sic insectatur Gildas & exagitat. *Quid tu etiam insularis Draco, multorum tyrannorum depulsor tam regno quàm etiam vitâ, (supradictorum novissime in nostro stylo, prime in malo) major multis potentiâ simulq; malitiâ, largior in dando, profusior in peccato, robuste armis, sed animæ fortior excidys, Maglocune, in tam vetusto scelerum atramento, veluti madidus vino de Sodomitanâ vite expresso, stolidè volutaris? Quare tantas peccaminum regia cervici sponte (ut ita dicam) inluctabiles celsorum ceu montium innectis moles? Quid te non ei regum omnium Regi (quem cunctis Britanniæ Ducibus tam regno fecit, quàm status lineamento editiorem) exhibes cæteris moribus meliorem, sed versâ vice deteriorem?*

Atq; hinc hausta omninò sunt, quæ de *Malgone* tradita leguntur in Britannicâ Historiâ. [a] *Malgo omnium ferè Britanniæ pulcherrimus, multorum tyrannorum depulsor, robustus armis, largior cæteris; & ultra modum probitate præclarus, nisi Sodomitanâ pestè voluptatis, sese Deo invisum exhibuisset. Hic etiam totam Insulam obtinuit: & sex comprovinciales Oceani insulas, Hiberniam videlicèt,*

[a] Galfrid. Monemuth, lib. 11. cap. 7.

atq; Islandiam, Godlandiam, Orcades, Norwegiam, Daciam, adjecis dirissimis prælijs potestati suæ. Quod enim *multorum tyrannorum depulsor, robustus armis, largior* fuerit cæteris; ipsis Gildæ verbis à Galfrido Monemuthensi est expressum. Quia verò *Insularem Draconem* Gildas eundem appellaverat; inde accepta est occasio, ut *sex comprovinciales Oceani insulas adjeciſſe dirissimis prælijs potestati suæ* diceretur. Quia, ut alterum [b] Saulem, *cunctis penè Britanniæ Ducibus statu, incremento editiorem* depinxit eum Gildas; *omnium ferè Britanniæ pulcherrimum* fuisse Galfridus tradidit: quia deniq, *veluti madidus vino de Sodomitanâ vite expresso* à Gildâ est inductus; *Sodomitanâ peste volutatum* Monemuthensis autumat. quum tamen non singulare aliquod flagitium, sed universam scelerum molem, phrasi illâ ex Ierem. XXIII. 9. & Deuteronom. XXXII. 32. conflatâ, Gildas designaverit: eodem prorsùs modo, quo Constantinum *amarissimâ quoddam de vite Sodomorum in cordis sui glebâ furculamen incredulitatis & insipientiæ plantavisse*, jam antè pronuntiaverat. Ab accusatione autem istâ generali, ad vitiorum Maglocuni enumerationem hanc particularem descendit Gildas.

[b] 1. Sam. 10. 23.

Quorum indubitatam aquanimiter convitiorum assultato parumper adstipulationem (omissis domesticis, levioribusq; si tamen aliqua sunt levia) palata solùm longè lateq; per auras admissa testaturam. Nonne in primis adolescentiæ tuæ annis avunculum Regem, cum fortissimis propemodùm militibus, (quorum vultus non catulorum leonis in acie magnoperè dispares visebantur) acerrimè ense, hastâ, igni oppressisti? parùm cogitans propheticum dictum: [c] Viri sanguinum & doli non dimidiabunt dies suos. *Quid pro hoc solo retributionis à justo judice sperares (etsi non talia sequerentur, quæ sequuta sunt) itidem dicente per Prophetam:* [d] Væ tibi qui prædaris; nónne & ipse prædaberis? & qui occidis; nónne & ipse occideris? & cùm desieris prædari, tunc cades. *Nónne postquàm tibi*

[c] Psalm. 55. 23. (al. 54. 24.)

[d] Esai. 33. 1.

*al. invictâ, *ex voto violenti regni phantasia cessit, cupiditate *injectus ad viam revertendi rectam, diebusq; ac noctibus, id temporis (conscientiâ sirtè peccaminum remordente) de deifico tenore monachorumq; decretis, sub dente primùm multa ruminans, dein popularis auræ cognitioni proferens, monachum sine ullo infidelitatis (ut aiebas) respectu coram omnipotente Deo, angelicis vultibus humanisq; (ruptis, ut putabatur, capacissimis illis, quibus præcipitanter involvi solent pingues tauri, moduli tui retibus: omnis regni, auri, argenti, & quod his majus est, propriæ voluntatis distentionibus ruptis) perpetuò vovisti; & tete, ac si stridulo cavum lapsu aërem validè secantem sævosq; rapidi harpagones accipitris sinuosis flexibus vitantem, ad Sanctorum tibi magnoperè fidas speluncas refrigeriaq; salubriter rapuisti ex corvo columbam?*

[a] Camden, Britan. pag. 81.

Tum verò illi exprobrat, quòd ordine monastico repudiato, [a] primas nuptias spreverit, uxorem filij fratris sui viventis adamaverit, filium illum fratris uxoremq; aliquandiu à se habitam occiderit, & adamatam illam filij fratris uxorem connubio adsciverit. *Nec tamen tantis* (inquit ille) *malorum offendiculis tuus hebetatus insipientiæ cumulo sensus velut quodam obice tardatur; sed fervidus ac si pullus, amœna quæque imperagrata putans, per extensos scelerum campos irrevocabili furore raptatur, augendo priscis nova piaculis. Spernuntur namq; primæ (post monachi votum irritum) illicitæ licèt, tamen propriæ conjugis præsumptivæ nuptiæ; aliâ viri viventis, non externi sed fratris filij, adamatâ. Ob quod dura cervix illa multis jam peccaminum falcibus onerata, bino parricidiali ausu, occidendo supradictum uxoremq; tuam aliquandiu à te habitam, velut summo sacrilegij tui culmine de imis ad inferiora curvatur. Dehinc illam, cujus dudùm colludio ac suggestione tantæ sunt peccatorum subitæ moles, publico & ut fallaces parasitorum linguæ tuorum conclamant (summis tamen labijs, non ex intimo cordis) legitimo, utpotè viduatam thoro, nostræ verò sceleratissimo, adscivisti connubio. Cujus*

igitur

igitur sancti viscera, tali stimulata historiâ, non statim in fletus singultusq; prorumpant? Quis sacerdos, cujus cor rectum Deo patet, non statim hæc audiens magno cum ululatu illud propheticum dicat: [f] *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? & plorabo in die & nocte interfectos populi mei.* Et ne monitorem sibi defuisse hîc obtenderet Maglocunus; *præceptorem, penè totius Britanniæ magistrum, elegantem* habuisse illum Gildas regerit: sive *Iltutus* ille fuerit (quem *egregij Britannorum magistri* titulo insignitum fuisse [g] ostendimus) sive alius quispiam.

[f] Ierem. 9. 1.

[g] Supr. pag. 531.

Apud Iohannem Tinmuthensem, in Vitâ S. Paterni, Maglocunus iste sive (ut ibi contractiore nuncupatur nomine) Mailgunus, *semper tentator sanctorum* fuisse dicitur: extatq; hæc in illum adhuc superstitem imprecatio, à *Thaliessino* prolata; qui * Balæo & sequacibus *Teliesinus Helius* est, & Britannicorum vatum Coryphæi nomen est consecutus.

* Io. Balæ. scriptor. Britann. Centur. 1. cap. 54.

Ny vo rhad na gwedd ar Vaelgwn Gwynedd;
Drwy na ddialer ar Run y etyvedd.
Boed byr vo y vychedd, boed diffaith vo y diredd,
Boed hir diuroedd o Vaelgwn Gwynedd.
Taliessin benn Beyrdd ae cant.

Quorum Britannicorum rhythmorum sententiam, Latinis hisce elegis utcunq; expressam, D. Iohannes Prisæus nobis proposuit.

Infaustus, gratus nulli, Mailgo Venedotus
Sit; modò ne Rhunus filius ista luat.
Esto brevis vitæ, vasti sine frugibus agri;
Perpetuò à proprijs sedibus exul agat.
Thaliessinus princeps Bardorum cecinit.

A patriæ suæ Regibus ad Sacerdotes posthæc accedit Gildas: hâc primùm transitione interpositâ. *Quàm liben-*

ter hoc in loco, ac si marinis fluctibus jactatus, & in optato evectus portu remis (si non tantos taleſq; malitiæ Epiſcoporū, vel cæterorum Sacerdotum aut Clericorum, in noſtro quoq; ordine erigi adverſus Deum vidiſſem montes: quos me ſecundùm legem ceu teſtes primùm duris verborum cautibus, dein populum, ſi tamen ſanctionibus inhæret, non ut corporaliter interficiantur ſed mortui vitijs vivant Deo, ne perſonarum arguar exceptionis, totis neceſſe eſt viribus lapidare) verecundiâ interveniente, quieſcerem. Sed mihi quæſo (ut jam in [h] *ſuperioribus dixi) ab his veniam impertiri, quorum vitam non ſolùm laudo, verumetiam cunctis mundi opibus præfero; cujuſq; me, ſi fieri poſſit, ante mortem eſſe aliquandiu participem opto & ſitio.* Deinde, hoc quaſi gradu quodam atq; aditu ad cætera jacto; poſteriorem objurgationis ſuæ partem hanc, eodem quo priorem modo, inchoat.

[h] Supr. pag. 534.

Sacerdotes habet Britannia, ſed inſipientes; quam plurimos miniſtros, ſed impudentes; clericos, ſed raptores ſubdolos; paſtores (ut dicuntur) ſed occiſioni animarum lupos paratos: (quippè non commoda plebi providentes, ſed proprij plenitudinem ventris quærentes:) Eccleſiæ domus habentes, ſed turpis lucri gratiâ eas adeuntes; populos docentes, ſed præbendo peſſima exempla, vitia, maloſq; mores; raro ſacrificantes, & nunquam puro corde inter altaria ſtantes; plebem ob peccata non corripientes, nimirùm eadem agentes; præcepta Chriſti ſpernentes, & ſuas libidines votis omnibus implere curantes; ſedem Petri Apoſtoli immundis pedibus uſurpantes, ſed merito cupiditatis in Iuda traditoris peſtilentem cathedram decidentes; veritatem pro inimico odientes, & mendacijs acſi chariſſimis fratribus faventes; juſtos inopes immanes quaſi angues torvis vultibus conſpicantes, & ſceleratos divites abſq; ullo verecundiæ reſpectu ſicut cæleſtes angelos venerantes; egenis eleemoſynam eſſe dandam ſummis è labijs prædicantes, ſed ipſi vel obolum non dantes; nefanda populi ſcelera tacentes, & ſuas injurias quaſi Chriſto irrogatas amplificantes; religioſam fortè matrem ſeu ſorores de-

mo pellentes, & externas veluti secretiori ministerio familiares indecenter levigantes, vel potiùs (ut vera dicam, licèt inepta non tam mihi quàm talia agentibus) humiliantes; Ecclesiasticos post hæc gradus propensiùs quàm regna cælorum ambientes & tyrannico ritu acceptos defendentes, nec tamen legitimis moribus illustrantes; ad præcepta sanctorum (si aliquando dantaxàt audierint quæ ab illis sæpissimè audienda erant) oscitantes ac stupidos, & ad ludicra & ineptas secularium hominum fabulas (ac si iter vitæ mortisq; pandant) strenuos & intentos; pinguedinis gratiâ taurorum more raucos, & ad illicita infeliciter promptos; vultus arroganter in altum habentes, & sensus conscientiâ remordente ad ima vel tartarum demersos; uno sanè perdito denario mœstos, & ad unum inquisitum lætos; in Apostolicis sanctionibus ob inscitiam vel peccatorum pondus (ora etiam scientium obturantes) hebetes ac mutos, & in flexibus mundialium negotiorum mendacibus doctissimos.

Quorum de scelerată conversatione multos sacerdotio irruentes potiùs (vel illud penè omni pecuniâ redimentes) quàm tractos, & in eodem veteri infaustoq; intolerabilium piaculorum cœno post sacerdotalem Episcopatus vel Presbyterij sedem (qui nec ibidem usquàm sederunt; utpotè indigne, porcorum more, volutantes) rapto tantùm sacerdotali nomine nec tamen tenore, vel apostolicâ dignitate acceptâ, sed qui nondùm ad integram fidem sunt vel malorum pœnitentiam idonei; quomodo ad quemlibet ecclesiasticum (ut non dicam summum) convenientes & adepti gradum, quem non nisi sancti atq; perfecti & Apostolorum imitatores &, (ut i Magistri gentium verbis loquar) irreprehensibiles, legitimè & absq; magno sacrilegij crimine suscipiunt. i 1. Timoth. 3. 2.

Quidenim tam impium tamq; scelestum est, quàm ad similitudinem Simonis Magi (non intervenientibus licèt interea promiscuis criminibus) Episcopatus officium vel presbyterij terreno pretio, quod sanctitate rectisq; moribus decentiùs acquiritur, quempiam velle mercari? Sed in eo isti propensiùs vel desperatiùs errant, quo non ab Apostolis vel

Apostolorum successoribus, sed à tyrannis & à patre eorum Diabolo ficata & nunquàm profutura emunt sacerdotia: quin potiùs velut culmen tectumq; malorum omnium quoddam (quo non facilè eis improperentur à quoquam admissa prisca vel nova; & cupiditatis gulæq; desideria, utpote præpositi multorum, faciliùs rapiant) scelestæ vitæ structura superponunt. Nam si talis profectò coëmptionis conditio ab impudentibus istis non dicam Apostolo Petro, sed cuilibet Sacerdoti pioq; Regi ingesta fuisset; eadem responsa accepissent, quæ ab Apostolo auctor eorundem magus Simon dicente Petro: k Pecunia tua tecum sit in perditionem. k Act. 8. 20.

Sed fortè (heu!) qui ambitores istos ordinant (imò potiùs humiliant, atq; probenedictione maledicunt; dum ex peccatoribus non pœnitentes, quod rectius fuerat, sed sacrilegos & desperatos faciunt, & Iudam quodammodo in Petri cathedrâ Domini traditorem, ac Nicolaum in loco Stephani martyris statuunt immundæ hæreseos adinventorem) eodem modo sacerdotio adsciti sunt: & ideò non magnopere detestantur in filiis, quinimò venerantur, quod similiter ut patribus subinde venisse certissimum est. Etenim eos, si in parochiâ (resistentibus sibi & tam pretiosum quæstum denegantibus severè commessoribus) hujuscemodi margaritam invenire non possint, præmissis antè solicitè nuncijs, transnavigare maria terrasq; spatiosas transmeare non tam piget quàm delectat; ut omninò talis species inæquiparabilisq; pulchritudo & (ut verius dicam) zabolica illusio, vel venditis omnibus copijs, comparetur. Dein cum magno apparatu magnaq; phantasiâ vel potiùs insaniâ repedantes ad patriam, ex erecto erectiorem incessum pingunt, & dudùm summitates montium conspicantes, nunc rectè ad æthera vel ad summa nubium vellera luminum semidormitantes acies librant; ac sese nova quædam plasmata, imò diabolica organa (ut quondam Novatus Romæ, dominica mulctatus margaritæ porcus niger) patriæ ingerunt, violenter manus (non tam venerabilibus aris, quàm flammis inferni ultricibus dignas) in tali schemâ positi, sacro-

sanctis

sanctis Christi sacrificijs extensuri. Quid tu, infelix populè, à talibus (ut dixit [l] *Apostolus) bestijs ventris præstolaris?* [l] Tit. 1.12.
Hisne corrigeris, qui seipsos non modò ad bona non invitant, sed (secundùm [m] *Prophetæ exprobrationem) laborant ut iniquè agant? Talibusne oculis illustraberis, qui hæc tantùm avidè speculantur, quæ proclivè vitijs (id est tartari portis) ducant? Vel certè, secundùm Salvatoris dictum, si non istos rapacissimos ut Arabia* [n] *lupos, acsi Loth ad montem, igneum Sodomorum imbrem præpropere fugentis;* [o] *cœci educti à cœcis pariter in inferni foveam cadetis.*

[m] Ierem. 9. 5.
[n] Matth. 7. 15.
[o] Matth. 15. 14.

Sed forsitan aliquis dicat. Non ita omnes Episcopi vel Presbyteri ut superiùs comprehensi (quia non schismatis, non superbiæ, non immunditiæ infamiâ maculantur) mali sunt: quod nec vehementer & nos diffitemur. Sed licèt sciamus eos castos esse & bonos; brevi tamen respondebimus. Quid profuit Heli sacerdoti, quòd solus non violaverit præcepta Domini, [p] *rapiendo in fuscinulis antequàm adeps Domino offerretur ex ollis carnes; dum eâdem mortis irâ, quâ filij sunt, mulctatur?* Tum, pluribus & exemplis & Scripturarum auctoritatibus coacervatis, Sacerdotes non facientes officium coarguit: à Propheticis ad Euangelica testimonia hoc facto transitu; in quo à bonis iterùm captat benevolentiam, dicturus in malos,

[p] 1. Sam. 2. 13, 14.

Sufficiant hæc pauca de pluribus Prophetarum testimonijs, quæ retunditur superbia vel ignavia sacerdotum contumacium; ne putent nos propriâ potiùs adinventione quàm legis sanctorúmve auctoritate eis talia denunciare. Videamus igitur quid Euangelica tuba mundo personans inordinatis sacerdotibus eloquatur. Non enim de illis (ut jam diximus) qui Apostolicam sedem legitimè obtinent, quiq; bene vòrunt largiri spiritalia conservis suis [q] *in tempore cibaria (si qui tamen multi in præsentiarum sunt) sed de pastoribus imperitis, qui derelinquunt oves, & pascunt vana, & non habent verba pastoris periti, nobis sermo est. Evidens ergo indicium est, non esse eum legitimum pastorem, sed ne mediocrem quidem Christianum, qui hæc non tam nostra (qui valde exigui*

[q] Matth. 24. 45.

summus)

sumus) quàm veteris noviq; Testamenti decreta recusârit vel inficiatus fuerit: sicut bene quidam nostrorum ait. „ O- „ptabiliter cupimus, ut hostes Ecclesiæ sint nostri quo- „que absq; ullo fœdere hostes; & amici ac defensores „ nostri non solùm fœderati, sed etiam patres ac Domini „ habeantur. *Conveniant namq; singuli vero examine conscientiam suam; & ita deprehendent, an secundùm rectam rationem sacerdotali cathedræ insideant.*

Hinc, varijs primùm ex Novo Testamento locis dispersè & diffusè productis, ad lectiones, quæ ex Britannicæ Ecclesiæ consuetudine in ordinatione Clericorum peculiariter recitari consueverunt, ita demùm delabitur. *Sed quid sparsim positis amplius utentes testimonijs sensuum ac diversorum undo in despectâ ingenij nostri cymbulâ fluctuabimur? Recurrere tandem aliquando usq; ad lectiones illas (quæ ad hoc non solùm ut recitentur, sed etiam adstipulentur benedictioni quâ initiantur sacerdotum vel ministrorum manus, eosq; perpetuò doceant, uti ne à mandatis quæ fideliter continentur in eis sacerdotali dignitate degenerantes recedant, ex omni penè sanctarum (scripturarum textu meritò excerptæ sunt) necessarium duximus: ut apertiùs cunctis pateat æterna supplicia mansura eos, & * non esse sacerdotes vel Dei ministros, qui earum doctrinas atq; mandata opere secundùm vires suas non adimpleverint.* Expositâ deinde unâ lectione ex primo & secundo capitulo prioris epistolæ Petri, & alterâ ex Actorum Apostolicorum primo desumptâ; in hoc prorumpit *ὦ ὄος. Sanè, quod sentio proferam. Posset quidem lenior fieri increpatio: sed quid prodest vulnus manu tantùm palpare, unguentóve ungere; quod tumore jam vel fœtore sibi horrescens, cauterio & publico ignis medicamine eget? si tamen ullo modo sanari possit; ægro nequaquàm medelam quærente, & ab hoc medico longiùs recedente. O inimici Dei, & non sacerdotes! ô veterani malorum, & non pontifices! traditores, & non sanctorum Apostolorum successores; impugnatores, & non Christi ministri.*

* Rectè istud accipe. Mali enim Sacerdotes veri sunt Sacerdotes; tametsi indigni eo munere. *Io. Maria Brasichellan. Pontificij Palatij Magister.*

Poste-

Posteà duarum aliarum lectionum (ex tertio prioris ad Timotheum epistolæ, & Matthæi capite XVI°) explicationem adjungit: &, totius operis tandem subjecto Epilogo, dicendi finem facit. *Auscultâstis quidem*, inquit, *secundæ lectionis apostoli Pauli verborum sonum (sed in nullo modo monita virtutemq; servâstis; & simulacrorum modo, quæ non vident neq; audiunt, eodem die altari astitistis) tunc & quotidie vobis intonantis.* Fratres (ait) fidelis sermo est, & omni acceptione dignus. [r] 1. Timoth. 3. 1. *Ille dixit, fidelem & dignum: vos ut infidelem & indignum sprevistis.* Si quis episcopatum cupit, bonum opus desiderat. *Vos episcopatum magnoperè avaritiæ gratiâ, non Spiritalis profectus obtentu, cupitis; & bonum opus illi condignum nequaquàm habetis.* Oportet ergo hujusmodi irreprehensibilem esse. *In hoc namq; sermone lachrymis magis quàm verbis opus est: ac si dixisset Apostolus, eum esse omnibus irreprehensibiliorem debere.* Uniùs uxoris virum. *Quid ita apud nos quoque contemnitur, quasi non audiretur vel idem dicere & virum uxorum?* Sobrium, prudentem. *Quis etiam ex vobis hoc aliquando inesse sibi saltem optavit?* Hospitalem. *Id si fortè casu evenerit; popularis aura potiùs quàm præcepti gratiâ factum, non prodest: Domino salvatore ità dicente;* [r] Matth. 6. 2. cum Luc. 14. 12. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Ornatum, non vinolentum, non percussorem sed modestum, non litigiosum, non cupidum. *O feralis immutatio! ô horrenda præceptorum cœlestium conculcatio! nonne infatigabiliter ad hæc expugnanda, vel potiùs obruenda, actum verborumq; arma corripitis; pro quibus conservandis atq; firmandis (si necesse fuisset) & pœna ultrò subeunda, & vitâ ponenda erat? Sed videamus & sequentia.* Domum (*inquit*) suam benè regentem, filios habentem subditos, cum omni castitate. *Ergo imperfecta est patrum castitas, si eidem non & filiorum accumuletur. Sed quid erit, ubi nec pater, nec filius (mali genitoris exemplo pravatus) conspicitur castus?* Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam adhibe-

bit? *Hæc sunt verba quæ indubitatis effectibus approbantur.* Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non vino multùm deditos, non turpe lucrum sectantes; habentes mysterium fidei in conscientiâ purâ. Hi autem probentur primùm; & sic ministrent, nullum crimen habentes. *His nimirùm horrescens diu immorari, unum vix dicè possum dicere, quin hæc omnia in contrarios actus mutentur: ita ut clerici (quod non absq; dolore cordis fateor) impudici, bilingues, ebrij, turpis lucri, cupidi, habentes fidem & (ut verius dicam) infidelitatem in conscientiâ impurâ, non probati in bono sed in malo opere præsciti, ministrantes & innumera crimina habentes, sacro ministerio adscisc antur.*

Audistis etiam illo die (qui multo dignius multoq; rectius erat, ut ad carcerem vel catastam pœnalem quàm ad sacerdotium traheremini) Domino sciscitanti, quem se esse [y] Matth. 16. 16. *putarent discipuli, Petrum respondisse:* [y] Tu es Christus filius Dei; *eiq; Dominum pro tali confessione dixisse.* Beatus es Simon Bar Iona: quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. *Ergo Petrus à Deo patre doctus, rectè Christum confitetur. Vos autem, moniti à patre vestro Diabolo, iniquè Salvatorem malis actibus denegatis. Vero sacerdoti dicitur:* Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Vos quidem assimilamini* [z] Matth. 7. 26. [z] viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam. *Notandum verò est, quòd insipientibus in ædificandâ domo arenarum pendula mobilitati Dominus non cooperetur;* [a] Ose. 8. 4. *secundùm illud:* [a] Fecerunt sibi Reges, & non per me. *Itemq; quod sequitur eadem sonat dicendo:* Et portæ inferni non prævalebunt, *ejusq; peccata intelliguntur. De* [b] Matth. 7. 27. *vestrâ quid exitiabili structurâ pronunciatur?* [b] Venerunt flumina, & flaverunt venti, & impegerunt in domum illam; & cecidit, & fuit ruina ejus magna. *Petro ejusq; successoribus dicit Dominus;* Et tibi dabo claves regni cœ- [c] Matth. 7. 23. lorum: *vobis verò;* [c] Non novi vos, discedite à me: operarij iniquitatis, *ut separati sinistræ parti cum hædis, eatis in ignem æternum. Itemq; omni sancto sacerdoti promittitur:*

Et

Et quæcunq; ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis; & quæcunq; ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis. *Sed quomodo vos aliquid ſolvetis, ut ſit ſolutum & in cœlis, à cœlo ob ſcelera adempti, & immanium peccatorum funibus compediti? ut* [a] *Salomon quoque ait:* * Criniculis peccatorum ſuorum unuſquiſque conſtringitur. *quâque ratione aliquid in terrâ ligabitis quod ſupra mundanetiam ligetur, præter voſmet ipſos; qui ita ligati iniquitatibus in hoc mundo teneamini, ut in cœlis nequaquàm aſcendatis, ſed in infauſta tartari ergaſtula (non converſi in hâc vitâ ad Dominum) decidatis?*

[a] Prov. 5. 22.
* Funiculis

Nec ſibi quiſquam ſacerdotum de corporis mundi ſolùm conſcientiâ ſupplaudat; cùm eorum queis præeſt (ſi qui propter ejus imperitiam vel deſidiam ſeu adulationem perierint) in die judicij de ejuſdem manibus, velut interfectoris, anima exquirantur. Quia nec dulcior mors, quæ infertur à bono quoque homine quàm à malo. Alioquin non dixiſſet Apoſtolus, velut paternum legatum ſuis ſucceſſoribus derelinquens. [b] Mundus ego ſum ab omnium ſanguine: non enim ſubterfugi, quo minùs annunciarem vobis omne miniſterium Dei. *Multum namq; uſu ac frequentiâ peccatorum inebriati, & inceſſanter irruentibus vobis ſcelerum cumulatorum acſi undis quaſſati, unam veluti poſt naufragium (in quâ ad vivorum terram evadatis) pœnitentiæ tabulam toto animi niſu exquirite; ut avertatur furor Domini à vobis, miſericorditer dicentis:* [c] Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. *Ipſe omnipotens Deus totius conſolationis & miſericordiæ pauciſſimos bonos paſtores conſervet ab omni malo, & municipes faciat (ſubacto communi hoſte) civitatis Ieruſalem cœleſtis, hoc eſt, ſanctorum omnium congregationis, Patri & Filio, & Spiritui ſancto: cui ſit honor, & gloria, in ſecula ſeculorum. Amen.*

[b] Act. 20. 26, 27.

[c] Ezech. 33. 11.

Prolixiùs iſta, quàm inſtituti fortaſſe ratio poſtulabat, ex Gildâ deſcribenda curavimus: partim ut juſtitia inde nobis divini judicij eluceſceret, omnium generum atq; ordinum flagitijs ad ſummum faſtigium jam perduc-

ductis, Reipublicæ & Ecclesiæ Britannicæ fundamenta non concutientis modò sed exturbantis & penitùs propemodum evertentis; partim ut nos & nostram hîc pertimesceremus vicem, in mentem identidem revocantes illud Apostoli. [d] *Vide bonitatem, & severitatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt severitatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate; alioquin & tu excidêris.* Quod & Alcuinum jam olim fecisse videmus in epistolâ, post Anglosaxonum quidem adventum CCCXL. ante nostrum verò tempus DCCCXL. annis, ad Cantuariensem archiepiscopum Æthelardum transmissâ. *Legitur,* inquit [e] ille, *in libro Gildæ Britonum sapientissimi, quòd ijdem Britones propter rapinas & avaritiam Principum, propter iniquitatem & injustitiam Iudicum, propter desidiam & pigritiam prædicationis Episcoporum, propter luxuriam & malos mores populi, patriam perdiderunt. Caveamus hæc eadem nostris temporibus vitia inolescere; quatenùs benedictio divina nobis patriam conservet in prosperitate bonâ, quam nobis in suâ misericordiâ perdonare dignata est.*

[d] Rom. 11. 22.

[e] Alcuin epist. 28. in Operib. edit. Paris. ann. 1617. col. 1535. & 1668.

Interim de authoris nostri scopo illa [f] Iohannis Prisæi Britanni non prætermittenda est admonitio. *Hoc solum in libello isto sibi proposuisse videtur, ut Britannos suos, vel pudore saltem suffusos resipiscere velle existimaret; si eorum vituperanda potiùs omnia collegisset atq; ob oculos poneret, quam si aliqua laude digna, quæ vel ipsi vel eorum antecessores gessêre, intermiscuisset. Ideò eos partim omni probrorum genere obruit, partim divinis oraculis percellit: ut nihil suspicari libeat eorum illum odio aliquo deprompsisse.* & Polydori Vergilij Itali, veteribus Romanorum persecutionibus hanc religionis apud Britannos inclinationem acceptâm referentis, illa altera. *Pauci recte dogma Christianum retinebant, quos noster Gildas bonos appellat: reliquos verò & præsertim sacerdotes, ita per mala temporum errantes, castigat laboratq; in viam reducere. Ista exponenda hoc loco erant, ut unusquisque sciret Britannia non*

[f] Pris. Histor. Britannic. Defens. cap. ult.

non genuisse malos sacerdotes, sed hominum crudelitatem atq; impietatem fecisse: quando illa omnium provinciarum prima Christianam religionem recepit, ac omni tempore, etiam nunc, populum longè religiosissimum tulit, habetq;.

Aliarum Gildæ lucubrationum ad nos pervenit nihil, præter fragmenta quædam quæ, veteri libro Canonum titulorum LXVI. inserta, in Cottonianâ Bibliothecâ vidimus. Nam ut cum Caspare Barthio, quæ inter Plautinas Comœdias habetur, *Aululariam* huic adscribam, persuaderi mihi non patior: licèt eò etiam politissimum judicij virum Gerardum Iohannem Vossium propendere non ignorem. Sic enim ille, libro II. de Historicis Latinis, in fine capitis XXI. *Siquid Gildæ, præter Epistolam ac invectivam in clerum Britanniæ, tribuì debet; id fuerit Querolus, sive Aululariæ illa, quæ cum Plautinomine falso prodiit. Sanè Gildæ adsignant codices quidam manu exarati: nec stylus refragatur, nisi quòd ille in Gildæ epistolâ sit impeditior intricatiorq;, quàm in Querolo.* Et de dissimilitudine quidem styli res aperta est, sermonis genere longè nitidiore conscriptam esse Aululariam, quàm Gildæ hunc libellum, quem, ob horridulum & incomptum orationis charactere, etiam à Guilielmo Neubrigensi in Anglicanæ suæ Historiæ Proœmio ita vituperatum invenimus. *Cùm sermone sit admodùm impolitus atq; insipidus, paucis curæ vel transcribere vel habere curantibus, rarò invenitur.* De Manuscriptis verò, aut magnoperè ego fallor, aut à Camdeni nostri marginali istâ notulâ, minùs attentè consideratâ, obortus ille error est. * *Gildas hic in MS. exemplaribus Gallia* Querulus *dicitur, ut mihi retulit* V. C. *Barnabas Brissonius.* Quo non aliud significatum ille voluit, quàm nostri hujus libelli authorem dictum fuisse *Querulum:* vel libello potiùs ipsi, qui ex querelis totus penè est conflatus, datum hoc fuisse epitheton. quomodo Cantabrigiensis Bibliothecæ exemplar MS. prænotatum & ipsi observavimus. *Incipit*

* Camden Britann. pag. 77.

cipit liber querulus Sancti Gildæ sapientis, de excidio Britanniæ. Ut inter Comœdos *Querulum* nostrum quærere, supervacaneæ planè fuerit operæ.

Gildæ, sub Ictuti disciplinâ, *Paulum* condiscipulum fuisse [g] diximus: quem, *Aurelianum* cognomento dictum, in *Osâ* primùm insulâ (*quæ à continenti Armoricanæ regionis terrâ, quam Cornu Galliæ nominant, pelago sexdecim passuum in transversum perrecto sejungitur*) eremiticam duxisse vitam, [h] Aymoinus refert. Britanniam minorem Childebertus Francorum rex [i] *Withuro* cuidam Comiti eo tempore regendam commiserat: à quo Parisios ad aulam Regiam legatus Paulus, mandato Principis, Ossissimorum Episcopus est ordinatus. Nam, ut in Vitâ ejusdem legitur, *Childebertus Rex eum à terrâ elevans, & cujusdam Præsulis baculum accipiens; Suscipe, inquit, pastoralem gradum, quo officio queas prodesse saluti plurimorum. Et evocatis tribus Episcopis, qui eum benedicerent; vir Dei perfusus lachrymis, volens nolens suscepit quod multo tempore distulit. Cui benedicto statim Rex gloriosus Agnensem Leonensemq; pagos, cum sibi debito reditu, Regiæ auctoritatis præcepto tradidit.* Posthæc verò [k] *Paulus senectute fessus, coram omni populo unum ex discipulis suis, Iohenium nomine, ut suo officio fungeretur instituit. Cui per unum annum ministranti, & in Christo dormienti, alium ex suis Tiernomagilum appellatum honorificè subrogavit. Qui per annum & diem functus injuncto sibi officio, quievit in Domino. Quo defuncto vir venerabilis, parvo tempore, suo rursus inservivit officio. Sed deficientibus viribus, iterum quemdam ex suis Cetomerinum nomine, ut pro se ministraret, ordinavit:* præsente *Indnale* cognomento *Candido, Domnon nisi patriæ magnâ ex parte Duce nobilissimo, S. Samsonis consobrino;* qui *fortè tunc advenerat, ut Pauli orationibus se commendaret.* Dein Paulus, *sedem suam Cetomerino relinquens, migravit ad Batham insulam; ubi cum plurimo grege Monachorum, sub magisterio ipsius mirè viventium, multum tempus peregit:* ac tandem, ubi [l] *centum*

[g] Suprà, cap. 13. pag. 472. 473. Vid. Vincent. Specul. histor. lib. 21. cap. 128.

[h] Aymoin. Floriac. de miraculis S. Benedicti, lib. 3. cap. 11.

[i] Vit. S. Pauli Leonens. §. 3. in Bibliothecâ Floriacensi Iohannis à Bosco.

[k] Ibid. §. 4.

[l] Ibid. §. 6.

annis

annis & eo amplius vixisset, in pace quievit. Unde ad [m] annum Domini DC. vel etiam [n] DCXX. pervenisse traditur.

[m] Io Trithem. de viris illustr. Ord. Benedict. lib 3. cap. 48.

[n] Io. Capgrav. post vitam S. Ithamari.

Sub Malgone vel Maglocuno illo, in quem invectus est novissimo loco Gildas, morbum illum epidemicum quæ flava pestis dicebatur invaluisse, ex Vitâ Theliai Landavensi Regesto insertâ, in • V.• capite declaravimus. *Traxit enim* (ut Biographus ille loquitur) *Maillconum regem Guenedotiæ, delevit & patriam suam: & in tantum incendit dicta clades, & per totam illam gentem, quòd patriam penè reddidit desertam. Surrexit igitur sanctus Teliavus, adducens secum quosdam suffraganeos episcopos suos & cæterorum ordinum viros, cum utriusq; sexus hominibus viris & mulieribus. Et devenit primitùs ad Cornubiensem regionem: & bene susceptus est à Gerennio rege illius patriæ,* (p Constantini, ut videtur, successore) *& tractavit illum & suum populum cum omni honore. Inde pertexit Sanctus cum suis comitibus ad Armoricas gentes: & benè continuò susceptus est ab eis.* Ibi *ipse & S. Samson plantaverunt magnum nemus arboreti fructiferi quasi ad tria miliaria, id est, à Dol usq; ad Cai; & decorantur ipsa nemora eorum nomine usq; in hodiernum diem: vocantur enim arboreta Teliavi & Samsonis. Et ex illo tempore & deinceps Episcopatus Dolensis decoratur & celebratur sub testimonio omnium Armoricorum Britonum, ob conversationem & reverentiam sancti Teliavi.*

• Suprà, pag. 75.76. & 83.84.

[p] Vid. supr. pag. 540.541.

Interea dum hæc agerentur & tractarentur, contigit quòd Christus per misericordiam suam præciperet, ut illa prædicta lues quæ flava dicebatur exiret & evanesceret de Britanniâ insulâ totâ. Quo audito, fidelis ductor Teliavus in medicum exhilaratus, & sancto spiritu summonitus (missis legatis in Franciam, & ultra Alpes in Italiam, & quocunq; cognitum sibi erat eos aufugisse) recollegit compatriotas diligenter in unum; ut omnes, extinctâ pestilentiâ, cum datâ pace per omnia redirent ad propria. Demùm *præparatâ magnâ barcâ (peractis septem annis ac septem mensibus, quos*

S. Te-

S. Teliaus duxerat in Armoricorum patriâ) *intravit in eam, cum multis Doctoribus & quibusdam alijs Episcopis: & applicuerunt in portum vocatum Dingerein*, rege Gerennio in extremis tum posito; qui *accepto corpore Domini de manu S. Teliai, lætus migravit ad Dominum. Post hæc sanctus vir repetivit sedem suam Episcopalem, comitante eum cleri & populi copiâ: & habitavit ibi usq; in consummationem vitæ. Ad quem convenerunt discipuli qui fuerant beati Dubricij, Lunapeius, Gurmaël, Cynmur, Toulidauc, Lubil, Fidelis, Hismaël, Tythei, Oudoceus, & multi alij discipuli, ut cum moribus & doctrinâ imitarentur. Ex quibus Hismaëlem consecravit in Episcopum; mittens illum ad consulendam ecclesiam* *Minuensem, *etiam viduatam pastore: nam sanctus David ad Dominum migraverat. Et multos alios ejusdem ordinis viros similiter sublimavit in episcopium: mittens illos per patriam, dividensq; parochias sibi ad opportunitatem cleri & populi.* Mortemq; tandem obijt quinto Idus Februarij, in loco qui ab ipso *Lhan-deilo-vaur*, sive *Ecclesia Theliai magni*, nomen obtinuit; *super ripam Tyvi* (sive *Tovij* potiùs agri Maridunensis fluvij) ubi solitariam vitam per tempus aliquod duxerat.

*Menevensem, sive S. Davidis.

In cujus vitâ crevit ecclesia Landavia pro sanctitate suâ tam moribus quàm doctrinâ, in ecclesijs & territorijs sibi datis, cum omni libertate suâ, dignitate & privilegio à regibus contemporaneis suis Teudric filio Teithpall, Idon filio Ynir Guent, Gurcant maur, Mailcun, Aircol Lauhir, Catgucaun Tredicil, Rein, & à multis alijs regibus & principibus dextralis Britanniæ; & ita ecclesijs nominandis, cum suis terris & dotibus, cum finibus subscriptis & testantibus legitimis viris. Privilegium sancti Teliavi est & ecclesiæ suæ Landaviæ, datum sibi & omnibus successoribus suis in perpetuo à regibus istis & principibus Britanniæ, confirmatum Apostolicâ auctoritate, cum omnibus legibus suis in se plenarijs sibi & terris suis, libera ab omni regali servitio, * *sine Consule, sine Provonsule, sine conventu, intùs nec extrà, sine expeditione, sine vigilandâ regione: & cum omni*

* Vid. supr. cap. 5. pag. 86.

justi-

*justitiâ suâ, de fure & furto, de rapinâ, de homicidio, de arsione, de rixâ, de sanguine, de refugio violato ubiq; in terrâ Sancti, de assaltu viarum & extra vias, de faciendo judicio & patiendo de omni populo sancti Teliavi in Curiâ Landaviæ, de communione aquæ & herbæ, campi & sylvæ, populo ecclesiæ S. Teliavi cum mercato & monetâ in Landaviâ; cum applicatione navium ubiq; per terras S. Teliavi liberâ pro regibus & omnibus nisi Ecclesiæ Landaviæ & Episcopis ejus. De opprobrio & omni injuriâ, quod rex * Morcanhuc & sui homines fecerint Episcopo S. Teliavi & suis hominibus, idem rex Morcanhuc & sui homines rectum faciant Episcopo & suis hominibus, & judicium patiantur in Curiâ Landaviæ. Omnis lex quæ fuerit regali, omnis etiam & in Curiâ plenariè episcopali Landavensi.* Hæc ex Landavensi Regesto excerpta dedimus: quæ, arbitratu suo, quisque vel legere poterit vel negligere.

* i. Glamorganiæ

Extat in eodem Regesto & Theliai successoris *Oudocei* Vita: cujus initium, quòd res ad hujus temporis historiam spectantes complectatur, hîc etiam exhibendum duximus. *Fuit vir Budic filius Cybsdan natus de * Cornugalliâ; qui in Demeticam regionem, tempore Aircol Lauhir regis ejusdem regni, venit cum suâ classe, expulsus patriâ suâ. Qui cùm moraretur in patriâ, accepit sibi uxorem Anaumed nomine filiam Ensic (mater autem illius Guenbaf, filia Limonui:) de quâ Anaumed nati sunt sibi Ismael & Tyfei martyr jacens in Pennalun. Qui cùm moraretur in patriâ, missis legatis ad eum de nativâ suâ regione Cornugalliâ, ut sine morâ cum totâ suâ familiâ & auxilio Britannorum ad recipiendum regnum Armoricæ gentis veniret: defuncto rege eorum illum volebant recipere natum de regali progenie. Facto ab illis consilio uno ore, auditâ legatione & acceptâ, affectuose accessit uxorem suam prægnantem cum totâ familiâ suâ & classe applicuit in patriâ: & regnavit per totam Armoricam terram, & in tempore suo tamdiu durantem usq; ad Alpes. Et uxor ejus peperit filium nomine Oudoceum: quem post tempus maturitatis misit ad studi-*

* Vid. supr. cap. 5. pag. 86. & Camden in Cornwall, pag. 134.

um literarum; sicut promiserat sancto Teliauo anteà in Britanniâ, quòd si filium haberet, illum Deo commendaret, sicut commendaverat ambos fratres suos quos prædiximus. Et S. Oudoceus ab infantiâ cœpit ditari scientiâ & eloquentiâ in tantum quòd suos contemporaneos & simul consocios excellebat moribus & sanctitate. Et post immensum tempus venit flava pestis per majorem Britanniam. Eâ occasione (ut dictum est anteà) adijt S. Theliaus, *cum suis clericis & populo, Cornugalliam quæ posteà vocata Cernia budic: & ibi invenit nepotem suum Oudoceum, virum præclarum & mansuetum & utriusque legis peritum, ut candelam super candelabrum. Et post tempus suæ conversationis, S. Teliaus archiepiscopus Landaviæ ecclesiæ S. Petri apostoli redijt ad natale solum cum suo nepote illum comitante: qui tantùm crevit in bonitate & scientiâ, quòd sibi electione cleri & populi *succedit in episcopatu Landavensis ecclesiæ.*

* Vid. supr. cap. 5. pag. 86.

Glamorganiæ eo tempore Rex erat *Teudric*, sive Theodoricus: de quo in eodem Regesto legimus. *Rex Teudric cùm esset in regno suo tenens pacem cum populo & justitiam, postposuit temporalem potestatem pro æternâ: ita quòd regnum suum commendavit filio suo Mourico, & vitam eremitalem in rupibus Dindyrn cœpit ducere. Qui cùm esset in vitâ illâ, cœperunt Saxones terram suam invadere super filium suum Mouricum: & ita nisi ipse solus adhuc eis succurreret, quòd omninò filius suus ab extraneis exhæreditaretur, De quo Teudric dicebant, cùm regnum suum teneret, quòd nunquam victus ab hostibus fuerat, sed semper victor: & ita visâ facie suâ in acie bellorum statim hostes vertebantur in fugam.* Hunc igitur (ut reliqua D. Franciscum Godwinum referentem audias) *bellum inferentibus Saxonibus opponendum, invitum sui ab eremo abduxerant: qui Tinternæ juxta * Vagam fluvium occurrentem hostem magno prælio fudit. Sed accepto in capite vulnere (quod eum non latuit) mortifero; reditum maturavit, ut inter suos expiraret: rogato priùs filio, si in viâ deficeret, templum ibi loci ut extrueret ubi animam exhalâsset, & ibidem corpus*

* Wipe, in orientali Monemuthensis agri termino.

conderet

conderet exanime. Vix quinque milia passuum processerat, cùm ad confluentes Vaga & Sabrinæ spiritum emisit. Quare eo ipso in loco prout optaverat ecclesiolâ excitatâ, cadaver loculo inditum est saxeo: quem nuper seu casu confractum, seu vetustate fatiscentem dum reficî curarem; ossa reperi, post mille annos ne minimùm quidem consumpta, vulneris immanis tanquam recenter facti in cranio remanente vestigio. Caterùm Mouricus, officio se nondùm satis functum arbitratus, prædia adjacentia ecclesiæ contulit; & loco, à posteris nomen antiquitùs impositum, Merthir-Tewdrick, quasi dicas Martyrium Theodorici: quem, quòd in bello ceciderit contra Christiani nominis hostes gesto, pro martyre ducendum arbitrati sunt. Posteà verò contractiùs Merthirn appellari cepit; & deinde (sicut hodie) Mathern. Hæc D. Godwinus, in Landavensium episcoporum à se (dum Landavensis ipse esset episcopus) edito Catalogo.

Iisdem quoq; temporibus *Petrocus & Kentigernus* Britanniam illustrârunt: de quorum priore ita scribit in ejus Vitâ Iohannes Tinmuthensis. *B. Petrecus natione Cumber, ex regali ortus prosapiâ, ita vixit à puero, ut sequax fidei, & operum Apostolorum principis imitator, quodam quasi præsagio ex proprij nominis assignatione percepto divinitùs, se etiam petram esse contenderet in quâ suam ecclesiam ipsa veritas superedificare promiserat. Cui talem Deus contulerat gratiam, ut in omnium oculis beneplacitus & acceptus appareret. Erat enim modestus, humilis, dator hilaris, continuâ charitate fervens, ad omnia religionis opera promptus. Mortuo autem rege patre suo, optimates quiq; consonâ populi acclamatione regem hereditario jure ipsum constituere nitebantur. Ille verò neglectâ regali pompâ, assumptis secum sexaginta socijs, monasterium intrans habitum religionis suscepit. Elapsis post hæc aliquot annis in Hiberniam proficiscens, literarum disciplinis & sacræ scripturæ viginti annis se mancipavit.*

Ibi, ut Lelandus rem narrat, *studiorum insolito quodam conflagrans amore, præceptores eximiè doctos exco-*

[q] Io. Balæ. scriptor Britann. centur. 1. capo 60.

luit. Nec manum priùs de tabulâ sustulit, quàm totos viginti annos in lectione bonorum authorum exegisset. Quæsitus hâc laboriosâ scientiæ thesaurus curâ, tandem est inventus: qui jam ne delitesceret, inventor Hibernicas gregas in Coriniam seu Cornubiam transtulit, & videndas omnibus exhibuit. In cœnobio verò Apostolici ordinis, quod in Cornubiâ aliquot passuum milibus à Sabrino littore ædificabat, discipulos habuit, Credanum, Medanum, & Dachanum; viros doctrinâ & vitæ sanctitate illustres. In proximâ viciniâ Samson quidam, sanctitate item conspicuus, sedem sibi elegerat, in quâ solitariam vitam duceret. Locus autem in quo Petrocus consedit, priùs *Loderic* & *Laffenac*, posteà *Petrock-stow* dictus, hodie *Padstow* nominatur. Postquàm hîc cum socijs suis per triginta annos esset commoratus, Romam & Hierosolymam visitavit, deinde ad Indiam & Orientalem Oceanum penetravit; ubi cùm in ignotâ quâdam insulâ integro septennio theoricæ vitæ vacavisset, *occidentalem Britanniam* petijt, in quâ *Tendurus* tum regnabat, *vir atrox & ferus moribus:* si Iohannis Tinmuthensis narrationibus fides hîc sit adhibenda.

Kentigernus Glascuensis episcopus (de quo in sequente capite pluribus erit agendum) popularium injurijs sede suâ excedere coactus, & *versus Meneviam ubi S. David virtutibus floruit iter aggressus, juxta Caerleon multos ad fidem convertit et Ecclesiâ constituxit: et cum sancto David aliquantisper morâ trahens, à rege terræ illius Cathwallan locum ad construendum monasterium accepit. Ædificato autem apud Elgu cœnobio sedem Episcopalem ibidem constituit. Subregulum quendâ villis minas inferentem, & de loco illo expellere cum injuriâ nitentem, & cæcitate à Deo percussum, prece ad Deum fusâ sanavit: & adjutorem & protectorem imposterum habere meruit. Congregati sunt autem in monasterio illo nimis centum & sexaginta quinq; fratres sub regulari disciplinâ in magnâ abstinentiâ Deo servientes. Trecentos enim illitteratos agriculturæ & pecorum custodiæ*

extra

extra monasterium deputavit: alios trecentos operibus infra monasterium exercendis & cibarijs præparandis assignavit, & trecentos sexaginta quinque literatos divinis officijs jugiter celebrandis intitulavit. Ne facilè quemquam illorum egredi, sed tanquam in sanctuario Domini assiduè commorari instituit. Divisit enim per turmas & conventus collegium: ut uno conventu servitium Dei in ecclesiâ terminante alter continuò intrans illud inchoaret; quo consummato, alius sine mora intraret. Sicq; turmâ unâ exeunte, & alterâ ingrediente, oratio sine intermissione ab ecclesiâ illâ ad Deum fiebat: & benedicendo Dominum in omni tempore, semper laus Dei in ore illorum resonabat. Erat inter illos quidam nomine Asaph, genere & specie clarus, ab ipso pubertatis flore virtutibus & miraculis fulgens: qui vitam Magistri in omni sanctitate & abstinentiâ jugiter sequi satagebat. Quem vir Dei impositorem earum habens; curam monasterij illi delegavit, & in episcopatu successorem suum instituit. Habet ista, in Kentigerni Vitâ, Iohannes Tinmuthensis.

De ecclesiâ illâ à Kentigerno extructâ, & regulo impedimentum operi inferente, addit hæc in Asaphensium Episcoporum Catalogo D. Godwinus. *Ecclesiam ex materiâ primùm fabrefactam, postea ex lapidibus novam construxit, quamvis impeditus multùm à Malgone vel Maglocuno (Rege quodam Britannico) sexto inde miliari apud Deganwy habitante; qui tamen placatus paulatim, cathedram Episcopalem in eâdem tandem collocari permisit, & non solùm prædijs multis locupletavit, sed immunitates etiam & privilegia non pauca Episcopo Monachisq; indulsit. Sedes à nonnullis Elguensis, ab alijs Elvensis & Lanelwensis nuncupata, à fluvio Elwe, propè quem sita est.* ubi *Elwy* nimirùm & *Cluida* in agro Flintensi unâ confluunt. Angli verò hodie ab *Asapho* illo, quem Kentigernus ad Glascuenses suos revocatus in Elguensi ecclesiâ successorem constituit, **Sainct Asaph** nominant. Quem Asaphum anno à communi salutis origine DXC. claruisse, atq; *Ordinationes suæ ecclesiæ, Magistri Kentiger-*

ni vitam, & alia nonnulla scripsisse, nescio quàm verè,
[f] Io. Balæ. Centur. 1. cap. 68. [f] Balæus asserit: ipsius etiam Kentigerni laudes ita celebrans.

[f] *Ibid. cap. 61.* [f] *Dum esset Elviæ seu Elguæ in terrâ Cambrensi, vir Apostolici ordinis, in pastorem constitutus; melote ex caprinis pellibus usus, & cucullâ strictâ, candidâq; contectus stolâ, primitivæ Ecclesiæ formam servavit. Apostolico more pedes ad prædicandum perrexit, multosq; ad fidem convertit. Apostatas revocavit, Pelagianos expulit, nondum renatos baptizavit, simulacra evertit, ecclesias condidit, ægrotis ministravit, languores curavit, in magnâq; semper abstinentiâ vixit, homo ad promovendam religionem veram natus.* ubi, ad *Pelagianorum* expulsionem referenda est illa, quæ apud Iohannem Tinmuthensem extat, historia. *Occurrit viro Dei clericus quidam peregrinus & eloquens: requisitusq; quis esset, & unde venisset; prædicatorem veritatis, & viam Dei in veritate docentem se esse respondit. Quem, Spiritu sancto revelante, Pelagianâ hæresi irretitum agnoscens, cùm à viâ iniquitatis eum avertere non posset; utriusq; hominis interitum vicinum illi fore denuncians, à suâ diœcesi jussit eum expelli. Qui fluvium quendam transire tentans, aquis suffocatus ad tartara descendit.*

Nondum enim penitùs extinctam fuisse in orbe Christiano Pelagianam pestem, ex Aurelio Cassiodoro etiam intelligimus, exitiosam istam hæresim hunc in modum retundente. [e] *Væ illis qui hanc regulam declinantes, in hominis putant arbitrio consistere, ut mereatur ad aliqua Dei munera pervenire. Ipse enim dat, ut bona velimus; ipse perficit, ut ad ejus præmia pervenire possimus: quod Apostolus luculentissimè declaravit.* Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? *Desinat ergo Pelagiana hæresis redivivas suscitare calumnias.* Et alibi. [e] *Omnes quidem hæreses detestabili cogitatione reperta sunt: Pelagianum verò malum quàm sit pernitiosum, hinc datur intelligi, quòd tantâ cognoscitur assiduitate redargui.* Quin & Iustinum juniorem Imperatorem

[e] Cassiodor. in Psalm. 58.

1. Cor. 4. 7.

[e] Id. in Psalm. 24.

peratorem hoc tempore [x] *ferunt in hæresin Pelagianam delapsum.* Ut de Venantio Fortunato nihil dicam; qui, in expositione petitionis tertiæ Orationis Dominicæ, & Pelagiani & Semipelagiani dogmatis fundamenta seriò convellens, ad Paulinæ & Augustinianæ doctrinæ normam hîc omnia revocat. *Nam quicunq́* (ait ille) cum *Apostolo Paulo, id est, oculo Ecclesiæ, & cum beato Augustino ejus sequace consonat; in eo ignorantiæ caligo non regnat.*

[x] Gregor. Turonens. histor. lib. 4. cap. 33. Paul. Diacon. continuat. Eutropij, lib. 18.

Quo die ex hâc vitâ David Menevensis emigravit Kentigernum, futura præsentientem, spiritu prophetico ista discipulis suis prædixisse refert Iohannes Tinmuthensis. *Scitote quòd Britannia, tanto lumine orbata, tanti patroni lugebit absentiam; qui gladio Domini (propter malitiam inhabitantium) semel vaginato super illam, ne penitùs usq́ ad internecionem extractus percuteret, semetipsum opponebat. Tradens tradet Dominus Britanniam exteris nationibus Deum ignorantibus: sed & à paganis, ab indigenis evacuabitur Insula. Christianæ legis religio usq́ ad præfinitum tempus dissipabitur in eâ: sed in pristinum statum imò meliorem, miserante Deo, iterùm reparabitur.* Quam religionis dissipationem priùs quoq; ab Ambrosio Merlino prænunciatam ferunt, de rerum Britannicarum post excessum Arthuri statu ita vaticinante. [y] *Sex posteri ejus sequentur sceptrum: sed post ipsos exurget Germanicus vermis. Sublimabit illum æquoreus lupus: quem Africana nemora comitabuntur. Delebitur iterùm Religio.* Cujus ænigmatis enodationem ab Alano de Insulis, si placet, accipe. *Posteros Arthuri dicit* sceptrum secuturos, *id est, regiam potentiam assecuturos:* sed post ipsos Germanicum vermem, *id est, Saxonicæ gentis populum, exurrecturum & Germanici auxilio sublimandum. Quem* æquoreum lupum *appellat; eo quòd insulas maris, cum ingenti classe, rapinis & ferro vastaret.* Africana nemora, *qua illum comitabantur, dicit Afrorum exercitus; servatâ lupi metaphorâ, cui in nemoribus habitatio est. Germanico Ecclesias, urbes & opida per totum*

[y] Galfrid. Monemuth. lib. 7. cap. 3.

Eri-

Britanniæ regnum depopulante, religio est deleta iterùm: *hoc est, sicuti primùm in diebus Hengisti, & filiorum ejus atq; nepotum, in insulâ Britonum penè ad nihilum est redacta; sic denuò in diebus Gormundi eveniet.*

Ex Britannicâ verò Galfridi Monemuthensis Historiâ expositionem suam hanc derivavit Alanus: in quâ, de *Gurmundo* Africano, leguntur ista. [z] *Malgoni successit Careticus, amator civilium bellorum, invisus Deo & Britonibus. Cujus inconstantiam comperientes Saxones, iverunt propter Gormundum regem Africanorum in Hiberniam, in quam maximis navigys advectus, gentem patriæ subjugaverat. Exin proditione eorum, cum centum sexaginta sex milibus Africanorum ad Britanniam transfretavit: quam in unâ parte mentitæ fidei Saxones, in aliâ verò cives patriæ, civilia bella inter se assiduè agentes, penitùs devastabant. Inito ergo fœdere cum Saxonibus, oppugnavit Careticum regem: & post plurima prælia, fugavit eum de civitate in civitatem, donec eum trusit in Cirecestriam, & obsedit. Ubi Isembartus nepos Ludovici regis Francorum venit ad eum, & cum eo fœdus amicitiæ inivit; & Christianitatem suam tali pacto & pro amore suo deseruit, ut auxilio suo regnum Galliæ avunculo exipere valuisset, à quo (ut aiebat) vi & injustè erat expulsus. Captâ tandem prædictâ civitate & suo ensâ, commisit prælium cum Caretico; & fugavit eum ultra Sabrinam in Gualliis. Mox depopulans agros, ignem cumulavit in finitimas quasq; civitates: qui non quievit accensus, donec cunctam pene superficiem insulæ, à mari usque ad mare, exussit; ita ut cunctæ coloniæ crebris arietibus, omnesq; coloni cum sacerdotibus Ecclesiæ, mucronibus undiq; micantibus ac flammis crepitantibus, simul humi sternerentur. Diffugiebant ergò reliquiæ tantis cladibus affectæ, quoquinq; tutamen ipsis cedentibus patebat.*

[z] Ibid. lib. 11. cap. 8.

Postrema hæc (ut alia etiam complura) non ex libro suo Britannico transtulit Galfridus, sed ex [a] Gildâ ad verbum exscripsit; de primâ illâ clade ab Hengisto Britonibus illatâ hæc usurpante, de Caretici verò hujus tem-

[a] Gild. suprà; pag. 416.

temporibus, qui post Malgonem (sive Maglocunum, sub quo Epistolam suam ille scripsit) regnavisse dicitur, ne somniante quidem. Deinde quis *Ludovicus* ille, (ut de *Isemberto* nihil dicam) cujus hîc facta mentio? Hâc enim tempestate, qui eo vocitatus nomine fuerit, *Francorum rex* nullus ostendi potest. Ad *Gurmundum* autem quod attinet: * *Ambresburienses cœnobij monachos trecentos destructos fuisse per Gurmundum paganum, filium regis Africæ*, in Eulogio à Malmesburiensi quodam monacho conscripto legimus. Cireestrenses quoq; *Grismundi* quam ostentant *turrem* à Gurmundo positam fuisse credunt: de quorum urbe Alexander Necharus,

* Vid. supr. cap. 13. pag. 450. 451.

Urbs vires experta tuas, Gurmunde, per annos
Septem,

Quâ tandem captâ, & passerum (ut fertur) maleficio igne succensâ, ignobili quoq; tunc Britonum rege Keredicio in Cambriam expulso, totius regni dominium in brevi obtinuisse Gurmundum, ex historiâ Britannicâ refert [b] Giraldus Cambrensis: addens tamen, eodem *in Galliarum partibus interfecto, Barbarorum jugum à Britannicis collis eâ occasione depulsum* esse. Verùm in Anglosaxonum antiquioribus historijs, non modò de *Gurmundo* isto altissimum est silentium; sed etiam captæ Cireestriæ & domitorum Britonum integra laus Occidentalium Saxonum regi *Ceaulino* tribuitur: de quo Guilielmus Malmesburiensis. [c] *Britannos, qui temporibus patrûs & avi* (Kenrici scilicèt & * Cerdici) *vel prætento deditionis umbone vel clanstrorum muralium objectu Gloecestriæ & Cirencestriæ & Bathoniæ exitium effugerant, infestâ prosecutus animositate, urbibus exuit & in confragosa saltuosaq; loca hodiéq; detrusit.*

[b] Girald. Topograph. Hibern. distinct. 3. cap. 39. 40.

[c] Guil. Malmesbur. de gest. regum, lib. 1. cap. 2.

* Vid. supr. cap. 13. pag. 464. 465. & 468.

Anno DLXXVII. tres illas urbes Britannos amisisse, ex Annalibus Saxonicis, Fabio Ethelwerdo & Florentio Wigornienſi constat: quibus & illa Henrici Huntingdonienſis adjungi poterit narratio. [d] *Ceaulin & Cuthwine*

[d] H. Huntingd. histor. lib.

Cuthwine filius ejus, XVIII.° *anno regni ejus, pugnaverunt contra Britannos. Tres autem reges eorum, Commagil & Candidan & Farinmagil* (alijs *Comeail, Condidan & Fariumeil*) *acies in eos confertas & splendidas prælij legibus distinxerunt apud Deorham. Bellatum est igitur robustissimè: victoriam verò dedit hostibus suis Dominus omnipotens, abjecitq; suos, qui vanè offenderant eum; & ceciderunt die illâ tres reges Christianorum prædicti, reliqui autem in fugam versi sunt. Saxones verò horribiles eis facti, insequendum eos, tres urbes excellentissimas sibi ceperunt;* **Gloucestre, & Circestre, & Badecestre.** Tum, de altero prælio post septennium depugnato, Henricus subdit. *Ceaulin*, XXV.° anno *regni sui & Cuthwine pugnaverunt cum Britannis in Fedh inlea. Pugnatum est autem perniciosè & horribiliter utrinque. Cuthwine gravi multitudine oppressus, prostratus & occisus est. Victi sunt igitur Angli, & fugæ dati. Rex tamen Ceaulin rursus reparato exercitu, cùm fugam sui abjurâssent, tandem prælio victores vicit: persequensq; Britannos, regiones multas & innumerabilia spolia cepit.* Ad annum DLXXXIIII. cum Saxonicis Annalibus, Ethelwerdus & Florentius posterius hoc prælium referunt: quod juxta *Moram lapideam* (id est, *Stane-more* in Westmorlandiâ) Scotis Albiensibus *Aidano* & Britonibus *Malgone* imperante, commissum fuisse confirmat * Iohannes Fordonus in Scotichronico. Quibus omnibus inter se collatis, sub *Malgone* Cicestriam Britannis ademptam fuisse colligimus; non sub *Caretico*, quem anno demùm DLXXXVI. eidem successisse Matthæus Florilegus auctor est.

* & Georg. Buchanan. rer. Scoticar. lib. 5. in rege XLIX.

De *Gurmundi* quoq; ætate non parva inter scriptores est dissensio. In Frisiorum historiâ, ex Occone Scarlensi refert Iohannes Ulietherpius, Hengistum & Horsum regi Frisiæ Odilbaldo anno CCCCXLI. natos, in Britanniam concessisse; ut sibi cognominum Hengisti & Horsi (quorum ex Bedâ & probatæ fidei historicis suo loco meminimus) ulciscerentur necem. His verò etiam

etiam cæsis, milites ipsorum à Gorimondo Duce Hibernico & Hibernorum quæ illum sequebantur copijs animatos, victoriam à Britannis reportavisse, Gorimondum regem sibi constituisse, eiq; defuncto è civibus suis unum suffecisse fabulatur. In Hollandorum Chronico, Iohannes Gerbrandus Leidensis, licèt * anno CCCCLXXXV. ad finem jam vergente imperio Zenononis Arthurum nostrum natum, & [c] decem post Arthuri mortem annis Gurmundum regem factum narret; tamen ad Zenonis etiam imperium Gurmundi regnum refert. *Saxones inferiores* (inquit) *cum multis paganis ex Africâ & alijs diversis nationibus perrexerunt cum navibus multis tempore Zenonis Imperatoris in Britanniam, id est, Angliam. Et Saxones in Angliâ existentes de gente Hengisti & Horsi junxerunt se Britonibus: qui tenuerunt totum regnum, & exaltaverunt in regem Gurmundum Africanum; qui regnavit in Angliâ quadraginta annis. Deinde ille Saxo triginta annis, & post eum Edelbertus; sub quo convertitur Anglia per S. Gregorium Papam.*

* Supr. pag. 467.

[c] Io. Gerbrand. Chronic. Belgic. lib. 1. cap. 13.

Giraldus Cambrensis, licèt ex Britannicâ historiâ Keredicij sive Caretici regis Gurmundum faciat æqualem: [f] ejusdem tamen Gurmundi Turgesium illum Norwegum tributum fuisse opinatur, qui nono post Christum seculo Hiberniæ regnum occupavisse traditur. quæ inter se planè sunt ἀσύμφωνα. Addit præterea, *Hibernienses & eorum historias scriptas Turgesium prædicare; Gurmundum autem prorsùs ignorare.* quanquam apud Dublinienses nostros, & Leghlinienses quoq;, Gormonis sive Gurmundi aliqua videri posset relicta fuisse memoria. Nam & in Dublinensi civitate *Gurmundi porta* habetur, & suburbanum juxtà cernitur prædiolum **Grange-gorman** dictum, & quindecim ab urbe passuum milibus dissitum **Gormans-town** nobilium Prestoniæ familiæ Vice-Comitum notissimum domicilium. Iuxta Leghliniam verò, non modò *Gormondi nemus & Gormondi vadum* nomen illius retinent: sed etiam

[f] Girald. Topograph. Hibern. distinct. 3. cap. 38.

in ipsâ Ecclesiâ Cathedrali extabat nuper ejusmodi titulus, saxo inscriptus sepulchrali.

* i. Legh-lenia

*Hic jacet humatus Dux fundator * Leniæ*
En Gormondi Burchardus, vir gratus Ecclesiæ.

Hoc Epitaphium anno 1589. conspectum à se fuisse, in Hibernicis suis Annalibus testatur Thadæus Doulingus: ubi Gurmundum non totam Hiberniam, sed Lageniam tantùm & Midiam sibi subjugavisse, ac filium suum Burchardum (Hibernis Ⅾ Gormaghern dictum) Ducem § *Montis Margei* constituisse docet.

§ Slieve-marge

Quantam verò Britannico populo cladem Gurmundiana tempestas hæc attulerit, Galfridus sic enarrat. g *Postquam infaustus tyrannus cum innumerabilibus Africanorum milibus totam ferè insulam vastavit, majorem partem ejus quæ Loegria vocabatur, præbuit Saxonibus, quorum proditione applicuerat. Secesserunt itaq; Britonum reliquiæ in Occidentales regni partes, Cornubiam videlicèt atq; Guallias: unde crebras & ferales irruptiones incessanter hostibus fecerunt. Tunc igitur archipræsules, Theonus Londinensis & Thadiocus Eboracensis, cùm omnes ecclesias sibi subditas usq; ad humum destructas vidissent; cum omnibus ordinatis, qui in tanto discrimine superfuerant, diffugiunt ad tutamina nemorum in Guallias cum reliquijs Sanctorum: timentes ne barbarorum irruptione delerentur tot & tantorum veterum sacra ossa, si ipsa in imminenti periculo desererent, & sese instanti martyrio offerrent. Plures etiam Armoricanam Britanniam magno navigio petiverunt: ita ut tota Ecclesia duarum provinciarum, Loegriæ videlicèt & Northanhumbriæ, à conventibus suis desolaretur. Amiserunt deinde Britones regni diadema multis temporibus, & insula monarchiam; nec pristinam dignitatem resuperare nitebantur: imò partem illam patriæ quæ eis adhuc remanserat, non uni regi sed tribus tyrannis subditam, civilibus prælijs sæpissimè vastabant.*

g Histor. Britannic. lib. 3. cap. 10. 11.

Nicolaus

Nicolaus Cantelupus in Cantabrigiensi historiolâ Pictis & Saxonibus à Modredo invitatis calamitatem hanc Britannis inductam narrat: Cantabrigiensis academiæ (à seipso, ut videtur, excogitatum) casum ita deplorans. *Heu! civitas plena populo, mater virtutum, scientiarum nutrix Cantabrigia, post mortem inclyti regis Arthuri, bellantium incendijs, librorum direptionibus & hostium depræda tionibus facta est quasi vidua à doctoribus. Unde nefandi * ambrones Picti & Saxones, quos proditor ille Modredus invitaverat, Christicolas studentes pariter & cives Cantabrigiæ gladijs & flammis, ut lupi oves, exterminant, fertilem patriam orientalis Britanniæ devastabant, sacras ecclesias destruunt, & Christianitatem à mari usq; ad mare deleverunt. Quod percipientes archipræsules, Londoniæ Theonotus & Eboraci Tadeocus, cum omnibus ordinatis & studentibus Cantabrigiæ qui in tantâ destructione superfuerant, diffugerunt ad tutamina nemorum Cambriæ; ubi semper vigebat Christianitas, quæ à tempore Eleutherij Papæ nunquam inter eos defecerat. Veruntamen quidam vi detenti manserunt Cantabrigiæ, dissolutionem civitatis venerandæ mentis amaritudine deflentes. Pontifices autem antedicti cum alijs Sanctorum reliquijs, ne barbarorum irruptione delerentur, aufugientes Cambriam, religione Christianitatis clarissimè resplenduerunt: ita ut cœlestis regni desiderio succensi, vitam solitariam appetentes, relicto seculo Deum sequerentur. Ex quibus Abbatia illa nobilissima Bangoriæ floruit in Dei populo: * ubi duo milia & centum monachi in continuâ laude divini nominis perseverabant.*

* Vid. Io. Cai. Histor. Cantabrig. academ. lib. 1. pag. 30. & Camden. Britan. pag. 91.

* Vid. supr. cap. 6. pag. 131. 133.

Matthæus Florilegus ad annum DLXXXVI. sub *Caretico* (sed *Gurmundi* mentione prorsus prætermissâ) extremam hanc Britanorum cladem contigisse refert: de mortuis Sanctorum corporibus occultatis, Saxonum in Christianam religionem odio, & B. Albani delubro ab eis diruto, hæc insuper adjiciens. *Quibusdam Sanctorum corporibus, quæ in sepulcris jacebant reverenter occultata, cumulos terræ superposuerunt; ne ab infidelibus despe-*

*ctui haberentur. Erant enim Anglorum sive Saxonum reges armis strenuissimi, pagani atrocissimi; qui nihil potiùs quàm Christum & Christianorum cultum subvertere sitiebant. Nam siqua Ecclesia, terrâ subjugatâ, illæsa servabatur; hoc magis ad confusionem nominis Christi quàm ad gloriam faciebant. Nempe ex eis Deorum suorum templa facientes, profanis suis sacrificiis sancta Dei altaria polluerunt. Hâc denique tempestate Ecclesia beati martyris Albani, quæ post passionem suam * miro tabulatu lapideo atque ejus martyrio condigna legitur fabricata, dejecta penitus cum aliis creditur & delata; donec per ministerium Offæ regis, Angelo sibi revelante, corpus glorioſi martyris inventum est, & monasterium ejus denuò fabricatum.*

* Vid. supr. cap. 1. pag. 193.

At sepulturæ B. Albani locum Britannis ante hanc tempestatem fuisse ademptum, Malgone sive Maglocuno adhuc superstite, ex [b] Gildâ quidam colligunt: & jam inde à primis Saxonum temporibus deletam fuisse illius memoriam, ab eodem Florilego his verbis alibi traditum invenio. [i] *Fuerat locus, & memoria Martyris, post adventum Sancti Germani Altissiodorensis episcopi (qui cum beato Lupo Trecasinæ urbis episcopo, ad extirpandam hæresim Pelagianam in Britanniam venerat) annis circiter* CCCXLIIII. *omninò deleta. Siquidem gens pagana Saxonum, Iutorum & Anglorum, Britonibus expulsis, Britanniam subjugârant: mox agros depopulantes, ignem in civitates & opida accumulantes, sacras ecclesias solo tenùs complanantes, sacerdotes detruncantes, cunctam penè superficiem insulæ à mari usque ad mare immisericorditer deleverunt. Hâc itaque tempestate, ecclesia beati Anglorum protomartyris Albani, quam Beda in Anglorum historiâ, post passionem ejusdem martyris, miro tabulatu lapideo scripsit fuisse constructam, inter cæteras regionis ecclesias funditùs est subversa. Unde & sepulcrum ejus, quod in adventu sancti Germani, & antè à passione martyris usque, ad illius patriæ desolationem, omnibus notum, & propter miraculorum frequentiam ab omnibus fuit adoratum, tempore quo Offa regi Angelico*

[b] Supr. cap. 7. pag. 147. Vid. Camden. in Hertfordshire, pag. 293.

[i] Flor. historiar. ad ann. 794. Vid. supr. cap. 7. pag. 166. & cap. 11. pag. 329.

loco extitit ministerio revelatum, erat incognitum universis. quanquam locum, in quo illa *frequentium operatio virtutum celebrari* ferebatur, [k] Beda usq; ad tempus quo scripsit ipse, annis nimirùm LXII. ante revelationem quæ Offæ facta fuisse dicitur, latis omnibus fuisse cognitum, non obscurè significet.

[k] Bed. histor. lib. 1. cap. 7.

De Christiano cultu in Saxonum ditione sublato, ex vetere Chronico Anglosaxonico [l] Iohannes Fletus producit etiam ista. *Languescente Britannorum fide & justitiâ, convenit per vices in diversas Britanniæ partes incredulæ gentis Anglorum & Saxonum multitudo copiosa. Qui tandem totius insulæ nactæ dominium, secundùm patrias leges in cunctis regni provinciis aras & fana Diis suis erigunt, Ecclesias Christi subvertunt, Christianos ejiciunt, & paganismi cultum in omnes fines terræ suæ dilatant. Rediit itaq; veteris abominationis ubiq; sententia: à suâ Britones expelluntur patriâ, immolat Dianæ Londonia, thurificat Apollini suburbana Thorneia, & variis erroribus circumquaque seducta regio paganizat universa.* De novâ verò Ecclesiâ ritu Christiano ibidem posteà positâ, ex eodem Chronico, subjungit ista. *Rex Orientalium Saxonum Sebertus, regis Ethelberti ex sorore nepos, accepto sanctæ regenerationis lavacro, dejecit funditùs Apollinis templum prope Londoniam in Thornensi insula situatum, & Ecclesiam ibidem in honore B. Petri Apostolorum principis devotè fundavit & construxit.* & [m] ex alio Chronico, *Libri Regij* titulum præferente. *Sebertus rex à S. Augustino baptizatus, in occidentali Londoniæ parte de quodam fano quod tunc Apollinis habebatur, & loco Thorneya dicto, Basilicam Deo & S. Petro fabricavit; sanctoq; Mellito Londoniensi episcopo dedicandam commendavit.* quibus & Edgari regis Diploma, Westmonasterienſi ecclesiæ concessum, addi poterit: in quo, Ecclesia *B. Petri, quæ sita est in loco terribilis qui ab incolis Thorney nuncupatur, ab occidente scilicet urbis Londoniæ, anno Dominicæ Incarnationis anno* DCIIII. *B. Ethelberti hortatu primi Anglorum*

[l] Ioh. Flet. de eccles. Westmonaster. fundat. cap. 1.

[m] Ibid. cap. 5.

regis

regis Christiani, destructo priùs ibidem abominationis templo Regum paganorum, à Seberto prædivite quondam subregulo London, nepote videlicèt ipsius Regis, constructa fuisse asseritur.

Generatim de Anglosaxonum ethniciſmo refert iſta Glaſtonienſis Chronographus. *Anno ab Incarnatione* CCCCXLIX. *Angli & Saxones in Britanniam venerunt. Hi verò pagani fuerunt: & Christianam fidem, quam Britones per* CCXLIII. *annos fideli devotione conservaverunt, isti posteà per totam ferè Britanniam perverterunt; & usq; ad tempus S. Augustini, videlicèt* CXLVII. *annos, maximam hujus regionis partem paganismo repleverunt.* & Radulphus Niger, in Chronico. *Saxonum gens paganis ritibus adhuc dedita, totam Christianitatem in Insulâ penè per successionem temporum deleverunt: totamq; terram vi & dolo obtinentes, Britones Christianos de suis sedibus effugârunt.* deniq; [a] Galfridus Monemuthenſis; eumq; ſecuti [b] Rogerus Wendoverius, & Matthæus Florilegus. *Paganâ superstitione cæcati, in illâ Insulæ parte quam habebant, totam deleverant Christianitatem. In parte autem Britonum adhuc vigebat Christianitas; quæ, à tempore Eleutherij Papæ habita, nunquam inter eos defecerat.* Quam Britonum in retinendâ fide conſtantiam Wintonienſis Eccleſiæ Hiſtoriola ita prædicat. *Ex quo Britannia Christi fidem suscepit, semper inter eos ipsa fides remansit integra & à toto deperdito illæsa: licèt per Pelagium hæreticum & gentiles Saxones terra sit multùm contaminata. In Walliâ enim & in Cornubiâ semper fides grossos suos protulit præfulgidos. Unde inter cæteras nationes, quas invenimus in fide perceptâ stabiles fuisse, primus fuit populus Britannicus.* quò referendum & illud diſtichon, in Hiſtoriâ Eboracenſium archiepiſcoporum circa annum 1460. conſcriptâ.

[a] Hiſtor. Britannic. lib. 11. cap. 12.

[b] Rog. Wendov. & Matth. Florileg. ad annum 596.

Quem susceperunt cultum non deseruerunt
Nec successores Catholici Britones.

Hoc

Hoc tamen vitio illis [p] Beda vertit vel maximo; quòd *nunquam genti Saxonum sive Anglorum, secum Britanniam incolenti, verbum fidei prædicando commiserint.* Quomodo verò & hi tandem, operâ *Gregorij magni* & *Augustini minoris*, (eo enim epitheto hunc, licèt archiepiscopum, à celeberrimo illo Hipponensium episcopo [q] Fabius Ethelwerdus discriminat) Christianæ religionis professionem susceperint, ita copiosè in Ecclesiasticâ gentis suæ Historiâ ab eodem Bedâ est explicatum; ut eandem telam denuò texere, operis futurum sit planè supervacaneï. Quamobrem, & *Angliâ* & *Cambriâ* jam dimissâ; de *Albaniâ*, & populis qui post Britannos borealem illam Insulæ partem occupaverunt, aliquid deinceps dicendum restat.

[p] Bed histor. lib. 1. cap. 22.

[q] Ethelwerd. Chronic. lib. 1.

CAP. XV.

De Pictorum ex Scythiâ, & Scotorum ex Hiberniâ in Britanniam ductis colonijs. De Pictorum colonijs tribus; quas sub Mario, Carausio & Graciano hîc constitutas Britannica refert Historia. De Scotis & colonià ex Dalrietâ Hibernia in Dalrietam Albaniæ ab eis missâ: deq; Reudâ & Fergusio colonorum Ducibus. De conversione Scotorum, quæ sub Victore 1. Romano Episcopo facta fuisse dicitur. De Ursulâ, quæ regis Scotiæ filia fuisse fingitur, novæ fabulæ. De his, qui sæviente persecutione Maximiani, in Albaniam & Monam secessisse dicuntur. De adventu Reguli & sociorum; atq; Ecclesiæ Andreapolitanæ fundatione. De Pictorum & Scotorum Doctoribus, Palladio, Niniano, Servano, Tervano, Gildâ, Kentigerno, Columbâ, cum duodecim ejus socijs; & alijs ad res Pictas atq; Scoticas spectantibus.

POst *Britones*, in Aquilonari sui parte *Pictos* primùm (ut putatur) è Scythiâ, deinde ex Hiberniâ *Scotos*, susceptit Britannia. De Pictorum adventu primo, in [a] Bedæ historiâ Ecclesiasticâ, habentur ista. *Contigit gentem Pictorum de Scythiâ, ut perhibent, longis navibus non multis Oceanum ingressam, circumagente flatu ventorum extra fines omnes Britanniæ Hiberniam pervenisse, ejusq; septentrionales oras intrâsse; atq; inventâ ibi gente Scotorum, sibi quoq; in partibus illius sedes petîsse, nec impetrare potuisse. Est autem Hibernia insula omnium post Britanniam maxima, ad Occidentem quidem Britanniæ sita; sed sicut contra Aquilonem eâ brevior, ita in Meridiem se trans illius fines plurimùm protendens, usq; contra Hispaniæ septentrionalia (quamvis magno æquore interjacente) pervenit. Ad hanc ergo usq; pervenientes navigio Picti (ut diximus) petierunt in eâ sibi quoq; sedes & habitationem donari. Respondebant Scoti, quia non ambos eos caperet insula: sed possumus (inquiunt) salubre vobis dare consilium, quid agere valeatis. Novimus insulam esse aliam non procul à nostrâ contra ortum solis, quam sæpè lucidioribus diebus de longè aspicere solemus. Hanc adire si vultis, habitabilem vobis facere valeatis: vel si qui restiterint, nobis auxiliarijs utimini. Itaq; petentes Britanniam Picti, habitare per septentrionales insulæ partes cœperunt. Nam austrina Britones occupaverant. Cumq; uxores Picti non habentes peterent à Scotis, eâ solùm conditione dare consenserunt, ut ubi res veniret in dubium, magis de fœminea regum prosapiâ quàm de masculinâ Regem sibi eligerent: quod usq; hodie apud Pictos constat esse servatum.*

[a] Bed. histor. lib. 1. cap. 1.

[b] Anastas. Nicæn. (vel Sinaita potiùs) in Scriptur. quæst. 38. ex Chrysostomo. & Procop. Belli Gothici lib. 4. pag. 323. edit. Græc.

E Germanicâ *Scythiâ* prodijsse Pictos hosce, communior est opinio. [b] *Scythiæ* enim nomine regionem illam Borealem vocare soliti sunt veteres, quam *Dani* incolebant, & *Gothi* & *Vandali*: Cimbricam nimirùm Chersonesum & Scandinaviam, quæ Procopio Cæsariensi *Thule* est; quam Pictorum sedem facit & Claudianus,

nus, in Panegyrico de quarto Honorij Consulatu ita canens.

.....maduerunt Saxone fuso
Orcades, incaluit Pictorum sanguine Thule:
Scotorum cumulos flevit glacialis Ierne.

Ut enim *Orcadas* Saxonum piratas tenuisse, ita Pictos *Thulen*, (sive Scandinavia ea fuerit, sive septentrionalium insularum quæ alia) & Scotos *Iernen* incoluisse, claris & apertis verbis significat. quod de *Ierne* sive Hibernia nostra confirmat etiam Beda; in loco jam citato illud addens. *Hæc propriè patria Scotorum est:* qui *ab hâc egressi, tertiam in Britanniâ Britonibus & Pictis gentem addiderunt.* Imò, ut rectè à doctissimo [c] Camdeno est notatum, *si omnes omnium historiæ intercidissent, & nemo literis prodidisset genuinos Scotos ex Hibernia prognatos fuisse; ipsarum linguarum communitas hoc facilè evinceret, imò facilius, quàm vel gravissimorum historicorum auctoritas.* Vel, si à Scoto potiùs quàm ab Anglo hoc audire libeat; *Multiplici*, inquit [d] Iohannes Major, *argumento certum est, nos ab Hibernicis originem traxisse. Hoc ex Bedâ Anglo didicimus. Hoc idem loquela manifestat. Adhuc Scotia fermè medietas Hibernicè loquitur; & à paucis retroactis diebus plures Hibernicè loquuti sunt: & tamen inter Britanniam & Hiberniam tale mare, quale inter Galliam & Scotiam, interfluit. Loquelam de Hibernia in Britanniam attulerunt. Hoc idem per nostros Annales liquet: quorum scriptores in hoc non erant negligentes. Dico ergo: à quibuscunq; Hibernici originem duxêre, ab eisdem Scoti exordium capiunt; licèt mediatè, sicut ab avo nepos.*

[c] Camden. Britann. pag. 12.

[d] Io. Major. de gestis Scotor. lib. 1. cap. 9.

Qui de B. Andreâ & sedis Andreapolitanæ fundatione commentariolum reliquit antiquus author Scotus, *totam insulam Britanniam Christianitatem fuisse doctam, antequàm Picti & Scoti illam intrarent*, affirmat: ad eorum hîc sententiam accedens, qui post ortum Christi Servatoris Pictos & Scotos hîc sedes collocâsse tradi-

derunt. Inter eos Mewinus Britannus Chronographus numeratur, quem Melkinum Avallonium appellant alij. Hic enim (si [e] Iohanni Hardingo referenti credimus) *Gadelum* & uxorem *Scotam*, Pharaonis regis nescio cujus filiam notham, anno Christi LXXV. [o] unâ cum *Pictis* in Albaniam venisse fabulatur: & à *Scotâ* regionem Scotiam, à *Gadelo* locum in quo consedit Galwaiam sive *Gadel-waiam* fuisse nuncupatam. Ad eundem annum LXXV. Pictorum adventum in Britanniam refert etiam Matthæus Florilegus: sed ex Britannicâ Historiâ, à Galfrido Monemuthensi Latinè editâ, vero aliquanto similiorem narrationem subjicit. In illâ enim Historiâ, post natum Christum tres Pictorum in Britanniam adventus commemoratos invenio: quorum primus hic ipse est, cujus Matthæus meminit, regnante * *Mario* factus (*Meurico* vel *Meurigo* Cambro-britannis dicto;) de quo ita Galfridus.

[e] Harding. Chronic. cap. 50.

* de quo suprà, cap. 21. & 27.

[f] Histor. Britannic. lib. 4. cap. 17.

[f] Arvirago *successit in regnum filius ejus Marius; vir miræ prudentiæ & sapientiæ. Regnante postmodùm illo, quidam rex Pictorum vocabulo Rodric, de Scythiâ cum magnâ classe veniens, applicuit in aquilonarem partem Britanniæ, quæ Albaniæ appellatur, cœpitq́; provinciam illam vastare. Collecto igitur populo suo petivit illum Marius: illatisq́; prælijs ipsum interfecit, & victoriâ potitus est. Deinde erexit lapidem in signum triumphi sui in provinciâ quæ posteà de nomine suo Westmaria dicta fuit; in quo inscriptus titulus memoriam ejus usq́; in hodiernum diem testatur. Peremptò verò Rodric, dedit devicto populo qui cum eo venerat, partem Albaniæ ad inhabitandum, quæ Cathanesia vocatur. Erat autem deserta, nullo habitatore, multis diebus inculta. Cumque uxores non habentes, filias & cognatas Britonum ab illis peterent; dedignati sunt Britones hujusmodi populo natas suas maritare. At illi ut repulsam passi fuerunt, transfretaverunt in Hiberniam; duxeruntq́; ex patriâ illâ mulieres: ex quibus coadunatâ sobole multitudinem suam auxerunt.*

Quan-

Quanquam verò in multis Britannicæ historiæ fidem vacillare haud nesciam: non omninò tamen videtur contemnendum quod de titulo, Marianæ victoriæ indice, testimonium adjungitur. Nam & ante Historiam illam à Galfrido è Britannico sermone versam, auctor longè gravior, Guilielmus Malmesburiensis (in Prologo libri tertij de gestis Pontificum) illius hunc in modum meminit. *Est in Lugubaliâ civitate* (Carleolo vulgo dictâ) *triclinium lapideum fornicibus concameratum, quod nullâ unquàm tempestatum contumeliâ, quinetiam nec appositis ex industriâ lignis & succensis, valuit labefactari. Cumberland vocatur regio, & Cumbri vocantur homines: scripturaq; legitur in fronte triclinij;* MARII VICTORIAE. licèt, MARTI VICTORI, in nonnullis exemplaribus concipi, accepisse se notet [g] Camdenus: sed planè contra Malmesburiensis mentem; qui statim subjicit. *Quod quid sit hasito: nisi fortè pars Cimbrorum olim his locis insederit, cùm fuissent à* MARIO *Italiâ pulsi.* de quo, Ranulphus Cestrensis in Polychronico. [h] *Hîc,* inquit, *fuit Willelmus Malmesburiensis deceptus, putans hunc lapidis titulum ad Marium Consulem Romanum pertinere: nec mirum; cùm ipse Britannicum librum non legisset, ubi de Mario rege continetur.*

[g] Camden. in Cumberland pag. 641.

[h] Polychronic. lib. 4. cap. 9.

In Westmorlandiæ Saxeto, quod * Hatle-moze, hoc est, *ericetum lapidosum* dicitur, commissum fuisse hoc prælium Malmesburiensis ille monachus qui Eulogium scripsit, Iohannes Hardingus & Guilielmus Caxtonus retulerunt idemq; titulum à Mario positum fuisse opinatur Hardingus, ubi Crux stetit lapidea, quam Rectois & Rerectosse appellant, atq; *Crucem* vel *Rubeam* vel *Regiam* interpretantur: quamq; à Guilielmo I. Angliæ & Malcolmo III. (Can-more sive Capitone) Scotiæ rege tanquam limitem utriq; regno fixam fuisse, Scotorum tradunt [k] historici. Author Genealogiæ Britannicorum Regum, qui Henrici VI. temporibus scripsit, (& cum eo consentiens Caxtonus) hunc

* Supr. cap. 14. pag. 570.

[i] Io. Harding. chronic. cap. 49.

[k] Hect. Boëth. Scotor. histor. lib. 12. Io. Leslæ. de gest. Scotor. lib. 6. & Georg. Buchanan. rer. Scoticar. lib. 7. in rege LXXXVI.

titulum lapidi à Mario inscriptum dicit. *Hic Westmer Rex Britanniæ vicit Rodric ejus inimicum.* Eulogij scriptor titulum alium, à veteribus Anglis (ut genus sermonis prodit) magno lapidi inciſum, ad ſua uſq; tempora durâſſe aſſerit.

Here the kyng Weſtmer
Slow the kyng Rothynger.
Hic Rex Weſtmerus Occidit Regem Rothingerum.

Scribit Iohannes Roſſus Warwicenſis, *Roderico Pictorum vel potiùs Scytharum duce perempto, illos alium quendam Berench in ducem elegiſſe; à quo villa* Berewick, *quaſi Berenchi villa, nomen ſumpſit.* quæ fabella apud Eulogij authorem (&, illius hîc prementem veſtigia, Guil. Caxtonum) etiam extat; de Marij rebus, in V.° operis ſui libro ita ſcribentem, *Primò vocabatur Marius; deinde, victoriâ habitâ, vocabatur Weſtmarius: à quô dicitur* Weſtmerland. *nam illam partem patriæ multum de cætero dilexerat. De hominibus Rodorici remanſerunt ingenti; qui fidelitatem & homagium regi Weſtmer faciebat. Dedit enim eis quandam vaſtam terram ad inhabitandum per ſe; ne cum aliis commiſcerentur. Fuit autem unus magnas inter eos, qui vocabatur Beringarius: (Berynge-rum* Caxtonus vocat:) *erat enim princeps eorum. Hic fecit villam inter eos, quam poſt nomen ſuum nominavit; & vocavit illam* Berwyk: *quæ uſque hodie ita nominatur. Acta ſunt hæc anno Domini* CXLII.

Incidit ille annus in Antonij Pij imperium: quum idem tamen author alibi, Florilegi rationibus congruenter, ad Veſpaſiani tempora iſta referat. ſic enim in 4.° ejuſdem operis libro legimus. *Contigit tempore Veſpaſiani gentem Pictorum de Scythiâ navigâſſe: & flatu ventorum oras boreales Hiberniæ ingreſſi ſunt; ubi in multitudine copioſâ Scottos invenerunt. Nam cùm terra illa ambas gentes ſuſtinere non potuit: miſerunt Scotti Pictos ad ſeptentrionalem*

trionalem partem Britanniæ, opem contra adversarios promittentes. Tempore Vespasiani Cæsaris, apud Britones regnante Mario filio Arviragi, Rodericus rex Pictorum cœpit Albaniam devastare. Quem Marius occidens, dedit devicto populo qui cum Roderico venerat borealem partem Albaniæ ad inhabitandum. quibus consimilia etiam in alio Britanniæ Chronico anonymo, ad annum Dom. 1347. producto, invenimus. *Tempore Vespasiani, gens Pictorum de Scythiâ per Oceanum Britanniam ingressa, regnante apud Britannos Mario filio Arviragi; cujus rex Rodricus Albaniam devastavit: quem Marius rex Britonum prelio interfecit juxtâ Lugubaliam, quæ est nunc Karliol; & populo devicto qui cum Roderico venerat borealem partem Albaniæ quæ Katheneſia dicitur ad habitandum dedit. Illi verò uxoribus carentes, cùm de natione Britonum habere non possent, transfretantes Hiberniam sibi Hibernienſium filias copulârunt; eo tamen pacto, ut sanguis maternus in successionibus præferatur.*

Atqui sub Domitiano Vespasiani filio, Arviragum Marij hujus patrem in Britanniâ regnaviſſe, ex *Iuvenale* constat: qui in IV. [d] Satyrâ Domitiano, Flaviæ gentis ultimo, [l] *quem calvum dixit ſua Roma Neronem*, ita descripto;

[l] Auſon. in Cæſarib.

Cùm jam ſemianimem lacerarat Flavius orbem
Ultimus, & calvo ſerviret Roma Neroni:

Veientonem sic illum alloquentem inducit.

Omen habes, inquit, magni clariq; triumphi:
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Arviragus.

ubi vetus Scholiaſtes à P. Pithœo editus, Britannorum regem hunc *Arbilam* dictum notat. *Arivogum* potiùs appellatum nummus indicat, quem in thesauro Cottoniano vidimus, nomine ARIVOG signatum. Iuxta hanc verò rationem, Pictorum è Scythiâ discessus in illa in-

la incurrisset tempora, quibus Trajanus, * *Dacis & Scythis subactis, de eis triumphavit*; (quem triumphum ad *Candidi* & *Quadrati* Consulatum, hoc est ad æræ nostræ Christianæ annum CV. refert Cassiodorus:) & Scythæ exules non in australi Caledoniæ sive Albaniæ parte, (quæ ante annos non multos Iulio Agricolæ, in has regiones Romanum exercitum ducenti, Galgaco duce, triginta armatorum milia opposuit) sed ultra Grampium in Cathanesiâ, extremâ insulâ parte (freto Pictlandico ab Orcadibus sejunctâ) incolis tùm vacuâ consedissent. *Dacos verò & Sarmatas corpora sua inscribere* solitos fuisse auctor est m Plinius: quod *Pictis* nostris in usu fuisse, ex Claudiano & Isidoro non opus est ut admoneam.

Secundam Pictorum coloniam in australi Albaniæ parte constitutam tradit Historia Britannica. n Fulgentium enim quend... ...de *transfretantem in Scythiam*, adversus Severum im... ...torem *Pictos* auxiliares conduxisse narrat: iisq; posteà Carausium *dedisse locum mansionis in Albaniâ; ubi cum Britonibus mixti per subsequens ævum permanserunt*. Diocletiano verò & Maximiano imperantibus, purpuram in Britanniâ assumpsit Carausius: de quo o Eutropius. *Carausius (qui vilissimè natus, in strenuo militiæ ordine famam egregiam fuerat consecutus) cùm apud Bononiam per tractum Belgicæ & Armoricæ pacandum mare accepisset quod Franci & Saxones infestabant, multis barbaris sæpè captis, nec prædâ integrâ aut provincialibus redditâ aut Imperatoribus missâ, cùm suspicio esse cœpisset consultò ab eo admitti barbaros ut transeuntes cum prædâ exciperet atq; hâc se occasione ditaret; à Maximiano jussus occidi, purpuram sumpsit, & Britannias occupavit*. & p Paulus Orosius. *Carausius quidam genere quidem infimus sed consilio & manu promptus, cùm ad observanda Oceani littora (quæ tunc Franci & Saxones infestabant) positus plus in perniciem quàm in provectum Reipublicæ ageret, ereptam prædonibus prædam nullâ ex parte restituendo Domi-*

* Δάκας καὶ Σκύθας ὑποτάξας, κατὰ τούτων ἐθριάμβευσεν. Euseb. in Chronic.

m Plin. lib. 22. cap. 1.

n Galfrid. Monemuth. hist. lib. 5. cap. 2. & 3.

o Eutrop. histor. Rom. lib. 9.

p Oros. lib 7. cap. 25. & cum secutus Beda, lib. 1. cap. 6.

nis sed sibi soli vendicando, accendens suspicionem quia ipsos quoq; hostes ad incursandos fines artifici negligentiâ permitteret: quamobrem à Maximiano jussus occidi, purpuram sumpsit, ac Britannias occupavit. & Sextus Aurelius Victor, ab Andr. Schotto editus. Maximianus Herculius in *Galliam profectus, fusis hostibus aut acceptis, quieta omnia brevi patraverat. Quo bello Carausius, M[illegible] civis, factis promptioribus enituit: eoq; eum, simul quia gubernandi (quo officio adolescentiam mercede exercuerat) gnarus habebatur; parandæ classi ac propulsandis Germanis maria infestantibus* Imperatores *præfecêre. Hoc elatior, cùm parùm multos opprimeret, neq; prædæ omnia in ærarium referret: Herculij metu, à quo se cædi jussum compererat, Britanniam ha[illegible] imperio capessivit.*

* τῆς ἀνθρωπικῆς, sive rei nauticæ

[illegible] cùm *Menapia civem* eum appellat Victor, & *Menapia* urbs non in Belgicâ sed in Hiberniâ à Ptolomæo ponatur: (licèt *Menapiorum* populus utrobiq; ab eodem statuatur:) videndum cum ¶ Camdeno nostro, an non Hibernus potiùs habendus fuerit Carausius quàm Belga. Quamcunq; verò ille patriam habuerit, *virum rei militaris peritissimum* fuisse testatur Eutropius; ita ut cùm contra eum ab Imperatoribus *bella frustrà tentata essent, ad postremum pax convenerit: soli Carausio*, ut addit Victor, *remisso Insulæ imperio; postquàm* jussis ac munimento incolarum contra gentes bellicosas opportunior habitus* fuisset. Anno verò Diocletiani *tertio* (qui nostræ epochæ CCLXXXVII. est) *Carausium sumptâ purpurâ Britannias occupavisse*, in Chronico Eusebiano legimus. Ad quem locum (in Basileensis editionis margine) Iohannes Sichardus notulam hanc apposuit: *Hîc puto Scotiam ab Angliâ primùm divisam.* Quæ opinio nullâ sanè vel ratione vel auctoritate nititur: nisi eò fortasse referendum quis putaverit, quod de muro Caledoniam à reliquâ Britanniâ dirimente apud Ninij interpolatorem habetur annotatum: *A Pen-guaul (quæ villa Scoticè C[illegible]vail, Anglicè verò Peneltun dicitur) usq; ad ostium flum-*

¶ Camden. in Hiberniâ, pag. 748. Vide Iani Dousæ Bataviam, pag. 33.

* Vide Io. Livineij notas ad Panegyric. 9. pag. 354.

nis Cluth & Cair Pentaloch, quo murus ille finitur, rustico opere Severus construxit: sed nihil profuit. Carausius posteà Imperator reædificavit, & septem castellis munivit, inter utraq; ostia: domumq; rotundam politis lapidibus super ripam fluminis Carun, quod à suo nomine nomen accepit, fornicem triumphalem in victoriæ memoriam erigens, construxit. Murum istum **Grahams dyke**, domum **Arthurs Oven** & **Julius hoff** appellant hodie.

Estq; hîc prætereà illud observandum, ut paulo an... *coticarum gentium* à ¶ Porphyrio philosopho, ita nunc *Pictorum* nominis ab Eumenio rhetore, primam mentionem factam inveniri. Hic enim in Panegyrico ad Constantium Cæsarem, Britannicarum rerum statum sub Carausio & Iulio Cæsare inter se componens, de Iulianis temporibus ita sententiam suam effert. *Adhoc natio etiam tunc rudis, & soli Britanni, Pictis modò & Hibernis assueta hostibus, adhuc seminudis, facilè Romanis armis signisq; cesserunt: propè ut hoc uno Cæsar gloriari in illâ expeditione debuerit, quòd navigâsset Oceanum.* De ipsius verò Constantij adversùs Caledonios expeditione paulo ante obitum susceptâ, in alio ad Constantinum magnum illius filium Panegyrico verba faciens, hâc oratione utitur. *Neq; enim ille tot tantisq; rebus gestis, non dico Caledonum aliorumq; Pictorum sylvas & paludes, sed nec Hiberniam proximam, nec Thulen ultimam, nec ipsas (si quæ sunt) Fortunatorum insulas dignabatur acquirere: sed (quod eloqui nemini voluit) iturus ad Deos genitorem illum Deorum, ignea cœli astra refoventem, prospexit Oceannum.* ubi & *Caledones* inter Pictos numerat, & præter eos alios etiam fuisse Pictos innuit; *Vecturiones* utique. Eos enim *in duas* gentes divisos fuisse, Ammianus Marcellinus est auctor: *Dicalidonas & Vecturiones.* cujus prioris nominis in *Dunkelden* urbe Episcopali adhuc retinetur vestigium: quæ in limine Caledoniæ sylvæ posita, appellationem situi non malè respondentem est adepta. *Calden enim Scotis ea arbor est, quæ Latinis Corylus*

¶ Suprà, cap. 1. pag. 1. Vide Holstenij dissertationem de scriptis Porphyrij, pag. 15. 16.

rylus; ut [r] Buchananus hîc observat: licèt Caledoniorum nomen à **Caled**, quod Cambrobritannis *Durum* denotat, [f] Camdenus malit deducere.

[r] Buchanan. rer. Scoticar. lib. 2.
[f] Camden. in *Scotiâ*, pag. 701.

Extant libri tres ab authore quodam incerto de B. Patricij Vitâ conscripti: in quorum primo legunt. ista. *Scoti de Hiberniâ sub rege suo Neill Naigiallac. multùm diversas provincias Britanniæ contra Romanum imperium, regnante Constantio filij Constantini, devastabant: contendere incipientes Aquilonalem plagam Britanniæ. Et post tempus, bellis & classibus Hibernienses expulerunt habitatores terra illius; & habitaverunt ipsi ibi.* deinde, aliquibus interjectis. *Ductus est itaq; sanctus Patricius ad Hiberniam captivus, primo anno regni Iuliani imperatoris apostatæ, qui regnavit post Constantium; anno autem nono regni Neill Naigiallach regis Hiberniæ, qui* XXVII. *annis potenter regnavit; quiq; Britanniam & Angliam multùm devastavit, ibiq; in bello cecidit.* Ex quibus colligimus, juxta hujus scriptoris sententiam postremis Constantij temporibus, annis nempe ante Iuliani imperium octo, regnare cœpisse Nellum illum magnum: quo *Hiberniæ monarchiam obtinente, sex filios Muredi regis Ultoniæ in classe non modicâ boreales Britanniæ partes occupâsse, gentemq; ab ijs propagatam & specificato vocabulo Scotiam vocatam* fuisse [t] Giraldus Cambrensis etiam narrat. Unde videndum, an non sex istorum fratrum princeps *Reuda* ille fuerit, cujus [u] Beda his verbis meminit. *Britannia post Britones & Pictos tertiam Scotorum nationem in Pictorum parte recepit: qui duce Reudâ de Hiberniâ progressi, vel amicitiâ vel ferro sibimet inter eos sedes, quas hactenùs habent, vindicârunt. A quo videlicèt duce usque hodie Dalreudini vocantur: nam linguâ eorum Dal partem significat.*

[t] Giraldi Topograph. Hibern. distinct. 3. cap. 16.
[u] Bed. histor. eccles. lib. 1. cap. 1.

Penultimo verò Constantij illius de quo diximus anno, ipso videlicèt *Constantio* X. & *Iuliano* III *Consulib.* hoc est, anno æræ Christianæ CCCLX. de cet auctor locupletissimus [x] Ammianus Marcellinus,

[x] Ammian. Marcellin. rerum lib. 20.

in Britannijs, Scotorum Pictorumq́; gentium ferarum excursu, ruptâ quiete, condicta loca limitibus vicina vastata fuisse; & in ipso principio imperij Valentiniani senioris (quod in annum CCCLXIIII. incidit) [1] *Pictos, Saxones, Scotos & Attacotos, Britannos erumnis vexavisse continuis*: de ijsdem posteà addens. [2] *Eo tempore Picti (in duas gentes divisi, Dicalidonas & Vecturiones) itemq́; Attacoti bellicosa hominum natio, & Scoti, per diversa vagantes multa populabantur.* Quare, quum *Britannias barbaricâ conspiratione ad ultimam vexatas inopiam* Valentinianus intellexisset, ad hæc prohibenda missum ab eo in Insulam Theodosium Hispanum Comitem refert, in Africâ priùs *officijs Martijs* (ut ille loquitur) *felicissimè cognitum*: quem ut *Africanum quondam & Britannicum ducem* [3] Symmachus idcircò celebrat. de quo & Latinus Pacatus Drepanius, in Panegyrico ad Theodosium Augustum, ejusdem Comitis filium. *Redactum ad paludes suas Scotum loquar? Compulsus in solitudines avias omnis Alamanus, & uterq́; Maurus occurrent.* & Claudianus in Panegyrico, tùm de III.° tùm de IIII.° Honorij Consulatu: in posteriore sic de illo canens.

[1] Id. lib. 26.

[2] Id. lib. 27.

[3] Symmach. lib. 10 epist. 22. ad Theodos. Aug.

Ille Caledonijs posuit qui castra pruinis,
Qui medio Libya sub cassida pertulit æstus;
Terribilis Mauro, debellatorq́; Britanni
Littoris, ac pariter Boreæ vastator & Austri.

in priore, ita:

Ille leves Mauros, nec falso nomine Pictos
Edomuit; Scotumq́; vago mucrone secutus,
Fregit Hyperboreas remis audacibus undas.
Et geminis fulgens utroque sub axe trophæis,
Tethyos alternas refluas calcavit arenas.

Ad *Attacotos* verò quod attinet: eos cum *Scotis*, in epistolâ LXXXIII. ad Oceanum, conjungit etiam Hieronymus. Ubi enim in vetere editione Basileensi anni

1497.

1497. legebatur; *Scottorum & Atticorum ritu, ac de republicâ Platonis, promiscuas uxores, communes liberos habeant*: pro *Atticorum*, quædam exemplaria *Aticotorum* habuisse, Marianus Victorius monuit; quæ omninò pro genuinâ lectione est habenda. Neq; aliud sentiendum de consimili ejusdem Hieronymi loco, in libro adversus Iovinianum secundo. *Quid loquar de cæteris nationibus; cùm ipse adolescentulus in Galliâ viderim Scotos* (ita enim habent libri editi) *gentem Britannicam, humanis vesci carnibus?* u[illegible] Thomas Dempsterus, pro *Scotis* substituit *Gothos*: quidem *non meram conjecturam, sed auctoritatem librorum Manuscriptorum* hîc obtendens: eâ videlicèt fide, quâ duas proximas voces, *gentem Britannicam*, (quas correctioni suæ obstare putabat) *abesse ab omnibus antiquis codicibus*, idq; *Erasmo Roterodamo* authore, finxit; *aut fortè ab Henrico Stephano primùm additas in odium Henrici Schrimgeri Scoti* (*cum quo simultates ille letales exercebat*) est suspicatus. Atqui ne ab uno quidem antiquo codice abfuisse voces istas ostendere potuit Dempsterus, nedum *ab omnibus*; nec tale quicquam unquàm Erasmus scripsit: neq; ulla omninò habetur Hieronymiana rum lucubrationum editio ab Henrico Stephano adornata; & antequàm Stephanus natus est, Operum Hieronymi editiones omnes (atq; ea nominatim quæ Basileæ anno 1497. prodijt) *gentem Britannicam* nobis hîc exhibuerunt. Pro *Scotis* tamen aliâs *Attiscotos* fuisse lectum, Henricus Gravius; in alijs verò MSS. *Cattitos*, *Cattacottos* & *Attigottos*, annotavit [c] Guil. Camdenus: uterq; verò non alios quàm Ammiani Marcellini *Attacotos* hîc accipiendos esse conjicit. Ex hoc eodem Hieronymi adversus Iovinianum libro, in Chrysostomi sermonem de Pentecoste complura à vetere Latino Interprete fulta esse, non potest negari. Quum igitur ibi legat [illegible] *Ante hoc autem quoties in Britanniâ humanis vescebantur carnibus; nunc jejunijs reficiunt animam suam.*] ut *Attiquoti* vox

[b] Dempster. Apparat. ad Histor. Scotic. lib. 1. cap. 4.

[c] Camden. Britann. pag. 91.

minùs intellecta, correctorum temeritate in [*autem quoties*] etiam hîc degeneraverit, conjectura est quæ probabilitatis specie non careat.

Tertium Pictorum adventum sub Gratiano & Valentiniano juniore statuunt: de quibus Eulogij author, libro IV. *Gratianus & Valentinianus fratres & imperio consortes gentem Gothicam Pictorum, in rebus bellicis fortem & strenuam, beneficijs & blanditijs allectam à Scythiæ finibus ad Britanniam direxerunt. At Britones inermes & omni militiâ nudati, à Pictis subpeditantur, sic quòd Picti accolæ facti sunt in parte Britanniæ aquilonari.* Et Giraldus Cambrensis, in libro primo de Institutione Principis. *Cùm Maximus de Britanniâ in Galliam, cum robore virorum & virium nec non & armorum insulæ toto, ad occupandum Imperium transvectus fuerat; Gratianus & Valentinianus fratres & con[illegible]es Imperij gentem Gothicam, rebus in bellicis fortem ac st[illegible]iam, sibi quoq; vel confœderatam vel subjectam & impe[illegible]ibus beneficijs obstrictam, à Scythiæ finibus in aquilonares Britanniæ partes ad Britones insistandum, & tyrannum cum juventute revocandum, navigio transmiserunt. Illi verò tùm quoniam pro innatâ Gothorum bellicositate prævalidi fuerunt, tùm quoniam insulam viris ac viribus vacuam invenêrunt; Boreales ejusdem partes ac provincias non modicas, ex prædonibus accolæ facti, sibi usurpatas occupaverunt.*

Porrò, ut B. Ambrosius, in relatione ad Valentinianum de legatione suâ ad Maximum, Hunnorum copias à Gratiano contra Maximum tyrannum accersitas fuisse ger[illegible]atim narrat: ita nominatim * *Guanium Hunnorum & Melgam Pictorum regem ascivisse sibi Gratianum* [illegible]alfridus Monemuthensis refert; eosq; *misisse in Germaniam, ut eos qui Maximiano faverent* (sic enim ille *Maximum* appellat) *inquietarent.* Deinde de eorum in Albaniam adventu ista subjicit. *Nefandi Pictorum & Hunnorum duces Guanius & Melga, qui partibus Gratiani & Valentiniani favebant, cùm didicissent insulam Britan-*

* Vid. supr. cap. 8. pag. 200. 201.

[illegible] Histor. Britann. lib. 5. cap. ult.

vie

nia ab omni armato milite vacuatam, iter festinatum versùs illam direxerunt: associatisq; sibi collateralibus insulis, in Albaniam applicuerunt. Agmine igitur facto, invaserunt regnum quod rectore & defensore carebat, vulgus irrationabile cadentes. Abduxerat enim secum Maximianus omnes bellicosos juvenes qui reperiri potuerant: inermesq; colonos atq; inconsultos reliquerat. Quos cùm prædicti Guanius & Melga compererunt minimè resistere posse; stragem non minimam facientes, urbes & provincias, ut ovium caulas, vastare non cessabant. Cùm igitur tanta calamitas Maximiano nunciata fuisset, misit Gratianum Municipem cum duabus legionibus, ut auxilium subvectaret: qui ut in insulam venerunt, præliati sunt prædictis hostibus, & acerrimâ nece affectos ipsos in Hiberniam fugaverunt. Interèà Maximianus Romæ interfectus est ab amicis Gratiani; & Britones, quos secum duxerat, interfecti sunt & dissipati. Qui evadere potuerunt, venerunt ad concives suos ad Armoricam, quæ jam altera Britannia vocabatur. [c] *At Gratianus Municeps, cùm de nece Maximiani audivisset; cepit regni diadema, & sese in regem promovit. Exin tantam tyrannidem in populo exercuit; ut catervis factis irruerent in illum plebani & interficerent. Quod cùm per cætera regna divulgatum fuisset, reversi sunt prædicti hostes ex Hiberniâ: & secum [illegible]s, Norwegenses & Dacos conducentes, regnum à mari usq; ad mare ferro & flammâ affecerunt.* Hæc Galfridus: de *Albaniâ*, in quam jam tertiò Pictos deduxit, paulo pòst adjiciens. *Erat autem Albania penitùs frequentatione Barbarorum vastata: & quicumq; hostes supervenièbant, opportunum intra ipsam habebant receptaculum.*

[c] Ibid. lib. 6. cap. 1.

Quo pacto Gratianus municeps succesisse dici possit Maximo, (quum ille [f] Gratianus *Honorio* VII. & *Theodosio* II. *Consulib.* anno Christi CCCCVII. id est, annis post necem Maximi XIX. apud Britannos & tyrannus creatus & post menses quatuor occisus fuerit) nunc non exquiro: à Britannicis ad Scoticos historicos devenio;

[f] Zosim. histor. lib. 5. & 6. Bed. histor. eccles. astic. lib. 1 cap. 11. ex P. Oros. lib. 7. cap. 40.

deverio; qui à Maximo hoc, dum Britanniæ legatus esset, fœdere cum Pictis conjuncto, suos ingenti prælio superatos & ex totâ Insulâ pulsos fuisse scriptitant. *Cecidit*, inqu[illegible]ohannes Fordonus, *his diebus in bello Rex Scotorum* [illegible]*nius, cum filio; multiq; cum eis principes & reguli: vulgus etiam innumerabile. Sed & reliqui qui bello supererant, relictis prædijs, subesse cum populo vel hostibus servire nolentes, elegerunt in terram potiùs alienam velut advenæ, degentes liberi, quàm propriâ subditi vivere continuâ servitute. Ethac quoq; Regis frater cum suo filio, cui nomen Erth, aliisq; pluribus Hiberniam petijt: alij verò Norwegiam. Insulas itaq; quidam petentes, per omne tempus latebant excidij: præter quas, omne regnum, circa Dominicæ tempus Incarnationis annum videlicet* CCCLX. *amiserunt.*

[i] Fordon. Scotichronic. lib. 2. cap. 45.

Iuxta [h] Iohannis Majoris rationes in annum CCCLIII. juxta [i] Buchanani in CCCLXXVII. circitèr, exilium illud Scotorum conjiciendum esset. [k] Hector Boëthius (& ejus abbreviator [l] Iohannes Leslæus, vel Robertus Turnerus potiùs) ad secundum Iuliani apostatæ imperij annum casum istum refert: qui anno Christi partim CCCLXII. partim CCCLXIII. respondet; licèt ille ~~CCCLXXIX. hic nominet.~~ Eo anno, tùm reliquos Scotos Romanis armis regno ejectos fuisse ait, tùm *Ethodium* (ita enim eum appellat, quem Fordonus & Major Ethach nominat) à Maximo Legato Albione prohibitum, in *Norvagiam Daniámve* (non, ut Fordonus scripsit, in *Hiberniam*) concessisse. Hibernos deinde ad pristinas sedes Scotos, cognatum populum, vi reducere conantes, à Romanis & Pictis atrociter oppressos esse addit: coactumq; Hiberniæ Regem per legatos pacem à Maximo Romanorũ duce petere, quam & illi impetraverint, priùs tamen ab eo duriter objurgati, quòd *cum hostibus, contra Romanos Romanorumq; socios & confœderatos, auxiliares copias miserint in Albionem. præsertim, quum ad eum usq; diem Hibernia sola inter orbis regna Romanis armis manserit intacta.*

[h] Major, de gest. Scotor. lib. 2. cap. 1.
[i] Buchanan. rer. Scoticar. lib. 5. *in regn.* XL
[k] Boëth. Scotor. histor. lib. 6.

Maximum

Maximum hunc, *in Britanniâ à militibus Imperatorem con[illegible]um, incursantes Pictos & Scotos strenuè superavisse,* * Tiro Prosper (sive Gennadius Massilienſis ille fuerit) affirmat in Chronico. Abductis tamen posteà in Gallias Romanis legionibus, ab ijsdem ferocibus gentibus Britanniam miserè vastatam fuisse, conqueritur Gildas Britannus: post commemoratam cædem tyranni, statim adjiciens. *Exin Britannia omni armato milite, militaribus copijs, rectoribus, (licèt immanibus,) ingenti juventute spoliata, (quæ comitata vestigijs supradicti tyranni domu[illegible] nusquam ultrà redijt,) & omnis belli usus penitùs ign[illegible]; duabus primùm gentibus transmarinis vehementer j[illegible]is, Scottorum à Circio, Pictorum ab Aquilone calcabilis, [illegible]ultos stupet gemitq; annos.* Ubi illud [PRIMUM] non de *primâ* infestatione simpliciter posse accipi, quæ ex Ammiano Marcellino & alijs jam producta sunt satis evincunt: sed de *calcatione*, hoc est, *infestatione* simul *ac dirissimâ depressione*; ut in verbis proximè sequentibus sese Gildas explicat. De TRANSMARINIS autem, quare ita dictæ sint gentes illæ, [1] Beda sententiam suam ita aperit. *Transmarinas dicimus has gentes, non quòd extra Britanniam esse[illegible] posse[illegible], sed quia à parte Britonum erant remotæ, duobus simibus maris interjacentibus; quorum unus ab Orientali mari, alter ab Occidentali, Britanniæ terras longè lateq; irrumpit, quamvis ad se invicem pertingere non possint. Orientalis habet in medio sui urbem Guidi. Occidentalis supra se, hoc est, ad dexteram sui habet urbem Alcluith, quod linguâ eorum significat Petram Cluithe: est enim juxta fluvium nominis illius.* quanquam author glossæ, Cantabrigiensis Bibliothecæ MS. Gildæ adjectæ, non ad Scotos quos Reudæ ductu in Albaniam jam antè venisse sensit Beda; sed ad alios qui rapiendi atq; prædandi spe ex Hiberniâ in Britanniam quotannis transmittebant, illud referendum annotaverit. *Quia Scotti, inquit, tunc temporis in Hiberniâ habitabant; & Picti in Scotiâ, id est, ab Aquilone.*

* & eum secutus Sigebertus, ad annum Christi 384.

[1] Bed. histor. lib. 1. cap. 12.

ilone. Cui apprimè favet Fabius Ethelwerdus, eam historiæ partem pleniùs hunc in modum explicans. *Habitante plebe Britannicâ incuriosè causâ firmitatis intra fossam quæ à Severo Cæsare condita erat, insurrexerunt gentes duæ, Picti scilicèt ab Aquilonali plagâ & Scoti ab* OCCIDENTALI, *contra eos cum exercitu, vastantes eorum possessiones: & sic per multa annorum spatia innumerabili eos miseriâ afflixerunt.*

Anno CCCLXXXVIII. Maximus occisus est, *Theodosio Aug.* II. *& Cynegio Consulibus.* Post quinquennium, idem *Theodosius* III. & *Abundantius* nomen suum Fastis præscripserunt: ad quorum Consulatum, *Scotos à Circio & Pictos ab Aquilone vastavisse insulam Britanniam,* in Florentij Wigornienſis Chronico pariter invenimus. [m] Iohannes Major, *anno ab orbe redempto* CCCXCVI. *tempore Honorij & Arcadij Imperatorum, in Britanniam Scotos dispersos rediisse*, & quidem prius quàm Ferguſius Scotiæ regnum capesseret, historiæ mandavit. Classis quoq; Hibernicæ ad Britanniam hoc tempore appulsæ Claudianus meminit: ipsam ita loquentem inducens Britanniam.

[m] Io. Major, de gest. Scotor. lib. 3. cap. 1.

[n] Claudian. lib. 2. de laudib. Stilichonis.

[n] *Me quoq; vicinis pereuntem gentibus, inquit, Munivit Stilicho; totam quum Scotus Iernen Movit, & infesto spumavit remige Tethys.*

Illiusq; operâ, ab hostium incursione atq; impetu tutam tùm redditam fuisse Britanniam, verbis proximè sequentibus (quæ in [o] XI.° capite recitavimus) clarum facit: quibus & illa adjungenda ex libro II. in Eutropium eunuchum, anno CCCXCIX. Consulatum gerentem, ab eodem edito.

[o] Supr. pag. 335.

—— domito quòd Saxone Tethys
Mitior, aut fracto securæ Britannia Picto.

Munivit

Munivit verò Britanniam Stilicho, Romanâ legione in limite ad propulsandos Scotos & Pictos constitutâ: cujus idem poëta in epithalamio Palladij & Celerinæ meminit; de Celerinæ patre loquens, qui fuisse Notarius videtur omnium dignitatum & administrationum tam militarium quàm civilium.

Sparsas imperij vires constringit in unum
Depositum: quæ Sarmaticis custodia ripis
Quæ sævis objecta Getis, quæ Saxona frænat
Vel Scotum legio; quantæ cinxêre cohortes
Oceanum, quanto pacatur milite Rhenus.

& in libro de bello Getico:

Venit & extremis legio prætenta Britannis;
Quæ Scotо dat frena truci, ferroq́, notatas
*Perlegit * exanimes Picto moriente figuras.* * exangues

Ex quibus postremis versibus frustrà P Dempsterus confirmare nititur, quod in patrijs annalibus traditum invenit; Fergusium Scotum *interfuisse cum suis Romæ direptioni, Alarico Gothorum Regi auxiliatum.* Neq; enim de auxiliarijs Alarici militibus, sed de legione Romanâ, è Britanniâ ad illum oppugnandum evocatâ, neq; de Romæ direptione quicquam hîc scripsit Claudianus, sed de prælio quod in agro Pollentino anno CCCCIII. cum Alarico gestum est; in quo & Stilicho, Romanæ militiæ Magister (quem ante Romam ab Alarico captam in vivis esse desijsse constat) hujusmodi oratione Romanis cohortibus addens animos à Poëtâ introducitur.

P Dempster. histor. Ecclesiast. Scotor. lib. 6. num. 532.

Credite nunc omnes quæ dira Britannia gentes,
Quas Ister, quas Rhenus alit, pendere paratas
In spiculis: uno tot prælia vincite bello.
Romanum reparate decus, molemq́, labantis
Imperij fulcite humeris: hic omnia campus
Vindicat, hæc mundo pacem victoria sancit.

Neq; minorem vanitatem sapit, quod de Fergusio ab eodem est additum: *ex tanta civitatis spolijs ac prædâ, ipsum nihil domum retulisse præter arcas quasdam libris* MSS. *plenas* (quasi ars eo tempore in usu esset typographica, aut ulli tùm libri uspiàm extarent alij quàm *manuscripti:*) *quos etiam suo avo Hect. Boëthius viderit.* Cùm enim Hector ille Boëthius (à quo istam mutuatus est fabulam) unius tantùm arcæ libris refertæ meminerit, eamq; à Fergusio abductam non ex suâ sententiâ sed ex dubijs aliorum rumoribus retulerit; & quos ipse conspexit libros, utrùm in Albione scripti an aliunde eò delati essent, incertum fuisse tradiderit: suâ tamen auctoritate Dempsterus & arcas multiplicat, & eas à Fergusio domum relatas asseveranter affirmat, & quos Hector viderat libros eosdem cum Fergusianis istis fuisse audacter pronunciat.

Locum Boëthij, quia de libris Ionæ insulæ quædam continet lectu non indigna, integrum hic placuit describere. ¶ *Ferunt præter sacra quædam vasa, multamq; & pretiosam supellectilem, arcam quandam libris refertam, Fergusio militari pro instituto sorti obvenisse: eamq; (quo numine motum incertum est) incredibili diligentiâ eandem servâsse, & in Hebrides secum post multos cum Gothis in Italiâ labores per Germaniam deportâsse intactam; locasseque tandem in Ionæ insulâ, ædibus ad tam celebria (ut rebatur) monumenta simul cum suæ gentis egregiè gestis, delectis ad id opus probatis scriptoribus, in codices redactis) perpetuò servanda diligenti operâ constructis. Asseverant quidam, ut ipsi frequentiùs audivimus, Æneam Sylvium (virum literis deditissimum, qui posteà summus Pontifex creatus Pij secundi nomen tulit) dum in Scotiâ ad Iacobum primum regem, Eugenij quarti Romani Pontificis jussu, legatione fungeretur, horum famâ motum in Hebrides ad Ionam trajicere destinâsse; explorandi animo, siquid illic Titi Livij Patavini Decadum, quas bella efferatorúmque immanitas (plus enim bella possunt in rebus memoriâ dignissimis exterminandis quàm vetustas)*

¶ Hect. Boëth. Scotor. histor. lib. 7.

vetustas) in Italiâ absumpserant, invenire possit: subitariâ autem regis morte, rebus in Scotiâ undiq; turbatis, quum tam difficile ac laboriosum iter impacatam per regionem multis sine ducibus peragere nequiviſſet, proposito desistisse.

Cæterùm qui sint libri in Ionâ insulâ famâ adeò celebrati, ac quibus de rebus conscripti, explorandi provinciam sumentes apud piorum loci illius cœtum, nuncio tertiùm compellatum, operâ maximè nobilis ac eruditi viri Ioannis Campibelli, à regijs thesauris, tandem obtinuimus, ut antiqui codices, qui quinque illic Romanis characteribus essent exarati, ad nos fideli nuncio Aberdoniam deferrentur. Ergo anno Christiano quinto supra milleſimum quingenteſimum ac viceſimum, vetustiſſima quædam codicum ac pancula fragmenta, quorum vix aliquod palmæ superabat magnitudinem, durâ & inflexibili penè membranâ, mirâ arte ac diligentiâ (ut ex characterum elegantiâ facilè dignoscitur) conscripta, vetustate vel custodum potiùs incuriâ adeo eroſa, ut vix decimum quodq; verbum legere possis, recepi. Verùm, sive ij libri quorum ea, cæteris partibus consumptis, sunt fragmenta, illic aut in Albione sint scripti, sive peregrinis ex locis illuc delati (neutrum enim perſpicuè cognitum habemus) Romano more, Romanis de rebus conscripti, uno omnium qui ea viderunt judicio, Salluſtianam potiùs quàm Livianam redolere eloquentiam censentur. Allata & ad me est eodem nuncio, Veremundi Archidiaconi olim sancti Andreæ de nostris rebus, etsi rudi quâdam vetustate, conscripta historia, à Scotorum gentis origine usq; ad Malcolmum Canmor regem, abundè omnia complectens.

Hiſce Boëthij adjiciamus & Pauli Iovij illa, in Scoticarum insularum descriptione de antiquitatibus *Ionæ* (quæ non *Chilca*, ut apud illum legitur, sed *I-Columchill* sive Insula S. Columbæ hodie vocatur) ita differentis. *Asservantur in arcanis templi armarijs vetustiſſimorum annalium codices, atq; item latæ membranæ, ipsorum Regum subscriptæ manibus, aureisq; vel cereis sigillorum imaginibus obsignatæ; quibus antiqua leges edictaq;, & finium ac civita-*

tum jura publica continentur. Fama quoq́, est, priſca ingeniorum monumenta, Romanaſq́ hiſtorias, quæ quiſq́ vel idiota deſideret, in illis ſcrinijs recondi: Quas Ferguſius Scotorum regulus, non incurioſus (ut videri poteſt) amator hiſtoriæ, Alarico Gothorum regi comes, direptâ urbe Româ, ſecum abſtulerit; in Ionamq́ demùm tumultu Danico, diligentiùs & tutiùs aſſervandas, religioſè tranſtulerit. ita, ut non omninò vanum & irritum videri poſſit, reliquas Titi Livij decades expectare: quarum è tenebris erutarum certa exempla ad Franciſcum Galliæ regem, Scotorum literis prolixè atq́ munificè promiſſa nuper audivimus. Sed inanem fuiſſe ſpem illam, rei exitus indicavit.

Initium Ferguſiani regni in *annum Domini* CCCCIII. *Imperatoris Arcadij & Honorij* VI. Iohannes Fordonus conjicit: de anno CCCCIII. Iohanne Majore, de anno etiam *Honorij & Arcadij Impp. ſexto* (qui tamen cum anno Chriſti *quadringenteſimo* potiùs congruit) libro Paſletenſi conſentiente. Quod tempus quum clade Urbis ſuperius eſſe Boëthius animadverteret, ne non poſſet conſiſtere quod jam priùs dixerat; Ferguſium [r] *primâ pubertate* in Alarici exercitu militaviſſe, & ad expugnationem Urbis præſentem adfuiſſe: regem creatum illum fuiſſe ſcripſit, [f] anno ſacratiſſimi Virginei partus CCCCXXII. & Honorij Imp. Romani duodevigeſimo. Verùm annus ille Honorij ad annum æræ Chriſtianæ CCCCXII. rectiùs fuiſſet referendus: cui ſi XVI. annos addamus (quot præfuiſſe Scotorum regno Ferguſium idem [t] poſteà ſubjicit) ad CCCCXXVIII. æræ noſtræ perveniemus, in quo cœpit annus Valentiniani Imp. *quartus*. Ad quem calculum proximè accedit, quod in eâdem hiſtoriâ ſtatim ſubjungitur; Eugenium patri Ferguſio eo anno ſucceſſiſſe, qui fuit Chriſtianæ ſalutis CCCCXXX. & Valentiniani Imperatoris *quartus*. At Dempſterus hoc ipſo anno CCCCXXX. quo Ferguſium occiſum fuiſſe tradiderunt Boëthius & Leſlæus, Scotos poſt XLIV. annorum exilium (quod anno ſalutis CCCLXXIX.

[r] Hect. Boëth. Scotor. hiſtor. lib. 7. fol. 114.

[f] Ibid. fol. 116. 117.

[t] Ibid. fol. 122.

CCCLXXIX. imperante Iuliano cœpisse vult) Fergusio ducente restitutos fuisse narrat; *sedentibus Romæ Innocentio* I. *Scoto*, *Sozimo*, (Zosimum volebat dicere) *Bonifacio* I. *Cœlestino* I. *Sixto* III. *Leone* I. ridicula quædam & inter se pugnantia hîc permiscens. Nam ut præteream, quo judicio, * Arnoldum Pontacum & eo recentiores alios secutus ille sit, qui Innocentium Pontificem, quòd patriâ *Albanus* fuisse diceretur, ex Italiâ in nostram *Albaniam* transtulerunt & *Scotum* fuisse conjecerunt; & quâ temporum peritiâ anno CCCLXXIX. Iulianum imperaviſſe sentiat: quàm ridiculum illud, ut sex simul Pontifices quasi uno anno Romæ sedentes inducantur? quòd exilium anno CCCLXXIX. cæptum, & annis XLIIII. continuatum, in anno CCCCXXX. terminatum fuisse credatur? quòd *Innocentius* denique, qui anno CCCCXVII. vivere desijt, & *Leo*, qui non ante CCCCXL. Pontificatum adijt (ut de intermedijs Episcopis taceam) Romæ sedisse existimentur, quum Fergusius Scotorum regnum administraret; quod tamen, ex Dempsteri sententiâ, & anno CCCCXXX. ille susceperit, & ultra *novem* annos non tenuerit?

* Pontac. & Genebrard. in Chronic. Lesl. de reb. gest. Scotor. in fine reg. 40.

Anno CCCCVII. [a] occiso in Britanniâ à militibus Gratiano municipe; [x] ejus *loco Constantinus ex infimâ militiâ, propter solam spem nominis, sine merito virtutis electus, continò ut invasit imperium, in Gallias transyt.* atq; ita [y] quicquid priùs à Maximo tyranno in insulâ relictum fuerat *militaris roboris exhausit.* Anno sequente, [z] Transrhenani barbari advertùs Constantinum in Galliâ rebellantes, eò Britanniæ incolas redegerunt, ut ab imperio Romano deficerent, & Romanorum legibus non ampliùs obedientes, arbitratu suo viverent. Itaq; Britanni sumptis armis, & quovis adito pro salute suâ discrimine, civitates suas à barbaris imminentibus liberârunt: ipso quoq; Imperatore Honorio, ut rebus suis consulerent, literis eos adhortante. Post Urbem verò ab Alarico captam, & occisum Constantinum tyrannum,

[a] Zosim. histor. lib. 6. Olympiodor. histor. in Photij Bibliothecâ, num. 80. Prosper, in Chronico. Sozomen. histor. Eccles. lib. 9. cap. 11 Procop. rer. Vandal. lib. 1. Vid. suprà, pag. 591. & 371.

[x] P. Oros. histor. lib. 7. cap. 40.

[y] Guil. Malmesbur. de gest. reg. Anglor. lib. 1. cap. 1.

[z] Zosim. lib. 6.

num *Honorium Britannico exercitu recepto confestim & Insulam ad imperium retraxisse* scribit [a] Sabellicus. [b] Romanos tamen Britanniam recuperare eo tempore non potuisse, auctor est Procopius: [c] Bedâ quoq; & Annalibus Anglosaxonicis, & Fabio Ethelwerdo idem attestantibus. quibus ex recentioribus & [d] Blondum addere liceat: qui, interfecto apud Arelatum Constantino tyranno, vacuam aliâs milite Britanniam Pictos & Scotos Albienses invasisse narrat, Britannosq; parentes im- [illegible]o magnis calamitatibus afflixisse: ut quum imploratus Aëtius auxilium non daret, necesse illis fuerit cum Scotis ac Pictis fœdera inire & à Republicâ deficere.

[a] Sabellic. Ennead. 8. lib. 1.

[b] Βρεττανίαν μέντοι Ῥωμαῖοι ἀνασώσασθαι οὐκέτι ἔσχον. Procop. rer. Vandalic. lib. 1. pag. 94.

[c] *Vid.* supr. init. cap. 9. pag. 216.

[d] Blond. Decad. 1. lib. 2.

Anno CCCCXVIII. *Romani omnes thesauros Britanniæ in terram absconderunt, & multos secum in Gallias portaverunt: quos autem absconderunt, posteà inveniri non potuerunt.* Ita habent Annales Saxonici: & Fabius Ethelwerdus in eandem sententiã. *In nono anno post eversionem Romæ à Gothis, relicti qui erant in Britanniâ Romanâ ex gente, multiplices non ferentes gentium minas, scrobibus occultant thesaurum, aliquam sibi futuram existimantes fortunam: quod illis pòst non accidit. Partem sumunt, in undâ gregantur, dant ventum carinis, exules Gallias tenent partes.* Proximo tamen ante obitum anno, *Britannis subjectionem Romano imperio repromittentibus subsidium misisse Honorium, & Hispanis, Wandalorum bello laborantibus; sed id frustrà fuisse,* in Chronico suo annotat Sigebertus Gemblacensis. Et quidem anno CCCCXXII. *Honorio XIII. & Theodosio X. Consulib.* (qui proximus fuit ante Honorij excessum annus) *exercitum ad Hispanias contra Wandalos missum* fuisse, in Prosperi & Cassiodori Chronicis legimus: ut ad eum quoq; annum (juxta eos quos Sigebertus secutus est authores) referendum sit, quod à [e] Blondo similiter proditum invenimus; Britannos, cùm barbariem Scotorum ac Pictorum perferre non possent, obtentâ ab Ætio unâ legione, iterùm ad Roma-

[e] Blond. ibid.

Romanos redijsse.

[f] Sabellicus rem gestam sic exponit. *Pictavi & Scoti primò insulanorum res latrocinio fœdare adorti, fœderis prætextu conati sunt sibi insulam vendicare. Gliscere indies id malum, ac ultrà quàm tutum esset Imperij rebus, augeatur duarum gentium audacia: apparebatq; brevi totam insulam alienatum iri, nisi ejusmodi conatibus maturè iretur obviam. Erat tùm Britannia sine præsidio. Id veritus Ætius, fatigatusq; eorum precibus qui adhuc in fide erant, legionem unam misit ex Galliâ in insulam. Sunt Pictavi & Scoti variis indecladibus ab Ætianis affecti: estq; insula status multo pacatior factus, quàm diu anteà fuisset. Quiescebat per hæc Britannia animis legionis præsidio.* & Paulus Diaconus. [g] *Hâc tempestate Britanni, Scotorumq; Pictorum infestationes non ferentes, Romam mittunt; ac sui subjectione promissâ, contra hostes auxilia flagitant. Quibus statim ab Honorio missa militum legio, magnam Barbarorum multitudinem stravit; eosq; Britanniæ finibus expulit.* &, antiquior scriptor, Gildas. *Britannia legatos Romam cum epistolis mittit; militarem manum ad se vindicandam lachrymosis postulationibus poscens, & subjectionem sui Romano imperio continuè totâ animi virtute (si hostis longiùs arceretur) vovens. Cui mox destinatur legio præteriti mali immemor (* occisionis videlicèt Imperatoris Gratiani; ut Glossator hîc exponit) *sufficienter armis instructa. Quæ ratibus trans Oceanum in patriam advecta, & cominùs cum gravibus hostibus congressa, magnamq; ex eis multitudinem sternens, & omnes è finibus depulit, & subjectos cives tam atroci dilaceratione ex imminenti captivitate liberavit. Quos jussit construere inter duo maria trans insulam murum: ut esset arcendis hostibus à tubâ instructus, terreri, civibusq; tutamini. Qui a vulgo irrationabili absq; rectore factus non tam lapidibus quàm cespitibus non profuit.*

[f] Sabellic. Ennead. 8 lib. 1.

[g] Paul. Diacon. continuat. Eutropij, lib. 14.

* Vid. supr. cap. 8. pag. 198.

Murum hunc cespititium inter duo freta (Dunbritannicum & Edenburgicum) erectum fuisse, docet nos [h] Beda; ita illum describens. *Insulani murum, quem jussi*

[h] Bed. histor. lib. 1. cap. 12.

jussi fuerant, non tam lapidibus quàm cespitibus construentes (utpote nullum tanti operis artificem habentes) ad nihil utilem statuunt. Fecerunt autem eum inter duo freta vel sinus maris, per milia passuum plurima: ut ubi aquarum munitio deerat, ibi præsidio valli fines suos ab hostium irruptione defenderent. Cujus operis ibidem facti, id est, valli latissimi & altissimi usque hodie certissima vestigia cernere licet. Incipit autem duorum fermè milium spatio à monasterio Abercurnig ad Occidentem, in * *loco qui sermone Pictorum* **Penbahel**, *linguâ autem Anglorum* **Penneltun** *appellatur; & tendens contra Occidentem, terminatur juxta urbem* **Alcluith**. & Iohannes Fordonus, in Scotichronico.

* Vid. supr. pag. 585, 586.

[1] Fordon. Scotichronic. lib. 3. cap. 4.

Britones, ut eis jussum est, supradictum murum ab Oceano construunt ad Oceanum; & turribus, quòd ab unaquâque tubæ clangor ad aliam pertingere posset, maximo sumptu perfecerunt. Incipit autem ab Oriente super australe litus Scotici maris juxta villam * **Raer-even**: *deinde passuum spatio viginti duorum milium procedens, per transversum insula porrigitur; & civitatem habens ab austro Glasguensem, in ripâ fluminis Clude juxta* **Kirk-Patrick** *terminatur*, & Iohannes Major. [2] *Britones, duabus gentibus resistere non potentes, ad Romanos pro suppetijs miserunt: qui ad Britonum preces insulam ingressi, murum erigere studuerunt, multo magis septentrionalem quàm erat prior murus à Romanis extructus: immò iste secundus murus ad octoginta milia passuum priore muro à Romanis extructo borealior fuit. Hanc terram Maximus Britonum Dux suo regno adjecit. Ab* * *Abercorvie initium hic murus accepit, & per latitudinem terræ ad Dakenclud per Glasguensem civitatem & Kirk-patrik ducebatur; ab incolis Gramys-dyk vocatus.*

* Eden-borough.

[2] Major. de gest. Scotor. lib. 3. cap. 3.

* vel *Abercornie* potiùs; unde Comitum *Abercornie* ductus honorarius titulus. Bedæ *Abercurnig*: ad ostium (id enim *Aber* denotat) *Carroni* fluvij.

Romana verò illa legio, ut narrat Blondus, brevi revocata est; cùm Burgundiones novos parare motus viderentur: ob quam rem rursùs barbari Britanniam populationibus incendijsque fœdârunt. Quod sentiens Valentinianus III. Imperator, Gallionem Ravennatem cum

cum aliâ legione misit, ac Britannos in fide continuit. Addit idem, à Valentiniano Mahercium ex Ravennâ & Gallionem ex Britanniâ in Africam contra Bonifacium cum magnis copijs missos, in ipsâ exscensione profligatis eorum copijs à Bonifacio interfectos fuisse. Docet verò Prosper in Chronico, postquàm Valentinianus decreto Theodosij Augustus appellatus est biennio exacto, *Hierio & Ardabure Consulib.* hoc est, anno æræ vulgaris CCCCXXVII. *Bonifacio bellum, ad arbitrium Felicis,* (huic enim, ut Romanæ militiæ eo tempore Magistro, hoc tribuit non, ut [1] alij, Aëtio) *publico nomine illatum; atq; Mavortium & Gallionem,* (sic enim integrum Prosperi Chronicon nominat non, ut vulgatum, *Galbionem*) *dum Bonifacium obsident, esse interemptos.* Ex quibus colligimus, *secundam vastationem & secundam ultionem* (quas Gildas vocat) in Britanniâ circa annum CCCCXXVI. contigisse: quarum historiam breviter Sabellicus sic percenset. *Burgundijs Gallium infestantibus, Ætius suos ex insulâ revocare coactus est: ac legione unâ Parisijs & Aurelianensibus ad præsidium relictâ, & Taraconensibus in Hiberiâ aliterâ, cum cætero robore copiarum in Burgundios movit. Scoti post legionariorum decessum, cum Albienses confestim ad res novas consurgunt; navibusq; circumvecti, maritima Britanniæ opida ferro & igni populantur. Exarsisset per hæc novum bellum in insulâ, nisi Valentiniani jussu legio, quæ Parisijs præsidio erat ab Ætio relicta, Gallionis Ravennatis ductu insulanis præsto affuisset: sub cujus appulsum vilescere cœperunt Scotorum & Albiensium latrocinia.*

[1] Theophanes, in histor. Miscell. lib. 14. Sigebert. in Chron. ann. 426.

Gildas verò uberiùs ac fusiùs hisce verbis rem exequitur. *Illâ legione domum cum triumpho magno & gaudio repedante, illi priores inimici ac si * ambrones lupi rofundâ fame rabidi, siccis faucibus ovile transilientes non comparente pastore, alis remorum remigumq; brachijs, ac velis vento sinuatis vecti, terminos rumpunt: cæduntq; omnia, & quæq; obvia maturam ceu segetem metunt, calcant, transe-*

* id est, levi. Gloss. Vid. supra, pag 573.

§ sabulo vel arenâ.

*unt. Itemq́ mittuntur queruli legati scissis (ut dicitur) vestibus, opertisq́ § sablone capitibus, impetrantes à Romanis auxilia, ac veluti timidi pulli patrum fidissimis alis succumbentes; ne penitùs misera patria deleretur, nomenq́ Romanorum quod verbis tantùm apud eos vanitatibus resultabat, vel exterarum gentium opprobio obrosum vilesceret. At illi quantum humanæ naturæ possibile est commori tantæ historiâ tragœdiæ, volatus ceu aquilarum, equitum in terrâ, nautarum in mari cursus accelerantes; inopinatos primùm tandem terribiles inimicorum cervicibus infigunt mucronum ungues, casibusq́ foliorum * tempore certo assimilanda ijsdem peragunt stragem. ac si montanus torrens crebris tempestatum rivulis auctus, sonoroq́ meatu alveos exundans, ac sulcato dorso § fronteq́ acra erectis, ut aiunt, ad nebulas undis (luminum quibus pupilli, persepe licèt palpebrarum convolatibus innovati, adjunctissimarum rotarum lineis fuscantur) mirabiliter spumans, * ast uno objectas sibi evincit gurgite moles: ita emulorum agmina auxiliares egregij (siquæ tamen evadere potuerant) præpropere trans maria fugaverunt, qui anniversarias avidè prædas, nullo obsistente, trans maria exaggerabant.*

*Tempore autumni advenisse legionem hanc affirmat Beda, lib. 1. cap. 12.

§ al *fronteq́*

* al. *ac*

*Igitur Romani patriæ denunciantes nequaquàm se tam laboriosis expeditionibus posse frequentiùs vexari, & ob imbelles erraticosq́ latrunculos Romana § stigmata tantùm tale q́ exercitum terrâ ac mari fatigari: sed ut patiùs * sola insuescendo armis ac viriliter dimicando, terram, substantiolam, conjuges, liberos & (quod his majus est) libertatem vitamq́ totis viribus vindicaret; & gentibus nequaquàm se fortioribus (nisi segnitiâ & torpore dissolueretur) inermes vinclis vinciendas nullo modo, sed instructas peltis, ensibus, hastis, & ad cædem promptas protenderet manus. suadentes (quia § & hoc putabant aliquid derelinquendo populo commodi accrescere) murum non ut alterum sumotu publico privatoq́ adjunctis secum miserabilibus indigenis, solito structura more tramite à mari usq́ ad mare inter urbes, quæ ibidem fortè ob metum hostium collocatæ fuerant, directo librant;*

§ *Stigmata sunt signa victricia*, Gloss.

* al. *insula*

§ *ex*

fortia

*fortia formidoloso populo munita tradunt, exemplaria instituendorum armorum relinquunt. In litore quoq; Oceani ad meridianam plagam, quo naves eorum habebantur (quia & inde * barbaricæ ferè bestiæ timebantur) turres per intervalla ad prospectum maris collocant, & valedicunt, tanquam ultrà non reversuri.* Hæc Gildas: quem secutus est & Beda, libri I. Historiæ Ecclesiasticæ capite XII.° reliqua quidem contractiùs, lapidei verò muri extructionem paulo pleniùs ita enarrans. *Murum à mari ad mare recto tramite inter urbes quæ ibidem ob metum hostium factæ fuerant, ubi & Severus quondam Vallum fecerat, firmo de lapide locârunt. Quem videlicèt murum, hactenùs famosum atq; conspicuum, sumptu publico privatoq; (adjunctâ secum Britannorum manu) construebant, octo pedes latum & duodecim altum, rectâ ab Oriente in Occasum lineâ; ut usque hodie intuentibus clarum est.*

* al. Barbaria. Vid. supr. pag. 409.

Georgius Buchananus & [m] murum hunc & Severi vallum eodem loco positum fuisse asserit, quo murus ille cespititius extructus fuerat, inter Abercornum & Fanum Patricij sive Kirk-patrik: ejusq; multa vestigia extare ait. *Paucis,* [n] inquit, *antequàm hæc scriberemus, annis, vestigia fossarum & murorum, item vicorum apparebant; nec adhuc muri diruti omnino ita confusa sunt indicia, ut non interim se multis in locis prodant: terrâq; leviter effossâ, quadrati lapides eruuntur, quibus vicini agrorum domini ad ædium suarum substructiones utuntur. Indicant autem inscripti lapides, qui interim inveniuntur, id opus Romanorum fuisse: equippe [o] quibus aut testimonia salutis per tribunos & centuriones accepta, aut sepulcrorum inscriptiones continentur.* Iohannes Fordonus in suo Scotichronico, agnoscit quidem *evidens illius fossæ vel muri signum meraq; patêre hactenùs vestigia,* atq; *hodierno nomine* Grymisdike *ab incolis vocari:* sed postremum hunc è firmo lapide constructum, à *Tina* fluminis ostio per transversam insulam ductum fuisse confirmat. *Memoratus,* inquiens, *murus initium trahit ad Orientem in australi*

[m] Buchanan. rer. Scotic. lib. 5. *in rege* XLI.

[n] Id. lib. 4. *in rege* XXVII.

[o] Id. lib. 1.

ripâ fluminis Tyne *(ad caput quod Anglorum lingua sonat* Gaytis-hevid, *ubi dudùm Severus murum & vallum fieri jussit ex opposito ad Novum castrum) & super fluvium* Eske, *quod & aliâs dicitur* Scots-wath, *per sexaginta milia passuum porrectus, finem habet juxta* Carlile *ad Occidentem.* Atq; hîc positum fuisse Severi vallum, non [p] Camdenus solùm & Anglicarum rerum scriptores (quos inscitiæ aut incuriæ hîc incusat Buchananus) sed [q] Iohannes Major & reliqui Scotorum historici pariter consentiunt.

[p] Camden. Britann. pag. 652.

[q] Major, de gest. Scotor. lib. 1. cap. 14.

Ad annum CCCCXXXI. sive Theodosij junioris (post mortem Honorij numeratum) octavum, *tertiam vastationem* à Gildâ commemoratam referunt Beda & Ado in suis Chronicis. *Anno octavo Theodosij Imperatoris,* inquit Ado, *recedente à Britanniâ Romano exercitu, Scoti & Picti redeunt; & totam ab aquilone insulam, vacuam propè indigenis, muro tenùs capessunt.* & ante illum Beda. *Anno Theodosij octavo, recedente à Britanniâ Romano exercitu, cognitâ Scoti & Picti reditus denegatione, redeunt ipsi; & totam ab aquilone insulam pro indigenis muro tenùs capessunt. Nec mora, cæsis, captis, fugatis custodibus muri, & ipso interrupto, etiam intra illum crudelis prædo grassatur.* & ante utrumq; Gildas, tragicè calamitatem exaggerans Romanis *ad sua remeantibus, emergunt certatim de* * *c[illegible]tis quibus sunt trans Scythicam vallem evecti (quasi in alto Titane incalescenteq́, caumate de arctissimis foraminum caverniculis fusci vermiculorum cunei) tetri Scotorum Pictorumq́, greges moribus ex parte dissidentes, & unâ eademq́, sanguinis fundendi aviditate concordes, furciferosq́, magis vultus pilis, quàm corporum pudenda pudendisq́, proxima vestibus tegentes: cognitâq́ condebitorum reversione & reditus denegatione, solito confidentiores omnem aquilonalem extremamq́, terræ partem pro indigenis muro tenùs capessunt.*

* Corroghes, ita enim Hiberni vocant naviculas suas coriaceas: de quibus Plinius, lib. 7. cap. 56. *Etiam nunc in Britannico Oceano vitiles corio circumsuto fiunt.* & Solinus, cap. 35. de mari quod Hiberniam & Britanniam interluit. *Navigant vimineis alveis, quos circumdant ambitione tergorum bubalorum.*

Statuitur ad hæc in edito arcis acies, segnis ad pugnam, inhabilis ac trementibus præcordijs inepta. quæ diebus ac noctibus

ctibus stupido sedili marcebat. Interea non cessant * uncinata nudorum tela, quibus miserrimi cives de muris tracti solo allidebantur. Hoc scilicèt eis proficiebat immaturæ mortis supplicium, qui tali funere rapiebantur, quo fratrum pignorumq; suorum miserandas imminentes pœnas cito exitu devitabant. Quid plura? Relictis civitatibus muroq; celso, iterùm illis fugæ; iterùm dispersiones solito desperabiliores. Item ab hoste insectationes, item strages acceleratur crudeliores: & sicut agni à lanionibus, ita deflendi cives ab inimicis discerpuntur; ut commoratio eorum feratum assimilaretur agrestium. Nam * & ipsos mutuo nec perexigui victus brevi sustentaculo miserrimorum civium latrocinando temperabant: & augebantur externæ clades domesticis motibus, quòd hujusmodi tam crebris direptionibus vacuaretur omnis regio totius cibi baculo; excepto venatoriæ artis solatio.

* dorodrepana sc. aut falces murales. Buchanan.

* al. laniant & seipsos

Eandem historiam Fabius Ethelwerdus breviùs sic exponit. *Audito oppositum sibi exercitum domum reversum, Scoti & Picti gaudio gaviſi non minimo sunt. Astiterùm arma movent, & quasi sine custode caulas invadunt lupi; vastant partem in axe Aquilonis usq; ad Severiam fossam. Britanni muro insistunt, defendunt armis: sed non natura, (heu!) dederat [illegible] belli. Tum astutia gens Scotorum, quæ quid faceret pro imminenti muro, ac fossæ profundo saltu, ferreos in mensurâ arte mechanicâ struunt aculeos; superstanteq; muro deorsum trahentes avidè interimunt. Victores existunt forinsecùs & intùs; præda & possessio sit statu in uno: & factus est cædes postera pejor prioribus.* & Iohannes Fordonus in Scotichronico. *Durante famis memoratæ superiùs egestate, Scotorum principes & Pictorum, assumptis Hibernicis, ad ejusdem muri fines utroq; trans flumina Tyne & Elke diverso navigij genere remigantes; mediq; per circuitum regiones invadunt, destruunt & consumunt. Ubi modico pòst tempore, quibusdam indigenarum ad pacem acceptis, aliis autem fugatis, aliis interemptis; totum à mari usq; ad mare regionem sub protectione pacis suscipientes, hactenùs ab inde nequaquàm abigi potuerunt,*

runt &c. Obtinentes autem quæ cis citraq; murum sunt regiones, inhabitare cœperunt victores: ac citato repentè rurali vulgo, cum suis sarpis quilibet & ligonibus, rastris, tridentibus & fossorijs, patulas in eo rimas foraminaq; crebra perfodiunt; quibus utiq; promptum habeant aditum etiam & recessum. Ab illis ergo foraminibus hæc deinde maceria nomen hodiernum assumpsit; quod Anglicâ linguâ sonat Thirlwall, *Latinè verò, Murus perforatus.*

Ad annum CCCCXLIX. Britannorum hanc cladem refert Ethelwerdus: quum ante tertium Aëtij Consulatum, hoc est, annum Domini CCCCXLVI. eam contigisse, ex Gildâ & Bedâ certò sciamus. Temporis autem inter utrumq; illum annum interpositi historiam breviter sic enarrat Beda in suo Chronico. * *Mittitur Epistola lachrymis ærumnisq; referta ad Aëtium* III. *Consulem, vicesimo tertio Theodosij principis anno, petens auxilium; nec impetrat. Intereà fames dira ac famosissima profugos infestat: quâ coacti quidam hostibus dedere manus. Alij de montibus, speluncis ac saltibus strenuè repugnabãt, ac strages hostibus dabant. Revertuntur SCOTI domum, post non multum tempus reversuri. Picti extremam insulæ partem tum primùm & deinceps inhabitaturi detinent.* & Paulus Diaconus, in continuatione Eutropij. *Britanni, cùm rurus Scotorum Pictonumq; incursionibus premerentur, mittunt Aëtio epistolam lachrymis ærumnisq; refertam; ejusq; quantociùs auxilium efflagitant. Quibus cùm Aëtius minimè annuisset, eo quòd contra viciniores hostes occupatus existeret: quidam Britannorum strenuè resistentes, hostes abigunt; quidam verò coacti hostibus subjiciuntur. Deniq; subactam Picti extremam ejusdem insulæ partem, eam sibi habitationem fecere: nec ultrà exinde hactenùs valuerunt expelli.*

Mitto Mariani Scoti & recentiorum testimonia: sufficiat Gildæ vetustissimi Britannorum scriptoris (ex quo & sua Beda hausit) unicum illud. *Revertuntur ergo impudentes grassatores* HIBERNI *domum, post non longum temporis reversuri. Picti in extremâ parte insulæ*

* Vid. supr. cap. 12. pag. 369. 370. 371.

* al. *multum*

tunc

tunc primùm & deinceps requieverunt; prædas & contritiones nonnunquàm facientes. In quo observandum; I. Pictos in aquilonari parte insulæ tunc primùm & deinceps non quidem simpliciter habitavisse, sed *requievisse*, id est, (ut ego interpretor) à terræ Britannicæ vastatione & *diris-simâ* (quam anteà describserat Gildas) *depressione* cessavisse. Quanquam enim *prædas & contritiones nonnunquàm feciisse* eos subjiciat: nihilo seciùs tamen *inducias desolato populo* factas, & *quievisse vastitatem* (sive, ut [r] Beda explicat, *cessavisse vastationem hostilem*) in verbis proximè sequentibus apertè profitetur. II. *Scotum Hiberniæ indigenam fuisse*: ut rectè ad locum hunc à Polydoro Vergilio est notatum. Unde qui Gildæ hîc *Hiberni*, à Bedâ in Chronico eandem historiam ex Gildâ repetente *Scoti* (ut vidimus) sunt appellati. III. Post tertium Aëtij Consulatum & annum Domini CCCCXLVI. redijsse Scotos in Hiberniam suam, indeq; post non longum tempus reversos, sedem rursùs in boreali Britanniæ parte posuisse. Quod quidem *Fergusij* operâ factum fuisse existimatur: cujus principatus à Scoto-Hibernis tertio Aëtij Consulatu posterior (rationibus Gildæ & Bedæ convenienter) constituitur; licèt Scoto-Britanni eo antiquiorem fuisse opinentur.

[r] Bed. histor. eccleſiaſt. lib. I. cap. 14.

In vitâ enim B. Patricij, quem post annum morti Fergusij in vulgatis Scoto-Britannorum Chronicis assignatum Hibernis Euangelium prædicare cœpisse liquet, de eodem Fergusio leguntur ista. [r] *Duodecim fratres patre defuncto recentèr, qui dominabatur in Dalredâ, ad hæreditatem inter se dividendam in unum convenerunt: suumq; germanum minimum nomine Fergusium habentes despectui, à portione quæ illum contingebat exsortem & inanem dimiserunt. Adolescens igitur ille precabatur S. Patricium, ut se, suarum obtentu precum, efficeret paternæ hæreditatis participem; promittens se datarum Ecclesiæ Dei constituendæ atq; sustentandæ suæ portionis partem potiorem. Pontifice verò sancto pro eo exorante atq; negotium illius perorante, fra-*

[r] Iocelin. Vitæ Patricij, cap. 137. cod. impress. 138. MS.

tribus suis annumeratus Fergusius, competentem sibi paternæ possessionis portionem percepit: cujus medietatem meliorem sanctissimo Præsuli ad ædificandam Ecclesiam obtulit. Quam Sanctus, ne suam interventionem vendidisse videretur, suscipere renuit: sed Olcano illam conferri jussit. Sanctus autem Olcanus infra territorium sibi collatum, in loco qui dicitur Derkelan, *Ecclesiam ædificavit: ibiq; factus Episcopus, in sanctitate & justitiâ perseverabat. Sanctus verò Patricius prædictum benedixit Fergusium: & voce propheticâ dixit ad illum.* „ Licèt hodie videaris humilis, & „ despectus in conspectu fratrum tuorum; eris in brevi „ princeps illorum omnium. De te optimi Reges egre- „ dientur; qui non solùm in terrâ propriâ, sed etiam in „ regione longinquâ & peregrinâ principabuntur. *Futuro non magni temporis spatio Fergusius, juxta viri Dei vaticinium, principatum in totâ illâ terrâ obtinuit: semenq; ejus per multas generationes in eâ regnavit. Ex ejus stirpe successit strenuissimus Edanus filius Gabrani; qui Scotiam, quæ dicitur Albania, subegit, & alias insulas: cujus in eâ regnat adhuc successiva posteritas.* Ita in Patricij vitâ Iocelinus.

De eodem Fergusio, Edani sive Aidani illius (cujus alibi à nobis facienda mentio) proavo, in Hibernicis Tigernaci annalibus, sub initium Pontificatus Symmachi (qui anno Domini CCCCXCVIII.° post Patricij nostri obitum *sexto*, Romanam conscendit cathedram) consimiliter annotatum invenimus. *Feargus mór mac Earca* (i. Fergusius magnus, Erci filius) *cum gente Dalaidâ partem Britanniæ tenuit; & ibi mortuus est.* Erci sive Erici hujus patrem [a] *Ethach* (Hibernis *Eachagh Munremar* appellatum) recentiores Scotorum Historici Eugenij regis à Maximo legato interempti fratrem fuisse affirmant. Sed author vetustior, à [b] Camdeno citatus, non ab illâ dubiâ superiorum Regum stirpe, sed ab aliâ origine Fergusij genus repetit. *Fergus* (inquit) *filius Eric fuit primus qui de semine Chonare suscepit regnum Albanie*

[a] *Suprà*, pag. 592.

[b] Camden. in Scotiâ, pag. 707.

*Albaniæ, à Brun-Albain ad mare Hiberniæ & * Inch-gall. Et inde Reges de semine Fergus regnaverunt in Brun-Albain sive Brunhere, usq; ad Alpinum filium Eochall.* Cum quo consentiunt & veteres nostræ Genealogiæ Hibernicæ, quæ Fergusium hunc deducunt à *Chonare* illo qui circa annum Domini CCXV. summum Hiberniæ principatum tenuit; filio suo *Cairbri-rieda* aliâs *Eochaig-rieda* Dalriedæ (quæ ab eo nomen accepit) dominio post se relicto.

* Hebrides.

Dal-riedæ verò nomine Hibernis Comitatus Antrimmensis tractus ille notus est, quem Route appellamus: cujus etiam incolæ *Rutheni* olim dicti, in illo Vitæ S. Patricij fragmento à [x] Iacobo Meyero producto *Patricius revertens è Galliâ in Britanniam, inde transit in Hiberniam, id est Scotiam, in regionem Lagenorum. Inde petit Aquilonares Scotiæ partes. Hinc orientalem plagam Hiberniæ circumnavigans, navem convertit in aliam quandam parvam Insulam, quæ hodie Insula Patricij vocatur. Deinde Brigensium fines relinquens, Ultorumq; regna omittens, in extraneum quoddam fretum venit; quod est Brevese: unde ascendit in terram per ostium Flain ingressus, & pervenit in regionem Ruthenorum; donec pervenerit ad montem Mis, ubi Miluinc rex erat Aquilonaris Scotiæ.*

[x] Meyer. Annal. Flandriæ, lib. 1.

Cùm igitur *Dalrediæ* Hibernicæ Principem fuisse Fergusium Iocelinus, & cum gente *Dalraidâ* in Britanniam trajecisse testis sit Tigernacus: novam coloniam in oppositam Britanniæ partem traductam antiquæ suæ patriæ nomen retinuisse, verividetur simillimũ. Nam & Scotos Albienses suo tempore *Dalreudinos* dictos fuisse testatur [y] Beda (licèt is à *Reudâ* duce nomen illud eos accepisse judicet:) & *Dalrietam* ipsam quam incolebant regionem appellat ille, [z] qui de Albaniæ divisione tempore Andreæ Episcopi Cathenesij, [a] circa annum scilicèt MCLXXVI. libellum edidit; de Kinnadio sive Kennetho II. Pictorum debellat[illegible] ita scribens. *Kinnadius biennio antequàm pervenit [illegible] Pictaviam, Dalrieta*

[y] Bed. histor. lib. 1 cap. 1.
[z] Camden in Scotiâ, pag. 682. & 706.
[a] Rog. Hoveden. & Gualter. Coventriens. in Annalib. ann. 1176.

regnum susceperit. Ubi ut uno *Pictavia* nomine Pictorum, ita *Dalrieta* Scotorum primas in Albaniâ sedes designavit: *Cantiram* videlicèt, *Knapdaliam*, *Lornam*, *Argatheliam*, *Brun-Albain* sive *Braid-Ailbain*, cum vicinis insulis. Ad sinus enim Dunbritannici *partem septentrionalem* consedisse Scotos, atq; ad *australem* ejusdem partem Britonum productos esse terminos, ex [b] Bedâ certò constat: ut in **Gallovidiâ* primas Albiensium Scotorum sedes collocare, aut in *Dal-rhea* Cuninghamiæ opido Dalreudinorum nostrorum vestigium indagare, inanis videatur esse operæ.

[b] Bed. histor. lib 1. cap. 1. & 12.
* Vid. supr. pag. 580.

Iam si cum Scoto-Hibernis nostris Fergusij regnum ad finem quinti post Christum seculi referamus: unâ cum coloniâ, fidem Christianam (quâ B. Patricius cum discipulis suis Hibernos jam imbuerat) in Dalriedam Albanicam inductam ab eo fuisse, etiam consequetur. At Ninius Britannus *Scotos venisse* scribit *ad regiones Dalrieta, in tempore quo regnabat Brutus apud Romanos, à quo Consules esse cœperunt:* hoc est, plus quam quingentis ante Christi nativitatem annis. Scoto-Britannorum verò Historici annis ante natum Christum CCCXXX. sub Fergusio I. Ferquardi filio suos in Albaniam advenisse, posteaq; ex Insulâ pulsos à Romanorum legato Maximo, ducente Fergusio II. Erci filio sub initium quinti post Christum seculi eò redijsse; atq; anno salutis CCIII. sub Victore Romano Pontifice religionem Christianam suscepisse scribunt. de cujus conversionis tempore, à [c] Iohanne Fordono & [d] Iohanne Majore producuntur etiam vulgares illi versiculi:

[c] Fordon. Scotichronic. lib. 2. cap. 35.
[d] Major. de gest. Scotor. lib. 1. cap. 14.

Christi transactis tribus annis atq; ducentis,
Scotia catholicam cœpit inire fidem.

Severi Imperatoris anno *septimo*, Fordonus quidem Victorem Episcopatum inijsse, Major autem Scotos fidem cepisse significat. Circa nonum Severi annum (qui

à

à Kalendis Iunijs anni Christianæ nostræ ep ochæ CCI. deducitur) Victori succesſisse Zephyrinum docet [e] Euſebius. Si igitur ſub Victore facta eſt hæc conversio; ad annum Domini CXCIX. vel CC. (utriuſq; enim partem *ſeptimus* Severi annus occupat) referenda potiùs fuerit, quàm ad CCIII. quo Zephyrinum non Victorem Romæ ſediſſe compertum eſt. Eum tamen annum, ut Scoticorum auctorum *unanimi conſenſu* comprobatum, Dempſterus nobis commendat: quem & Victoris ultimum fuiſſe ex Fordono colligit; cujus ille de hâc converſione narrationem iſtam recitat.

[e] Euſeb. in Chronic. & lib. 5. Hiſtor. eccleſiaſtic. cap. 27.

[f] *annes Fordanus putavit Paſchaſium quendam Siculum prima Chriſtianæ pietatis rudimenta mandante S. Victore in Scotiâ nunciaſſe, & tyrocinia fidei feciſſe. Id probat ex veteri codice Baſilicæ Liſmorenſis, quæ omnium Scoticarum prima habebatur. Addit idem, nullum unquàm populum leviori operâ ad Chriſtum eſſe converſum; ac tantum fuiſſe ad ſacros Doctores concurſum, ut baptizando populo ſacerdotes deeſſent. Ab eodem etiam eſt traditum, hunc Paſchaſium relictis in Scotiâ ſocijs, qui rudem adhuc Chriſtianorum rituum populum impenſiùs ſacra docerent, Romam rediſſe, & Regis Donaldi nomine ſanctiſſimo Pontifici gratias egiſſe de tam ſingulari beneficio accepto. ſed antequàm ille appelleret, ex hâc vitâ Victor migraverat, & ſucceſſor datus erat Zephyrinus: ut appareat manifeſtò, Victoris ultimo anno Scotiam ad fidem converſam.* Atqui in ijs quibus ego ſum uſus Iohannis Fordoni exemplaribus extabat iſtorum nihil: ut de horum fide perinde ego addubitem, ac de ijs quæ ex Anonymo illo Liſmorenſe & Breviarijs neſcio quibus idem Dempſterus alibi retulit. ex his quidem, quòd [g] *Dorni in Sutherlandiâ* XII.o die Decembris memoria celebretur *Paſchaſij; qui ad S. Victorem papam à Donaldo rege miſſus orator, Doctores Chriſtianos impetravit.* ex hoc autem, quòd [h] *Contra ritus Paganos* unum, & *Inſtitutionis ad Neophytos Scotos* librum alterum ille ſcripſerit.

[f] Dempſter. Apparat. ad Hiſtor. Scotic. lib. 1. cap. 6.

[g] Id. in Menologio Scotico, Decemb. 12.

[h] Id. in hiſtor. Eccleſiaſt. Scotor. lib. 15. num. 1016.

Sed missō hoc *Paschasio*; quæ de *Donaldo* rege & hujus temporis Scotis Christianis, Hector Boëthius literis mandavit videamus. i *Talem dederat ei animum pacis princeps & author Christus Dominus, quòd veræ pietati assuetato malorum dæmonum cultu se addixerit. Nam Severo imperante Romanis, apud Victorem pontificem maximum (qui quintusdecimus post Petrum ecclesiæ præfuit) per legatos obtinuit, ut viri doctrinâ & religione insignes in Scotiam ab eo missi, secum liberis & conjuge Christi nomen profitentes baptismate insignirent. Regis exemplum Scotica nobilitas secuta, aversata impietatem Christiq; religionem complexa, sacro fonte est abluta. Fuit annus ille quo Scoti ad lumen veræ pietatis, Dei optimi maximi benignitate, vocati sunt & recepti; ab eo qui primus fuit humanæ salutis, tertius supra ducentesimum. &c.*

i Boëth. Scotor. histor. hb 5. sub finem.

Donaldus præter hæc primus omnium Scotorum regum (ut in nostris annalibus proditum est memoriæ) nummum argenteum aureumq; signavit: unâ parte salutiferæ crucis, alterâ sui capitis effigia expressâ; quo susceptæ à se primùm inter Scotos reges Christianæ pietatis memoriam ad posteros propagaret. Moritur tandem, religiosis & urbanis operibus clarus, vicesimo primo anno quàm Scoticarum rerum fuerat, potitus: Christianoq; more (sacerdotibus, qui tum sacram rem inter Scotos tenebant, persuadentibus) in agro Christianorum sepulturæ multis & pijs precationibus, ut fieri solet, dicato conditur. Quo propè tempore Alexander (tulit & is Severi nomen ut honoratior haberetur) Romanum tenebat imperium. Incepere nostri tum primùm sacras colere literas, Sacerdotibus præceptoribus, quos Victor pontifex maximus ad Christi dogma propalandum in extremam miserat Albionem. Restabant tamen non pauci malis dæmonibus sacrificandi ritus: quos Donaldus rex, nullis suasionibus, nullis adhortationibus sacerdotum, nec ullâ vi potuit abolere; sed nec etiam Ethodius, qui secundùm Donaldi exitum Scotorum tenuit imperium.

Hæc Boëthius: quem etiam in Scotiæ descriptione secutus

secutus Paulus Iovius, Donaldum ait, *primam è Scotis Regibus Christianæ religionis sacra suscepisse; primumq; in Scotiâ (quum venalia in humanos usus aliarum rerum permutationibus, aut aliundè importatâ pecuniâ, in foro & nundinis emerentur) aurum & argentum Scoticâ nosâ percussisse.* Sed miratur Baronius, [k] *tanta hæc antiquiorem Scotum Chronographum Marianum prorsus ignorâsse, & Bedam, is propinquum penitùs latuisse:* nec desunt qui ad Hiberniam (quæ antiqua Scotia fuit) totam conversionis hujus historiam transferendam esse existiment. à quibus non multùm dissidere videntur & illa Thomæ Bozij: [l] *Tradunt in Scotiâ, quæ tunc erat Hibernia, Christi cultum disseminatum eodem tempore, quo in Britanniâ, sub annum sc.* CCIII. *Victore sedente.*

[k] Baron. Annal. tom 3. ana. 419 §. 2.

[l] Bozius lib. 8. de signis eccles. cap. 1.

[m] Dempsterus Donaldum regem fideli operâ *Fulgentij* (quem [n] Britannica Historia *Fulgenium* vocat) hîc usum narrat: ita de illo scribens. *Fulgentius cognomento Audax sub Donaldo I. Rege magnâ ingenij famâ vigebat. siquidem Rex ille Septimio Severo Augusto, qui Eboraci in Angliâ obijt, contempto, & religionem pietatemque amplexus Christianam, æs, aurum atque argentum primus signavit, usus fideli Fulgentij operâ, qui scripserat*

[m] Dempster. Histor. Ecclesiastic. Scotor. lib. 6. num. 547.

[n] Suprà, pag. 584.

De fide Christi lib. 1. quod opus utinam hodie extaret. haberet certè Scotia, quo fervorem & antiquitatem fidei receptæ ostentaret; paucis Europæ Regnis cessura, permulta verò superatura. Meminit iniculus Anonymi.

De Romanorum injurijs. lib. 1.

De Vindicandâ libertate. lib. 1.

Orationes. lib. 1.

Epistolas. lib. 1. susceperat enim causam Britonum contra libidinem Romanorum defendendam, & suppetias non modò scriptis, sed gladio ei genti tulit, missus à Donaldo I. Scotiæ Rege.

Ad Donaldum Scotiæ, & Tivelargum Pictorum Regem, & proceres Britonum. lib. 1.

Obijt

Obiit in acie graviter vulneratus à Septimio Severo Imperatore anno CCXI. *Hunc stupidissimus bipedum nullo authore adducto Iohannes Pitseus Anglum non erubescit facere; cùm Scotus suppetias à Rege suo destinatas in Angliam duxerit, ut suo sanguine eam à servitutis contumeliâ vindicaret.* [*Annales nostri, Scotichronicon lib.* III. cap. XIV.] *Præclara sanè ab ingratissimâ belluâ Scotis gratia relata.*

Verùm non ita stupidus Pitseus fuit, ut *Anglos* (qui Dempsteri perpetuus stupor est) antiquioribus hisce temporibus incoluisse putaret Britanniam: ideoq; • *Fulgenium sive Fulgentium* non Anglorum, sed *regio Britannorum sanguine ortum* fuisse scripsit; ipsos Scotorum historicos (quicquid contrà Dempsterus ogganniat) auctores hic secutus. P *Fulgentius vir nobilis, veteri Britannorum regum prognatus sanguine* : inquit Hector Boëthius. & Iohannes Leslæus: *Fulgentius Britannus vir nobilis, suæ gentis servitutem non ferens, Scotis Pictisq; in belli societate n ascitis, Romanos variis cladibus affecit.* Et licèt Fordonus in Scotichronico *Consulem sive Ducem Britonum Albanensium* Fulgentium fuisse dixerit: Britones tamen illos à Pictis & Scotis Albanensibus distinxit apertissimè. *Quasi tu diceret*, inquit ille, *ab australibus boreales divisi sunt Britones, atq; seipsos ad invicem ubiq; consumentes. Scoti siquidem cum Pictis more solito crebris irruptionibus propinquas eis Fulgentij partes vastando dilacerant, prædas innumeras abducentes. Quod utiq; Fulgentius ut undique bello impeteretur non sustinens, fœdus cum Scotis ad tempus iniit : & ex pacto pace firmatâ, Britones socios toto conamine Romanorumque patricios, qui patriam eo tempore regebant, invasit.* Quicquid enim Albaniæ inter Tinæ fluminis ostia & Solwaicum fretum ab austro, atq; Dunbritannicum & Edenburgicum fretum ab aquilone interjectum cernitur, borealium Britonum non Pictorum aut Scotorum partibus accensebatur. Ut omnium primus ipse Dempsterus Fulgentium Scotum fecerit, & à rege suo Donaldo missum in Angliam exercitum duxisse

• Pitſ. de Britann. ſcriptorib. num. 23.

P Boëth. Scotor. hiſtor. lib. 5.

q Leſlæ, de reb. geſt. Scotor. lib. 3. *in rege* XXVII.

xisse finxerit: licèt *Fulgentium regem Pictorum* à [t] Ranulpho Cestrensi appellatum etiam non ignorem. Nam quod *Thelargum Pictorum Regem* eo tempore extitisse Dempsterus ait; à [u] Balæo & (quem tam inclementer tractat) Pitseo illud hausit, non ex patrijs Annalibus; qui Donaldi, non *primi* hujus sed *tertij* tempore Thelargus Pictis præfuisse tradiderunt. Ut de inani illo voto nihil dicam, quo Fulgentij hujus *De fide Christi* librum extare desiderat: quum nec talis unquàm liber ab eo scriptus fuerit, & de homine ipso an in rerum naturâ aliquando ille existeret Buchanano adeò non constiterit, ut omnem illius memoriam in Scoticâ suâ historiâ idcircò prætermittendam judicaverit.

[t] Polychronic. lib. 4 cap. 18.

[u] Balæ. ript Britann. Centur. 1. cap. 10.

Ethodio, cujus [x] jam facta est mentio, à stipatoribus suis occiso, anno Domini CCXXI. [y] Athirconem filium successisse scribit Boethius, [z] qui in regni initio *studia tractaverit honestissima*: quippe qui *sacram disciplinam majorúmve historias edoctos secum frequentes habuerit.* In ea tempora passionem Ursulæ & sociarum (quam à nonnullis etiam sub annum Domini CCXVIII. Nauclerus poni notat) Iohannes Major ex Vincentij libro I. de gestis Scotorum, capite 14. ita de illâ scribens: *Anno Domini* CCXXV. *Ursula & undecim milia virginum cum eâ in Aremoricam duxisse debebant, ut viros illis haberent: quia tempestate illâ Francas mulieres Aremorici recusârunt. Super Tamesiam flumen naves Virgines ingressæ sunt; impetu venti per Rhenum jactatæ ad Coloniam deveniunt: cum quibus Gonanus terræ rex & Elga ejus frater, cum suis clientibus, rem habere volebant. quibus pro virili Virgines resistebant: propterea à tyrannis occisæ sunt. Hæc sancta Ursula filia erat Dionoth Britanniæ rectoris, & Scotorum regis ex sorore neptis.* Hæc Major: à quo in temporis ratione discedens [a] Hector Boëthius, Scotorum regem cujus sororem *Dionethus* in matrimonio habuisse dicitur celebrem illum, de quo [b] diximus, *Fergusium* Erci filium fuisse affirmat.

[x] Supr. pag. 614.

[y] Hect. Boëth. Scotor. histor. lib. 6. init.

[a] Boëth. lib. 7. fol. 121. b. & 122. a.

[b] Supr. pag. 598. 609. 610.

Et quidem *Deo-noti* Britannici regis filiam fuisse Ursulam, à primario etiam Legendæ illius scriptore habetur traditum. Qui [a] Acta illius novissimè edidit, Colonienſis collegij Iesuita, in *vetere historiâ correctiore Dionetum, & non Deo notum*, patrem ejus appellari asserit. quanquam ipsius contextus verba correctionem illam planè respuant: quæ & in editione Surianâ, & in Manuscripto Cottoniano, ita se habent. *Fuit in Britanniæ partibus* (vel *finibus* ut in MSo) *rex quidam Deo notus, tam vitâ quàm nomine.* Quibus & ista, ex Cisterciensis ordinis Breviario (Parisijs anno 1516. edito) adjungas licet.

[a] Flor Sanctor. Petri Ribadeneiræ, tom. 1. pag. 501. edit. Latin. Colon. ann. 1630.

Deo noto fuit nata,
Placens cunctis, Deo grata,
Ursula regalis:
Cujus miræ speciei,
Plus mirandæ [&] *fidei,*
Non erat æqualis.
Regi magno pulcra nimis
Desponsatur, dum instatur
Precibus & minis.

& ista quoq; de patriâ:

Sol novus ab insulâ surgit Occidentis,
Dum virtutum Ursula fulget incrementis.

[a] Galfrid. hist. lib. 5. cap. 15. Vid. suprà, pag. 200.

Deonotum sive Dionotum hunc fratri suo Caradoco in regno Cornubiæ succeſſisse, & sub Maximiano (sive Maximo tyranno) Britanniæ principatum obtinuisse, in [a] Britannicâ Galfridi Monemutiensis Historiâ est additum. Posteà verò Schouaugiensis monialis Elizabetha, [b] *patrem B. Ursulæ regem Britanniæ Scoticæ, Maurum nomine* fuisse, à Verenâ virginei hujus sodalitij unâ sibi per visionem revelatum prodidit. Indeq; in [c] Petri Equilini Catalogo, *filia unica regis Scotiæ Christianissimi nomine Mauri* Ursulam fuisse legimus: & in [d] Petri Chaiybis Sapphicis, de eâdem;

[b] Vision. Elizabeth. lib. 4. cap. 2. edit. Paris. ann. 1513. & Colon. ann. 1628.

[c] Petri de Natalib. lib. 9. cap. 87.

[d] In Georg. Wicelij Histor. Sanctor. fol. 311. b.

Illæ

Illa regali veniens ab ortu
Scotiæ gentis, patriam relinquit.

Colonienſi verò illi Ieſuitæ *vero ſimilior eorum opinio eſſe videtur, qui illam Scotiæ majori ſive Hiberniæ adjudicant: quanquam non omninò improbabile ſit, eam ex Britanniâ majori atq; ex regno Cornubiæ originem traxiſſe.*

[e] Anno MCLVI. Coloniæ reperti fuiſſe dicuntur tituli quidam ſepulchrales, Vrſulanarum virginum, & virorum qui eas comitati ſunt, nomina inſcripta præferentes: quorum Indiculus à Gerlaco Tuitienſi Abbate tum confectus, adhuc Tuitij aſſervatur. Hinc [f] revelationum *de illo Virginali exercitu ſanctæ Vrſulæ Britannicæ Reginæ* eo anno ſibi patefactarum occaſionem natam refert Elizabetha, *Reperta ſunt*, inquit, *inter ſepulchra virginum multa corpora Sanctorum Epiſcoporum, atq; aliorum magnorum virorum: erantq; in monimentis ſingulorum repoſiti lapides, habentes titulos ſibi inſcriptos, quibus dignoſcebantur qui aut unde fuiſſent. Horum præcipuos & maximè notabiles tranſmiſit ad me ex ſupradictâ urbe præfatus Abbas* (Gerlacus:) *ſperans aliquid mihi per gratiam Domini de eis poſſe revelari; & cupiens certificari per me, utrùm credendum eis eſſet an non. habebat quippe ſuſpicionem de inventoribus ſanctorum corporum, ne fortè luorandi cauſâ titulos illos doloſe conſcribi feciſſent. Quales autem fuerint tituli illi, & quid de eis mihi revelatum ſit, in præſenti ſermone per diverſa loca oculis legentium anteponere curavi.*

[e] Io. Trithem. in Chronic. Hirſaugienſ. ann. 1156.

[f] Elizabeth. viſion. lib. 4. cap. 24.

Eorum unus hic erat. *Sanctus Pantulus Baſilienſis Epiſcopus, qui virgines ſacras cum gaudio ſuſceptas Romam perduxit: unde reverſus, Coloniam pervenit, ibiq; cum eis martyrium ſuſcepit.* quem à divinâ ſuâ interprete Verenâ, quæ rei geſtæ ſcii cèt interfuerat, ita ſibi expoſitum Elizabetha narrat. *Quando primùm in patriâ noſtrâ congregari incepimus, ſacra fama noſtra longè lateq; diſperſa eſt: & multi ad ſpectandum nos undiq; confluxerunt. Contigit autem, Deo ordinante, ut etiam quidam Epiſcoporum Britanniæ nobis adjungerentur, atq; in noſtrâ ſocietate mare*

transeuntes usq; Romam nobiscum perveuirent. in quo itinere & beatus Pantulus Basilienſis Epiſcopus nobis aſſociatus eſt, & uſque Romam perduxit; factuſque noſtræ paſſionis ſocius.

Alter: *Sanctus Cyriacus Papa Romanus, qui cum gaudio ſuſcepit ſanctas virgines; & cùm eis Coloniam reverſus, martyrium ſuſcepit.* de quo item Verena. *In tempore quo ingreſſe ſumus urbem Romam, præſidebat Apoſtolicæ ſedi vir ſanctus nomine Cyriacus. Hic ingreſſas fuerat Romam de finibus noſtris: & cùm eſſet vir prudens & nobilis omnibus acceptus, ſublimis eus erat in Apoſtolicam dignitatem; & jam per annum integrum & undecim hebdomadas Romanam Eccleſiam rexerat: eratq; in numero Romanorum Pontificum decimus nonus. Qui cùm nos advenisse audiſſet, lætatus eſt cum omni clero ſuo, & in magnâ honorificentiâ nos ſuſcepit: habebat quippe cognatas quamplures inter nos. Nocte verò quæ proxima erat poſt adventum noſtrum, revelatum eſt ei à Domino, quòd relictâ ſede Apoſtolicâ nobiſcum eſſet profecturus, ſimulq; martyrij palmam nobiſcum acceperus. Ipſe verò erat celans apud ſe revelationem hanc; dedit q; ſacri baptiſmatis benedictionem multis ſodalium noſtrarum, quæ nondum erant renatæ in Chriſto. Cumq; opportunum tempus acceſſiſſet, manifeſtam fecit voluntatem ſuam, atq; in conſpectu totius Eccleſiæ reſignavit officium dignitatis ſuæ; reclamantibus cunctis, præcipuè Cardinalibus qui velut deliramentum arbitrabantur quòd quaſi poſt fatuitatem mulierculatum declinaret, neſcientes admonitionem divinam quæ eum urgebat. Ipſe autem conſtanter in propoſito ſuo permanebat, propter amorem virginitatis noſtræ: nam & ab infantiâ ſuâ ipſe immaculatam virginitatem cuſtodierat in ſeipſo. Ab illo ergo tempore omnem gratiam, quam in conſpectu Romanæ Eccleſiæ priùs habebamus, amiſimus: & obſcuri nobis facti ſunt, qui priùs applauſerunt nobis. Ipſe autem venerandus pater noſter beatus Cyriacus, non priùs ab urbe egreſſus eſt, donec ipſius conſilio alter ei nomine Antherus ſubſtitutus eſt.*

Subdit

Subdit deinde Elizabetha: *Post hæc, cùm perspexissem catalogum Romanorum Pontificum, neq; usquàm nomen sancti Cyriaci illic reperissem; rursùm interrogavi beatam Verenam, cùm se mihi die quadàm præsentâsset, quare in eo cæteros Romanos præsules ascriptus non fuisset. Et dixit, hoc ex indignatione cleri accidisse; pro eo quòd in ordine dignitatis suæ usq; ad finem permanere noluisset. Rursus die aliâ, cùm eam interrogâssem de quodam Iacobo, cujus nomen in sepulturâ ejus absq; omni adjectione scriptum inventum est: visa mihi est quædam modo gratulari super interrogatione meâ; respondit q; mihi hilariter, dicens. Fuit in tempore illo quidam nobilis pater, venerabilis vitæ, Iacobus Archiepiscopus: qui de patriâ nostrâ in Antiochiam peregrè profectus fuerat; ibiq; ad honorem Præsulatus ascenderat, & septem annis rexerat Ecclesiam illam. Hic cùm audîsset beatum Cyriacum suæ gentis virum Romæ in Apostolicam dignitatem sublimatum, venerat visitare eum: jamq; nobis advenientibus nuper de urbe erat egressus. quod cùm nobis indicatum fuisset, missus est velociter nuncius ad revocandum eum: & inventus est in castello quodam, quod erat remotum à Româ duabus diætis. Cumq; audîsset de adventu nostro, continò reversus est ad nos, & factus socius itineris nostri, & particeps passionis nostræ in Coloniâ. habebat autem & ipse nepotes aliquos in nostrâ societate. Hic, exhortante beato Cyriaco Papâ, cùm esset vir prudens magnam diligentiam adhibuerat, ut sciret nomina sororum nostrarum, atq; ea ex magnâ parte cùm interemptæ fuissemus, lapidibus inscripta corporibus nostris adhibuit: sed antequàm hoc perficere potuisset, deprehensus est ab impijs in hoc opere, & trucidatus est in medio nostri. Hinc est, quòd quædam ex nostris titulatæ inveniuntur, quæ damverò non. In ipsâ autem horâ passionis suæ, cùm jam feriendus esset, hoc solum à percussoribus postulavit, ut tantùm differretur passio ejus, quousq; sui ipsius nomen posset lapidi inscribere: & concessum est ei.*

De Ursulę verò sponso *Etherio* (quem *vixisse annos quinq; & viginti fideles* titulus sepulchralis indicabat)

atq; ejus parentibus, ab Angelo Domini, qui ipsam visitare consuevit, ista se didicisse eadem affirmat monialis. *Cùm reverteretur Româ exercitus beatarum virginum; in ipsâ nocte quâ sexti diei iter consummatum erat, Etherius rex qui erat marens in Britanniâ angelicam per visionem à Domino admonitus est, ut matrem suam Demetriam hortaretur fieri Christianam (nam pater ejus, cui nomen erat Agrippinus, in primo anno quo ipse baptismatis susceperat gratiam, à vitâ discesserat:) simulq; annunciatum est ei, quòd egressurus esset de terrâ suâ, & venturus in occursum Sponsæ suæ quæ jam erat Româ regrediens; quodq; in urbe Colonâ cum eâ passurus esset, & immarcescibilem coronam à Deo accepturus. Qui confestim divinæ admonitioni acquiescens, matrem suam exhortationi ejus consentientem regenerari fecit in Christo: assumptaq; eâ & parvulâ sorore suâ Florentinâ etiam Christianâ, properavit in occursum beatissimæ Sponsæ suæ; & factus est ei socius in passione & gloriâ cœlesti.*

Ab Angelo quoq; de *Constantiâ* reginâ (quæ matris nomine etiam *Firmundina* dicta fuerit) ejusq; patre *Dorotheo* rege Constantinopolis è Siciliâ oriundo, edoctam se addit: & de sanctâ *Gerasinâ*, Virginum omnium ductrice, à S. Nicolao (ni fallor) ejusmodi responsum accepisse. *S. Gerasina, de quâ interrogas, fuit regina Siciliæ, & verè erat de fidelis radice Aaron: & habebat spiritum Domini abundanter. Virum suum Quintianum regem, cùm esset primo tyrannus crudelissimus, convertit, & quasi de lupo agnum mitissimum fecit. Hic eam sumpserat de Britanniâ: & erat soror sancti Mauritij Episcopi, & Dariæ matris sanctæ Ursulæ Reginæ. Tres habebat filios, & filias sex: & erat minimus in eis sanctus Adrianus martyr. Frater ejus senior erat Dorotheus Rex Græciæ, qui erat pater sanctæ Constantiæ quæ ad vos delata est. Eo autem tempore quo beata Ursula de sancto proposito suo cum patre suo occultè tractabat, pater ejus magnam habens solicitudinem illius negotij, direxit epistolam ad beatam Gerasinam, aperuitq; ei voluntatem filiæ suæ & revelationes quas divinitùs ei detexit: & quærebat*

rebat audire consilium ejus; quia sciebat eam esse magnæ sapientiæ mulierem. Illa autem divinâ virtute inspirata, & intelligens verbum exiisse à Domino, iter aggressa est cum quatuor filiabus suis, Babilâ, Iulianâ, Victoriâ & Aureâ, & parvulo filio suo Adriano, (quia amore sororem suarum ultrò se ingessit peregrinationi:) & relicto regno in manu filij sui & duarum filiarum, usq; ad Britanniam navigavit. Ejus itaq; consilijs totus ille sacer exercitus virginum collectus & ordinatus est: & erat ductrix omnium in cunctis vijs peregrinationis earum, per consiliorum suorum gubernationem; & ad ultimum cum eis martyrium passa est.

Tum ad *Verenam* iterùm conversa, de persecutionis auctoribus consulendam eam censuit. *Quodam*, inquit, *tempore à beatâ Verenâ, cùm ad videndum mihi se præsentâsset, sciscitata sum (sicut mihi à quodam fratre suggestum est) quisnam fuerit actor martyrij beati illius exercitus? nam secundùm considerationem narrationis quæ de præfato Papâ in præcedentibus facta est, nequaquàm (sicut æstimant * nonnulli) Attila rex Hunnorum, illius persecutionis actor extitit; sed multorum annorum spatio posteà ejus persecutio subsecuta est. Cui interrogationi ita respondit. Cùm essemus Romæ, fuerunt ibidem eo tempore duo principes iniqui, quorum nomina erant Maximus & Aphricanus: qui videntes magnam esse multitudinem nostram, & multos confluere ad nos & nobis associari, indignati sunt vehementer adversùm nos; & metuebant ne forte per nos multum crescere & robarari deberet religio Christiana. Unde cùm explorâssent iter nostrum quo perrecturæ eramus, miserunt cum festinatione legatos ad quendam cognatum suum nomine Iulium, qui erat princeps gentis Hunnorum, hortantes eum ut educto exercitu suo persecutionem nobis inferret, ac deleret nos. Qui citò acquiescens voluntati eorum, cum armatâ multitudine egrediens irruit super nos cùm venissemus Coloniam, ibiq; effudit sanguinem nostrum.*

* Otto Frisingens. Chronic. lib. 4. cap. 8.

Nempe ex *consideratione narrationis quæ* de Cyriaco *Papâ in præcedentibus facta est*, ad annum quo Anterus ab co-

eo in Pontificatu subſtitutus fuiſſe fingitur paſſionem Virginum conſequenter referendam fuiſſe obſervaverat vel Elizabetha vel ſubdolus potiùs, cujus operâ in Revelationibus iſtis concinnandis illa uſa eſt, monachus: ſive frater ipſius [g] Egbertus ille fuerat, S. Florini cœnobij apud Schonaugiam Abbas; ſive [h] Rogerus Ciſtercienſis, Fordani monaſterij apud Anglos cœnobita. Cumq; in libro Pontificali, qui Damaſo tribuitur, Anterus *temporibus Maximini & Africani Conſulum* ſedisſe, *& à Maximo Præfecto martyrio coronatus* fuiſſe diceretur: inde *Maximi & Africani* ſuaſu Virginum cædem à *Iulio* Hunnorum principe factam tradidit. Occupavit tunc Romanum imperium *Iulius Maximinus* Thrax, patre Gotho, matre Alanâ genitus: cujus tempore Urſulam cum ſuis paſſam etiam [i] Iohannes Leidenſis aſſerit. Colonienſis Ieſuita ex Vincentio Bellovacenſi, Antonino, Iohanne Magno hiſtoriæ Gothicę ſcriptore, & Hiſtoriâ antiquâ Coloniæ impreſſâ, ad annum à Chriſto nato CCXXXVII. Virginum mortem refert: verùm in Tuitienſi ſepulchralium titulorum Catalogo annum CCXXXVIII. diſtinctè expreſſum fuiſſe ſubjicit. quo etiam anno *Maximianum Aug. & Africanum* Conſules fuiſſe cenſuit Baronius: licèt CCXXXVI. æræ Chriſtianæ anno eorum Conſulatum convenire verior nos doceat Chronologia.

Hiſce verò Elizabethæ ſomnijs, & ſpecioſo ſepulchralium epigrapharum titulo, deluſire Ieſuita, gloriari non dubitat, *Reliquias Colonienſes inter certiſſimas merito à nobis habendas eſſe: quippe quarum nomina, ſtatus, conditio cùm intra triduum à SS. Virginum cede ab eo qui interfuit conſcripta ară, intra ipſos ſarcophagos, ut ſeparari non potuerint, unâ cum ipſis corporibus aſſervata, atq; Deo tandem revelante anno* MCLVI. *inventa fuerint.* Indeq; etiam [k] Robertus, cœnobij S. Mariani apud Autiſſiodorenſes monachus, quum ex *Hiſtoriâ Britonum*, vel Sigebertini potiùs Chronici interpolatore, Urſulanarum tragœdiam recita-

[g] *Viſion Elizabeth. lib 1. cap. 1. & lib. 4. cap. 6. Io. Trithem. Chronic. Hirſaugienſ. ann. 1165.*

[h] *Io. Bale. Scriptor. Britan. Centur. 3. cap. 23.*

[i] *Io. Gerbrand. Chronic. Belgic. lib. 1. cap. 1.*

[k] *chronolog. Altiſſiodor. ad ann. 453.*

recitaviſſet; ad Revelationum Elizabethæ normam narrationem illam corrigi oportere, ita lectores ſuos admonendos eſſe cenſuit. *Verùtamen de beato Collegio ac ſacro martyrio* XI. *milium Virginum aliter ſentiendum, venerabilis ſanctimonialis Elizabeth nomine in ſuâ revelatione digniſſimè manifeſtat: quæ jam in noſtro ſeculo, anno videlicèt Incarnati Verbi* MCLVI, *divinitùs mirabiliter meruit edoceri, non ſolùm quo tempore prædictæ paſſæ ſint Virgines, verum etiam quis pater Urſulæ, quæ cognatio ejus; quantis religioſis perſonis tam laicis quàm eccleſiaſticis Collegium Virginum fretum fuerit, & qui & quomodo etiam ipſi pro Chriſto cum ſacris Virginibus martyrium pertulerunt. Dicit enim quòd quidam Papa urbis Romæ Quiriacus nomine,* XIX. *poſt Petrum, cum illis paſſus ſit. fuit ſiquidem iſte Pontiani Papæ ſucceſſor, & rexit Eccleſiam an.* I. *& menſ.* X. *& ſic in loco ſuo virum ſanctum, qui Anteros dictus eſt, ordinavit: & cum* XI. *milibus Virginum diſcedens, ſedem ſuam reliquit. Nam & ipſe de Britanniâ natus, plures conſanguineas in ſanctarum numero puellarum aſſeritur habuiſſe: & quia ſedem Apoſtolicam invito Clero reliquit, nomen ipſius de Catalogo Romanorum Pontificum idem Clerus eraſit.*

Hæc etiam de Quiriaco vel Cyriaco fabella, ut res certa producitur in Gloſsâ quâdam[1] Sexti libri Decretalium: quæ in antiquioribus editionibus (nam è novâ Romanâ expuncta ea eſt) ita pridem legebatur. *Datur certum exemplum de Cyriaco Papâ: de quo legitur, quòd cum Urſulâ &* XI. *milibus Virginum martyrizatus eſt. Scribitur enim de ipſo quòd ſibi quondam revelatum eſt, quòd eſſet cum illis Virginibus palmam martyrij recepturus. Tunc congregatis Clero & Cardinalibus, omnibus quibus & præcipuè Cardinalibus, coram ipſis renunciavit dignitati & officio. Sed iſte Cyriacus in Catalogo Romanorum Pontificum non denominatur: quia § creditum fuit per Cardinales, quòd non propter devotionem, ſed propter oblectamenta Virginum Papatum dimiſiſſet.*

[1] Lib. 1. tit. 7. *De renunciatione* cap. 1. *Quoniam.*

§ Martin. Polonus in Chronico Pontific. ann. 238.

Eodem verò tempore quo Pseudo-Cyriaci istius & aliorum Vrsulæ comitum nomina per Elizabetham primùm mundo sunt patefacta, in Angliâ summâ cum testate claruit * Henricus Wintonienſis Episcopus: qui Glastonienſi cœnobio (cui Abbas præfuit) *corpora sanctarum virginum Vrsulæ & Dariæ* donavisse memoratur. Id enim in Glastonienſium Reliquiarum Indiculo legimus: hâc quoq; notatione additâ. *In feretro S. Vrsulæ virginis continentur reliquiæ ejusdem satis plenè, Item in eodem feretro continentur reliquiæ sanctæ Dariæ virginis, pro tertiâ parte: de dono Domini Henrici episcopi Wintoniæ.* Nam Virginis titulum hîc obtinet *Daria*; quæ in Elizabethæ Visionibus S. Vrsulæ mater fuisse traditur: licèt ejus matrem [m] Iacobus Philippus Bergomenſis *Demetriam* fuisse dicat; quæ in illâ Elizabethæ ἀποκαλύψει sponſi Vrsulæ Etherij genitrix cōstituitur.

A Dariæ autem *istius reliquijs in Hiberniam importatis, Comitatum illius gentis primum & Lageniæ caput Kildariam vocatum*, eâdem auctoritate statuit [n] Dempsterus, quâ *Exhortationum ad castitatem librum unum* scriptum ab eâ fuisse asserit. quanquam & aliam *S. Dariam virginem* fuisse agnoscat, *S. Brigidæ Scotæ* (primæ Kildariæ conditricis) *æqualem*; non quidem, ut [o] ille scribit, *à Cogitoso Nepote*, sed à Iohanne Tinmuthenſi, & alijs vitæ Brigidæ scriptoribus commemoratam: quorum unus visum ab eâ *Dariæ* huic collatum simul & ablatum, inter * alia huic Thaumaturgæ ad modùm familiaria miracula, sic recenſet. [p] *Quodam tempore sanctissimæ Brigidæ & aliæ sanctæ virgo nomine Dariæ, colloquentes invicem de Christo, non senserunt noctem. Ubi enim Sol justitiæ Christus præsens fuit, nihil tenebrosum erat. Sed S. Daria oculis à nativitate orbata erat: quæ ait ad S. Brigidam. Domina, benedic oculos meos; ut valeam mundum videre, sicut desidero. Tunc S. Brigida oculos ejus benedixit, & statim aperti sunt: & respexit mundum. Et ait S. Daria ad beatam Brigidam: Iterùm, mater, reclude oculos meos.*

quanto

*de quo suprà, cap 6. pag 118.

[m] Philip. Bergom. de claris mulierib. cap. 134.

[n] Dempster. histor. Eccles. ast. Scotor. lib. 4. num. 385.

[o] Id. ibid. num. 387.

[p] Vitæ S. Brigidæ MS. lib. 2. cap. 68.

* *Brigida qualis erat pandit conversi forum, Muti vox, regis jus, radiusq; oculi.* Alexander Essebienſis, in libro Festivali,

quanto enim mundo absentior fuerit homo, tanto præsentior Deo erit. Et signans S. Brigida oculos ejus; recluſi ſunt, ſicut ipſa rogavit.

Verùm nominis *Kildariæ* originem neq; ab hâc neq; ab Vrſulanâ illâ *Dariâ*, ſed à quercu vel robore (quod *linguâ Scotorum*, ſive Hibernorum, *Dear* appellari etiam a [q] Bedâ eſt notatum) anonymus ille repetit: de Brigidæ adventu in patriam ſuam, *Lageniæ* nempe provinciam, in quâ à patre Dubtacho genita eſt (natam enim illam in *villâ Fachayrd, quæ eſt in provinciâ Ultorum & regione quæ dicitur Conayll Murthemni*, [r] idem jam dixerat) ita ſcribens. [s] *Dum veniſſet glorioſiſſima virgo Brigida ad patriam ſuam; cum magno honore & totius provinciæ gaudio ſuſcepta eſt. Et cella aſſignata eſt ei illico: in quâ ipſa Dei Sancta mirabilem vitam deinde duxit. Ibi magnum monaſterium plurimarum conſtruxit virginum: ibiq; maxima civitas poſteà in honore beatiſſimæ Brigidæ crevit, quæ eſt hodie metropolis Laginènſium. Illa jam cella Scoticè dicitur Cyll-dara: quod ſonat Latinè, Cella quercus. Quercus enim altiſſima ibi erat; quam multùm ſancta Brigida diligebat.*

[q] Bed hiſtor. lib. 3. cap. 4.

[r] Vit. Brigid. lib. 1. cap. 6.

[s] Ibid. lib. 1. cap. 1.

Sed Glaſtonienſibus *Dariæ* ſuæ, ſive virginis ſive viduæ, reliquiarum *tertiam partem* relinquamus: num *Vrſulæ* verò corpus *ſatis plenè* illi habuerint, Colonienſes viderint; qui in Vrſulanâ Eccleſiâ & caput (quod [t] Bergomenſes etiam in Auguſtinianorum ſuorum eremitarum conventu habere ſe credunt) & corpus ejus adhuc penès ſe ſupereſſe jactitant. ſiquidem hîc *aſſervantur in tribus argenteis deauratis gemmiſque pretioſè veſtitis ac ſummo altari incorporatis Tumbis tria corpora; videlicèt S. Cyriaci Pontificis, S. Vrſulæ, & S. Conani ejus ſponſi quem alij Etherium nominari volunt: quorum capita, mediis argenteis ſtatuis inclusa, in Aureâ Camerâ ſeorſim, cum multis alijs primarijs capitibus, reverenter ſub firmâ clauſurâ cuſtodiuntur.* Refert hoc in Sacrario ſuo Agrippinæ Erhardus Winheimius: de alijs quoque ejuſdem gene-

[t] Iacob. Philip. Bergom. in Supplement. Chronicor. lib. 9. ann. 453.

ris κειμηλίοις in aureâ illâ Camerâ à se conspectis porrò adjiciens. *Vidi in hâc Camerâ, revera aureâ,* * *telum quo S. Vrsula transfixa fuit. Item annulum aureum simplici opere, quo eadem Sancta à sponso suo subarrata fuit. Item eburneas affabrè factas cistulas, in quibus reliquia quas Româ secum attulit, & quæ ad regalem muliebrem mundum pertinent, ipsaq; in itinere usa fuit, continentur. Bibi etiam inibi ex unâ Hydriâ, in quâ Christus in Canâ Galilæa aquam in vinum convertit.* de quâ tamen, an [u] metretas illa caperet binas vel ternas, unicè securum fuisse arbitror.

Addantur his & belli isti versiculi, [x] qui ad Vrsulani templi leguntur introitum.

Hæc est Basilica excellens honore,
Vbi gens Hunica magno cum furore
Virgineos stravit choros.

& intra ædem consimiles, ad Cyriacum Pontificem:

Clemens Ciriace Papatum renuis;
Ad nutum Vrsulæ decedens strenuus
Triremibus ad Vbios.

& ad sponsum Vrsulæ Ethereum:

Dive Etherie dignè fers annulum;
Nobilis Vrsulæ optans connubium,
Consummatum Agrippinæ.

Quibus omnibus [y] Elizabethæ Abbatissæ Schonaugiensis, *ceu canonizatæ Virginis*, revelationes eam conciliârunt fidem; ut hanc ipsam Ecclesiam non alio quàm *Revelationum* titulo inde insignitam fuisse, vulgari sermone perhibeatur.

Quàm nihili verò & Elizabethæ (quantumvis canonizatæ) Revelationes & Coloniensium traditiones hasce Cæsar Baronius fecerit; ex censurâ illâ apparet, quam secundo Ecclesiasticorum suorum Annalium Tomo inseruit. [z] *Non audiendi penitùs recentiores quidam, qui post Pontianum introducunt Cyriacum quendam Romanum Pontificem, cujus nulla prorsùs extat mentio in serie*

* *Sagittæ* ictu interijsse se ipsa affirmat Vrsula: si quæ fides Revelationib. Elizabethæ & Richardi Præmonstratensis sit adhibenda.

[u] Iohan. 2. 6.

[x] Petr. Cratepol. in Coloniensium archiepiscop. Catalogo, num. 4.

[y] Vid. Winkelm. Sacrar. Agrippin. num. 9. pag. 85.

[z] Baron. ann. 337. §. 11. Vid. & Notat. in Roman. Martyrolog. Januar. 3. c.

serie Romanorum Pontificum à Latinis descriptâ (uti in libro de Romanis Pontificibus, vel apud Optatum Milevitanum, vel Augustinum, aut Cresconium, alióve Indices Vaticanos) nec apud Græcos, ut Eusebium, Nicephorum Chronographum, vel alios: adeò ut ne digna quidem sit quæ pluribus confutetur sententia; quippe quæ nullâ penitus nitatur ratione, vel testimonio antiquorum, ex commentitijs tantùm Actis martyrij sanctarum Ursulæ & sociarum petita. Pluribus etiam figmenta ista Gobelinus Persona, decanus Bilefeldensis, ante annos ducentos refutavit; præter libri Pontificalis & Eusebij altissimum de Cyriaco silentium, his etiam productis argumentis.

*Illi qui dicunt istum Cyriacum cum Virginibus profectum, dicunt quòd pater B. Ursulæ fuerit rex Britanniæ, & pater Sponsi ejus fuit rex * Angliæ. Sed regnum Angliæ nondum ortum erat: nec etiam Sicilia adhuc regnum erat, nec erat aliqua civitas adhuc Constantinopolis nominata; de quibus omnibus prædicti fabulantes aliquos homines vel fœminas in virginum prædictarum comitatu fuisse asseverant. Et finaliter, non est verisimile Christianos illis temporibus ita publicè urbem Romanam potuisse visitâsse in tantâ comitivâ: cum necdum solitum erat eandem urbem, paucas adhuc habentem Ecclesias, pro indulgentijs visitari; nec etiam aliquis Imperator fidem Christi adhuc susceperat. Sed error iste surrexit, ut dicitur, de quâdam fœminâ, nescio an inclusâ vel monachâ, quæ erat apud Sconowgiam temporibus Friderici primi, circa annum Domini* MCLVI. *quæ asseruit talia & multa alia sibi revelationibus divinis patefacta. cujusmodi revelationes assertas ego perlegi: & in multis contrariantur libris Chronicis & Historijs. Unde quædam ad impugnandum, seu verius ad elucidari provocandum, hujusmodi erroris caliginem collegi; quæ Coloniam examinanda destinavi. Et licèt plures viri solennes & magnæ reputationis illa perlegerunt; tamen solutiones eorum, quæ contra supradictas assertas revelationes (in quantum historiam virginum prædictarum contingunt) allegavi, obtinere non valebam.* Hæc ille, in Cosmodromij sui capite

* Id primus, ni fallor, dixit Vincentius in Speculo historial. lib. 20. cap. 40. & post eum Iacobus Ianuensis, in Legendâ aureâ, cap. 154. Antoninus in Chronic. tit. 11. cap. 8. §. 7. & Petrus Equilin. lib. 9. cap. 67.

capite XIIII. de *Antero* etiam statim subjiciens. *Antherus natione Græcus, sedit mensem* I. *dies* XXV. *Et eo tempore Maximus & Africanus Romæ Coss. fuerunt: ut patet in epistolâ suâ.* * *quam ipse Antherus Toletanæ provinciæ episcopis direxit. Et in assertis revelationibus prædictis fœmina supradicta dicit, quòd Maximus & Africanus Coss. supradicti scripserunt ad quendam Iulium cognatum suum, tunc principem Hunorum, ut* XI. *millia virginum morti traderent, quando ad partes Germaniæ redirent. Sed Coss. illi habuissent potestatem virgines illas Romæ occidisse, cùm eo tempore persecutio servebat in Urbe; ita quòd ipse Antherus Papa pro fide Christi occisus est, ut scribit Damasus Papa in libro suo: nec etiam gens Hunorum adhuc cognita fuit partibus Germaniæ vel Italiæ.*

* Hæc Anteri epistola in libris editis nullam habet ὑπογραφὴν, sed successoris Fabiani habetur alia, data *Kalend. Iul. Maximino & Africano Consulib.*

Iacobus Philippus Bergomensis Maximum & Africanum *Romanæ militiæ principes* fuisse ait: & licèt in alijs Elizabetham ferè sequatur, in temporis tamen ratione ab eâ discedendum sibi putavit, Attilæ militibus Virginum cædem attribuens. *Ursulam virginem & martyrem,* inquit [a] ille, *illustrissimæ originis & celebris ingenij fœminam Britannicam, in anno Domini quinto & quinquagesimo supra quadringentesimum, cum undecim milibus promiscui sexus Christianis (qui omnes Virginum nomine appellantur) apud Coloniam insignem Germaniæ urbem, ab Hunnis Scythisq; impurissimis, scelestissimis, sylvestribus populis, sub Attilâ rege militantibus, gloriosissimum martyrium pro Christi nomine pertulisse compertum est.* & pòst. *De hujus sanctæ virginis sociarumq; passionis temporibus, quædam fuit apud illustres historiarum scriptores ambiguitas: cùm sint qui dicant illam passam fuisse temporibus Alexandri Romanorum principis; qui desijt regnare in anno Salutis nostræ sexto & trigesimo supra ducentesimum. Sed ratio non patitur, ut tali tempore passa fuerit beata Ursula; quum tunc Sicilia regni titulum non haberet, neq; Byzantium: sed verius, eam passam tempore suprà præmisso.*

[a] Philip. Bergom. de claris mulierib. cap. 134.

Similiter & Iacobus de Voragine, Ianuensis sive

Genu-

Genuensis episcopus: pro quo (ne ejus nomine, quod aureæ Legendæ prodigiosa figmenta infame fecerant, notationes suas in Martyrologium polluerent) Claudium de Rotâ [b] Baronius nominare maluit. [c] *Passa sunt anno Domini* CCXXXVIII. *Ratio autem temporis, ut quibusdam placet, non sustinet quòd hæc tali tempore sint peracta. Sicilia enim tunc non erat regnum, nec Constantinopolis: cùm hîc fuisse dicatur cum Virginibus harum reginas. Verius creditur, quòd diu post Constantinum Imperatorem, cùm Hunni & Gothi sæviebant, tale sit martyrium celebratum: tempore scilicèt Marciani Imperatoris (ut in quâdam Chronicâ legitur) qui regnavit anno Domini* CCCCLII. & Antonius Bonfinius, Hungaricæ historiæ Decad. 1. lib. 5. *Sedente Anthero Pontifice Maximo, & imperante Maximino, quamvis hæc gesta Annales quidam referunt; ratio tamen temporum nullo modo constare potest. Multo rectiùs sensere illi qui, quum diu post Constantinum Unni Gothiq; sævierint, hæc imperante Marciano & anno Salutis* CCCCLII. *accidisse tradiderunt.* [d] Petrus Equilinus Virgines illas *passas sub Hunnorum principe Iuliano circa annum Domini* CCCCL. affirmat. Ad annum CCCCLI. earum passionem refert [e] Carolus Sigonius; ad CCCCLIII. Sigebertini Chronici interpolator; ad CCCCLIIII. [f] Dempsterus; ad CCCCLXVI. [g] Petrus Merssæus Cratepolius: ad CCCCXLII. [h] Alphonsus Garsias, in Concilio Basileensi adversus Oratores regis Angliæ ex Legendâ aureâ ita disputans. *Ut legitur in Legendâ* XI. *millium Virginum, Rex Angliæ erat paganus, & petebat in uxorem pro suo filio Ursulam virginem catholicam filiam Regis Britanniæ: & hoc fuit anno Domini quater centesimo quadragesimo secundo. Et sic longè post Hispaniam cepit Anglia fidem Catholicam.*

Anno post excessum Elizabethæ Schonaugiensis undevicesimo novas Visiones Richardus Præmonstratensis in lucem protulit; quibus priorum illarum defectus, & Virginis Deiparæ & Ursulæ ipsius monitu, luculenter

[b] Baron. notat. in Roman. Martyrolog. Octob. 21. & eum secuti Petr. Ribadeneira in *Vitis* Sanctorum Hispanicè edit. & Thom. Dempsterus, histor. Ecclesiast. Scotor. lib. 19. pag. 654.

[c] Iacob. Ianuens. Legend. aur. cap. 154. curâ Claudij de Rotâ edit. an. 1536.

[d] Petr. de Natalib. lib. 9. cap. 87.

[e] Sigon. de Imper. Occident. lib. 13.

[f] Dempst. histor. Ecclesiast. Scotor. lib. 1. num. 21. 39. 41. lib. 2. num. 126. &c.

[g] Petr. Cratepol. Catalog. archiepisc. Colon. num. 4.

[h] de quo suprà, cap. 2. pag. 23.

culenter à se suppletos fuisse planus ille prodidit. Sic enim ille in Epistolâ ad Virgines Christi universas Revelationi huic novæ præfixâ. *Anno Domini* MCLXXXIII. *inspirante Domino, piaq; ipsius genitrice cooperante cunctorum Reginâ, novam undecim milium Virginum historiam describentes, ammonitione persuasi sumus divinâ hanc vestræ Charitati dedicare & sanctificare. Hæc enim sunt verba cœlorum Reginæ, dicentis. Tu communi utilitati universorum providere disponis, hoc opus virginibus dedicando: igitur eis ex parte *meriti scribas, atq; eis dicas quatenùs illas & castitate imitentur & sanctitate.* & in Narrationis suæ exordio. *Evidentiùs in virginis cujusdam, memoriæ felicis, Elizabeth visione nobilis earum perfectio, & magnificentia passionis, habetur conscripta. Præterea & Dominus, ipsarum sponsus & amator, ampliori eas volens adhuc gloriâ clarificare, nuper anno* MCLXXXIII. *quæ hucusq; super earum peregrinatione latebant & gestis dignatus revelare. In exordio itaq; narrationis hujus, juxta ejusdem beatæ Ursulæ admonitionem quæ ceterarum ductrix extitit Virginum & magistra, passionis earum seriem tangemus; & quæ vel unde fuerint, atq; genus & patriam ostendemus. De diversis siquidem partibus erant: videlicèt Anglorum, Britonum, Wallionum, Scotorum, atq; de alijs adhuc pluribus regnis & regionibus fuerunt oriundæ.*

* mei

Ita verò earum aciem instructam fuisse narrat, ut universo exercitui Virgines præessent quinque; sub ijs verò constituerentur undecim aliæ, quarum unamquamq, mille fœminarum agmen sequeretur. Primariarum quinque, nomina recensentur ista. I. *Ursula*, Regis filia: quæ omnium erat caput & princeps. II. *Pinnosa*, filia Ludrenci il ustris Ducis, patrui Vrsulæ, III. *Cordula*, filia Quirini Comitis & Adwigis, filiæ Comitis Harderici matris S. Ursulæ avunculi. IV. *Eleutheria*, filia Eusebij Ducis & Iosippæ amitæ B. Vrsulæ. V. *Florentia*, filia regis Ægidij, qui consobrinus fuit patris Vrsulæ. Chiliarcharum hæc 1. *Iota*, filia Lucij Regis. 2. *Benigna*, cujus-

dam

dam illustrissimi Ducis filia. 3. *Clementia*, filia potentissimi Comitis. 4. *Sapientia*, filia Herwici principis, patrui S. Vrsulæ. 5. *Carpophora*, Regis cujusdam filia. 6. *Columba*, Aniti Regis filia. 7. *Benedicta*, filia cujusdam Principis. 8. *Odilia*, Comitis cujusdam filia. 9. *Chelindris*, quæ patrem Comitem quendam habuit, matrem patris Vrsulæ materteram. 10. *Sibilia*, Firani Regis filia. 11. *Lucia*, Regis filia, & sponsi S. Vrsulæ cognata.

Ex Angliâ vel Britanniâ quinque Episcopi secuti eas esse dicuntur. I. *Willelmus*, proprio nomine vocatus *Michael*; consobrinus Regis S. Vrsulæ patris, & frater S. Iacobi ac B. Gerasinæ. II. *Columbanus*; filius S. Alexandriæ illustris Ducissæ, sororis Vrsulæ matris. III. *Ywanus*, vir grandævus; avunculus matris Vrsulæ IV. *Eleutherius*; frater Eustachij Comitis. V. *Lotharius*, consobrinus sponsi Vrsulæ. Inter Episcopos qui posteà in itinere sese illis adjunxerunt, numeratur *Cæsarius* Meldensis episcopus: & *Donatus*, qui *Romæ factus Papa nomine mutato dictus est Cyriacus: qui etiam occubuit, relicto Papatu eadem Virgines secutus, cum illis interemptus.* Et *quia contra voluntatem Cardinalium Romanique, Senatus consilium illinc discedens proficiscitur, de catalogo Romanorum Pontificum nomen ipsius deletur.* Ita de eo Richardus: de clero etiam Romano eum subsecuto insuper etiam adjiciens. *B. Cyriacum duo sequuntur Cardinales, Pontius & Petrus; quorum unus Petrus Vincentius dicebatur; quia binominis erat. Sequuntur & illos Diaconi duo, Kalixtus & Kilianus. Horum prior filius erat sororis Cyriaci Papæ, & alter cognatus. Proficiscuntur cum eis Subdiaconi tres: Ambrosius, Iustinus atque, Christianus. Sequebatur similiter eum B. Florentius, Ecclesiæ Romanæ archidiaconus, qui & ipse cognatus fuit ejusdam Apostolici..*

Reges etiam undecim enumerat idem, qui se Virginibus comites adjunxerunt: catalogo eorum brevi hoc præfixo proœmio. *Nunc de Regum quorundam serie quæ nuper suis cœlitùs revelata narremus.* & parili hoc

subjecto epilogo. *Nos itaq; veritatem diligentes, puræ veritatis tramitem incedentes, revelatâ scribimus; falsitatis ambaginem prorsùs detestantes. Erant enim Regum regna modica: sicut in libro Regum legitur* (eorum quos nos habemus certè nullo) *quia triginta duo Reges contra tres ad bellum venerunt preparati.* Ursulanorum horum Regum I.us *Olofernes* nominatur, sponsus ipsius Ursulæ. *Hoc autem nomen Olofernes* (inquit sapientissimus author) *nequaquàm illi est proprium; sed propter virtutem animi multam & corporis pulchritudinem ita est cognominatus: quem Domina Elizabeth Etherenm vocat.* II.us *Oliverus*, per sponsam suam virginem Olivam conversus; quæ magni regis Cleopatri erat filia, qui patruus extitit Vrsulæ patris. III. *Crophorus*, regis Pinnosi filius, Vrsulæ cognatus. IV. *Lucius*, pater Iotæ virginis, Vrsulæ cognatus. V. *Clodomeus*; per filiam Eugeniam Ducissam & maritum ipsius Ducem Alexandrum conversus. VI. *Canutus*; qui regnum uni filiorum suorum Karolo relinquens, peregrè profectus est. VII. *Pipinus*, Vrsulæ consanguineus. VIII. *Odulphus*, dicti regis Pipini filius. IX. *Anitus*; filias duas secutus, Columbam & Cordulam. X. *Firanus*: filiam sibiliam & tres illius sorores secutus. XI. *Refridus* rex Danorum; per uxorem Olivam filiam Ducis Saxoniæ conversus.

Præter hos etiam, ut scribit Richardus, *Rex Bonifacius jam antè paganus cum filiâ Bonifaciâ virgine religiosissimâ aderat. Rex etiam Laurentius, jam antè paganus atq; Christianorum inimicus, sævus tyrannus, postea nutu Dei correptus mirabiliter & conversus ex lupo agnus efficitur. Qui sponsam suam sequitur Resindem virginem beatissimam, regis Cerchaniæ filiam de Hiberniâ. Deniq; & ipsam reginam Resindem sponsæ suæ matrem, cum duabus reginis Eusterâ & Magnorâ, secum ducebat; quarum una erat soror ipsius. Affuerunt adhuc plures tam de Hiberniâ quàm de cæteris regnis Principum filiæ, Regum & Ducissarum & Comitissarum.* Quin & parvulas lactentes *ferè ad quingen-*

tas

tas, adfuisse refert: de virorum etiam numero addens. *Audemus sanè confirmare, uti paulo antè divinitùs est revelatum, plusquàm trecentas esse viros in illarum comitatu: quorum ducenti & pauci plures cum eis voluntariè martyrij palmam subierunt. Præ numerositate verò virginum multarum nulla in passione illarum fit mentio matronarum aut virorum.* & pòst. *Personarum sublimium atq; virorum qui in earundem beatissimarum fuerunt Virginum societate intempti numerus erat aliquantulum plus quàm ducentorum: sic enim duobus constat cœlitùs esse revelatum. Fuerunt etiam inter eas matronæ, quæ de Virginum illarum non erant numerò, plus quàm ducentæ.* Ita Richardus Præmonstratensis: non multo plures quàm duodecies mille omnis generis in universâ turbâ hâc ratione dinumerans.

Verùm *in Vitâ S. Achabij & sociorum ejus* (22. Iunij, *in postremâ Surij recognitione typis exusâ*) *ex antiquâ Colonienſium traditione refertur, in hoc sacro cœtu facilè* XIIII. *milia SS. Martyrum utriusq; sexus ac promiscuæ multitudinis extitisse*: ut in Vrsulanâ suâ historiâ monuit Colonienſis Iesuita. At Guilielmus Caxtonus (vel quicunq; fuit *Legendæ Aureæ* anno MDXII. Londini excusæ Anglicanus interpres) Coloniæ accepisse se ait, cum undecies mile virginibus etiam quindecies mile viros passos fuisse: ita ut Martyres in universum 26000. numerarentur. Nam vulgarem illum Virginum numerum ita religiosè retinendum censuit Guilielmus, ut quum ultra *undecim milia* Virginum nobilium, ex infimâ gente creatis, in [i] Britannicâ quidem Galfridi historiâ *sexaginta*, in Malmesburiensis verò monachi [k] Eulogio *octo* Chiliadas numeratas invenisset; ipse inferioris generis *octo*, nobilioris autem *tria* tantùm *milia* in Anglicano suo Chronico reponere minimè dubitaverit. Sed ne ipsum quidem *undecim milium* numerum Breviarii & Martyrologij Romani emendatores exprimendum putaverunt; ut tantæ Virginum multitudinis mentio prorsùs omitteretur, consultius esse rati. Indeq;

[i] Supr. cap. 8. pag. 200. ut & apud Matth. Florilegum, an. 302.

[k] Eulog. Historiar. lib. 3.

ad Octobriis diem XXI. ubi priùs legebatur; *In Cololoniâ Agrippinensi natale sanctarum undecim milium Virginum, quæ pro virginitatis constantiâ martyrio vitam consummaverunt:* jam in Romano Martyrologio legimus. *Apud Coloniam Agrippinam natalis sanctarum Ursulæ & sociarum ejus: quæ pro Christianâ religione & virginitatis constantiâ ab Hunnis interfectæ, martyrio vitam consummaverunt, & plurima earum corpora Coloniæ condita fuerunt.*

Eâdem prudentiâ Virginum numerum silentio involvendum censuit etiam Hector Boëthius: qui, earum historiâ temporibus Attilæ reservatâ, de Athirconis (cujus ante Vrsulana hæc proximè ex eo meminimus) filio Findoco rege narrare pergit, [m] *Floriano imperante Romanis* occisum cum esse, *atq; in agro haud procul ab Euonio, Christianorum sepultura sacro, conditum, parentalibus sacris Christiano more ritè peractis.* Floriani verò bimestre tantùm fuit imperium, & quidem anno æræ nostræ CCLXXVI. peractum: licèt Hector (in Scotorum Regum Catalogo) anno CCLXIII. Findocum interijsse velit. Quæ apud suos religionis facies tunc extiterit; idem hunc in modum explicat. [n] *Cœpere nostri eo temporis Christi dogma accuratissimè amplexari: monachorum quorundam ductu & adhortatione, qui quòd sedulo prædicationi vacarent, essentq; frequentes in oratione, ab incolis Cultores Dei sunt appellati. Invaluit id nomen apud vulgus intantum, ut sacerdotes omnes ad nostra penè tempora vulgo Culdei, i. cultores Dei sine discrimine vocitarentur. Pontificem inter se communi suffragio deligebant, penès quem divinarum rerum esset potestas. Is multos deinceps annos Scotorum Episcopus, uti nostrùm traditur Annalibus, est appellatus.*

Hos Dempsterus à scriptoribus Ecclesiasticis [o] Θεραπευτὰς, à Diogene Laërtio [p] Σεμνοθέους vocatos existimat: de eorum monachatu sententiam suam ita adjiciens. [q] *Cùm eo tempore* [*] *nulli adhuc in Occidente monachi legantur, nec verò esse potuerint, monasticâ regulâ*

Boëth. Scotor. histor. lib. 7. fol. 113. a.

[m] Id. lib. 6. fol. 91. b.

[n] Ibid. fol. 92. b.

[o] Dempster. Histor. Ecclesiast. Scotor. lib. 1. num. 45.

[p] Id. in Apparat. ad Histor. Scotic. lib. 1. cap. 13. pag. 54.

[q] Id. ibid. pag. 146.

[*] Id. supr. cap. 6. pag. 110. & 128.

dus

diu postea tantùm firmatâ; sequitur ut Canonici Regulares omnes ij fuerint: qui ab Apostolicis orti temporibus, magnâ sanctitatis & literaturæ famâ, majore in Ecclesiâ merito & autoritate, à basilicâ suâ Romæ, Lateranenses, demùm à S. Augustino reformatore appellati, inter Ecclesiasticos Scotiæ ordines mirè splenduerunt. Sed & extra Scotiam horum nomen auditum esse docet Giraldus Cambrensis: suo tempore [illegible]ly sive *Berdseyam* insulam *à monachis inhabitam ve[illegible]ossimis, quos Cœlibes vel Colideos vocant*; & apud Momonienses, in * *Insulâ Viventium* quæ vocatur, *paucos cœlibes, quos Cœlicolas vel Colideos vocant, capella devotè deservisse*, referens.

[r] Girald. Itinerar. Cambriæ, lib. 2. cap. 6. *Vid. supr. pag.* 526 527.

[s] Id. in Topograph. Hiberniæ, distinct. 2. cap. 4.

* *Inch ne mea* Tipperariensium.

In majoribus certè Ultonienſium eccleſijs (ut in metropoliticâ *Armachanâ*, & in Eccleſiâ de *Cluan-yniſh* Clochorenſis diœceſeos) ad noſtram uſq; memoriam, presby[illegible]ros qui choro inſervientes divina celebrabant offic[illegible]*Colideos*, eorumq; præſidem *Priorem Colideorum* app[illegible]atum eſſe novimus. Indeq; à Iohanne Meyo archiepiſcopo Armachano, [t] *ex probatiſſimorum teſtium teſtimonio, & quod magis eſt*, (Regeſti verba ſunt) *ſanctorum patrum antiquis Chronicis & prædeceſſorum libris annalibus ſcrutatis & perlectis*, anno MCCCCXLV. ſententiam latam invenimus; quòd *Prioris ſeu cujuſq; Colideatus officium curatum nullatenus ſentiatur, teneatur, vel aliàs reputetur: quin quilibet beneficium curatum ſimul & ſemel cum Prioratus ac Colideatus officio poſſit & valeat libitè & licitè retinere; dummodo in Eccleſiâ Armachanâ debitam fecerit reſidentiam*, &c. & quòd *Priori Colideorum locus primus in menſâ, & in exequendis ac regendis divinis officijs, ut in loco Præcentoris, à Colidais cæteris reverentia congrua debeatur.* Et à Nicolao V. Romano Pontifice [u] aliam: quòd *Prioratus Collegij ſecularium preſbyterorum Colideorum vulgariter nuncupatorum Armachanenſium ſimplex officium & ſine curâ exiſtat.* ut in Reſcripto ipſius videre eſt, dato Romæ apud S. Petrum, an. MCCCCXLVII. Pontificatus anno I.°.

[t] Ex Regiſtro Iohannis Mey. fol. 11.

[u] Ibid. fol. 2.

De veteribus autem Scotiæ *Culdeis* notavit ista Buchananus. [x] *Scoti liberati curis externis, nihil prius habuerunt, quàm ut religionem Christianam promoverent; occasione illinc ortâ, quòd multi ex Brittonibus Christiani sævitiam Diocletiani timentes, ad eos confugerant: è quibus complures, doctrinâ & vitæ integritate clari, in Scotiâ substiterunt, vitamq́; solitariam tantâ sanctitatis opinione apud omnes vixerunt, ut vitâ functorum cellæ in templa commutarentur. Ex eoq́; consuetudo mansit apud posteros, ut prisci Scoti templa cellas vocent. Hoc genus monachorum Culdeos appellabant: mansitq́; nomen & institutum, donec monachorum genus recentius, in plures divisum sectas, eos expulit: tanto doctrinâ & pietate illis inferius, quanto divitijs & ceremonijs cæteroq́; cultu externo, quibus oculos capiunt & animos infatuant, sunt superiores.*

[x] Buchanan. rer. Scoticar lib 4. *in reg* XXXV.

Sæviente verò per Britannias *Maximiani* persecutione *S. Nicolaum*, ex horum Culdeorum ordine Episcopum effectum, martyrio vitam finiisse Dempsterus ait. *S. Nicolaus Culdeus*, [y] inquit, *atq́; unus ex primis Scoticæ Ecclesiæ Episcopis, sæviente per Britannias Maximiani persecutione martyrio affectus: in urnam lapideam sacrosanctæ reliquiæ corporis frustratim concisi & truncati repositæ, atq́; unâ cum cruce quâdam venerabili in terram defossæ, postea effossæ hâc inscriptione venerationem meruerunt.* S. NICOLAI EPISCOPI, *quibus deinde Rex Alexander III. rogatu Glascuensis Episcopi magnificam Ecclesiam apud Plebes* (vel *Pebles* potiùs) *construxit; quæ stante apud nostrates pietate, miraculorum gloriâ erat illustris, & concursu mirabili frequentabatur. An aliquid hic primus Episcopus, ut puto, in Scotiâ martyr scripserit non deprehendi. Passus est martyrium anno* CCXCVI. *Repertum sacrum corpus, ex inscriptione agnitum, & cum cruce exaltatum* VII. *Idus Maij, anno* MCCLXII. *qui fuit decimus & tertius Alexandri III. Regis; ut pluribus in Scotichronica extat lib.* XIV. *cap.* XVI.

[y] Dempster. Histor. Ecclesiast. Scotor. lib. 13. num. 952.

At neq; Culdeum neq; Scoticæ Ecclesiæ Episcopum fuisse

fuisse martyrem illum Scotichronici scriptor prodidit: neq; locus ille in quo reliquiæ repertæ sunt, temporibus Maximiani pars ulla Scotiæ fuit. Verbà verò auctoris illius, si quis ea requirat, in libro meo hęc sunt. *Septimo Idus mensis Maij, anno Domini* MCCLXI. *& regni Regis Alexandri* XIII.o *inventa est quædam magnifica Crux & venerabilis apud Peblis, astantibus honestis viris, presbyteris, clericis & burgensibus: sed quoto anno, vel à quibus personis, ibidem abscondita fuerat penitùs ignoratur. Creditur tamen quòd sæviente Maximiani persecutione in Britanniâ, per quosdam fideles absondebatur circa annum Domini* CCXCVI.um *Inde verò non longè postea ibidem reperta est una urna lapideâ, quasi tribus vel quatuor passibus à loco quo illa gloriosa Crux fuerat inventa, cineres & ossa continens cujusdam corporis humani quasi membratim decurtati. Cujus autem sunt reliquiæ, nondum scitur ab aliquo. Quidam autem autumant illius esse reliquias, cujus nomen inventum est scriptum in ipsâ petrâ, in quâ illa Crux sancta jacebat. Sculpebatur in ipsâ forinsecùs*; Locus Sancti Nicholai Episcopi. *In ipso quoq; loco ubi extrà inveniebatur per ipsum Crucem crebra fiebant & fiunt miracula: atq; populi catervatim ibidem confluxerunt & confluunt, oblationes & vota sua Deo devotè portantes. Unde Rex de consilio Episcopi Glasguensis Ecclesiam ibidem honestum in honore Dei & sanctæ Crucis fieri fecit.*

Hæc ille: cum quibus & interpolatoris Ninij de Hierosolymitanâ Regis Arthuri peregrinatione narrationẽ conjungas licet. *Octavum*, inquiebat Ninius, *fuit bellum in castello Guinnon; in quo Arthur portavit imaginem sanctæ Mariæ semper virginis super humeros suos: & pagani versi sunt in fugam in illo die, & multi ceciderunt; plagaq; magna super eos venit, per virtutem Domini nostri Iesu Christi sanctæq; suæ genitricis.* Hujus fabellæ rationem redditurus Scholiastes, eam novâ cumulandam censebat fabulâ. *Nam Arthur*, ait ille, *Hierosolymam pertexit; & ibi crucem ad quantitatem salutiferæ Crucis fecit: & ibi consecrata est.*

Et

Et per tres continuos dies jejunavit, vigilavit & oravit coram Cruce Dominicâ; ut ei Dominus victoriam daret per hoc signum de paganis: quod & factum est. atq; secum imaginem sanctæ Mariæ detulit: cujus fra[illegible]e adhuc apud Wedal servantur in magnâ veneratione. [illegible]dal Anglicè *Vallis doloris* Latinè. *Wedal villa est in pro[illegible]ia Lodonesia, nunc verò juris Episcopi Sancti Andreæ Scotiæ, sex miliaria (ab occidentali parte) ab illo quondam nobili monasterio de Melfeet* vel (ut habet codex, qui in publicâ Cantabrigiensis academiæ Bibliothecâ asservatur) *nobili & eximio monasterio de Meilros.*

Erat autem *Meilrosense* monasterium in ripâ [x] Twedæ fluminis situm, in regiunculæ *Twedal* sive *Peblis* (ad Twedam item fluvium, in *Lodonesiæ* sive *Laudoniæ* provinciâ positæ) viciniâ. Ut ad eundem locum utraq; narratio omninò pertinere videatur: quarum alteram illam, ad Alexandri III. tempora spectantem, etiam [a] Hector Boëthius sic exposuit. *Refunni monachum quendam à Melros câ tempestate in somno, uti dicebat, ab Angelo edoctum Crucem reperisse, haud longè ab oppidulo Laudoniæ nomine Pepilis, capsæ, cui titulus inscriptus erat Sancti Nicolai episcopi, inclusam. Nec multo diverso loco Urnam repertam lapideam summo artificio factam, atq; in eâ inventa ossa in bysso involuta; sed cujus ea fuerint incertum fuisse. Verùm protinùs apertâ Cruce multa facta miracula. Alexander rei novitate ac religione motus, templum in quo loco Crux ipsa reperta erat magnificum extruxit: idque nunc monachi Sanctissimæ Trinitatis inhabitant.*

Crathlintum Scotorum Regem *Dei cultores* (sive *Culdeos*) *ob Diocletiani & Constantij tyrannidem ex Britanniâ, [illegible]egos comiter & benignè accepisse*, narrat [b] Iohannes Lesæus: Hectorem Boëthium hîc secutus, de Constantio Constantini Magni patre ita scribentem. [c] *Vitæ fama, alioqui optimi, labefactata ad posteros quòd, Diocletiani more, in Britanniâ Christianæ religioni fuerit insidiatus: unde magnus piorum numerus persequentium sævitiam declinare*

[x] Bed. Ecclesiast. histor. lib. 4. cap. 27. & lib. 5. cap. 13.

[a] Hect. Boëth. Scotor. histor. lib. 13.

[b] Lesæ. de reb. gest. Scotor. lib. 3. *in rege* XXXIIII.

[c] Boëth. Scotor histor. lib. 6.

nare cupiens, ad Scotos & Pictos concessit. Hos Crathlintus rex ad se confugientes benevolo affectu suscepit, & ut in Monâ insulâ considerent, sacrâ ibidem ade ipsius operâ Servatoris nomine erectâ, eversis Gentilium templis, Druidibusq́, & eorum ritibus exterminatis, qui ad id tempus illic (ut Veremundus memorie prodidit) perduraverant, concessit. Amphibalus Brito, vir insigni virtute, primus antistes ibi creatus, Christi dogma per Scotorum Pictorumq́, regiones propalando, multa contra Gentilium religionem dicendo scribendoq́, glorioſum & Christiano viro planè dignum, multâ senectute vivendo fessus, felicemq́, sortitus est finem. Sed & Crathlintus rex sacram antistitis ædem muneribus ornavit amplissimis; calicibus, patenis, candelabris aliisq́, similibus ad sacrorum usum commodis ex argento auroq́, fabrefactis: altariq́, cupro & ære clauso, proventus ad ea ex agris in sacræ ædis vicinia constituit. Fuit id templum omnium primum, Christiano ritu, ubi Pontifex sacerq́, magistratus sedem haberet primariam, inter Scotos (cujus nostri meminere scriptores) dedicatum. Nunc vocant Sodorense fanum: cujus nominis rationem, sicut aliorum complurium rerum & locorum, vetustas ad posteros obfuscavit. Crathlintus demùm urbanis atq́, religiosis operibus insigne nomen ad posteritatem adeptus, vicesimo quarto sui principatus anno fato concessit.

In quâ narratione illud inprimis displicet, quòd à Constantio Christianæ religioni structæ dicantur insidiæ: quum à persecutione illum prorsùs abstinuisse, & Christianis impensè favisse, sub finem [d] VII. capitis locupletissimorum auctorum testimonio docuerimus, quibus etiam ex minorum gentium historicis testem adjungere possumus Alexandrum monachum; in libro de Inventione Crucis, sub magni Constantis nomine, Constantij mores hunc in modum describentem. Συνεβασίλευσε δὲ αὐτοῖς καὶ τὸν Βρεταννίαν Κώσας ὁ μέγας, ὁ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου παῖς, ἀνὴρ τὰ πάντα γαληνότατος καὶ πραότατος, εὐσέβειαν ἀσ-

[d] Supr. pag. 170. 171.

παζόμενος, καὶ εἰδώλα μυσαττόμενος, καὶ λίαν τὸς Χρισιανὸς ἀποδεχόμενος. *Regnavit cum ipsis in Britanniâ Constans Magnus, Constantini Magni pater: vir per omnia placidissimus ac humanissimus, pietatem amplectens, & idola detestans, Christianos quoq; præ cæteris charos habens.* Neq; illud etiam placet, quòd Monam Cæsaris, Sodorensis Episcopi sedem (quam Manniam appellamus) cum Taciti Monâ, antiquâ Druidum sede (*Môn* Britannis, *Angleseiâ* Anglis hodie dictâ) confundat: quem errorem erudita Humfredi Lhuidi epistola (quam in Geographico suo Theatro spectandam nobis exhibuit Abrahamus Ortelius) jamdudum luculenter coarguit & profligavit. Sodorensem verò illam, *Mevaniam* appellat [c] Paulus Orosius, & æquè ac Hiberniam *à Scotorum gentibus habitatam* suo tempore fuisse confirmat: licèt, qui illi æqualis fuisse fingitur, [f] Flavius Lucius Dexter Hispanus scribat, ex insulâ suâ *Mevaniâ* (quæ nunc *Isla-grueſa* esse putatur) prope Carthaginem Nouam sive Spartariam profectos, *incoluisse quandam Insulam à se dictam Mevaniam, prope Insulam non longè dissitam à Britanniâ.*

[c] Oros. lib. 1. cap. 2.

[f] Pseudo-dexter in Chronic. ad annum Christi 100.

Deinde quod *Manniam* hanc Crathlinti Regis operâ à gentilitiâ superstitione purgatam, atq; sede Episcopali ornatam, ex Veremundo refert Boerhius, & Hibernorum nostrorum & ipsorum Mannienſium traditioni repugnat; quæ laudem hanc magno nostro Patricio totam attribuit. Sic enim in Chronico Manniæ inedito legimus. *Multi à tempore B. Patricij, qui primus fidem catholicam prædicâsse fertur Mannensibus, in Manniâ extiterunt Episcopi.* & in Vitâ Patricij, à Iocelino descriptâ. *Renavigans Hiberniam, ad insulas maris convertendas rivertit: è quibus Evboniam, id est Manniam, tunc quidem Britanniæ subjectam, salutari prædicatione ac signorum exhibitione ad Christum convertit. Inter quæ signa, illud insigne claruit: quòd quidam maleficus Melinus dictus, instar Simonis Magi se Deum asserens ac æthera volatu Diabolico*

[g] Iocelin. V Patr. cap. 92.

lico petens, precibus ejus è sublimi præcipitatus corruit confractusq; interiit. Quendam discipulorum ejus virum sanctum & sapientem, Germanum nominatum, in Episcopum promotum illius gentis Ecclesiæ novellæ regendæ præposuit: & in quodam promontorio quod adhuc Insula Patricij dicitur (eo quòd ipse ibidem aliquantulùm demorabatur) Episcopalem sedem posuit. Alijs autem Insulis ad fidem Christi conversis; singulis singulos aut etiam plures præfecit præsules de discipulis suis, sicq; Hiberniam repetiit.

In Monâ quoq; insulâ à *Sodorensi Episcopo* cujus, *sicut aliorum complurium, vetustate nominis memoria periit*, S. Brigidam ætatis XIV. § anno vix superato perpetuæ virginitati addictam fuisse, nescio quem auctorem hîc secutus, affirmat * Hector Boëthius. quum ex Vitæ illius scriptoribus, vel à *Maccâ* episcopo (ut eum appellat Cogitosus) sive (ut alij) *Machillâ* S. Patricij discipulo, velatam illam in Hiberniâ fuisse appareat; vel, illo saltem interveniente, à sancto *Mel* episcopo. quod à vetere Biographo, quem ex Cottoniano codice exscribendum curavi, ita traditum invenio. *Sancta Brigida, acceptis secum tribus puellis, perrexit ad fines neporum Neil ad duos episcopos Mel & Melchu: qui discipuli sancti Patricij erant, & in opidis Midi habitaverunt. Et habebant quendam discipulum, nomine Macca: qui dixit ad Mel. Ecce virgines sanctæ foris sunt; quæ volunt velamen virginitatis de manu tuâ accipere. Tunc introduxit eas ante Episcopum.* &c.

§ circa annum christi CCCCXLIII.

*Boëth Histor. Scot. lib. 9. fol. 158.

Posterioribus autem temporibus, Norwegis Maniam & Hebridas occupantibus, unus & hujus & reliquarum Insularum constitutus est Episcopus: quorum primus Wermundus sive Wimundus fuisse videatur. Sic enim in Anglorum & Normannorum Chronicis legimus: ad annum MCLI. h *Iohannes monachus Sagiensis fit Episcopus secundus in Insula maris quæ est inter Angliam & Hiberniam, propinquior tamen Angliæ quàm Hiberniæ: unde & Episcopus ejus subjacet Archiepiscopo Eboracensi. Primus*

h Matth. Paris. in Histor. majore. Histor. Normannic. script. ab Andr. du Chesnio edit. pag. 98 & Paris. ann. 1619.

mus ibi fuerat episcopus Wermundus monachus Savignensis: sed propter crudelitatem expulsus fuit, & privatus oculis, & ad annum MCLXV. [1] *Venerunt ad* Henricum II. Regem Angliæ, *Guilielmus Rex Scotiæ, & Episcopus Insularum Man & aliarum* XXXI. *quæ sunt inter Scotiam & Hiberniam & Angliam. Illas* XXXII. *insulas tenet Rex Insularum tali tributo de Rege Norwegiæ; quòd quando Rex innovatur, Rex Insularum dat ei decem marcas auri: nec aliquid facit ei in totâ vitâ suâ, nisi iterùm alius Rex ordinetur in Norwegiâ.* Episcopum verò à Norwegorum metropolitano Nidrosiensi archiepiscopo consecrari consuevisse, ex Manniæ Chronico liquet: in quo ad annum MCCXLVII. annotatum invenimus. *Obiit Simon Sodorensis episcopus pridie Kalend. Martij apud Ecclesiam S. Michaëlis archangeli, sepultus, est in Insulâ S. Patricij, in Ecclesiâ S.* * *Germani quam ipse ædificare cœperat: mortuus, est anno Pontificatus sui* XVIII. *in sententiâ bonâ. Quo mortuo, communi assensu & consilio totius Mannensis Capituli Laurentius quidam, qui tunc Archidiaconus fuit in Manniâ, in Episcopum electus est: qui statim ad Norwegiam profectus est, ut se Haraldo Regi & Nidrosiensi Archiepiscopo, à quo consecrari debuerat, præsentaret. Sed Haraldus, propter quasdam literas quæ contra illum de Manniâ transmissæ fuerant, nullatenùs electioni ejus assensum præbere voluit, donec iterùm cum ipso rediret ad Mannicm, & ipso præsente ab omni clero & populo eligeretur.*

[1] Histor. Normann. pag. 1000.

* primi Mannensis episcopi, de quo suprà Jocelinus.

Et licèt anno MCCLXVI. *translatum regnum Manniæ & Insularum ad Alexandrum Regem Scotorum* ibidem legamus: quia tamen Archiepiscopis Scotia tum carebat, Episcopus Sodorensis à Nidrosiensi metropolitano, more solito, confirmationem & consecrationem obtinebat. Unde Rex Alexander Marcum Gallovidianum electum Manniæ Episcopum anno MCCLXXV. *destinavit ut, ad Norwagiam, ad metropolitanum suum Nidrosiensem archiepiscopum, ut consecraretur. Sed quid inde factum sit, nondum scitur:* inquit Furnesiani cœnobij mona-

monachus, qui ad illum usq; annum Historiæ Guilielmi Neubrigensis continuationem perduxit. Hinc verò & Marcum & quatuor illius successores consecrationem accepisse, ex Mannie)sis Chronici Continuatore didicimus: cujus ad annum MCCXLVIII. verba sunt ista. *Anno Dom* MCCCXLVIII. *Guilielmus Russell natione Mannicus, Abbas monasterij B. Mariæ de Russin, electus est per clerum insulæ Manniæ in pastorem Ecclesiæ Sodorensis in Ecclesiâ cathedrali S. Germani in Man in Holmo: & consecratus est Avinione à Papâ Clemente* VI. *qui primus electus Sodorensis fuit consecratus per sedem Apostolicam & confirmatus. Nam omnes sui antecessores ab Archiepiscopo Nidrosiensi, videlicèt Metropolitano, confirmari & consecrari consueverunt.* Posterioribus tamen temporibus, Manniâ ab Anglis occupatâ, ex uno Sodorenies episcopi facti sunt duo; unius hîc, alterius reliquarum Insularum nomine, in Ioná sive S. Columbæ insulâ sede collocatâ: quorum hunc *Glascuensis* in Scotiâ, illum *Eboracensis* archiepiscopi in Angliâ ditioni Ecclesiasticæ jam subjectum cernimus.

Amphibalo, quem primum Manniæ antistitem constituunt fabulæ, ne solus incedat, complures adjunguntur comites. *Inter nostrates*, inquit [k] Boethius, *eâdem fuere tempestate, sacrâ doctrinâ pollentes, Amphibalus antistes, Modocus priscus, Calanus, Ferranus, Ambianus & Carnoeus Dei cultores (Culdei priscâ nostrâ vulgari linguâ dicti:) Christi servatoris doctrinam omnes per Scotorum regiones concionando multis pijsq; fructibus seminantes. Fuere tunc & alij permulti: sed hi, quorum nomina ad posteros delata, præcipui.* ubi ex uno *Amphibalo* duos nobis Dempsterus fabricat. I. [l] S. *Amphibalum*, primum in Monâ insulâ Episcopum; qui *Contra Paganorum superstitiones*, lib. 1. *Ordinationes Ecclesiæ Sodorensis*, lib. 1. *Conciones*, lib. 1. II. [m] S. *Amphibalum* alterum (à Boëthio item memoratum: cùm ille unius tantùm meminerit) qui [n] *In omnes Pauli Epistolas*, lib. 1. scripserit; & ad fidem S.

[k] Hect. Boëth. Scotor. histor. lib. 6.

[l] Dempster. Histor Ecclesiast Scotor. num. 6.

[m] Ibid. num. 24.

Albanum perduxerit. Eidem quoq; *Modocus Priscus* (cujus memoriam apud Scotos loco qui ab eo *Kil-medok* nomen obtinuit, pridie Kalend. Februar. celebratum fuisse ferunt) tres pariter scriptores suppeditat. l. n S. *Medothum*; qui *Contra idolorum vanitatem*, lib. 1. *De contemptu falsorum Deorum*, lib. 1. *Homiliarum*, lib. 1. & *pro Ecclesiâ ad Crathlintum Regem*, lib. 1. II. o S. *Modocum*; qui *Contra Idolorum cultores*, lib. 1. III. p S. *Priscum*; qui librum item 1. *Contra Ethnicorum superstitiones* composuerit.

n Ibid. num. 850.

o Ibid. num. 938.

p Ibid. num. 1017.

Idem quoq; q S. *Calanum* scripsisse fingit, *Homiliarum de Sanctis*, lib. 1. & *Concionum ad populum*, lib. 1. r S. *Ferranum*, *Sermonum piorum* lib. 1. s S. *Ambianum*, *De Sanctorum memoriâ*, lib. 1. *Hortum spiritualem*, lib. 1. & *Divini officij recitandi rationem*, lib. 1. Nam t S. *Carnoci scripta interiisse temporis injuriâ* affirmat: ac si reliquorum illa supereſſent adhuc, & illorum titulos commentus ipse non fuisset. His insuper & u S. *Marnokum* addit: quem anno CCCXXII. obiisse ait, *sepultum in Kilmornak* (vel *Kilmarnock* potiùs) in *provinciâ Cuningamiâ*, *sub Abbate Kelwinni*; atq; scripsisse *De locis sanctis* librum unum, & *Pro verâ pietate & Dei cultu contra Gentiles* alterum. Nam *& ipsum*, *ex Culdeorum ordine ad Episcopatum destinatum*, *strenuam operam paganis ritibus extirpandis navaviſſe*; adeoq; illius & cæterorum x *Culdeorum operâ*, *eâ tempestate penitùs Scotiâ eliminatos* Ethnicos fuisse perhibet.

q Ibid. num. 270.

r Ibid num. 534.

s Ibid. num. 75.

t Ibid. num. 271.

u Ibid num. 860.

x Ibid. num. 1017.

Atqui post hoc tempus, imò & post Saxonum adventum, Scoti ipsi fidem Christianam se primùm suscepisse significant: in Apologiâ, libello ab Edvardo I. ad Bonifacium VIII. anno MCCCI. transmisso oppositâ, primam Christianismi sui originē ita explicantes. *Quin immò per venerandas reliquias B. Andreæ Apostoli*, *divinâ revelatione navigio de Græciâ delatas in Scotiam*, *Hungo Rege tunc regnante ibidem* (*de Saxonibus ipsis*, *impugnantibus tunc Scotiam hostiliter*, *maximâ Scotis à Deo concessâ victo-*

victoriâ ad ostium Tini fluminis; ut habet Historia) Scoti ipsi primò susceperunt fidem Christi, priùs quàm Saxones vel Anglici, Scotis non contigui vel vicini, per annos quadringentos. qui annorum numerus consistere non potest: quum inter Saxonum & Augustini in Angliam adventum, ne centum quidem & quinquaginta anni intercesserint. Eum tamen nnmerum auget etiam Baldredus Bystatus; in *Processu contra figmenta Regis Anglie* (ut appellat) eidem Bonifacio exhibito, sic ad suos calculos ista revocans. *Ad id facit precedens ad fidem catholicam Scotorum conversio; qui fidem ipsam susceperant ante conversionem Anglicane gentis per quingentos annos: & triginta s. Reges catholici, antequàm converterentur Anglici, in regno Scotie liberè regnaverunt.* licèt ab ipsius Donaldi primi Scotorum (ut ab altissimis temporibus rationes ineamus) usq; ad Æthelberti Cantuariorum Regis conversionem, Reges non plures quàm XXIII. annos non plures quàm CCCC. etiam in novissimis Scotorum Annalibus numerando percensitos inveniamus.

Quicquid verò de ratione temporis statuatur: Bonifacius ille VIII. in Bullâ suâ, anno MCCXCIX. datâ, Edvardum I. Anglorum Regem commonefaciendum putavit; *qualiter regnum ipsum* Scotiæ *per B.* * *Andree Apostoli venerandas reliquias, non sine superni numinis grandi dono, acquisitum & conversum extitit ad fidei catholice unitatem.* Addit y Dempsterus, in Scotiâ *Ordinem Equitum S. Andreæ institutum, cùm reliquiæ ejus à S. Regulo in Albioneim illatæ, circa annum* CCCLXII. *aut paulo pòst.* quam reliquiarum importationem *etsi Florentius Wigornienſis*, inquit ille, *Westmonasteriensis & Malmesburiensis taceant, & ejusdem sancti Apostoli reliquias magno cum apparatu receptas, ac claruisse Constantinopoli doceant, quasi mendacij Scotos & impiæ falsitatis arguentes: tamen S. Bedæ extat opus de Vitâ & actibus S. Andreæ, & miraculis apud Scotos perpetratis; ut in Catalogo script. Britan. apud Wionem lib. V. Ligni Vitæ cap. CI. quod indigna-*

* ita in MSS. rectè habetur, & in Matthæo Westmonasteriensi, anno 1301. pag. 422. edit. Londin, licèt ibidem, pag. 418. ut etiam apud Thomam Walsinghamium (in Histor. Edv. I. ann. 1301. & Hypodigm. Neustriæ, an. 1301.) *Petri* nomen perperàm irrepserit.

y Dempster. Apparat ad Histor Scotic. lib. 2. cap. 22. §. 4.

dignabundus Ioannes Pitseus (ætate IX. *pag.* CXXXVI.) *elementis dissonis, & quasi expungendum scripserat.*

Sed ut vanissimam illam de tempore institutionis Ordinis Equestris opinionem, & ridiculum tum de antiquiorum Chronographorum Anglicorum malevolentiâ (qui quod de Andreæ reliquijs honorificè Constantinopoli depositis retulerunt, ex Mariani Scoti & B. Hieronymi Chronico transtulerunt) & Iohannis Pitsei stomacho (cui nihil minùs in mentem venerat, quàm expungenda ea fuisse quæ dissonis elementis à typographo sunt expressa) suspicionem prætermittam: de *Bedæ* illo opere tenendum est, non alium *Catalogi scriptorum Britanniæ* auctorem ab Arnoldo Wione & (quem ille ob oculos habuisse videtur) [z] Iohanne Molano intellectum, quàm Balæum nostrum; qui inter Bedæ opera, [a] *De Andreæ memoriâ apud Scotos lib.* 1. commemorat. Ejus enim nomine insignitum libellum in Novi monasterij (apud Wintonienses) Bibliothecâ aliquando extitisse notaverat in suo Scriptorum Catalogo Bostonus Burinensis; *Qualiter contigit, quòd memoria Andreæ sit in Scotiâ.* Eâdem etiam de re scripsisse *Giraldum in Chronicâ suâ*, refert Eulogij auctor; ad ea respiciens, quæ ex *Giraldo Cambrensi* libro 1. Polychronici sui cap. 37. Ranulphus Cestrensis inseruit. Ejusdem argumenti commentariolum in manibus habeo, ab Andreapolitano quodam Culdeo exaratum; quem eundem cum illo qui falsò Bedæ titulo venditatus est fuisse suspicor: illum ipsum certè fuisse, ex quo sua descripsit Giraldus, res ipsa indicat. Eum, quia unà cum fabulis nonnulla ad Andreapolitanæ Ecclesiæ antiquitatem & dignitatem spectantia admixta habet, quæ alibi non reperias; integrum hîc, ne vetustatis monimentum qualecunq; hoc intereat, proponere libuit.

[z] Molan annotat. in Martyrolog Usuardi, Novemb. 30.

[a] Balæ. Scriptor Britann. Centur. 2. cap. 1.

Andreas, qui interpretatur secundùm Hebraam etymologiam Decorus sive Respondens (sermone enim Græco, à viro virilis interpretatur) germanus B. Petri Apostoli secundùm

cundùm carnem, cohæres autem ejus gratiâ; secundùm Iohannem Euangelistam primus Apostolus à Christo Iesu Domino nostro electus, secundùm verò Matthæum Marcumq; secundus. Hic sorte prædicationis Aquilonales regiones, id est, Scythas Pictonesq;, postremò Achaiæ ipsam vitatem nomine Patras accepit, in quâ etiam cruci suspensus est pridie Kalendarum Decembrium, ibiq; occubuit. Et ibi custodita sunt ossa ejus, usq; ad tempus Constantini Magni filij Helenæ, filiorumq; ejus Constantij Constantini cum Constante, quasi spatio ducenterum septuaginta trium annorum: in quorum regno à Constantinopolitanis civibus miro famoso q; ductu inde susceptæ atq; translatæ sunt. Constantinopolim; & cum magnâ gloriâ & maximo honore recondita sunt, usq; ad tempus Theodosij Christiani Imperatoris, spatio scilicèt centum & decem annorum. Iohan 1. 40. 41. Matth. 4. 18. Marc. 1. 16.

Tunc, non fortuitu sed divino instinctu, Rex Pictorum nomine Ungus filius Urguist cum magno exercitu consurgens, Britannicas nationes * dextram illius Insulæ partem inhabitantes crudelissimâ vastatione interficiens, postremò pervenit usq; ad campum Mercie, & ibi hyemavit. Eo tempore omnes penè totius Insulæ gentes unanimo impetu venientes circumdederunt eum; volentes eum cum omni exercitu suo penitùs delere. Alterâ autem die evenit regi prædicto cum septem comitibus amicissimis ambulare, & circumfulsit eos divina lux: & proni in facies suas, eam non valentes sustinere, ceciderunt in terram. Et ecce vox de cœlo audita est: Ungus, Ungus, audi me Apostolum Christi Andream nomine, qui missus sum ad te defendendum atq; custodiendum. Surge, vide signum crucis Christi qui stat in aëre, atq; te præcedet contra inimicos tuos. Verumtamen decimam hæreditatis tuæ partem in eleemosynam Deo omnipotenti & in honorem sancti Andreæ Apostoli ejus offer. * id est, aufert eidem. Vid supr. cap. 5. pag 80.

Tertiâ enim die, divinâ voce admonitus, suum exercitum in XIII. turmas divisit: & signum Crucis unamquamq; partem præcedebat; lux autem divina de uniuscujusq; signo fulgebat. Tunc victores facti, Deo omnipotenti atq; sancto

Andreæ Apostolo gratias egerunt. Patriam autem venientes incolumes, decimam suæ hereditatis partem Deo & S. Andreæ Apostolo venerabili volentes offerre: impleudo
Luc. 11. 41. *quod scriptum est*; Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. *Incertum verò habebant in quo loco specialiter vectigalem Deo principalemq; civitatem S. Andreæ Apostolo ordinarent. Tunc unito consilio, binis ternis quatridianisq; diebus jejunantes, atq; Dei omnipotentis misericordiam postulantes: unus custodientium corpus S. Andreæ Apostoli Constantinopoli, divinâ jussione admonitus atq; instructus est dicente*; Exi de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui; & vade in terram quam monstravero tibi. *Tunc Angelo comitante atq; viam illius custodiente, prosperè pervenit ad verticem Montis Regis,*
Genes. 12. 1. *id est,* § *Rithmunt.*

§ Girald. Regnund.

Eâdem autem horâ, quâ illic lassus sederat cum suis septem comitibus, lux divina circumfulsit Regem Pictorum venientem cum suo exercitu ad specialem locum qui dicitur
* Girald. Cartenan. * *Carthenan. Et claritatem non ferentes, ceciderunt in facies suas: & sanati sunt claudi & cæci, numero septem. Et unus cæcorum, à nativitate cæcus, illuminatus est oculis; & inde vidit locum plenum visitatione Angelorum: & tunc voce magnâ clamavit, dicens; En locum plenum visitatione Angelorum video. Postremò Dei ordinatione Rex cum suo exercitu venit ad locum quem Dominus illi cæco qui illuminatus fuerat ostendit. Regulus verò monachus à Constantinopolitanâ urbe Regi obviavit, cum reliquijs S. Andreæ Apostoli quas secum adduxerat, ad portam quæ dicitur Martha, id est, Mordurus: salutaverunt q; se invicem cives & hospites, atq; tentoria ibi fixerunt ubi nunc est aula Regis. Rex verò Ungus locum hunc & hanc Civitatem omnipotenti Deo sanctoq; Andreæ Apostolo eâ semper libertate dedit, ut sit caput & mat[illegible]omnium Ecclesiarum quæ sunt in regno Scotterum.*

[illegible]istam enim civitatem conveniunt peregrini, Palmarij, Jerusalem, Romani, Græci, Armeni, Theutonici, Alamanni, Saxones, Dani, Galli, Britones, Angli: viri & fœmi-

na

na, divites & pauperes, sani corpore & ægri. Claudi & cæci in equis & curribus debiles huc deferuntur; atq; per Dei misericordiam (ad honorem & gloriam sui summi sancti Andreæ Apostoli) manifestissimè curantur. Virtutes & signa ac innumerabilia prodigia quæ per suum sanctum Apostolum Andream Dominus hîc fecit, & facit, & jugiter facturus est, hîc nunc non possunt scribi. Regulas verò monachus. Abbas sanctus, cum suis cæris comitibus habitavit in loco isto, in monachicâ vitâ, (serviens Deo diem atq; noctem in sanctitate & justitiâ, cunctis diebus vitæ suæ:) quorum corpora hîc requiescunt. Plantaverunt autem hortos olerum ubi nunc est domus Magistri Samuelis & antecessorum successorumq; illius. Molendinum autem fecerunt, laborantes manibus suis: & omnia quæ ad Monachos pertinent, honorificè & honestè ædificaverunt.

Sed tota insula Britannia Christianitatem erat doctâ antequàm Picti & Scotti illam intrarent. Maximum autem fidei augmentum factum est omnibus fidelibus Christianis istius Insulæ; quòd Dominus dignatus est talem ac tantum illis mittere pastorem sanctum videlicèt Andream Apostolum præceptorem, primum Domini nostri Iesu Christi discipulum. Ex hâc itaq; civitate Archiepiscopatus esse debet totius Scotiæ, ubi Apostolica sedes est: nec absq; consilio seniorum istius loci ullus Episcopus in Scotiâ debet ordinari. Hæc est Roma secunda à primâ; hæc est civitas refugij præcipua: hæc est civitas civitatum Scotiæ. Cui Dominus has columnas dedit ad auxiliandum: id est, Giricium Archiepiscopum, Machethad, & Gregorium cum aliis fratribus suis. Precor Deum ut semper sim cum istis particeps regni cœlorum. Amen.

Iam, ut cum aliorum narratiqnibus istam contendamus: ubi Ungus rex Pictorum Andreapolitanæ Ecclesiæ privilegium hoc contulisse dicitur, ut esset *caput & mater omnium Ecclesiarum quæ sunt in regno Scotorum*; librarij vitio, *Scotorum* nomen pro *Pictorum* irrepsisse, tum ex Giraldo, tum ex schidis antiquis quibus hîc usus

est [b] Camdenus, intelligimus. Quia verò [c] Picti à Scythis originem duxisse perhibentur, quibus Andreas Euangelium primus prædicavisse creditur: factum inde, ut idem Apostolus Pictorum etiam habitus sit patronus. *Philippo* quidem, cùm *provincias mundi prædicationis causâ inter se partirentur* Apostoli, non solùm *Galliam* (de quâ jam [d] antè à nobis dictum) sed etiam *Scythiam* contigisse, scriptum habetur in [e] Pseudodextri Chronico. Et omnem illum *pene Scythiam ad fidem Christi convertisse*, in Martyrologio & Breviario Romano, nec non in Bedæ, Usuardi, Notkeri & Adonis Martyrologijs (ad Kalendas Maias) legimus. Unde de eo, vel Fortunatus vel Walafridus Strabus, [f]

Barbara qui docuit doctrinis agmina sacris,
Credere per Scythiam salvantem secula Christum.

& Ingulphus, in monasterij Croylandensis Historiâ. *Beatus Christi Apostolus Philippus, cùm Scythis verbum Dei prædicâsset, & plurimos eorum ad fidem Christi convertisset; ipse in Asiam, per Sicambros viam fecit, de illis Christi nomen prius annunciavit. De quibus exeuntes Franci, ut plures eorum hierochronographi testantur, B. Philippum Apostolum suum specialem Protodoctorem & Neoapostolum adhuc tenent.*

Andreæ autem Apostolo Scythiam Europæ, ad Christi fidem disseminandam, obtigisse, in eodem habetur Romano Breviario: Scythiamq; illi assignant non Latinorum solùm Martyrologia, Romanum, Bedæ, Usuardi, Rabani, Adonis (ad XXX. diem Novembr.) unà cum [g] Isidoro, & [h] Freculpho, sed etiam Græcorum Menologium (ad eundem diem) ac præterea [i] Origenes, atq; eum secutus & [k] Eusebius, Sophronius in Catalogo, Dorotheus in Synopsi, & [l] Nicephorus Callistus in Historiâ Ecclesiasticâ. *Patræ* in Achaiâ *custodita fuisse ossa ejus usq; ad tempora Constantini Magni, spatio* CCLXXII. *annorum, & tunc translata fuisse Constantinopolim*, Giraldus refert. Et quidem à Constantino Imperatore reliquias

[b] Camden. in *Scotiâ*, pag. 703.
[c] Io. Fordon. Scotichronic. lib. 2. cap. 46. Vid. suprà, pag. 578. 579.
[d] Supr. cap. 2. pag. 15.
[e] Dext. Chronic. ad ann. Christi 34. Vid. Metelii Quirinalia, ad calcem tom. 1. Antiq. lect. Henr. Canisij, pag. 61.
[f] Tom. 6. antiqu. lect. H. Canisij, pag. 664. 667. Habetur etiam inter Alcuini Poëmata, col. 1680. E.

[g] Isidor. de Patrib. utriusq; Testam. cap. 71.
[h] Freculph. tom. 2. Chronic. lib. 1. cap. 4.
[i] Origen. tom. 3. Commentar. in Genesin.
[k] Euseb. Histor. Ecclesiast. lib. 3. cap. 1.
[l] Nicephor. Histor. lib. 2. cap. 39.

quias ejus eò translatas fuisse, contra Vigilantium scribens Hieronymus & Georgius Cedrenus in Chronico significant: anno videlicèt Imperij ipsius penultimo, Christi CCCXXXVI. si verum dixit antiquus Consularium Fastorum auctor, à Iohanne Cuspiniano in suo ad Cassiodori Consules Commentario citatus. *Nepotiano & Facundo Consulib. introierunt in Urbem Constantinopolim Lucas & Andreas.* Inde dinumerati centum anni & decem (post quos Andreæ reliquias, Theodosij Imperatoris & Ungi Pictorum Regis temporibus, à Regulo Constantinopolitano monacho in Britanniam advectas cum Andreapolitano illo scriptore sensit Giraldus) in annum cadent tertio Aëtij Consulatu insignem; quo Britanniam à Pictis & Scotis, Theodosio juniore imperante, miserrimè afflictam fuisse [m] declaravimus.

[m] Suprà cap. 12. pag. 370.

Verùm sub Constantio Constantini Magni filio, Constantinopolim reliquias illas primùm fuisse perductas, cōmunior est sententia: anno nimirùm Constantij *vicesimo*, sicut in Scriptorū Catalogo (in *Lucâ*) & emendatioribus Chronici exemplaribus ipse indicat Hieronymus; sive tertio Maij mensis die, *Constantio Augusto* IX. & *Iuliano Cæsare* II. *Consulib.* ut in Fastis Idatianis à Sirmondo, & Annalibus Constantinopolitanis sub Chronici Alexandri nomine à Radero editis, explicatè consignatum invenimus. Annus erat hic Christianæ nostræ epochæ CCCLVII. cui centum illi & decem si adderentur, in eo anno desinerent quem Anthemij Augusti primum, Leonis verò senioris Imperatoris, pariter & Hengisti, qui Saxonum primus in Angliâ regnavit, undecimum numeramus. Atqui post illa tempora Iustiniano Imperatore magnam Apostolorum Basilicam Constantinopoli restaurante, Andreæ, Lucæ & Timothei corpora refossa fuisse docet nos Procopius, [n] ἀδηλ καὶ ὅλως κρυφαῖα τὰ πρότερον ὄντα. Quod, ne Andreæ hasce reliquias ex urbe Constantinopolitanâ vel Theodosij

[n] Procop Cæsariens. de Iustiniani ædificijs. lib. 1. pag. 8. edit Græc. Augustan.

dosij junioris vel Leonis senioris temporibus Regulum in Scotiam adduxisse existimemus, assensum nostrum cohibet. Ut quod de Andreæ brachio per Gregorium magnum, cùm Romanæ Ecclesiæ esset Diaconus, Constantinopoli posteà Romam delato in ° Vaticanæ Bibliothecæ monimentis memoratur, prætermittam.

° Abb. Paul. de Angelis, Descript. Basilicæ S. Mariæ majoris, lib. 7 fin. cap. 5. Vid. Baron. ann. 586. n. 25.

Et quidem aliter longè rem totam in Scotichronico suo narrat Iohannes Fordonus. Regulum, non Constantinopolitanum sed Patrensem cœnobitam, ipso anno Constantij *vicesimo* divinitùs admonitum, partem reliquiarum Andreæ è sarcophago (cujus custos erat) sublatam sepolsuisse, & Imperatorem post biduum cum exercitu supervenientem, Patris direptis ossium partem residuam secum Constantinopolim devenisse, referens. quanquam Græci scriptores Imperatorem nihil hostile adversùs Patrenses gessisse memorent (quid enim fuit necesse? quum Achaiæ provinciam pacatissimam ille obtineret) neq; ipsum præsentem, sed P *Artemij* Præfecti Augustalis vicariâ hîc usum operâ, lipsana hæc ex Achaiâ deduxisse confirment. Annis deinde aliquot elapsis, Regulum quas reservaverat reliquiarum Andreæ particulas in Albaniam detulisse tradit Fordonus: non Vngo Vrgusti, sed Vrgusto Fergusij filio apud Pictos tum regnante. Vngum enim illum, qui decimam terræ partem ad Ecclesiasticorum usum est largitus, post octingentesimum demùm Christi annum de Æthelstano Æthelwulphi Occidentalium Saxonum Regis filio improvisam illam victoriam obtinuisse asserit: ab Anglosaxonicorum annalium eâ in re discedens fide; ut ad hujus Capitis finem sumus ostensuri. Interim totam hanc translationis reliquiarum Andreæ fabulam ipsius Fordoni (qui lucem hactenùs non aspexit) verbis expressam, quo commodiùs cum illâ Andreapolitani scriptoris alterâ conferri queat, non abs re visum est Lectorum oculis hîc subjicere.

P Symeon Metaphrast. sub fin. *Vitæ S. Lucæ*, Octob. 18. & in Actis Artemij, Octob. 20. Io. Zonaras, Annal. tom. 3. & Nicephor. Callist. histor. Ecclesiast. lib. 10. cap 11.

Constantio igitur anno Imperij sui XX.° exercitum

tum in expeditionem adversus Patrenses educente, visionem Angelicam abbati Regulo sic ille factam narrat.

q *Accidit ut divino nutu, tertiâ nocte priusquàm Imperator civitatem est ingressus, Angelus Domini cuidam sancto viro timenti Deum abbati nomine Regulo reliquiarum appareret custodi, dicens: Applica tibi fratres idoneos; & pergens ad sarcophagum quo beati Andreæ apostoli recondita sunt ossa, tolles inde dextræ manus tres digitos, & os brachij dependens ab humero, dentem unum & genu patellam: ac ubi monstravero, cautè custodias donec redeam. Qui mox electis fratribus accersitis, omnia velut sibi præceptum est ossa secum deferens, in secretiore loco per Angelum condidit assignato. Veniens igitur expeditis legionibus Imperator post biduum, civitatem opibus evacuando captivatis & acceptum in quo condebantur reliquiæ scrinium decenti veneratione Constantinopolim afferri jussit; seipso pariter cum exercitu comitente.*

q Io. Fordon. Scotichronic. lib. 2. cap. 46. 47. 48.

*Transcursis demùm annis aliquot, Angelus iteratò cœlestis ad abbatem reversus Regulum, hoc illi mandatam multùm seriosè quod sequitur in omnipotentis Dei nomine tradidit, & his verbis. Resumptis (inquit) beati Andreæ Deo dilecti quas me nuper docente reservâsti reliquijs, sanctorum tecum laudabilem assumens comitivam, occiduas partes sub Circio mundi finem adire non differas: & quocunq; locorum, quâ transveheris carina (Deo volente) naufragio periclitetur, te tamen & socijs in incolumitate persistentibus; ibidem tui laboris excursum, aut longioris saltem itineris, scias feliciter consummatum. Caveas igitur, ne hujusmodi sis mandati negligens aut immemor: quin & eodem loco divini nominis ad honorem, & Apostoli sui sancti perpetuæ venerationis laudem, firmiter Ecclesiæ fundamina jactas; quia futurum est, ut sicut ejus vivæ prædicationis spiritu (quod non * ignoscis) dudùm Oriens, ita reliquiarum ejus scias veraciter signis fiendis & totum Occidens perpetuò decorari. Erit enim locus ille electus à Deo sempiterna sedes Apostolica firma quidem fidei petra, nec immeritò: quia beati Petri fratris, cui dixit Dominus; Tu es Petrus, &c. Itaq; regni quo situm habeat,*

* i. ignoras

habeat, immobilis erit & tenax anchora: cunctisq; fidelibus, præcipuè Regibus & cæteris terrâ potentibus, ob devotionem Apostoli percelebris; quorum prædijs abundè ditabitur & muneribus. Venientium igitur ibidem peregrè diversis ex mundi finibus, ut corporis salutem & animæ recipiant, caterva crebrò fidelium, adeptis mirificè petitis ad propria gaudentes rediunt, & Deum in Apostolo, qui semper in suis gloriosus est sanctis, voce magnificâ collaudantes. Et his dictis, Angelus ab eo disparuit; & ejus ad exequenda mandata beatus Regulus se convertit.

Igitur divinis volens obtemperare præceptis, prudentibus viris ac religiosis ad se vocatis, scientiâ & moribus præclaris, quos & pridè angelica singillatim exhortatio præmonuit suæ peregrinationis fieri participes, secum ad navem sacras deferens reliquias, mare petyt, partes adire paratus circiales. Hæc autem hujus comitivæ sanctorum sunt nomina quæ sequuntur: videlicèt sanctus abbas Regulus, sanctus Damianus presbyter, Gelasius & Thubaculus diaconi. Merinacus frater sancti Damiani, Nerius & Elrisenius de Cretâ; Mirenus, Machabæus & Silvius frater ejus. Eremitæ quidem octo; videlicèt Felix, Sajanus, Matthæus, Mauricius, Madianus, Philippus, Lucius & Eugenius: ac virgines sanctæ tres de Colosiâ; videlicèt Triduana, Potentia & Emeria.

His quoq; viris sanctissimis cum virginibus refertam quibusq; necessarijs ingressi naviculum, æquoreo tramite mediterraneos fines Europæ circumeunt, quousq; sitas Oceano multis fatigati laboribus venirent ad Insulas sub occasu. Cumq; spatio duorum penè fuissent annorum, ut aurâ duci contigerat, freto non cognito vagantes, ignari quid agerent, ab oriente subitò ventus vehemens & solito validior in velum irruit: cujus impetu regno Pictorum inter scopulos Albionis in ulâ, velut ab Angelo prædictum fuerat, ratis impulsa conquassatur. Confortatus tamen à Deo beatus Regulus, incolumis ad terram cum sociis IIIIo. Kalend. Octobris, Dominicæ Crucis prælato signaculo, gaudens aggreditur: & ibidem in nemore pecorum, quod patriâ linguâ Mr res dicitur, ad honorem

Apostoli

Apostoli basilicam postea dedicavit. In quo loco reliquiarum attactu multa fiebant, etiam hactenùs stupenda fiunt, miracula; qualia post fidei susceptionem in Insulis visa nequaquàm eatenùs vel audita sunt: utpotè cœcis ab utero daretur visus, mutis sermo, gressus claudis, & omnibus piè suffragium Apostoli petentibus, à quacunq; tenebantur infirmitate medela protinùs Deo miserante largiretur.

Crebrescentibus hujusmodi quotidiè miraculis, occurrunt undiq; nationum populi cum muneribus, immensas Dei laudes complosis manibus de tanto patrono suppliciter extollentes. Illius autem eo tempore regionis Rex Hurguſt filius Fergusio. loci delectatus sanctitudine, suum ibi palatium juxta basilicam edificans, beato Regulo sibiq; fratribus terras quasdam pro seminandis frugibus in elemosynam perpetuam excolendas concessit. Cujus exemplo posteri Reges, ut suæ devotionis dictabat affectus, quæ vis in modico possessio tamen augebatur; usquequò Rex [illegible]us (qui post annum octingentesimum Incarnationis De[illegible]ica Pictos rexit) decimam regni partem beato Andreæ tradidit, ob opem mirabilem in expeditione sibi collatam contra Saxones. In formâ quoq; monasteriali fundatâ cellulâ, deputatisq; reliquiarũ custodibus, beati viri prædicando per patrias exire, non equites sed ut dudùm Apostoli per binos & binos cum nonnullis interpretibus verbum Dei gentibus ubiq; seminando, innumeras signa miracu-losè facientes. Cùm igitur has in fide gentes doctrinis cœlestibus imbuissent, & signis confirmassent variis: beatissimus abbas Regulus post annos triginta duos postquàm naufragus in Albionis venerat insulâ, quibus Euangelicum opus exercens mirificè Deo complacuit, apud Kilremont à Muc-ros per Regem mutato nomine, plenus dierum obiit & grandævus.

Alterius *Mucrosiæ*, in Cambriâ ad ripam Vagæ fluminis positæ [a] suprà meminimus; quam Oudoceo & [a] Cap. 13. pag. 445.
ejus in sede Landavensi successoribus à Mourico Rege donatam fuisse, in Ecclesiæ illius Regesto legimus. Hæc verò ea est, quæ *Sancti Andreæ* urbis nomine hodie nota est, priùs *Regmund*, *Reymonth* & *Remunt* (id est, *Mons*

Regis, non *Mons Reguli*) & voce decompositâ *Kil-remont* & * *Cen-rimunt* appellata: de quâ poëta quidam peregrinus olim, in votivâ Tabulâ hîc suspensâ.

* Ædmer. Histor. Novor. lib. 1. pag. 132. Florent. Wigornienſ. & Rog. Hoveden, in eâdem anni 1109 historiâ.

Sinus iſte maris, malè fertile litus, opima
Tranſcendit patriæ fertilitate loca.
Hîc regio prius orba viret; paupercula pridem
Nunc dives; dudùm fœda, decora modò.
Huc etenim veniunt orare, remota tenentes
Caſtra viri; patrio turba profecta ſolo:
Francus magniloquus, belli Normannus amator,
Textor Flandrenſis, Theutonicuſq́, rudis,
Anglicus, Alnuannus, Hollandus, Pictavus expers
Velleris, & cædis Andegavenſis amans;
Qui Rhenum Rhodanumq́, bibunt Tiberimq́, potentem,
Andreæ veniunt huc adhibere preces.
Nos quoq́, ſi tantos inter modò nomen habemus,
Venimus hûc vecti proſperiore rotâ.

Annum, quo Andreæ reliquiæ à Regulo ex Achaiâ huc dicuntur deportatæ, Virginei partus CCCLXIX. (qui poſt *viceſimum* Conſtantij tertius decimus fuit) numerat [f] Boëthius: qui & Regulo cognomentum *Albati* dat, ex *Abbatis* titulo illi attributo ut id opinaretur fortaſſe inductus (nam pro duplici *b* in Manuſcriptis *lb* exaratum aliquoties deprehendimus) & de donarijs illi & loco huic ab Heirguſto Pictorum rege tunc collatis ſubdit iſta. *Ubi ſacra (Chriſtiano more, cujus ipſe Heirguſtus erat obſervantiſſimus), erant peracta; regium palatium amplis ſtructuris (utiea patiebatur ætas) ornatum, divo Andreæ, Regulo ac ſacerdotibus ibidem deinceps optimo maximo Deo famulaturis liberè erogavit. Struxit & haud procul à palatio ſacram ædem divo Apoſtolo dicatam. Ferunt eam eſſe, quam hodie omnibus venerabilem cernimus in medio agro Canonicorum ſepulturæ ſacro, monumentis priſco more celebribus (ut eſt videre) ſine tamen nominibus*

[f] Hect. Boëth. Scotor. hiſt. lib. 6.

minibus refertam. Hanc prior ætas Kilkevil (sive, ut alibi apud eundem rectiùs habetur scriptum, *Kil-ruil*) *hoc est templum Reguli aut Regulo potiùs suadente structum, recentior vero vetus Andreæ templum appellitat. Ornavit & id templum donariis amplissimis, pateris, scyphis, calicibus, pelvibus, lavacris ex argento auroq; ac aliâ pretiosâ supellectili in sacrorum usum quæsitâ: sacerdotibus ad divina perpetuò exequenda ibidem constitutis. Hi regusti exemplum longa regum series primò Pictorum, deinde Scotorum, qui deletis Pictis ea loca tenuerunt, religiosè est secuta; divum Andream pro numine habentes tutelari.*

Fuisse hîc primùm sacerdotes, [c] *Dei cultores vulgo appellatos*, subjungit idem. De qubus intelligendi Scotorum Chronographi, quum Constantinum III. Ethi filium anno DCCCCXLIII. *regno dimisso, in habitu Religionis Deo servîsse* scribunt, *Keldeorum* vel *Killideorum Sancti Andreæ abbatem factum.* Meminit etiam circa annum MCCLXXII. *Keldeorum Sancti Andreæ* Henricus Silegravius, in domuum religiosarum Britanniæ Catalogo. Anno verò MCCXCVII. cùm in locum *Guilielmi Fesar* defuncti à Canonicis III.° Nonas Novembr. episcopus Andreapolitanus electus fuisset *Guilielmus Lambertonus*, & electioni reclamarent *Keldei*; eorum præpositus *Auminus* Romam appellans, *eò se contulit, sed in cassum. nam non modò electus approbatus à Pontifice, sed omne jus deinceps Keldeis abrogatum:* quemadmodum ex Scotichronici libro VI. retulit [n] Thomas Dempsterus. ac deinde Keldeorum sive Colideorum horum locum Augustiniani instituti Canonici Regulares apud Andreapolitanos obtinuerunt: quorum *Priori* is honour est delatus, ut *præcederet quoscumq; Abbates aliorum ordinum in toto regno* [illegible]; quod non à Scoticarum solùm rerum scriptoribus, sed etiam ab Augustino Ticinensi est notatum, in Christianarum Religionum (sive ordinum religiosorum) Elucidario.

[c] *Vid. supr. pag. 636-637.*

[n] Dempster. Histor. Ecclesiast. Scotor. lib. I. num. 45.

De *Regulo* & socijs quod addamus nihil superest; nisi

nisi fortè Utopicorum quos illi scripserint librorum titulos ex Dempsteri Bibliothecâ quis cupiat cognoscere. Regulum enim [x] *scripsisse multa*, ex patrijs Annalibus (quos sibi habere solet obsequentissimos) ille refert: *sed extare tantùm* ait, *Epistolam ad Patrenses, sive, ut Iohannes Campus Bellus vult, Monita divina de transferendis S. Andreæ Reliquijs in Albionem.* Similiter & S. [y] *Damianum* scripsisse fingit, *De Reliquiarum S. Andreæ in Britanniam advectione* lib. I. III. [z] S. *Gelasij* scriptorum nihil extare, præter *Homiliam de nativitate Christi*; cujus meminisse Fordanum libro II. hist. Scot. illis se facilè persuadere posse putavit, quos authorem consulere non potuisse noverat. IV. [a] S. *Thebaculum* scripsisse *Conciones ad Populum*, & *Epistolas ad Ecclesias patrias.* V. [b] S. *Merinatum* Diaconum, Damiani presbyteri fratrem, *Contra errores Gentilium opus præclarum* edidisse; quod & *Boëthio* non ignotum, & *Ioanni Molano Brugensi laudatum* affirmare non erubescit. VI. [c] S. *Nerium* monachum, *incertum cujus instituti*, scripsisse *De divinâ gratiâ* lib. I. cujus & Ioannem Majorem meminisse, eâdem fronte innuit. VII. [d] S. *Eusebium* monachum (ita enim Hector Boëthius appellat, quem nos ex Fordono *Elrisenium* exhibuimus) *Translationem S. Andreæ*, & *In Sacras Scripturas aliquid* etiam fortasse scripsisse. VIII. [e] S. *Merinum* (sive *Mirenum*) *Homilias de Sanctis.* IX. In S. *Maccabæo*, majorem adhuc assumens fingendi licentiam, [f] *Scripsit primus*, inquit, *quod sciam apud nostrates, Laudes B. Mariæ semper Virginis versu, Veremundo autore*; & *Panegyricum in laudem S. Andreæ*, qui *est in Bibliothecâ Iacobi Bongarsij* MS. X. De S. *Sylvenio* deniq; qui in Scotichronico lib. I. cap. XLVII. *Silvius* est Maccabæi frater, [g] Dempsterus ex ejusdem Scotichronici lib. X. cap. II. (ubi nihil omninò de eo legitur) scripsisse refert, *In omnes Psalmos libros* IX. præter *Meditationum* libellum alium.

[x] Id. lib. 16. num. 1037.
[y] Id. num. 410.
[z] Id. num. 323.
[a] Id. num. 1131.
[b] Id. num. 903.
[c] Id. num. 958.
[d] Id. num. 471.
[e] Id. num. 909.
[f] Id. num. 907.
[g] Id. num. 1050.

Iisdem quoq; tēporibus, anno nimirùm CCCLXIIII.

S. Marnok

S. Marnok Dubh (ab habitu corporis sic dictum, quasi *Marnocum Nigrum*) *Eremitam Scotum in occidentali regni orâ* claruisse [h] Dempsterus ait. Fuit is * *Marnoci Culdei discipulus; ut in vitâ ejus, quam Veremundus scripsit, apparet:* si huic, auctorem quem nunquam vidit producenti, fidem adhibere libeat. Sed & S. [i] *Finianum Scotum Abbatem ex Keldeorum* (seu *Culdeorum*) *genere ortum scribit Veremundus apud Ioannem Sinclarum,* si eidem credimus: de suo præterea adjicienti, floruisse eum anno CCCCII. & præter alia librum I. scripsisse *De vitâ S. Eusebij.* illius, ni fallor, quem Reguli sociorum unum ex Hectore Boëthio priùs constituerat.

[h] Id. num 88.
* de quo Idem, num. 860.
Vid supr. pag. 646.
[i] Id. num 521.

Verùm, figmentis prætermissis, neq; à Regulo neq; ab ejus socijs Andreapolitanos & reliquos Australes Pictos cis Grampium montem positos, sed à *Niniâ* sive *Niniaro* (quem Scotorum vulgus *Ringen* nominat) Honorio & Arcadio Imperantibus fide Christianâ primùm imbutos fuisse, verior nos docet historia. Quâ de re ita Beda, in Ecclesiasticæ historiæ gentis Anglorum libro III. cap. IV. *Australes Picti, qui intra montes habent sedes, multo ante tempore (ut perhibent) relicto errore idolatriæ fidem veritatis acceperant, prædicante eis verbum Niniâ Episcopo reverentissimo & sanctissimo viro de natione Britonum; qui erat Romæ regulariter fidem & mysteria veritatis edoctus: cujus sedem Episcopatus sancti Martini Episcopi & Ecclesiâ insignem (ubi ipse etiam corpore, unâ cum pluribus sanctis, requiescit) jam nunc Anglorum gens obtinet. Qui locus ad provinciam Berniciorum pertinens, vulgò vocatur Ad Candidam Casam; eo quòd ibi Ecclesiam de lapide, insolito Britonibus more, fecerit.* non autem, ut Bedæ mentem hîc pervertit [k] Dempsterus, quòd *solum illud in Scotiâ templum more Britonum ex candido esset lapide.*

[k] Dempster. Apparat. ad Histor. Scotic. lib. I. cap. 14.

Post Bedam audiatur & Guilielmus Malmesburiensis de gestis Pontificum Anglorum libro III. *Candida Casa vocatur locus in extremis Angliæ juxta Scotiam finibus, ubi beatus confessor Ninia requiescit, natione Britto, qui*

qui primus ibidem Christi prædicationem euangelizavit. Nomen loco ex opere inditum; quòd Ecclesiam ibi ex lapide polito Brittonibus miraculum fecerit. Sanctum hunc Niniam præclarum virtutibus experta est antiquitas. & Iohannes Tinmuthensis, in Niniani Vitâ. *Elegit sibi sedem in loco qui nunc Witerna dicitur, in littore maris. Ipso pelago clauditur: à parte tantùm aquilonari via ingredi volentibus aperitur. Ibi de lapide Ecclesiam construxit: ante quam nullam in Britanniâ de lapide dicunt esse constructam. Et quoniam jam sanctum Martinum, quem miro semper venerabatur affectu, à terris ad cœlos migrâsse didicerat, ipsam Ecclesiam in ejus honore dedicavit. Fuit in eâdem regione Rex quidam (nam tota insula diversis Regibus divisa subjacuit) Tudwaldus nomine, dives & elatus, monita viri Dei contemnens.* &c.

De eodem Iohannes Fordonus, in Scotichronici sui libro III. *Imperatoris Theodosij junioris temporibus sanctum obîsse ferunt Ninianum pontificem. Ipsum namq; secundùm historiarum scripta, sub imperio sui patris Arcadij & Honorij patrui scimus veraciter floruisse. Nam eorum anno quinto beatus Martinus Turonensis Episcopus obiit; cujus adhuc in carne viventis alloquio sanctus meruit Ninianus saluberrimo consolari. Hic vir Dei sibi sedem in loco qui nunc Wytterna & Candida Casa dicitur elegit: in quo, jussu ejus, cementarij quos secum à B. Martino adduxerat Ecclesiam construunt, antequàm ullam in Britanniâ de lapidibus fecerunt fabricam. Australium quoq; regni partium ultra fretum Scoticum prædicavit gentibus, quæ nondum cum aquilonalibus Scotis Christi legem suscipere meruerunt.* & Hector Boëthius, Scotorum historiæ libro VII. *Ninianus episcopus sanctitate & miraculis clarissimus, ac Casæ Candidæ pontificalis in Galdiâ sedis primus institutor: ubi & ædem condidit D. Martino suo avunculo sacram. Scotorum videlicèt, Pictorum Britonumq; doctor & pædonomus non vulgaris; & eo nomine omnibus qui Albionem incolunt vel hâc nostrâ ætate in multâ veneratione habitus.*

Sed

Sed ut B. Martini nepotem Ninianum fuisse in nemine antiquiorum invenio: ita an *Scotorum* Doctor agnoscendus ille fuerit Iohannes Major etiam quærendum putat, ex Collectâ illâ quæ in ejus Officio olim recitari consuevit. *Deus, qui populos Pictorum & Britonum per doctrinam sancti Niniani episcopi & confessoris docuisti.* Scotorum enim nullam hîc mentionem factam observat Iohannes. *Sed jam,* [1] inquit, *à multis annis post Pictorum rectum eversum locum & sanctam corpus Scoti habent. Laudon. & partes illas ultra fretum Scoticum* (ad Austrum scilicet) *& meliorem portionem & fertilistem borealis partis crebrò Picti possederunt: tum quia ante Scotos in insulam descenderunt, tum quia numero & viribus* (ut auguror) *Scotis erant paulo superiores. quod ex eo convincitur, quòd terras à Britonibus receptas* (licèt Scoti cum eis confœderati essent) *occupârunt: quod quandam prudentiam majorem vel superioritatem denotat.* Hæc ille.

[1] Io. Major, de gest. Scotor. lib. 2. cap. 2.

Neq; verò hîc audiendus est Ranulphus Cestrensis, qui Pictos australes à Niniane conversos eam insulæ partem incoluisse opinatur, quæ *à muro Romani operis transversò usq; ad mare Scoticum pretensa, Galwediam & Lodoneiam* (sive Laudoniam) in se continebat. Totus enim ille tractus, Romanus * *Valentiæ* nomine cognitus, Niniani tempore à Britonibus, Bedæ verò ætate ab illis simul & Anglis Nordanhumbris possidebatur. Nam primis Anglosaxonum temporibus Octha & Ebusa *sæpenumerò cum provincialibus congressi, profligatisq; qui resistendum putaverant, reliquos in fidem acceptos placidæ quietis gratiâ mulcebant:* ut habet in I. libro de gestis regum Anglorum cap. 3. Guilielmus Malmesburiensis. Posteà verò [n] Cedwalla rex Britonum, anno DCXXXIII. cæso Nordanhumbrorum rege Æthelfrido, civibus suis libertatem restituit: quam sequente anno, [o] Cedwallâ ab Oswaldo Æthelfridi filio interempto, statim amiserunt; atq; anno DCLXXXV. [p] occiso in terrâ Pictorum Ecgfrido, ex parte denuò recuperatam ad annum DCCXXXI.

[m] Polychronic. lib. 1. cap. 58.

* Supr. cap. 5. pag. 95.

[n] Bed. histor. lib. 2. cap. 20.
[o] Id. lib. 3. cap. 1. cum lib. 2. cap. 5.
[p] Id. lib. 4. cap. 26.

DCCXXXI. retinuerunt, quo Ecclesiasticam suam historiam Beda terminans de Britonum horum studijs ista retulit. [a] *Arridente pace ac serenitate temporum, plures in gente Nordanhumbrorum tam nobiles quàm privati se suosq; liberos, depositis armis, (atagunt magis acceptâ tonsurâ monasterialibus adscribere votis quàm bellicis exercere studijs. Quæres quem sit habitura finem, posterior ætas videbit.*

[a] Id. lib. 5. cap. 24.

Ut autem Romanos intra Vallum Severi habitavisse ad plagam meridianam; ita eos *ulteriores Britanniæ partes* jure dominandi possedisse, idem [b] Beda commonet. per *ulteriores Britanniæ partes* terras, ni fallor, inter Vallum illud & Caledoniam positas intelligens: quas à Britannis *Mæatis* infestas Dio significat in Severo, regniq; *Cambrensis* nomen posteà obtinuisse refert in Vitâ Kentigerni Iohannes Tinmuthensis; regni illius limites constituens *à muro illo famoso ad arcendum hostes à Britonibus à mari ad mare quondam constructo usq; ad flumen Fordense, id est, ad mare Scoticum.* indidemq; (non è *Venedotiâ*, ut [c] Balæus censuit) Niniani originem scriptor Vitæ ipsius ita repetit. *In Britanniâ majori regali ex prosapiâ beatus Ninianus extitit oriundus, in eâ (ut putatur) regione quæ in occiduis ipsius insulæ partibus (ubi Oceanus quasi brachium porrigens, & ex utrâque parte quasi duos angulos faciens, Scotorum nunc & Anglorum terras dividit) constituta, usq; ad novissima Anglorũ* (Saxonum videlicèt) *tempora proprium habuisse Regem, non solùm historiarum fide sed & quorundam quoq; memoriâ comprobatur.*

[b] Id. lib. 1. cap. 11.

[c] Balæ. Scriptor. Britann. Centur. 1. cap. 43.

Et quidem regni *Cumbrorum* (quos eosdem cum *Cambris*, sive veteribus Britannis, fuisse docet [d] Camdenus) in Anglorum annalibus crebra occurrit mentio. In quibus etiam annotatum reperitur, [e] anno DCCCCXLVI. regem Edmundum seniorem, *adjutorio Leolini regis Demetiæ fretum, Cumbriam totam cunctis opibus spoliavisse: ac duobus filijs Duxmail ejus provinciæ Regis oculorum luce privatis, regnum illud Malcolmo I. Scotorum regi de se tenendum concessisse; ut aquilonares Anglia*

[d] Camden. in Cumberland, pag. 630. & 648.
[e] Matth. Florileg. ad illum annum. Vid. Guil. Malmesbur. de gest. Reg lib. 2. cap. 7. Henr. Huntingdon. histor. lib. 5. Florent. Wigorn. & Rog. Hoveden. ad annum 945.

Angliæ partes, terrâ mariq; ab hostium adventantium incursione tueretur. & Anglosaxonum novissimis temporibus, Siwardum Nordanhumbrorum Ducem jussu Edwardi Regis & Confessoris Malcolmum III. [f] *filium Regis Cumbrorum*, profligato Macbetho, regem Scotorum constituisse. quanquam illis temporibus *Cumbrensis* regni longè alios fuisse terminos, quàm qui *Cambrensi* in Vitâ Kentigerni sunt assignati, animadvertere liceat. Neque enim Northumbriæ Comitatus, à Tinæ ad Twedæ ostia ultra Severi Vallum protensus, ad Cumbriæ Reges pertinebat, sed ad Nordanhumbrorum Duces sive Consules, ut [g] Richardus Prior Hagustaldensis eos appellat: & cis Vallum ad Cumbrorum Reges vel tota spectabat Cumbria, vel ea saltem illius pars quæ ad fluminis Derventionis ostium pertingit & fontes Tesis; è saxeto *Stanemoriâ* scaturientis; quousq; Malcolmi illius III. terminos pertigisse, ex Scotorum historicis [h] retulimus.

[f] Guil Malmesbur. de gest. Reg. lib. 2. cap. 13. Florent. Wigorn Rog. Hoveden. & Matth. Flori leg. ad annum 1054.

[g] Richard. in Prologo libri de stata Hagustaldens. ecclesiæ.

[h] Suprà, pag. 381.

Illud interim certum est, inter Britannos suos Iedem Episcopalem constituisse Ninianum, in loco olim *Candida Casa*, hodie (à candido quoq; colore appellatione retentâ) Whit-herne nominato. Unde ad Ecclesiam Glascuensem, in Glottæ sive Cluidæ fluvij (qui ditionis Romanorum & relictorum ab eis Britonum extremus erat terminus) ripâ sitam, à Kentigerno translata fuisse videtur. Glascuensem enim diœcesim eo tempore eosdem cum Cambrensi illo regno limites habuisse, & ad murum illum celebratissimum protensum fuisse (&, quod huic est consequens, *Candidam Casam* complexu suo continuisse) in Kentigerni Vitâ pariter legimus. Nam quod [i] Hector Boëthius *Candidam Casam* sub Mordaci Scotorum regis ditione fuisse vult, quem anno DCCXXXI. (in quo Ecclesiasticam suam Historiam terminavit Beda) defunctum fuisse notat; tam verum est, quàm quod de Bedâ statim subdit. *Beda locum Pictiminiam vocat, Actámque antistitem, qui sub id*

[i] Boëth Scotor. histor. lib. 9. fol. 181. b.

tempus sacræ sedi Candidâ in Casâ præfuit; eumq; virum primum post D. Ninianum ibidem gessisse episcopatum. Nam neq; ita locum hunc uspiam vocavit Beda, neq; illum loci ejus nominavit antistitem: & in *Anglorum* non in *Scotorum* potestate Candidam Casam eo tempore fuisse clarissimè confirmat. Anno enim illo DCCXXXI. præsulatum tenuisse [k] scribit *Accam in Hagustaldensi Ecclesiâ, Pecthelmum in eâ quæ Candida Casa vocatur; quæ nuper*, inquit, *multiplicatis fidelium plebibus, in sedem Pontificatus addita, ipsum primum habet antistitem.* Hanc verò *jam tunc Anglorum gentem obtinuisse, & all provinciam Berniciorum pertinuisse*, & ipse apertissimis verbis [l] antè scripserat, & [m] Johannes Major ingenuè agnoscit; *pro tempore suo & non futuro Bedam scripsisse* simul admonens. Quo magis Thomæ Dempsteri confidentiam & temeritatem demirari liceat, tam audacter asseverantis [n] *hoc certò liquere; Candidæ Casæ Episcopatum semper ditionis fuisse Scoticæ, nec unquàm Anglico juri subjectum.*

[k] Bed. lib. 5. cap. 24.

[l] Id. lib. 3. cap. 4.

[m] Maior de gest. Scotor. lib. 1. cap. 2.

[n] Dempster. Histor. Eccles. ast. Scotor. lib. 5. num. 1026.

Ut igitur apud Britones primus Candidæ Casæ episcopus erat *Ninianus*, ita Anglorum primus in eâ sede antistes erat *Pecthelmus*: ad quem popularis sui Bonifacij Moguntini archiepiscopi XI.ª data legitur Epistola. Pecthelmo (ut in Florentij Wigornienſis habetur Chronico) anno DCCXXXV. defuncto successit Frithwaldus; eiq; anno DCCLXIII. Nonis Maij ex hâc vitâ decedenti successor XVI. Kalend. Augusti datus est Pechtwinus: eo verò anno DCCLXXVII. mortuo, sequente anno Eboraci XVII. Kalend. Iulij episcopus ordinatus est Æthelbertus: cui anno DCCXCI. substitutus est Beadvulfus. *Nec prætereà*, inquit [o] Guilielmus Malmesburiensis, *plures alicubi reperio; quòd citò defecerit episcopatus, qui extremâ Anglorum in orâ est & Scotorum vel Pictorum depopulationi opportunâ.* In antiquissimo tamen Anglosaxonicorum Episcoporum Indiculo, huic etiam *Heathoredum* successisse invenio: post cujus tempora

[o] Malmesbur. de gest. Pontific. Anglor. lib. 3.

pora regio illa à Scotis sive Hibernis occupata, q. *Galwallia & Gallovidia* ab eis nomen accepit. Deinceps verò in [p] Scoticis proditum habetur annalibus, *Gallovidiam ac vicinas regiones Sodorensi episcopo, cui in Monâ insulâ sedes erat sacra, usq; ad Malcolmi tertij regis tempora in rebus paruisse divinis:* à quo Gallovidiæ *Candida Casa*, ut hodie manet, Episcopalis sedes est constituta.

[p] Camden. in Scotiâ, pag. 692.

[q] Hect. Boëth. Scotor. histor. lib. 9, fol. 181. b.

Post occisum anno DCCXCIIII. Æthelredum Nordanhumbrorum regem, *cessante rectore per triginta tres annos, provinciam illam risui & prædæ finitimis fuisse* scribit [r] Guilielmus Malmesburiensis. Et hujus ἀναρχίας tempore, ut *Scotos* Gallovidiam, ita etiam *Pictos* Laudoniam occupavisse dicendum est; si verum sit eam *Pictlandiam*, quasi *Pictorum terram*, aliquando fuisse appellatam. quâ de re ita Hector Boëthius, in Scotiæ regionum nominibus. *Pithlandia Laudonia nunc, continebat antiquitùs nonnullos agros vicinos. Montes quidem* Pithland-hillis *vulgari vocabulo, &* Pithland-law *eâdem in regione hodie eodem nomine hujus rei fidem faciunt.* Verùm *Penthlantitos* montes (ita enim vulgò nominantur) & *Pentho* potius quàm à *Picto* derivandos; & *nomina hæc posterioribus temporibus ab Anglis, aut certè Scotis Anglicum sermonem usurpantibus indita fuisse*, credit [s] Georgius Buchananus. *Eorum enim apud priscos Scotos nec intellectum, nec usum esse ullum.* Quibus accedit quòd longè post eversum Pictorum dominatum, circa annum demùm DCCCCLX. *Edenburgum* Laudoniæ metropolim Angli amiserint; apud Scotos *Indulpho regnante, opido Eden* (ut [t] author libelli de Scotiæ divisione loquitur) *vacuato, & relicto Scotis usque in hodiernum diem*: & circa annum DCCCCLXXV. Ædgarus Anglorum rex reliquam Laudoniam Kenneth̄o III. Scotorum regi concesserit; dans ei (ut apud Matthæum Florilegum habetur) *terram totam quæ Laudian patriâ linguâ nuncupatur, hâc conditione, ut annis singulis in festivitatibus præcipuis, quando Rex & ejus successores diadema portarent,*

[r] Malmesbur. de gest. Regum Angl. lib. 1. cap. 3.

[s] Buchanan. rer. Scotic. lib. 2.

[t] de quo suprà, pag. 611. *Vid.* Camden. in Scotiâ, pag. 689.

tarent, venirent ad Curiam & cum cæteris regni principibus festum cum lætitiâ celebrarent.

Neq; in Laudoniâ igitur neq; in Gallovidiâ australes illi Picti sunt quærendi, quos Ninianus fide Christianâ imbuit; sed in regionibus potiùs inter Bodotriam vel Fortham fluvium & Grampium montem positis. Hîc verò ut in Vitâ ejus legimus, *ordinavit presbyteros, Episcopos consecravit, & totam terram per certas parochias divisit: confirmatisq; in fide omnibus, ad Ecclesiam suam est regressus.* Nec desunt tamen, qui unum tantùm in universo Pictorum regno Episcopum fuisse volunt; qui *Abernethij* in Strathernia consederit. *Hu enim temporibus fuit locus ille sedes principalis Regalis & Pontificalis totius regni Pictorum, quando non fuit nisi unus solus in regno Episcopus:* quemadmodum in Scotichronico traditum invenimus. At quum Oswius Nordanhumbrorum rex [a] *Pictorum atq; Scotorum gentes, quæ septentrionales Britannie fines tenebant, maximâ ex parte perdomuisset ac tributarias fecisset:* Wilfridus Eboracensis archiepiscopus [z] non solùm *omnium Nordanhumbrorum sed etiam Pictorum, quousq; Rex Oswius imperium protendere poterat,* Episcopatum administravit.

[a] Bed. histor. lib. 2. cap. 5.

[z] Id. lib. 4. cap. 3.

Anno deinde [y] DCLXX. defuncto Oswio successit filius Egfridus: qui [z] mox post patris obitum deficientes Pictos denuò subegit. Indeq; factum, ut anno DCLXXXI. [a] triennio post pulsum à sede Eboracensi Wilfridum, Theodorus Cantuariensis archiepiscopus *Trumwinum* antistitem ordinaverit *ad provinciam Pictorum, quæ tunc temporis Anglorum erat imperio subjecta.* Qui quidem Trumwinus [b] Synodo Theodori ad Twifordiam juxta fluvium Alne (in Comitatu Northumbriæ) anno DCLXXXV. habitæ interfuit; & [c] Chartæ donationis, ab Egfrido rege eodem tempore (neutiquàm verò anno DCXIX. ut [d] D. Camdeno per errorem excidit) concessæ, ita nomen suum apposuit. *Ego Trumwine Pictorum Episcopus subscripsi.* Eodem verò anno,

[y] Id. ibid. cap. 5.
[z] Guil. Malmesbur. de gest. Pontif. Anglor. lib. 3. fol. 149.
[a] Bed histor. lib. 4. cap. 12.
[b] Id. ibid. cap. 25.
[c] MS. in Bibliothecâ Cottonianâ.
[d] Camden. in Cumberland. pag. 641.

e Egfrido

• Egfrido rege in Pictorum provinciâ extincto, *Picti terram possessionis suæ quam tenuerunt Angli* recuperârunt; & *Trumwinus, qui in eos Episcopatum acceperat, recessit cum suis qui erant in monasterio* * *Abercurnig posito quidem in regione Anglorum, sed in viciniâ freti quod Anglorum terras Pictorumq; disterminat.* Sicq; deinceps Picti, libertate receptâ, proprios antistites delegerunt: inter quos S. *Tarnanum* archiepiscopum postremum fuisse (eâ videlicèt *tempestate, quâ Pictica gens & Regnum funditùs excisa*, florescentem) in XVIII • Ecclesiasticæ suæ Historiæ libro significat Thomas Dempsterus; Natalem quoq; illius, ex *Breviario Scotico*, ad Iulij Kalendas referens. ad quem tamen diem, in Catalogo generali Sanctorum qui in Martyrologio Romano non sunt, à Philippo Ferrario (ad hunc ipsum Dempsteri locum in notis suis hîc respiciente) concinnato, *In Hibernia S. Tarnani episcopi Lismorensis* memoriam annotatam invenimus.

Vitam S. Niniani (ut ad eum jam redeamus) ab Ælredo Rhievallensi abbate conscriptam in Bibliothecis Angliæ vidimus. Carminis etiam de virtutibus illius ad se missi meminit Alcuinus, in ineditâ ad Fratres Fani Niniani epistolâ; cujus hoc initium. *Venerandæ dilectionis fratribus in loco Deo servientibus qui dicitur Candida Casa, Alchuinus diaconus Salutem. Deprecor vestræ pietatis unanimitatem, ut nostri nominis habeatis memoriam, & intercedere pro meâ parvitate dignemini in Ecclesiâ sanctissimi patris vestri Nynia Episcopi. qui multis claruit virtutibus: sicut mihi nuper delatum est per carmina metricæ artis, quæ nobis per fideles nostros discipulos Eboracensis Ecclesiæ scholasticos directa sunt. in quibus & facientis agnovi eruditionem, & ejus perficientis miracula sanctitatem, per ea quæ ibi legebam.* Ipse quoq; Ninianus, [f] *ne videretur omninò posterorum immemor, inaffectato sed utili exarabat stylo, Psalterij meditationes*, lib. 1. & *Ex sententijs sanctorum*, lib. 1. si Iohanni Balæo credimus: qui & obijsse illum

[f] Bed. histor. lib. 4. cap. 26.

* vid. supr. pag. 602.

[f] Balæ. Script. Britann. Centur. 1, cap. 43.

lum notat, anno Salutis nostræ CCCCXXXII. sub Theodosio juniore.

Eodem illo anno B. Patricium Hiberniam ingressum esse, postquàm Palladius, superiore anno à Romano Pontifice Cœlestino Episcopus eò missus, cõversione Insulæ frustrà tentatâ in Albaniam (quæ hodierna Scotia est) concessisset; in loquente Capite sumus ostensuri: ubi de Palladio & Patricio pluribus erit agendum. Scribit verò [c] Iohannes Fordonus, [d] in Scotiam advenisse Palladium, cum *magnâ cleri comitivâ* (ut ille loquitur) Scotorũ *regis Eugenij regnationis anno* XI. quo juxta illius rationes anno Salutis CCCCXXIX. vel CCCCXXX. respõndet: eiq; *Regem mansionis locum apud Fordon in le Mernes, ubi petierat, gratis dedisse* subjicit. quũ tamen anno CCCCXXXI. ad Scotos sive Hibernos missum fuisse Palladium, ex [b] Prosperi Chronico liqueat: & Merniæ provinciam (in quâ *Fordonum* est positum, ipsius hujus historici * Iohannis patria) non Scotorum sed Pictorum reges eo tempore tenuisse constet.

[c] Scotichronic. lib. 3. cap. 8.

[b] Vid. supr. cap. 11. pag. 310.

* qui alius est à Iohanne de Fordâ, Fordensis cœnobij apud Devonienses abbate, vitæ Wolfrici presbyteri scriptore: de quo Vossius, Historic. Latin. lib. 2. cap. 56.

Sub *Eugenio* etiam hoc, magni Fergusij filio, Palladium Episcopum à Cœlestino missum huc fuisse, *ut Pelagianam hæresim, quæ jam magnam Britanniæ partem infecerat, à Scotorum gente arceret populumq; ad veram pietatem, à quâ continuâ bellorum atrocitate paulùm aberraverat, ritè reduceret*; sub finem VII. Scoticæ suæ Historiæ libri affirmat Hector Boëthius: de *Dongardi* fratris & successoris Eugenij pietate, in sequente libro ista quoq; adjiciens. *Christi sacerdotes, quorum præsertim Palladium vitæ innocentiâ reverentes, sacri institutis ab eo & iis qui cum eo ab Italiâ venerant conditi cultores, variis in regni locis prædijs, agris, cæterisq; rebus ad vitæ necessitatem accommodatis, affluenter donatos, magnâ ubiq; reverentiâ omnibus esse voluit, militiæq; vacationem eisdem tribuit: locáq; omnia Christo sacra per universam Scotiæ regionem asyla effecit, & ad ea confugientes, feras fugitivos, reos, quovis crimine reos, ne judicium subirent publicâ cogerentur authoritate, dum*

illic se continerent, regio vetat edicto. Nec tantùm illis, sed & aliis propè innumeris privilegijs Christo initiatos, ut eorum templa, cœnobia, & alia loca sacra augustiora haberentur & essent donavit.

Etiam ad *Constantini* (quem Dongardo fratri anno CCCCLVII. in regno successisse notat Fordonus) ætatem Palladium perveniſſe, Polydorus Vergilius auctor est; in III.° Anglicæ suæ Historiæ libro, hæc de illo scribens. *Palladius homo bonus, gratus, pius, & plenus officij, diu apud Scotos erat, omnibus precibus deborsatus est Constantinum regem, ut ne vellet Anglos Saxones gentem impiam armis juvare contra Britannos homines Christianos; quando posset certò scire eorum calamitatem cum suâ aliquando fore conjunctam, cùm satis constaret illos non Scotorum, non Pictorum amicitiam, sed totius insulæ imperium quærere: nève alienorum nomine, se atq; suos toties opponere periculo belli, cujus exitu nihil incertius esset. Ea admonitio ita Constantinum movit, ut jam tum pollicitus sit, se nunquam amplius cum Anglis fraturum: quod & fecit.*

Atqui non longè post missionem suam vitâ functum esse Palladium, & post illius mortem in Hiberniam à Celestino legatum esse Patricium; Ninius, Marcuthenus, Probus, Iocelinus, & alij Vitæ Patricij descriptores confirmant: quomodo & in[i] Officij ejus lectione V.[a] habetur traditum, *eò illum venisse, postquam Palladius inde recessisset, & exiguo prædicationis fructu mortem obijsset in finibus Pictorum.* Unde colligere promptè est Palladium CCCCXXXII. Christi annum vivendo nequaquam transcendisse: quem in Fordonensi demùm oppido, in quo consederat (ubi hodieq; contracto Sancti Pâd nomine ab incolis appellari audio) mortem obijsse, ita narrat Hector Boëthius[k]. *Fordun (vico in Mernia nomen est) beatissimum hujus vitæ exitum sortitus, satis concessit. Ubi sacra ejus reliquiæ in multo habita honore à multis illuc religionis causâ confluentibus, vel hâc nostrâ ætate venerandæ ostenduntur. Hæc*

[i] Offic. Patric. edit. Parisiano, 1620. pag. 22.

[k] Boëth. Scotor. histor. lib. 7. fol. 128. b.

Willelmus

Willelmus Schewes sancti Andreæ olim Archiepiscopus, vir undiquaque eruditus, effossas humo multis pijs precationibus, solenniq; apparatu, in capsulam argenteam honorificè locavit, quarto anno post Christi adventum in carnem supra nonagesimum milesimum quater centesimum.

Palladium συλλατεγὸν sibi adsciviſſe S. *Servanum* Iohannes Fordonus indicat. *Prædicationis*, inquit, *& sacramentorum ministrationis consortem sanctissimum virum Servanum habuit: quem ordinatum episcopum, quia tantæ genti ministeria solus impendere pastoralia non sufficerat, ad orthodoxam populo fidem docendam ac opus sollicitè perficiendum Evangelij dignum per omnia sum effecit coadjutorem.* & antiquior scriptor Vitæ Kentigerni, apud eundem. Palladius *Scotiam adveniens, sanctum ibidem invenit Servanum: & eum, ut in vineâ Domini Sabaoth operaretur, invitans; doctrinâ postmodum Ecclesiasticâ sufficienter imbutum, in omni Scotorum gente suum constituit suffraganeum.* Eum ad *Orcades* insulas ab illo missum, addunt recentiores: in quibus [m] Iohannes Major. *Servanum episcopum Palladius ordinat; & eum ad Orchades insulas, ut genti evangelizaret, misit. Ex illo patet, quòd Episcopus in necessitate ab uno episcopo consecretur; & non est de Episcopi essentiâ, quòd à tribus ordinetur.* & [u] Polydorus Vergilius, de eodem agens Palladio. *Fecit Servanum virum singulari bonitate ac modestiâ præditum episcopum; quem posteà in Orchades misit, qui insulanos Christianæ religionis cultum doceret: quod ille studiosè fecit.* & [o] Hector Boëthius. *Palladius Servanum episcopum ad Orcadas insulas missum, ut populum rudem Christianâ pietate institueret, creavit. Et Servanum, quem infantem lustrico laverat fonte, Pictorum Archiepiscopum constituit.* ubi pro certo sumit, quod vetustiorum scriptorum sententiæ repugnare jam ostendimus; tam diu hîc commoratum esse Palladium, ut quem infantulum baptizaverat, eundem posteà Archiepiscopum ordinare potuerit.

[l] Fordon. Scotichronic. lib. 3. cap. 9.

[m] Major, de gest. Scotor. lib. 3. cap. 2.

[u] Polydor. Anglic. histor. lib. 3.

[o] Boeth. Scotor. histor. lib 7. fol. 128. b.

De

De utroq; etiam illo Iohannes Leſlæus. [p] *Palladius Servanum Epiſcopatus auctoritate cumulatum, ad Orchades inſulas (ut gentem ibi rudem & barbaram fide Chriſtianâ imbueret) allegavit; & Tervanum quoq; Pictorum Archiepiſcopum creavit. In quibus locis ij duo tanto religionis pietatiſq; proferendæ ſtudio officij ſui partes cumulatè explèrunt, partim hæreſim Pelagianam ex inſulanorum animis evellendo, partim religionis puritatem illorum jam purgatis animis inſtillando; ut meritò hic Pictorum, ille Orchadum Apoſtolus poſteà cenſeretur.* Addit Thomas Dempſterus, [q] S. *Tervanum* non ſolùm Pictos *Idolorum eâ adhuc ætate cultui deditos incredibili ſtudio morum q; ſanctimoniâ ad veram religionem convertiſſe*; ſed etiam *Exhortationes ad Pictos, Contra Pelagianos* lib. 1. & *Homilias ex ſacrâ Scripturâ* conſcripſiſſe: *Abernethiæ* deniq; (quæ Pictorum Regia) obijſſe; ibidemq; & reliquias ejus conditas eſſe, & *templum Cathedrale ei dicatum.*

[p] Leſlæ de reb. geſt. Scotor. lib. 4. in rege XLI.

[q] Dempſter. Hiſtor. Eccleſiaſt. Scotor. lib. 18. num. 1107.

Eodem etiam cum illo tempore, anno videlicèt CCCCXLI. S. [r] *Servanum* floruiſſe dicit: à quo & *Orcadum Epiſcopatum fundatum*, & Epiſtolarum ad *Orcadianos* quidem librum 1. ad Eccleſias verò *Scoticas* alterum, ſcriptum fuiſſe ait. Sed ante hunc, [ſ] anno CCXCIII. S. *Serfum* claruiſſe aſſerit: qui *ex Caldeorum grege Epiſcopus electus, aliquid magni animo agitans, Orcades nondum adhuc fidei luce illuſtratas adierit, & verbum vitæ rudibus ijs gentibus indefeſſus nunciaverit*; ſimiliterq; ſcripſerit,

[r] Id. lib. 17. num. 1030.

[ſ] Id. ibid. num. 1032.

Conciones ad Orcadianos, lib. 1.
De Religionis Chriſtianæ myſteriis, lib. 1.
Epiſtolas ad Scoticas Eccleſias, lib. 1.

ut hic primus Orcadum Apoſtolus, S. Servanus ſecundus dici poſſit. quanquam diverſos illos fuiſſe homines, ego profectò ægrè perſuaderi mihi patior. Ut enim *Ninia, Ninius* & *Nivianus* unum idemq; eſt nomen: ita etiam & *Serfa, Serfus* atq; *Serfanus* ſive *Servanus*. Vau enim (ut Latini etiam hanc conſonam appellant) & *F* ſive

digamma Æolicum ejusdem propemodum esse potestatis, & in se transire mutuò, [t] Grammaticis satis notum est.

[t] Prisc. lib. 1. cap de *numero literar.* Diomed lib. 1. & Donat. cap. *de Literâ*, Iohan. Passerat. de literarum cognat. ac permutat. pag 69.

Habetur Vita S. *Servani* MS. [a] fluctissimorum mendaciorum portentis undique referta. In eâ, regem terræ Chanaan *Obeth* filium *Eliud* ex *Alpiâ* filiâ regis Arabiæ natos geminos, *Generacium* & *Malachiam* sive *Servanum*, suscepisse legimus. *Obetho* post septennium defuncto, *Servanum* fratri regnum reliquisse, & Alexandriæ per XIII. annos divino studio & artibus discendis vacavisse. Post triginta annos ab Alexandrino Episcopo ad sacerdotij gradum promotum, in patriam redijsse, & à Cananæis Episcopum electum per viginti annos munus illud obijsse. Hierosolymitanum deinde Patriarcham septem annis extitisse: atq; eâ civitate relictâ, Constantinopoli per tres annos commoratum, Romam perrexisse tunc Pontifice destitutam; ibiq; concordi cleri & populi voluntate administrationem illam adeptum, in cathedrâ Petri septem annis consedisse. Neq; magis fortasse arrisura sunt alijs, quæ in extremo vitæ illius actu gesta refert Iohannes Tinmuthensis; quemadmodum discipulus & alumnus ejus Kentigernus à contubernio ipsius discesserit, sic exponens.

[a] Io. Tinmuth. & ex eo Capgravius, in vitâ Kentigerni.

[u] *Clàm recedens, ad Mallenam fluvium venit: qui ex maris reumate influente alveum suum excedens omnem transeundi spem penitùs ademit. Dominus autem qui mare rubrum divisit, & populum Israël siccis pedibus per medium ejus quondam eduxit, ipse Mallenam fluvium servo suo divisit: eratq; quasi muri à dextris & à sinistris ejus. Deinde brachiolum marinum per pontem transiens; repentino impetu aquas alveum implere & transitum cuilibet negare vidit. Locus autem ille in posterum intransmeabilis fuit; & pons aquis maris deinceps contectus nulli ulteriùs transeundi præbuit facultatẽ. Mallena etiam fluvius cursum suũ relinquens, in Ledonis fluvij alveum deinceps se retorsit: sicq; duo fluvij usq; tunc divisi à die illâ commixti sunt. Et ecce*

sanctus

sanctus Servanus seniles artus baculo regente fugientem secutus, supra ripam stetit, & ejulando clamans dixit. Heu me fili charissime, lumen oculorum meorum, baculus senectutis meæ: quare me deseris? cur me derelinquis? Recogita, quæso, quomodo ex materno profusum utero te suscepi, nutrivi, docui, usq; in hanc horam educavi: noli derelinquere canos meos. Sanctus verò in lachrymas resolutus dixit. Vides, pater, divinum esse quod agitur: nec consilium altissimi immutare, aut voluntati non obtemperare valemus. Rogo, inquit Servanus, ut sicut antè fecisti prece tuâ salum dividas, dandes solum: ut solus pertransiens per siccum perveniam ad te. Efficiar enim tibi de patre filius, de doctore discipulus, & usq; ad finem vitæ comes individuus. Sanctus tunc multo fletu madefactus ait. Regredere, quæso, pater mi: & discipulos tuos doctrinâ & exemplo instrue, & disciplinâ corrige. Retributor omnium bonorum retribuat tibi pro universis beneficijs quæ mihi exhibuisti. Bonum enim certamen certâsti, cursumq; jam consummâsti. Ego enim pergam quò me misit ille qui me segregavit ex utero matris meæ. Et sic mutuâ datâ benedictione, ab invicem discesserunt. Sanctus autem Servanus in senectute bonâ citò migravit ad Dominum.

In quâ narratione illud scriptorē fugit, *Malinæ* & *Ledonis* vocabulis, non ejus nominis fluvios aliquos, sed crescentes & decrescentes Oceani æstus denotari: [x] *qui alternante per septenos octonosve dies successu, mensem inter se quemq; quadriformi suæ mutationis varietate dispertiunt.* Minores enim æstus *Ledones* sunt dicti: qui [y] *à quintâ Lunâ, similiter & à vicesimâ incipiunt, & quot horis accedunt, tot recedunt. Malinæ sunt majores: quæ à tertiadecimâ & vicesimaoctavâ Lunâ incipiunt, & sex diebus & quindecim horis durant; & sunt citiores in accedendo, tardiores in recedendo.* Ita venerabilis Beda. Et ante eum, author librorum de Mirabilibus sacræ Scripturæ. [z] *Quotidiana inundatio bis in die, à tempore ad tempus, per horas viginti quatuor semper peragitur: & per alternatas hebdomadas Ledonis & Malinæ vicissitudo comitatur. Sed*

x Bed. de temporum ratione, cap 27.

y Id. in lib. de Mundi constitutione: & in lib. de Naturâ rerum, cap. 39.

z Lib. de Mirabilib. scriptur. cap. 7. tomo 3 Oper. Augustini.

Ledo sex horas inundationis & totidem receſſus habet: Malina verò grandis per quinque horas ebullit, & per ſeptem horas littorum dorſa retegit. Ledonis etiam & Malinæ meminerunt, [a] Wilibaldus in fine Vitæ Bonifacij, [b] Actorum Rumoldi & Gummari ſcriptores; & Rogerus Hovedenus, *Lindim* Northumbriæ fluviolum ita deſcribens. [c] *Lindis dicitur flumen quod in mare excurrit, duorum pedum latitudinem habens, quando Ledon fuerit, id eſt minor æſtus, & videri poteſt: quando verò Malina fuerit, id eſt major æſtus maris, tunc nequit Lindis videri.*

[a] Tom. 4. Antiqu. lect. H. Caniſij, part. 2. pag. 385.
[b] Io Molan. Natal. Sanctor. Belgij, Iuli. 1. in Rumoldo.
[c] Hoveded. Annal. part. 1. ad annum 793.

De *Gildâ* Albanio, in XIII.° Capite à nobis annotata ſunt aliqua: quibus & hîc nonnulla alia veniunt adjungenda. Sic igitur, à nobilitate generis & ſtudijs adoleſcentiæ, Vitam *Gildæ* orditur Caradocus Lancarvanenſis. *Nam fuit Rex Scotorum, nobiliſſimus regum Aquilonalium: qui* XXIIII. *filios habuit, victores, bellicoſos, quorum unus nominabatur Gildas; quem parentes ſui commiſerunt ſtudio literarum. Puer bonæ indolis & ſtudioſus floruit ingenio: quicquid audiebat à magiſtro, commemorabat diligentiſſimè, nec ledebat oblivio. Studuit ſtudioſus aſſiduè inter ſuates in artibus ſeptem, donec pervenit ad juventutem.* In Caradoci codice quo uſus eſt [d] Iohannes Balæus, pater illius *Navus rex Pictorum*; in Iohannis Capgravij Legendâ, *Can rex Albaniæ* nuncupatur. Anonymus vitæ ſcriptor, quem ex Floriacenſi Bibliothecâ Iohannes à Boſco divulgavit, patrem *Cavum*, patriam *Arecluſam* nominat; quam nos *Argatheliam* eſſe arbitramur, ad [e] Glottam ſive Cluidam fluvium poſitam. *B. Gildas*, inquit ille, *Arecluſâ fertiliſſimâ regione oriundus, patre Cauno nobiliſſimo & catholico viro genitus, ab ipſo puerili ævo toto mentis affectu Chriſtum ſtuduit ſequi. Arecluſa autem regio cùm ſit Britanniæ pars, vocabulum ſumpſit à quodam flumine quod Clut nuncupatur; à quo plerunque illa irrigatur.*

[d] Balæ. Script. Britann. Centur. 2. cap. 87.
[e] Vid. ſupr. pag. 665.

Idem author Cauno, præter Gildam, quatuor tantùm tribuit filios: de quibus iſta memorat. *Cauno ejus genitor, & alios quatuor fertur habuiſſe filios: Cuillum videlicèt*

delicèt valde strenuum in armis virum; qui post mortem patris ei in regno successit. Mailocum quoq; qui à patre sacris literis traditus & in eis benè edoctus, relicto patre, atq; rebus paternis abrenuncians, venit Lyuhes in pago Elmail; ibique Monasterium adificans, in quo in hymnis & orationibus, jejunijs & vigilijs instanter serviens Deo, clarus virtutibus & miraculis, in pace quievit. Egreas verò cum Allaco fratre & Peteoua sorore Deo sacratâ virgine, similiter & ipsi relictis rebus paternis, & secularibus abrenunciantes pompis, in extremâ parte regionis illius secedentes, non longè à se invicem distantia singula sua construxêre oratoria; mediam statuentes sororem.

Filiorum natu maximus, qui hîc *Cuillus*, rectiùs apud Capgravium *Howelus*, ab alijs *Hoël*, *Huel* & *Huelinus* appellatur: de quo, in magno Glastonienſis monasterij Regesto quod *Secretum Domini Abbatis* dicitur, annotatum legimus. *In historijs Britonum invenitur, quòd rex Arthurus regem Scotiæ interfecit in bello (& præcipuè in Vitâ sancti Gildæ, capitulo II.° qui Gildas Britonum historiographus magnus fuit & præcipuus, & frater Hoelis regis Scotiæ quem occidit rex Arthurus:) & Scotiâ subjugatâ rediit cum triumpho.* Quæ de fratre hoc Gildæ, ab Arthuro rege interfecto, apud Giraldum Cambrenſem & in Britonum monimentis alijs ſunt tradita, in poſtremo Defenſionis Hiſtoriæ Britannicæ capitulo profert Dn. Iohannes Priſæus: addens etiam, *extare adhuc locum in Venedotiâ, qui cadis hujus memoriam adhuc retinet, lapidemq; ingentem nomen hujus Huelini præferentem habet erectum, ut mos erat antiquis, ad hujusmodi rerum memoriam perpetuandam.* Cum quibus & iſtam Caradoci Lancarvanenſis narrationem Lector conferre poterit.

[f] *Contemporaneus Gildas vir sanctissimus fuit Arthurij regis totius majoris Britanniæ, quem diligendum diligebat; cui semper cupiebat obedire. Confratres tamen* XXIII. *resistebant Regi rebelli præducto, nolentes pati Dominum; sed crebrò fugabant & expellebant à saltu & bello. Huel*

[f] caradoc. in Vitâ Gildæ, cap. 9.

major natu, belliger assiduus & miles famosissimus, nulli Regi obedivit nec etiam Arthurio. Affligebat eundem, commovebat inter utrumq; maximum furorem. A Scotiâ veniebat sæpissimè; incendia ponebat, prædas ducebat, cum victoriâ ac laude. Unde rex universalis Britanniæ, audiens magnanimum juvenem talia fecisse & æqualia facere, persecutus est victoriosissimum juvenum, & optimum (ut aiebant & sperabant indigenæ) futurum Regem. In persecutione autem hostili & in conventu bellico, in insulâ Mynau interfecit inimicum prædatorem. Post illam interfectionem Arthurus victor remeavit; gaudens maximè quòd superaverat suum fortissimum hostem.

Deinde ubi Gildam, auditâ fratris nece, ex Hiberniâ in Britanniam venisse declarâsset; subjungit. ε *Audito adventu Gildæ sapientis ab Arthuro rege & Primatibus totius Britanniæ, Episcopis & Abbatibus; convenerunt innumerabiles ex clero & populo, ut Arthurum pacificarent ex supradicto homicidio. At ille (sicut primitùs fecerat, cognito rumore de obitu fratris) indulsit inimico; veniam postulanti osculum dedit, & benignissimo animo benedixit osculanti. Hoc peracto, Rex Arthurus dolens & lachrymans accepit ab Episcopis astantibus pœnitentiam; & emendavit in quantum potuit, donec consummavit vitam.*

ε Ibid. cap. 12.

Neq; hîc prætermittenda, quæ de fide Christianâ inter gentes Britanniæ aquilonares à Gildâ propagatâ, in libro Floriacensi hisce verbis memoriæ mandata comperimus. ζ *Cùm ad sacros ordines promotus esset, & Presbyteri fungeretur officio; audiens quòd gentes quæ Aquilonalem plagam Britanniæ insulæ incolebant adhuc gentili errore detinerentur, & quòd hi etiam qui videbantur inter eas Christiani non Catholici essent, sed diversis haereticorum fraudibus irretirentur: accipiens juxta Apostoli præceptum armaturam Dei, ut posset resistere in die malo & in omnibus perfectus stare, de Christi adjutorio confidens, cœpit illuc pergere. Stans autem succinctus lumbos mentis inter paganos atq; haereticos, indutus loricâ justitiæ, &*

ζ Vit. Gildæ, ex MS. Floriacens. edit. cap. 8.

Ephes. 6. 13.

& calceatus pedes in præparationem Euangelij pacis: in omnibus periculis sumebat scutum fidei, in quo posset omnia tela nequissimorum Dæmoniorum extinguere; galeamq; salutis & gladium spiritus, quod est verbum Dei. His itaq; armis munitus Gildas Christi miles præclarus, prædicabat nomen Christi gentilibus; multis ex divinâ lege approbationibus ostendens, nihil esse quod ab eis excolebatur. Hæreticos autem, verbum salutis opponens, ad viam veritatis adduxit; à cunctis eos quoq; revocans erroribus. Namq; ei tantam dederat Dominus noster Iesus Christus gratiam etiam sanitatum; ut ejus orationibus cæci illuminarentur, surdis auditus redderetur & claudis debilibusq; gressus. Dæmoniaci curarentur, leprosi mundarentur & infirmi quiq; sanarentur.

Pergebat igitur Gildas beatissimus Euangelium Christi prædicando; docens veram fidem per universas provincias: gentemq; suam ad veram catholicamq; fidem convertebat. Hæc & his similia agente Beato Gilda, omnis gens Aquilonalis plagæ ad ejus prædicationis doctrinam cœpit undique confluere: quatenùs derelicto gentili errore, & perceptâ ejus admonitione sanctæ Trinitatis fide, in gremio collocaretur sanctæ matris Ecclesiæ; ut vocaretur Christi sponsa & probaretur esse. Destruebantur itaq; Idola ab eis quæ à fabricaverant, cum templis suis; & Ecclesiæ ædificabantur per congrua loca: baptizabantur viri nobiles, cum uxoribus & filijs atq; familijs. [i] *Cùm autem videret Beatus Gildas fœcundam prolem Christianitatis & sanctæ religionis ubiq; pullulare; inenarrabili gaudio repletus, sic ait Domino. Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, qui populũ hunc diutinè errantẽ sancti tui nominis gratiâ misericorditer illuminare dignatus es, & ad cognitionem tuam pervenire fecisti: & qui hactenùs infelices & hebetes errabimus in regione umbræ mortis, tandem lux tuæ justitiæ illuxit nobis, & pax perpetua jam regnat in nobis.*

[i] Ibid. cap. 9.

Ad Gildæ scripta quod attinet: præter *Commentarios Euangeliorum* & *Historica* nonnulla, *Versus* etiam *vaticiniorum* [k] Balæus illi tribuit; de quibus [l] Buchanus

[k] Balæ, Scriptor Britann. centur. 1. cap. 50.

[l] Buchanan. rer. Scotiçar. lib. 5 in rege XLIIII.

nanus rectissimè pronunciavit. *Vaticinia, quæ nomine ejus circumferuntur, ita & sententijs sunt ridicula, & verbis totoq; compositionis genere informia & inculta, ut ea nemo sanus Gildæ esse sit crediturus.* Eorum specimen in unico hoc Epigrammate (quum alia quoq;, multo adhuc ineptiora, essent ad manum) præbere Lectori placuit.

Fata ducis celebris super omnia Scotia flebit,
Qui loca septa salo junget ubique sibi.
Principe magnifico tellus viduata, vacabit
Annis bis ternis mensibus atque novem.
Antiquos Reges, justos, fortes, locupletes,
Largos, famosos, Scotia mœsta luget.
Ut Merlinus ait; post Reges victoriosos
Regis more cæsus regia sceptra reget.
Væ canet Albania tantis præsaga ruinis;
Totaq; gens propriâ fraude perempta jacet.
Serviet Angligenæ Regi per tempora quædam
(Proh dolor!) Albania fraude subacta suâ.
Quòd respirabit post funus Regis avari,
Versibus antiquis prisca Sibylla canit.
Candidus Albanus, patriotis causa ruinæ,
Traditione suâ Scotica regna teret.
Rex borealis enim, numerosâ classe potitus,
Affliget Scotos ense, furore, fame.
Extera gens tandem sociorum fraude peribit;
In bello princeps Noricus ense cadet.
Gallica quem gignet, qui gazis regna replebit.
(O dolor! ô gemitus!) fratris ab ense cadat.
Tristia cessabunt, quæ prospera fine sequentur;
Pacis & adveniet tempore grata quies.
Historiæ veteris Gildas luculentus arator
Hæc retulit parvo carmine plura notans.

Ab Hectore Boëthio floruisse dicuntur hâc tempestate, [m] *Colmanus Priscus, Medanus Modanus, & Euchi-*

[m] Boëth. Scotor. histor. lib. 8. fol. 151 b.

nus

nus episcopi, Christi dogmatis per Scotorum & Pictorum agros pij concionatores: licèt alibi etiam [n] *Modanus Medinusq; germani, monastica vitæ addicti,* (sive ijdem fuerint, sive diversi) Caroli Magni temporibus apud Scotos *imitandæ virtutis se ad posteros præbuisse exemplaria* ab eodem memorentur. Colmannum verò *Priscum* appellat, ut eo epitheto à posteriore Colmanno, Finani in Lindisfarnensi Episcopatu successore, distingueret: quos Dempsterus inter se [o] confundens, [p] alium nobis *Priscum* est commentus; quem *Homiliarum de Sanctis* lib. 1. scripsisse fingit. Quâ eâdem licentiâ ab [q] Euchino quoq; *Concionum piarum* librum unum, & *Statutorum Ecclesiasticorum* alterum; à [r] Medano, *Laudum monasticæ vitæ* lib. 1. à [s] Modano ipsius fratre. *De Episcopi officio* lib. 3. & à [t] Modoco altero (quem horum æqualem fuisse ait) *Homiliarum* lib. 1. scriptos fuisse somniat.

S. *Kentigerni*, quem S. *Servani* discipulum & alumnum fuisse diximus, ortum [u] Hector Boëthius ita explicat. *Erat ex divâ Thamete (Themi, aliorum sententiâ) Lothi regis filiâ, dum ejus pudicitiam nobilis quidam adolescens (sunt qui eum asserant Eugenium* III. *Scotorum regem fuisse) vi expugnaret, genitus.* [x] Thametem verò hanc Modredi & Valvani sororem fuisse vult, filiam Lothi Pictorum regis; qui [y] *Pichlandiæ novum à se nomen Laudoniæ, egregiam ob probitatem, reliquerit ad posteros.* Sed qui Hectoris edidit Epitomen, sive Iohannes Leslæus sive Robertus Turnerus, (ut Epistolæ ipsius produnt) ille fuerit, ex aliorum potiùs sententiâ (quos ego nullos fuisse arbitror) *Annam* illi matrem tribuere maluit. *Scribunt nonnulli,* [z] inquit, *Eugenium ex Annâ, Aurelij Britonum regis sorore & hærede Pictorum regis legitimâ, Deum Kentigernum suscepisse: qui & apud Orchadianos, & occidentalem Scotiæ populum, nec non & apud alias gentes in divinis effatis interpretandis, illisq; vitâ ac moribus piè effingendis, diligenter elaboravit.*

Annam illam Lothi conjugem, Utheri Pendraconis

[n] Id. lib. 10. fol. 191. a.

[o] Dempster. Histor. Eccles. Scotor. num. 239.

[p] Vid. supr. pag. 646.

[q] Dempster. num. 1004.

[r] Id. num. 461.

[s] Id. num. 844.

[t] Id. num 869.

[u] Id. num. 871.

[x] Boëth. lib. 9. fol. 167. a.

[y] Id. lib. 8. fol. 151. a. b.

[z] Id. lib. 9. fol. 161. a & lib. 10. fol. 199. a.

[a] Lesl. de reb. gest. Scotor. lib. 4. in rege XLVI.

nis filiam, & magni Arthuri sororem fuisse, [a] Galfridus Monemuthensis scripserat: hoc de Arthuro insuper addito. [b] *Lot, qui tempore Aurelij Ambrosij sororem* IPSIUS *duxerat, (ex quâ Walguanum & Modredum genuerat) ad consulatum Lodoneſiæ, cæterarumq; comprouinciarum quæ ad eum pertinebant, reduxit.* Ubi pronomen *ipsius*, quod ex Galfridi mente ad *Arthurum* referendum fuerat (cujus [c] *sororium* Lothum fuisse voluit) Iohannes Fordonus in Scotichronico, re minùs attentè consideratâ, ad *Aurelium Ambrosium* retulit. Indeq; Fordonum secutus Iohannes Major, & Majorem Hector Boëthius, Annam *Aurelij* sororem statuit: quâ ratione & Utheri soror illa fuisset, quæ in Britannicâ Historiâ filia illius fuisse traditur. Verùm Kentigerni matrem non ipsam *Annam*, sed Thametem vel Thanen Annæ filiam (Walwani & Modredi sororem) extitisse, & Fordonus, & Major, & Boëthius consentiunt: & *apud Dalgarnoch Thennæ viduæ* (sic enim eam nominat) *S. Kentigerni matris, miraculosæ mulieris* memoriam celebrari, ex Scoticis Sanctorum Fastis [d] Dempsterus annotat. *Illud* enim *Hæretico Balæo dignissimum commentum, Matre Virgine natum Kentigernum*, fuisse [e] asserit: quâ in re nullius homo fidei insignem in Balæum jacit & immittit contumeliam. Neque enim insanum illud commentum magis execratus est quisquam, quàm [f] Balæus ipse; neq; quicquam ab eo dictum hîc est, quod non ille in Iohanne Capgravio, Capgravius in Iohanne Tinmuthensi scriptum invenerat: quorum uterq; Kentigerni Legendam exorsus sic est.

Rex quidam in septentrionali Britanniæ plagâ, paganicis implicatus erroribus, filiam ex uxore suâ genuit speciosam: quæ sæpiùs auditâ servorum Dei prædicatione ad agnitionem veritatis, idolorum cultu penitùs abdicato, meruit pervenire. Et licèt baptismi gratiam nondùm consecuta, viam tamen mandatorum Dei mente devotâ & humili custodire satagebat: orationibus crebris & eleemosynis dedita (quantum ad meum

[a] Histor. Britannic. lib. 3. cap. 20. 21.
[b] Ibid. lib. 9. cap. 9.
[c] Ibid. cap. 11.
[d] Dempster. in Menologio Scotico, Iuli. 18.
[e] Id. in Histor. Ecclesiastic. Scotor. lib. 10. num. 753.
[f] Balæ. Scriptor. Britann. Centur. 1. cap. 61.

cum patris pagani licebat) Ecclesiasticæ disciplinæ & operibus bonis sedulo insistebat. Mariæ virginis integritatem fœcundam venerando admirans & diligens, præsumptuosâ audaciâ & quâdam temeritate fœminea in conceptu & partu illi assimilari & eam imitari desiderans; assiduis precibus Regem cœlorum & Dominum super hoc deprecari sæpiùs cœpit. Elapso demùm temporis spatio inventa est illa in utero habens: & magnificans Deum, desiderium suum adimpletum esse simpliciter credebat. Quod enim in eâ natum est de complexu humano susceptum: sed ipsa multoties asseruit & juramento constrinxit, quòd à quo, vel quando, aut quomodo conceperit in conscientiâ non habebat. Populus enim diœcesis sancti Kentigerni stultus & insipiens ipsum de virgine conceptum & natum adhuc astruere non veretur.

Vitam Kentigerni à Iocelino Furnesij monacho uberiùs ac fusiùs descriptam in Cottonianâ Bibliothecâ vidimus: quæ quoniam ad manum jam non est, ex Iohanne Tinmuthensi nonnulla huc spectantia visum est decerpere. Postquàm igitur dixisset; Regem illum paganum (quem alij * *Lothum* fuisse volunt, Laudoniæ sive Pithlandiæ Dominum) filiam suam gravidam deprehensam è fastigio montis *Dunpelder* dejectam incolumem evasisse, & naviculæ § coriaceæ sine remigio impositam in locum *Collenros* dictum (ad Forthæ æstuarium ille situs est, quod Laudoniam à Fifâ dividit) appulisse, ibiq; sine obstetricis ope filiolum peperisse: de S. Servano superveniente subdit. *Manè accedens ad locum, & visâ matre cum filio, patriâ linguâ dixit, Mochohe, Mochohe; quod Latinè dicitur*, Chare mi, chare mi. *& subjunxit: Benedictus qui venisti in nomine Domini. Suscepit ergo eos & enutrivit, ac baptizavit: vocavitq; matrem Tanen. & puerum* Kien-tiern, *quod interpretatur* capitalis Dominus. *Profecit ergo puer bonæ indolis in disciplinis literarum, & in exercitijs sanctarum virtutum; & præ cunctis consortibus suis in oculis sancti Servani dilectus fuit: illiq;* Munghu, *quod Latinè dicitur* charissimus, amicus *ex consuetudine*

* de quo suprà, cap. 14. pag. 514.

§ Vid. supr. pag. 606.

appellavit. Quod vocabulum an Picticæ fuerit originis haud facilè definiverim: licèt *Culros* juxta quam Servanus vixisse,& *Fordon* in quâ magister ipsius Palladius vitâ functus fuisse traditur, ad Australium Pictorum (quos Ninianus ad fidem convertit) ditionem pertinuisse liqueat. Illud certè constat,non alio quàm Sancti *Mungho* nomine Kentigernum ad hodiernum usq; diem à Scotorum vulgo compellari.

Tùm, Kentigerni sub Servani disciplinâ educatione expositâ,& ab illius sodalitate * discessu; *anno ætatis suæ* XXV.° Glascuensis diœceseos Episcopum consecratum fuisse Iohannes narrat. *Procedens inde vir Dei,*inquit,*in loco nomine Glasghu in multâ abstinentiâ vixit; donec Rex & clerus regionis Cambrensis cum cæteris Christianis, licèt paucis, ipsum plurimùm renitentem in pastorem & episcopum eligerent. Accito autem de Hiberniâ uno episcopo, more Britonum & Scotorum,in Episcopum ipsum consecrari fecerunt. Mos enim in Britanniâ inoleverat,in consecratione Pontificum tantùmodò capita eorum sacri chrismatis infusione perungere,cum invocatione sancti Spiritus & benedictione & manus impositione. Insulani enim quasi extra orbem positi, emergentibus paganorum infestationibus, Canonum erant ignari: Ecclesiastica ideò censura ipsis condescendens excusationem illorum admittit in hâc parte. Sanctus autem Kentigernus hujus ritus errori, sicut infrà dicetur,plenùs satisfecit.* Quod verò infrà dicendum promittit,hoc est. *Vir Dei septies Romam adiens, sancto Gregorio speciali Anglorum Apostolo totam vitam suam, electionem & consecrationem & omnes casus qui ei acciderant seriatim enodavit. Sanctus verò Papa illum virum Dei & Spiritus sancti gratiâ plenum intelligens, consecrationem ejus quam à Deo noverat provenisse confirmavit: ipsoq; multoties petente & vix impetrante, quæ deerant consecrationi ejus supplens, in opus ministerij à Spiritu sancto illi injuncti destinavit.*

* *Vid. supra,* pag. 674. 675.

Quomodo autem Glascuensem Episcopatum ille admi-

administraverit, deinceps enarrat Tinmuthensis. *Cathedralem sedem in urbe Glasguensi constituit: & magnam congregationem secundùm formam primitivæ Ecclesiæ viventem ibidem ordinavit. Nondùm renatos in suâ diœcesi ad fidem convertit, apostatas & hæreticos suâ doctrinâ sanâ ad sanctæ matris Ecclesiæ gremium revocavit, dæmonum simulachra ubiq; subvertit, nonnullas ecclesias construxit, parochias certis limitibus distinxit: & ubiq; lucrum animarum quærendo proficiscens, non equo vectus, sed more Apostolorum pedes ire volebat. Ne autem panem suum otiosus comederet, manibus suis in agriculturâ laborare consuevit.* Post mortem deinde *Markim* vel *Morken* regis Cambrensis sede Glascuensi pulsum, * Elguensem episcopatum suscepisse, ac tandem à *Rederech* sive *Roderico* rege revocatum veterem suam cathedram repetijsse docet. * Supr. cap. 14. pag. 564. 565.

In Cambrensi, inquit, *regno omnibus Kentigerni inimicis diversis cladibus & vario morborum genere consumptis, regionis incolæ viam Domini relinquentes, & tanquàm canes ad vomitum reversi, ad idololatriæ ritum prolapsi sunt. Cœlum igitur, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt, subtraxerunt eis obsequium & consuetum adjutorium; famesq; super terram multo tempore prevaluit. Suscitavit tandem Dominus regem nomine Rederech, à discipulis sancti Patricij in Hiberniâ baptizatum: qui in toto corde quærens Dominum, fidem Christi reparare in regno studebat. Direxit cum literis ad sanctum Kentigernum nuncios; obsecrans per nomen Domini & obtestans, ne pastor oves diu desolatas & sine custodiâ destitutas ulteriùs deserendo sui subtrahat curam: indignum esse asserens, ut sponsus sponsam, pastor ovile, præsul ecclesiam suam derelinquat; pro cujus amore animam ponere debet, ne mercenarius fiat. Denunciavit & defunctos esse, qui quærebant animam ejus. Admonitione igitur Angelicâ sanctum Asaph successorem suum constituit; & cum sexcentis sexaginta fratribus terram Cambrensem repetere cœpit. Cui Rex cum ingenti multitudine obviàm processit; laudans Deum.*

Quos cùm Sanctus benedixisset; ait. Quicunq; salutis hominum invident, & verbo Dei adversantur, in virtute Domini nostri Iesu Christi protinùs discedant: ne creditu-ris aliquod impedimentum ingerant. Quo dicto; sub nimiâ celeritate ingens lavarum multitudo, statura & visu horribilis, à cœtu illo exiens omnibus videntibus aufugit: ex quorum visione timor magnus & tremor omnes apprehendit. Confortans eos Sanctus & corroborans, in quales credi-derant denudavit: & ad credendum Deo viventi corda omnium astantium excitavit. Evidenti namq; ratione ostendit, idola muta figmenta hominum vana, & igni potiùs quàm numini deputanda. Elementa etiam, quibus inesse credebant numina, creaturas esse docuit; & conditoris dispositione, ad usum hominum & ministerium ac adjutorium esse plasmata. Wo-den verò, quem principalem Deum crediderunt (& præcipuè § Angli, de quo originem duxerant; cui & quartam feriam consecraverant) hominem fuisse mortalem asseruit & Regem Saxonum, à quo plures nationes genus duxerant. Hujus, in-quit, corpore in pulverem resoluto, anima in inferno sepulta æternum sustinet ignem. Cumque multa ad fidem pertinentia in planitie campi nomine Holdelin plebi prædicâsset: terra, in quâ sedit, in oculis omnium crevit in monticulum altum; & manet ibi usq; in diem hodiernum. Omnes autem hæc mirabilia videntes, in fide instructi, baptismum susceperunt.

§ Vid. supr. cap. 12. pag. 390.

Hæc narratio si vera sit; inter Anglorum primos Bernicij, Kentigerni ministerio, fidem Christianam susce-pisse sunt dicendi: quos in regno hoc Cambrensi sive Cumbrensi unâ cum Britonibus hoc tempore consedis-se [z] suprà declaravimus. Unde & in [a] Historiâ Britan-nicâ Aurelium Ambrosium Octhæ & Eosæ sive Ebusæ Anglosaxonum Ducibus in fidem à se receptis *dedisse regionem juxta Scotiam* legimus: quod de *Galvedia* terrâ Iohannes Caxtonus & Iohannes Major acceperunt. licèt Iohannes Tinmuthensis, vulgarem illum à nobis jam refutatum errorem secutus, Pictis illam attribuat: de Kentigerni laboribus porrò adjiciens. *Pictorum patriam*

z Pag. 663. 664. 665.

a Galfrid. Monemuth. lib. 8. cap. 8. & Matth. Florileg. ad annum 490.

triam quæ modò Galwedia dicitur ab idololatriâ & pravitate hæreticâ doctrinâ suâ purgavit; Albaniam convertit: Ecclesias constituxit, & monasteria multa fundavit. Misit ex discipulis suis ad Orchades, Norwegiam & Islandiam luce fidei imbuendas.

Ut autem in Albaniâ *Kentigernus* Scotos, si qui à B. Patricij discipulis conversi adhuc non fuerant, ad fidem Christi perduxit: ita ejusdem æqualis *Columba* Pictorum reliquam partem, quæ S. Niniani operâ religionem Christianam nondum susceperat, nostris sacris primus imbuit. De quo venerabilis Beda, Ecclesiasticæ suæ Historiæ lib. III. cap. 4. *Anno Incarnationis Dominicæ* DLXV. (*quo tempore gubernaculum Romani imperij post Iustinianum Iustinus minor accepit*) *venit de Hiberniâ presbyter & Abbas habitu & vitâ monachi insignis, nomine Columba, Britanniam; prædicaturus verbum Dei provinciis septentrionalium Pictorum, hoc est, eis quæ arduis atq; horrentibus montium jugis ab australibus eorum sunt regionibus sequestratæ. Namq; ipsi australes Picti, qui intra eosdem montes habent sedes, multo antè tempore (ut perhibent) relicto errore idololatriæ fidem veritatis acceperant, prædicante eis verbum Nyniâ Episcopo.* & libro V. cap. 10. *Erat Columba primus doctor fidei Christianæ transmontanis Pictis ad Aquilonem; primusq; fundator monasterij, quod in Hij insulâ multis diu Scotorum Pictorumq; populis venerabile mansit. Qui videlicèt Columba nunc à nonnullis compositio à cella & Columba nomine, Colum-celli vocatur.* & post eum, Notkerus Balbulus in Martyrologio, ad V. Idus Iunij. *In Scotiâ, insulâ Hiberniâ, depositio sancti Columbæ, cognomento apud suos Columbkilli; eò quòd multarum cellarum, id est, monasteriorum vel ecclesiarum institutor, fundator, & rector extiterit.* siquidem unus hic [i] *centum cœnobiorum fundator* fuisse traditur.

Atq; hoc ille cognomento (quod apud Hibernos nostros ad hunc usq; diem retinet) cùm ab alijs *Columbis* sive *Columbanis* (ut enim [k] *Ninia & Ninianus*, [l] *Of-*

* Ita in antiquissimis MSS. hic legitur, non, ut in editis, *Columbanus*.

[i] Iocelin. *Vit.* Patricij, cap. 89.

[k] Supr: pag. 661. 664.

[l] Alcuin epist. 54. & 77. edit. Paris.

fa

fa & Offunus, ita unum & idem nomen est [m] *Columba* & *Columbanus*) qui plures numero fuerunt, distinguebatur; tùm à celeberrimo illo *Columbano*, Luxoviensis in Burgundiâ & Bobiensis in Italiâ cœnobij conditore: quem eos etiam, qui ob hoc ipsum alios reprehenderunt, à nostro hoc non satis exquisitè secreviſſe deprehendi. [n] Melchiorum Goldastum & [o] Thomam Dempsterum dico: quorum prior ex *merâ segnitie*, cujus diligentissimum Molanum sine omni ratione hîc insimulat, citata Bedæ loca ab hoc de quo agimus Columbâ ad alterum Columbanum trahit; posterior, majore adhuc oscitantiâ, & Columbam nostrum cujus ab Adamnano cum Columbano illo cujus à Ionâ vita conscripta habetur confundit, & superiora illa Notkeri de Columkillo verba ad alterum illum Columbanum referenda esse contendit: productâ etiam, quod mireris, ad id confirmandum postremâ Notkeri clausulâ, quæ Columkillum à Columbano S. Congelli discipulo & S. Gallimagistro clarissimè separat ac disjungit.

[m] Ionas in S. Columbani, & Walafridus Strabus in S. Galli *Vitæ* initio. Notkerus Balbulus in Hymno de S. Columbano. (tomo 5.° Antiqu. lect. H. Canisij, pag. 747.)

[n] Goldast. Not. in Columbani Carm. cap. 1. pag. 70. 71.

[o] Dempster. Histor. Ecclesiastic. Scotor. num. 245. pag. 143. & 146.

De S. Columbæ *vitâ & verbis nonnulla à discipulis ejus feruntur scripta haberi*: ait [p] Beda. & inter eos nominatim *Cummeneum Albam, librum de virtutibus sancti Columbæ scripsisse* confirmat [q] Adamnanus. Patriâ *Hibernum* fuisse, Officia ejus Ecclesiastica docent, tum in Hibernico tum in Scotico Breviario: ex quorum priore, isti olim recitabantur versiculi.

[p] Bed. histor. lib. 3. cap. 4.

[q] Adamnan. *Vit.* Columbæ, lib. 3 cap. 5. edit. H. Canisij.

Felix Hibernia Columbam genuit:
Qui de prosapiâ regali claruit;
Sed morum gratiâ magis emicuit.

ex posteriore, isti.

Relinquens patriam gratam Hiberniam,
Per Christi gratiam venit ad Scotiam:
Per quem idonea vitæ primordia
Rex gentis sumpsit Pictoniæ.

Quibus non dissimiles Symeonis Scoti rhythmos addere li-

re liceat; qui, Alexandri regis jussu, vel acta Columbæ scripsit ipse, vel Adamnanum (cui Carmen hoc adjunctum invenimus) saltem exscripsit.

Sancte Columba pater, quem fudit Hibernia mater,
Quem Christi numen dedit Ecclesiæ fore lumen;
Quæ tibi scripta damus tibi sint accepta rogamus.
Nam licèt indignè, tua scripsimus acta benignè;
Scripsimus & vitam virtutis ab arce politam.

Genus illius, in principio Vitæ ejus Adamnanus ita explicat. *Sanctus Columba ex nobilibus satus oriundus generalibus; patrem habens Feidlimyd filium Fergus, matrem Æthneam nomine.* Hujus Fergusij, patris Fedlimidij sive Felimæi, meminit Jocelinus in Vitâ B. Patricij, cap. LXXXIX. quem [r] scholiastes non rectè putavit magnum illum [s] Fergusium fuisse, Erci filium, in CXXXVII. ejusdem operis capitulo memoratum; qui Scotiæ regibus dedit originem. Fergusius enim S. Columbæ avus, ut ex Hibernicis libri Ballimotensis & Stiguntini genealogijs didicimus, filius Conalli fuit, filij [t] Nelli Nægiallach, à quo *Conallo*, non autem (ut scholiastes ille credidit) à Conallo filio ejus, [u] majore natu Fergusij fratre, totus ille Ultoniæ tractus nomen accepisse existimatur, qui [x] Giraldo Cambrensi (ut videtur) *Kenel-cunnilla*, nobis hodie *Tir-conel*, & in hoc S. Monennæ sive Modwennæ virginis Epitaphio *Terra Conallea* appellatur.

[r] Florileg. Thomæ Messinghami, edit. Paris. ann. 1624 pag 61.
[s] de quo suprà, pag. 609. 610.
[t] de quo supra pag. 587.
[u] de quo Jocelin. in Vit. Patricij, cap. 89. & 138.
[x] Girald. Topograph Hibern. distinct. 1. cap. 6.

Ortum Modwennæ dat Hibernia, Scotia finem,
Anglia dat tumulum, dat Deus alta poli.
Prima dedit vitam, sed mortem terra secunda,
Et terram terra tertia terra dedit.
Aufert Lanfortin quam Terra Conallea profert:
Felix Buttonium Virginis ossa tenet.

Parentum verò simul & germanorum S. Columbæ nomenclationem hanc ad calcem Adamnani Cottoniani adjectam reperi. *Fedlimith pater ejus, filius Fergus.*

* Mac-nave. *Aithine mater ipsius, filia* * *Filij Navis. Iogen germanus, frater Columbæ junior. Item tres germanæ sorores ejus.* I. *Cininne, mater filiorum Meic Dervil: qui nominantur Mernoock, & Lasrene, & Meldal, & Bran qui sepultus est in Daurncalchaith.* II. *Alincholeth, mater filiorum Enain: quorum unus Colmaan dicebatur.* III. *Sineth, mater viiorum Mocucein Cuileaque: quorum nomina sunt. Aidamus monachus, qui sepultus est in Hiculvisci; & Conry Mocucein, qui sepultus est in Dair-maig; & Abiacoumani Mocucecein, qui valde senio fessus presbyter sanctus in Iona insulâ præsentem finivit vitam.*

De *Dair-maig*, cujus hîc facta mentio, & cœnobio à S. Columbâ ibidem fundato, Adamnanus (qui [y] monasterium *Roboris* sive *Roboreti Campi* illud subinde nominat) ita meminit. [z] *Vir beatus in mediterraneâ Hiberniæ parte monasterium, quod Scoticè dicitur Dairmaig, divino fundavit nutu.* & venerabilis Beda: [a] *Fecerat, priusquàm Britanniam veniret, monasterium nobile in Hibernià; quod à copiâ roborum Dearmach linguâ Scotorum, hoc est, Campus Roborum cognominatur.* & Iohannes Capgravius, vel Tinmuthensis potiùs, in Vitâ Columbæ: *Roboreti monasterium, quod linguâ Scotorum Armach, hoc est, Campus Roborum (id est, quercuum) in Hiberniâ est.* Eam [b] Hector Boëthius *Hermathiam* vocavisse videtur. Doctissimus [c] Camdenus sedem nostram Archiepiscopalem *Armachanam* à Bedâ eo nomine designatam, ibidemq; celeberrimum monasterium circa annum Salutis DCX. à Columbano fuisse extructum, existimavit. quum tamen ante adventum Columbæ in Britanniam & annum Christi DLXV. monasterium Dearmachanum esse constitutum ipse Beda clarè indicet; atq; anno DCX. non hunc sed alterum illum Columbanium, Luxoviensis & Bobiensis cœnobij conditorem, vixisse liqueat. Columbæ verò *Dearmach* eadem ipsa est quam [d] Giraldus Cambrensis, non *Dernach*, ut habet liber editus, sed ut MSS. *Dervach* vel *Dermach*: (literam enim *M* aspi-

[y] Adamnan. Vit. Columbæ, lib. 1. cap. 31. lib. 2. cap. 2. & lib. 3. cap. 19.

[z] Id. ibid. lib. 1. cap. 3.

[a] Bed. histor. lib. 3. cap. 4.

[b] Boëth. Scotor histor. lib. 9. fol. 167.

[c] Camden. in *Hiberniâ*, pag. 764. 765.

[d] Girald Hibern. expugnat. lib. 2. cap. 24.

M aspiratam & *V* consonam eodem penè sono Hiberni efferunt:) ubi Midiæ illum debellatorem *Hugonem de Lacy, à securibus malè securum, dolo Hibernensium sicorum* interemptum fuisse narrat. In regio Comitatu ea est, Durrogh vulgò appellata: quæ monasterium habuit S. Columbæ nomine insigne; inter cujus κειμήλια Euangeliorum codex vetustissimus asservabatur, quem ipsius Columbæ fuisse monachi dictitabant. ex quo, & non minoris antiquitatis altero, eidem Columbæ assignato (quem in urbe Kelles sive Kenlis dictâ Midenses sacrum habent) diligenti cum editione vulgatâ Latinâ collatione factâ, in nostros usus variantium lectionum binos libellos concinnavimus.

De tempore adventus B. Columbæ in Britanniam, & totius vitæ curriculo, atq; altero in Hy, insulâ posito ab eo monasterio, hæc insuper Beda commemorat. *Venit Britanniam Columba regnante Pictis Bridio filio Meilochon rege potentissimo, nono anno regni ejus; gentemq; illam verbo & exemplo ad fidem Christi convertit. Unde & præfatam insulam (Hy) ab eis in possessionem monasterij faciendi accepit. Neque enim magna est, sed quasi familiarum quinque juxta æstimationem Anglorum: quam successores ejus usque hodie tenent; ubi & ipse sepultus est, cùm esset annorum septuaginta septem, post annos circiter triginta & duos ex quo ipse Britanniam prædicaturus adiit.*

Adamnanus Pictorum regem hunc [c] *Brudeum* vocat; & quum primùm S. Columba ad eum accessit, à fide Christianâ alienum fuisse [f] innuit. quod & Scotici Breviarij Hymnus ille jam citatus clariùs indicat, & scriptor Vitæ Comgalli verbis hisce apertissimè significat. *Venerunt aliquando beatissimi tres Abbates, scilicet sanctus Comgallus, sanctus Columba, & sanctus Cabinnechus, ad regem gentilem nomine Brudeum.* [g] Hector vero Boëthius ad Laudoniam usq; Brudei regnũ extendit, regemq; cum gente Pictorum à Pelagianâ peste S. Columbam liberaviisse asserit. *Progressus in Laudoniam*, inquit, *Brudeum*

[c] Adamnan. Vit. Columb. lib. 2. cap. 10. & 28.
[f] Id ibid. cap. 22.
[g] Boëth. Scotor. histor. lib. 9. fol. 166. b.

Pictorum regem (erat is Lothi regis, de quo antè memoratum est, nepos ex fratre cui Melochon nomen: & ob id Lotho suâ cum posteritate extincto Pictorum regno admotus) simul cum gente piè docendo ac disserendo de Christiane fidei arcanis à Pelagij delirio (quam pestem Pictorum quidam longâ cum Britannis consuetudine docti secum domum retulerunt) purgavit, verâque religionis instituit. Verùm Laudoniam eo tempore non ad Pictos sed ad Britones & Anglos pertinuisse jam [b] docuimus: & tum ex Bedâ tum ex [a] Adamnano certò constat, in Pictis ab idololatriâ & superstitione ethnicâ ad fidem Christi convertendis S. Columbam omnem suam curam atq; operam posuisse. utcunq; Boëthius id dissimulaverit; atq; in Pelagianâ hæresi Pictorum quorundam mentibus insitâ evellendâ potissimùm eum laborâsse credere nos voluerit.

[b] Supr. pag. 663 667. Vid. Bed. histor. lib. 1. cap. 12. & lib. 4. cap. 26.

[a] Vid. Adamnan. Vit. columbæ, lib. 2. cap. 10. 18. 19. 21.

Quum verò anno Incarnationis Dominicæ DLXV. & *nono regni Bridij* Columbam adijsse Britanniam, in Bedâ Hermannus Contractus legeret, anno Christi DLVII. Bridium regnare cœpisse retulit. Indeq; in vulgato Marcellini Comitis Chronico, *Indictione* V. anno *Post Consulatum Basilij* XVI. annotatum legimus. *In Britanniâ Bridius rex Pictorum efficitur.* Nam & hujus & sequentis & sex præcedentium annorum res gestas, ex Iohannis Cuspiniani in Cassiodori Consulares fastos Commentarijs descriptas, ad hos Annales ausu temerario Onuphrius Panuinius attexuit: quum eas non ex Marcellini aliquo codice, sed ex [k] Hermanni Contracti Chronico Cuspinianus desumpsisset. Quod minùs animadvertens eruditissimus Scaliger, non solùm Onuphrij errorem hunc in novâ suâ editione non correxit; sed etiam subditicij hujus Marcellini authoritate fretus, sub finem * sexti libri de Emendatione temporum, in veterum Francorum Regum initijs constituendis & ipse lapsus est, & è viâ alios secum pariter abduxit.

[k] Tom. 1. Antiq. lect. Henr. Canisij, pag. 480. 481. 482.

* pag. 578. edit. ann. 1598.

Anno Christi DLXV. si triginta & duos addamus annos,

annos, quos ab adventu in Britanniam ad exitum Columbæ Beda numerat; DXCVII. emerget annus, tempori mortis illius assignandus: quam sequenti anno à Sigeberto Gemblacensi & Matthæo Florilego, præcedenti ab Hermanno Contracto videmus attributam. Est autem ex [1] Adamnani relatione clarum, diem Sabbati supremum illi vitæ fuisse; & mediâ nocte sequente, ad Dominicam spectante, Deo animam illum reddidisse. Quum igitur Iunij die IX.no obijsse illum constet, Martyrologijs omnibus (Romano, Bedæ, Usuardi, Notkeri) & commemoratione nostratium hodiernâ in illud consentientibus; atq; cum mediâ nocte Romani civiles suos dies & incipere soleant & terminare: num nox illa media, quâ Columbam decessisse diximus, diem Iunij IX.um vel inchoaverit vel finierit, quæstionis quid habet. Quod si ineunte IX.o die Iunij is decesserit, ad annum Domini DXCVII. cum Bedâ; sin desinente, ad annum DXCVI. cum Hermanno mors ejus erit referēda. pro quo etiam Tigernaci faciunt Annales; in quibus *Quies Columcill in nocte Dominica Pentecostes* contigisse memoratur. Anno enim DXCVI. (juxta Alexandrinorum saltem & Dionysij Exigui rationes; ad quas solas respectum videtur habuisse Tigernacus) Dominica Paschalis in diem XXII. Aprilis (quo mense à Columbâ etiam cum suis *Paschalem solemnitatem peractam* fuisse Adamnanus indicat) & Pentecoste in Iunij diem incidit decimum, Romano more à mediâ nocte, quæ diei nono finem dedit, inchoatum.

[1] Adamnan. lib. 3. cap. 28. 30. 31.

[a] Id. ibid. cap. 27.

Nos verò, uti cum Bedâ anno DXCVII. Columbam ex hâc vitâ migravisse non gravatè admittimus; ita ante annum DLXV. ex Hibernià in Britanniam eum migravisse censemus: licèt eundem annum, Bedam etiam secuti, Fabius Ethelwerdus, Annales Anglosaxonici, Florentius Wigornienſis, Contractus, Henricus Huntingdonensis (Histor. lib. 3.) & Iohannes Tinmuthensis, primo illius in Britanniam adventui assigna-

verint. Adamnanus enim Hyensis abbas, Bedâ aliquanto antiquior (utpote annis priùs XXVII. mortuus quàm Ecclesiastica ab hoc edita est Historia) Columbam [a] *anno secundo post Culedreibne bellum, ætatis verò suæ* XLII^a. *de Scotiâ* (sive, ut MS. meus eodem sensu habet, *Hibernia*) *ad Britanniam, pro Christo peregrinari volentem, enavigavisse* narrat. Hoc verò præsium anno DLXI. commissum fuisse, ex Ultonienſibus Annalibus intelligimus: nec non anno DLXV. occisum esse *Regem Dermitium*; cujus insidias ac odium capitale declinantem S. Columbam in Britanniam secessisse ineditus Vitæ ejusdem Sancti scriptor prodidit. Ita biennio citiùs in Britanniam perveniſſet Columba noster; & biennio longiùs ibidem fuisset commoratus, quàm à Bedâ est traditum. Cùm enim hic sepultum fuisse illum dicat *post annos circiter* XXXII. *ex quo ipse Britanniam prædicaturus adiit*: Adamnanus (cui in Columbæ rebus præsertim major fides est adhibenda) [b] in Britannicâ illius peregrinatione XXXIIII. annos completos fuisse confirmat. quibus ab anno mortis ipsius DXCVII. deductis, relinquitur DLXIII. ad quem *Navigationem Columcilli de Hibernia* in Ultonienſibus etiam Annalibus relatam invenimus.

[a] Id. lib. 1. cap. 1.

[b] Id. lib. 1. cap. 1. & lib. 3. cap. 26.

Eum autem *cum duodecim commilitonibus discipulis Britanniam transnavigavisse* [c] Adamnanus author est: quorum Catalogum in Appendice libri Cottoniani ita consignatum reperi. *Hæc sunt duodecim virorum nomina, qui cum S. Columbâ de Scotiâ primo ejus transitu ad Britanniam transnavigaverunt. Duo filii Brendin: Baithen, qui & Comin, sancti successor Columbæ; & Cobthach frater ejus. Ernaan sancti avunculus Columbæ. Dermitius ejus ministrator. Ruu & Fethuo, duo filij Rodani. Scandal filius Bresail, filij Endei, filij Neil Luguid. Mocutheimne, Echoid, Thorannu, Mocusir, Cerea Cairnaan filius Branduib filij Meilgi Grillaan.* Cum quibus & illa [d] Hectoris Boëthij sunt conferenda. Vene-

[c] Id. ibid. capi 4.

[d] Boëth. Scotor. histor. lib. 9. fol. 166, 167.

nêre

nêre cum eo in Albionem viri duodecim Christi dogmate insigniter imbuti, sed magis longè sanctissimis decorati moribus. Baithenus & Cominus; qui post Columbæ exitum monachorum claustris præfecti inter Scotos haud mediocre Christi Ecclesiæ decus attulêre. Cibthacus & Ethernanus Columbæ nepotes ex fratre, Christi sacerdos uterq; Demitius, Ruthius & Fethus; haud parùm natalium amplitudine, sed magis longè religione honestati. Scandalaus, Eoglodius, Totaneus, Moteferus, & Gallanus. Hi viri Columbâ in Hiberniam transmittente, sedem statuentes in Ionâ insulâ, Scotorum Pictorumq; regiones pijs lustrando sudoribus, docendo, disserendo, scribendo utrumq; populum optimis moribus & religione imbuerunt. His addit Iohannes Fordonus *Constantinum* etiam Cornubiensium quondam regem; de quo in [r] præcedente Capite est dictum. *Contemporaneus fuit sancto Columbæ* (inquit ille) *sanctus Constantinus Rex Cornubiæ; qui relicto regno terreno, Regi cœlesti meditari cœpit: & cum S. Columbâ ad Scotiam pervenit, & fidem Scotis prædicavit & Pictis. Monasterium fratrum in Govane instituit juxta Cludum; quibus ipse Abbas præfuit. Totam terram de Kentyre convertit: ubi ipse martyr pro fide occubuit; & in suo monasterio apud Govane sepulturam accepit.*

[r] Supr. cap. 14. pag. 540. 541.

Et ne de Duodecemviris illis Columbiensibus frustrà dixisse putaretur Boethius, *scribendo* Scotorum Pictorumq; populum eos erudivisse: Thomas Dempsterus, solitâ fretus licentiâ, scripta hæc illis attribuit. I. S. *Baitheno* (sive *Baitheneo*, cujus apud Adamnanum in Vitâ Columbæ crebra occurrit mentio) *Acta Columbæ magistri*, lib. 1. *De Monastica vitæ laude*, lib. 3. *Enchiridion precum*, lib. 1. II. S. *Comino* (quem Adamnanus vel saltem Appendicis ad illum adjectæ scriptor, eundem cum *Baitheno* facit) *De verâ pietate*, lib. 1. cujus Bostonum Buriensem meminisse falsò significat:) & *In Apocalypsim*, lib. 1. III. S. *Cibthaco* (sive *Cobtha-gho*) *De gentilium erroribus*, lib. 1. *De gratiâ Dei*, lib. 1. *De gubernatione*

[s] Dempster. Histor. Ecclesiast. Scotorum. 139.

[t] Id. ibid. num. 150.

[u] Ibid. num. 151. 152.

gubernatione Dei, lib. I. & Epistolarum, lib. I. III. S. [x] Ethernano (Monasterio Divini Roris, si huic credimus, præposito) Gesta Columbæ Avunculi, lib. I. Quem enim Boëthius & ipse Dempsterus [y] alibi fratris, hîc sororis S. Columbæ eum facit filium. quanquam is non alius omnino fuisse videatur quàm Ernanus ille presbyter, quem S. Columbæ avunculum fuisse docet Adamnanus (lib. I. cap. 27.) & quem scripsisse fingit [z] Dempsterus, Exhortationum ad fratres in Himbâ Insulâ lib. I. & In Regulam B. Columbæ lib. I. V. S. [a] Domitio (vel Diermuio potiùs, S. Columbæ ministratori; cujus Adamnanus lib. [c] I. cap. 25. & alibi meminit) Sermones ad fratres, lib. I. Sanctæ vitæ Regulam, lib. I. Epistolas ad Columbam magistrum, lib. I. Meditationes, lib. I. VI. S. [b] Ruthio (qui alijs Rus est) Sermones de Sanctis, lib. I. De vitâ Monasticâ, lib. I. VII. S. [c] Fechuoni, Epistolarum ad patres in Ionâ lib. I. VIII. S. [d] Scandalao (Bresaili filio) Ad fratres in Ionâ lib. I. IX. [e] Eiglodio (sive Echoido) Columbæ Magistri vitæ lib. I. & Epistolarum ad Hibernos lib. I. X. S. [f] Torannes (sive Thorannus) Regulam ad fratres, lib. I. XI. S. [g] Motefero (sive Mocusiro) Ad monachos in Ionâ insulâ, lib. I. XII. S. [h] Gallano, Actæ magistri Columbæ, lib. I. & Exhortationem ad Monachos, lib. I.

[x] Ibid. num. 459.
[y] Ibid. num. 235.
[z] Ibid. num. 464.
[a] Ibid. num. 367.
[b] Ibid. num. 1036.
[c] Ibid. num. 535.
[d] Ibid. num. 1034.
[e] Ibid. num. 401.
[f] Ibid. num. 1114.
[g] Ibid. num. 871.
[h] Ibid. num. 556.

IONA insula, in quâ duodecim hosce viros sedem statuisse affirmat Boëthius, ab Adamnani editoribus passim IOVA mendosè exarata legitur. Ab Hebraicâ origine nomen illud deducit Fordonus in Scotichronico, & Latinè Columbam sonare notat: quasi à nobilissimo suo incolâ S. Columbâ illi inditum; de quo in secundæ suæ Præfationis exordio Adamnanus. *Vir erat vitæ venerabilis & beatæ memoriæ, Monasteriorum pater & fundator, cum Ionâ prophetâ homonymon sortitus nomen. Nam licèt diversorum diversarum sono linguarum, unam tamen eandemq; rem significat, hoc quod Hebraicè dicitur* IONA, *Græcitas verò* PERISTERAN *vocitat, & Latinâ linguâ* COLUMBA

unu-

nuncupatur. Simeonem etiam Scotum similiter Latino & Hebraico illo nomine indifferentur usum animadvertimus, in illo Votorum suorum epilogo.

——— *pater & patrone* COLVMBA,
Ensis Scotorum sis & munimen eorum.
Auxiliumq; boni, precè, fer servo Simeoni;
Hæc qui verba precum tibi scribere duxerat æquum.
Willelmoq;, IONA, *sacer affer cœlica dona;*
Hunc librum clarè qui dignum duxit arare.

Hinc, qui Bedæ [i] *Hyenses* monachi, Ceolfrido apud [k] eundem *Columbienses* sunt dicti: [l] eorundemq; rector Segenius à [m] Cummiano *Abbas Columbæ sancti* est appellatus. Quæ enim Adamnano *Iona* hodieq; *Y-Columcille* vocatur, Bedæ *Hy*, in Vitâ S. Edi & S. Fintani *Hya*, in Vitâ S. Ythæ (virginis Hibernicæ) *Yth*, in Vitâ S. Cainici *Hithe*, in Vitâ S. Blaithmaic (à Walafrido Strabo descriptâ) [n] *Eo*, in Tigernaci atq; Ultonien sibus Annalibus *Ia* nuncupatur. Ludibrium enim omnibus [o] Thomas Dempsterus debet, qui ex *Hydestinati*, *Hu* vel *Hy*, & *Iona* nominibus tres nobis effingit insulas: primo illo, hactenùs nobis inaudito, ex Bedæ verbis hisce conferruminato vocabulo. [p] *Monachus* erat *Episcopus Aidan; utpote de insulâ quæ vocatur Hy destinatus.* quum alio tamen in loco ipse Beda nomen hoc proprium à participio, vocibus haud paucis interjectis, latè longeq; discluserit; de Episcopo Colmano simili scribens modo. [q] *Venit ad insulam Hy, unde erat ad prædicandum verbum Anglorum genti destinatus.*

At si Hectori Boëthio credere volumus, longè ante S. Columbæ & comitum ipsius adventum Ionam insulam à viris religiosis cultam fuisse dicendum erit. Ille enim de Scotorum gente à Maximo Romanorum Legato extra Britanniæ fines * pulsâ verba faciens; [r] *Evulabant per idem tempus*, inquit, *Christi sacerdotes ac monachi quicunq; Scotici erant nominis; quorum magna pars in Hebrides delata, in Ionâ insulâ sactum constituere cœnobium,*

[i] Bed. Eccles. hist. lib. 5. cap. 23.
[k] Ibid. cap. 22.
[l] Ibid. lib. 3. cap. 5.
[m] Epist. Hibernic. Syllogæ in epistolæ XI. initio.
[n] Tom. 6 Antiqu. lect. H. Canisij, pag. 572.
[o] Dempster. Apparat. ad Histor. Scotic. lib. 1. cap. 15. num. V. VI. & X.
[p] Bed. histor. lib. 3. cap. 3.
[q] Id. lib. 4. cap. 4.
* Supra pag. 597.
[r] Boeth. Scotor. Histor. l. 6. fol. 110. b.

um, multis veræ pietati deditis ad hanc nostram usque ætatem insigne: dubium an viris an fœminis, sanctitate plus pollentibus; nam secretis ædibus religiosam colebant vitam. Multa exinde per secula celebrius auctum est hoc cœnobium (cùm modicis primùm fuisset cœptum initijs) & piorum numero, & prædijs ad sumptus collatis, & multorum posteà regum donarijs. Effectum parvo post tempore commune Scotorũ regum cœmiterijũ. Finito enim illo exilio, ut idem postea addit, [f] *restituit Fergusius templa diruta aut populi defectu neglecta; sacris ministris, ad Dei cultum, sacerdotijs donatis. Qui exulâr aut monachos, reduces mirâ charitate amplexus, ut populum verâ imbuerent pietate, structis ad id patrio ritu cellulis quibusdam, ad vitæ necessaria prædijs donavit. Ionæ Abbatiam condidit, ubi Scotorum regum deinceps voluit esse sepulchrum: institutis sepulchralibus quibusdam religiosis cæremonijs, in regum funeratione peragendis; impensis ad sumptus è vicinis agris insulisque tributis.*

[f] Id. lib 7. fol. 119.

De libris, post direptam ab Alarico Urbem inde ab eo abductis atq; in Ionæ monasterio repositis, ab Hectore decantatam fabulam jam* antè recitavimus: quam etiam in Historiæ Præfatione ad regem Iacobum V. idem breviùs sic edisserit. Fergusius *captâ Româ, unus ex ducibus, fortè quadâm librorum prædâ potitus, haudquaquàm aureis aliorum pateris lapillisq; quantumvis pretiosis inferiore, eam summâ curâ in Scotiam deportatam adhibitis custodibus extructoq; monasterio ad servandam in Ionâ dederat. Quanquàm ob custodum incuriam (quæ temporum illorum infelicitati imputari debet) ignorantium quem illic reconditum servarent thesaurum, præter crosa quædam fragmenta illorum nobis haud multum, magno profectò optimarum literarum dispendio, reliquis factum est.* De Fergusij quoq; filio & proximo successore hæc insuper [t] idem narrat. *Rex Eugenius salutatus, ut à pietate administrationem inchoaret, patris reliquias effossas loco, ubi Romanus urgentibus armis erant reconditæ, funebri pompâ in Ionam insulam delatas, uti jusserat vivens Fergusius, Christiano ritu, destinato ad id loco sepelivit.*

* Supr. pag. 596. 597.

[t] Boëth. lib. 7. fol. 122.

pelivit. Actis inde aliquot per dies parentalibus: viros pietati eo loco addictos, ut fructus cœnobij (seu, ut vulgatiùs loquar, abbatiæ) qui tunc admodum erant exiles, ad sumptus suppeterent, predijs atq; proventibus varijs vicinis ex insulis donavit. Erat Fergusij funus omnium Scotorum regum primum in Ionam delatum. Mansit exinde locus regum sepultura sacer, usq; ad Malcolmi tertij regis tempora cui ob capitis molem Can-môr, id est, Caput majus, vulgo nomen fuit adjectum. à quo, *D. Margaritæ reginæ suasu, abbatiâ Downfermlin, id est, in monte infirmorum structâ & multis predijs ab eodem rege donatâ; ut illuc deinceps regum funera efferrentur, publico edicto est constitutum.*

Et quidem Fergusium, unâ cum duobus fratribus § Loarno & Cenogo sive Tenego Erci filijs, in Jonâ insulâ sepultos fuisse, etiam in antiquiore Britanniæ Chronico, & in Iohannis Fordoni Scotichronico notatum invenimus: in quorum posteriore de eâdem quoq; insulâ leguntur ista. Ibi *duo monasteria sunt fundata, unum nigrorum monachorum aliud sanctarum monialium ordinis S. Augustini rochetam deferentium; & ibi* * *refugium. Monasterium verò monachorum usq; ad tempus Regis Malcolmi, viri sanctæ Margaretæ, fuit locus sepulturæ & sedes regalis quasi omnium regum Scotiæ & Pictiniæ.* Sed magis luculentam hujus Insulæ descriptionem ita nobis exhibuit, in libro rerum Scoticarum primo, Georgius Buchananus. Est ea *longa duo millia passuum, supra mille lata: fertilis quidem omnium, quæ ea cœli plaga gignere solet, & veteribus, ut in eâ gente, monumentis illustris; sed D. Columbi severâ disciplinâ & sanctitate clarior. Erant in eâ duo monasteria, alterum monachorum, alterum monacharum: curiâ una, sive (ut nunc loquuntur) parochialis ecclesia, multaq; sacella ex munificentiâ regum Scotorum & regulorum Insulanorum.*

§ *Barno & Tenago*; Io. Majori, de gest. Scotor. lib. 2. cap. 1.

* asylum, seu locus perfugij.

In cœnobio veteri D. Columbi Insularum episcopi sedem statuerunt, vetere domicilio, quod erat in * *Euboniâ, ab Anglis capto. Remanet adhuc inter veteres ruinas sepulcretum,*

* i. Manniâ. Vid. supr. pag. 645.

sive cœmiterium commune omnium nobilium familiarum, quæ in occidentalibus insulis habitabant. Eminent inter cæteros tumuli tres modicis intervallis distantes, tribus impositis domunculis in Orientem versis. In occidentali cujusq; parte lapis inscriptus, quorum tumuli sint, indicat. Qui medius est titulum habet, TVMVLVS REGVM SCOTIÆ. *Ferunt enim quadraginta octo reges Scotorum ibi fuisse humatos. In dextro incisus est titulus*, TVMVLVS REGVM HIBERNIÆ. *Quatuor enim reges Hiberniæ illic conditi fuisse dicuntur. Qui est in sinistrâ parte inscribitur*, TVMVLVS REGVM NORVEGIÆ. *Hujus enim gentis octo reges illic fuisse sepultos, fama est. In reliquo cœmiterio seorsum claræ Insulanorum familiæ habent sua conditoria. Circa eam sex proximæ insulæ exiguæ, nec tamen infœcundæ, ab antiquis regibus, & Insulanorum regulis cœnobio Columbæ donatæ fuerunt.*

In omnibus verò monasterijs à S. Columbâ & discipulis ejus [a] tum in *Britanniâ* tum in *Hiberniâ* constitutis, insulanum hoc monasterium principatum tenuisse testatur Beda: ita ut [x] *in cunctos penè Septentrionalium Scotorum* (tam Ultonienſium scilicèt in Hiberniâ, quàm Dalreudinorum in Britanniâ) *& omnium Pictorum monasterijs non parvo tempore arcem tenuerit, regendisq; eorum populis præfuerit.* Unde temporum gradus, quibus Dionysij Exigui & Alexandrinorum rationes Paschales in Britannicas nostras insulas sunt introductæ, enarrans idem, observat; I. [y] *Gentes Scotorum, quæ in Australibus Hiberniæ insulæ partibus morabantur, ad admissionem Apostolicæ sedis antistitis Paschale canonico ritu observare didicisse:* Septentrionali Scotorum provinciâ, & omni natione Pictorum, patriam suam consuetudinem adhuc retinente. II. Adamnanum Hyensem abbatem (eundem illum, à quo res S. Columbæ descriptas habemus) [z] *Scotis in Hiberniâ* prædicantem, *plurimos eorum, & penè omnes qui ab Hyensium dominio erant liberi, ab errore avito correctos*, legitimum Paschæ tempus observare docuisse:

[a] Bed. Eccles. hist. hist. lib. 3. cap. 4.
[x] Ibid. cap. 3.
[y] Id. ibid.
[z] Id. lib. 5. cap. 15.

quam

quum tamen *suos qui erant in Hy, quive eidem erant subditi monasterio*, ad hanc sententiam suam pertrahere non valeret. III. [a] *Naitanum Regem Pictorum, qui septentrionales Britanniæ plagas inhabitant*, Ceolfridi Abbatis literis admonitum, per universas Pictorum provincias Romanum observandi Paschatis morem propagavisse: Hyensibus tamen monachis institutum suum pristinum deferre renuentibus. IIII. Ecgbertum presbyterum, [b] qui in Hibernia peregrinam ducebat vitam, *ad Columbæ monasteria docenda perrexisse*; atq; [c] *illos quoq; qui insulam Hy incolebant monachos Scoticæ nationis, cum his quæ sibi subdita erant monasterijs*, ad ritum Paschæ canonicū perduxisse: Britonibus inveteratam parentum suorum traditionem mordicùs etiam tunc tenentibus.

[a] Ibid. cap. 22.

[b] Ibid. cap. 10.

[c] Ibid. cap. 23.

[d] *Habere autem solet ipsa insula rectorem semper Abbatem presbyterum, cujus juri & omnis provincia & ipsi etiam Episcopi ordine inusitato debeant esse subjecti; juxta exemplum primi doctoris illius, qui non Episcopus sed presbyter extitit & monachus*: uti apud eundem Bedam legimus. Cujus verbis non probè perceptis, Abbatem monasterij illius *contra morem Ecclesiasticum primatem omnium Hibernensium habitum esse Episcoporum*, satis inconsideratè pronunciavit [e] Notkerus Balbulus. quum Hyensem insulam, & Pictorum provinciam, cujus Columba primus doctor celebrabatur, Bedâ intellexerit. Nam & exiguam illam insulam non Abbatem solum sed etiam Episcopum habuisse, Ultonienses nos docent Annales: ex quibus primorum Abbatum seriem operæprecium fortasse fuerit cognoscere.

[d] Id. lib. 3. cap. 4.

[e] Notker. Martyrolog. V. Id. Iun.

Anno Christi DLXIII. I. *Columba*, ann. 34. Tot enim annis *Insulanum militem* eum fuisse affirmat [f] Adamnanus.

[f] Adamnan. Vit. Columb. lib. 1. cap. 1.

DXCVII. II. *Baithenus* (quem S. Columbæ *adminum* & *successorem* appellat [g] Adamnanus, *familiarissimum discipulū* Notkerus Balbulus) an. 1

[g] Id. lib. 1. cap. 2. & lib. 3. cap. 22.

DXCVIII. III. *Fergnaus*, ann. 25.

DCXXIII. IV. *Segenius*, (cujus [h] Cummianus, [i] Adamnanus & [k] Beda meminerunt) ann. 29.

DCLII. V. *Suibneus* filius *Curthri*, ann 5.

DCLVII. VI. *Cummineus Albus*, (cujus [l] superiùs ex Adamnano facta est mentio) ann. 12.

DCLXIX. VII. *Failbeus*, quem *decessorem* suum appellat [m] Adamnanus) ann. 10.

DCLXXIX. VIII. *Adamnanus*, (à quo res Columbæ descriptas habemus) ann. 25. Ejus cum laude meminit [n] Ceolfridus abbas, & qui sub ejus regimine vixit, [o] Beda. Rectèq; hunc ab altero ejusdem nationis & temporis Adamnano, Coludio sive Coldinghamensi monacho (ab eodem [p] Bedâ item commemorato) [q] Iohannes Trithemius distinguit: licèt [r] Balæus, Possevinus, & alij eos postea confuderint.

DCCIIII. IX. *Conainus* filius *Failbei*, ann. 6.

DCCX. X. *Dunchadus* filius *Cinfale*, ann. 7.

Sub hoc *Dunchado* Hyenses monachos Romanum Paschalis temporis observandi morem, *Ecgberti* presbyteri suasu, suscepisse notat [s] Beda, anno ab Incarnatione Domini DCCXVI. & quidem IIII.° *Kalendas Septembris, die Sabbati*: ut Ultonienses habent Annales. in quibus etiam, anno proximè sequente & *Dunchadi* abbatis obitum consignatum invenimus, & *expulsionem familiæ Ie* (id est, Hyensis hujus insulæ) *trans* * *Dorsum Britanniæ, à Nectano rege* factam. qui idem *Naitanus* ille Pictorum rex fuisse videtur, à quo Romanam celebrandi

[h] Epist. Hibernicar. Sylloge, in epist. XI.
[i] Adamnan. lib. 1. cap. 3. & lib. 2. cap. 4.
[k] Bed. lib. 3. cap. 5.
[l] Supr. pag. 688.
[m] Adamnan. lib. 1. cap. 3.
[n] Bed. lib. 5. cap. 22.
[o] Ibid. cap. 16.
[p] Id. lib. 4. cap. 25.
[q] Trithem. de viris illustrib. Ord. Benedicti, lib. 3. cap. 124. & 153.
[r] Balæ. Centur. 14. cap. 25.
[s] Bed. lib. 5. cap. 23.

* Dzum-Albain

celebrandi Paschatis consuetudinem in subjectas sibi provincias introductam fuisse jam ex Bedâ diximus. Pictorum enim hanc fuisse insulam [t] Walafridus Strabus cecinit:

Insula Pictorum quædam monstratur in oris
Fluctivago suspensa salo, cognominis Eo;
Quâ sanctus Domini requiescit carne Columba.

eamq; a Pictis S. Columbam *in possessionem monasterij faciendi accepisse* [u] Beda tradidit. *Qua videlicèt insula* (sic scribit [x] ille) *ad jus quidem Britanniæ pertinet, non magno ab eâ freto discreta; sed donatione Pictorum, qui illas Britanniæ plagas incolunt, jamdudum monachis Scotorum tradita, eo quòd illis prædicantibus fidem Christi perceperunt.* Quanquam quum situm insulæ attentiùs considero, à Britonum & Pictorum finibus longiùs remotum, atq; *Mulæ & Coluansæ* Hebridianorum insulis (quæ sunt Adamnani [y] *Malea & Colosus*) proximè propinquum: eò inclinat animus, ut Tigernaci & Ultoniensium Annalium collectoris sententiam magis approbandam existimem; qui à *Conallo Comgalli filio* * rege Dalriedæ *insulam Iæ* (sic enim eam vocant) *Columbæ cilli oblatam* fuisse tradiderunt. *Conallo* videlicèt (ut eum Fordonus etiam appellat) sive *Convallo* illo de cujus [z] *religione mira sunt quæ memoriæ sunt prodita.* Ea pluribus Hector Boëthius explicat: hæc etiam, inter alia, adjiciens.

Fama tantæ in Rege religionis, sanctissimum Columbam ab Hiberniâ, ubi haud paucis patrum cœnobijs præfuit, cum piorum cœtu pertraxit in Albionem. Brevi hujus viri sanctitas inter Scotos Pictosq; inclaruit, adeò ut undiq; ad eum frequentes confluerent mortales: felices se arbitrati, si tantum virtutis exemplar daretur aliquando coràm intueri. Contraxit is monachos sparsos ad id tempus ac solivagos in unum; indeque per cœnobia, quæ Convalli pietas struxerat, distributos, moribus & vitâ parùm vulgatæ observationis instituit. Neq; enim inter septentrionales tantum Pictos, ad fidem à se conversos, versatus est Columba; sed etiam

usque

[t] Strab. in Vitâ S. Blaithmaici; tomo 6.° antiqu. lect. H. Canisij, pag. 572.

[u] Bed. lib. 3. cap. 4.

[x] Ibid. cap. 3.

[y] Adamnan. lib. 1. cap. 21. & lib. 2. cap. 16.

* [illegible] Dalriada. Tigernac. Annal.

[z] Boëth. Scotor. histor. lib. 9. fol. 166.

usque ad maximè australes Scotorum & Pictorum terminos progressus est, fretum nimirùm Dunbritannicum & Edenburgicum: non procul à priore cum Kentigerno Glascuensi episcopo congressus; in alterius insulâ, Æmoniâ dictâ, haud parvo tempore commoratus. Sic enim in Io. Fordoni Scotichronico de eâ scriptum legimus. *Insula ad occidens distans ab Inchekeith vocatur Æmonia, inter Edenburg & Innerkethin; quam quondam incoluit, dum Pictis & Scotis fidem prædicavit, sanctus Columba abbas: in quâ est monasterium Canonicorum regularium S. Augustini.* * **Saint Colmys Inche** *vulgariter nuncupatur.*

* i. S. Columbæ Insula.

Kentigerni & Columbæ congressionem ab [a] Hectore Boëthio ita habemus descriptam. *Tenuit Kentigernus primariam sacri magistratus sedem Glasghu, (aliud tum loco nomen fuisse crediderim) quicum sanctissimus Abbas Columba sacro colloquio congressus, multa de Christianæ religionis arcanis piè & eruditè coram Brudeo rege disseruit. Aliquanto post tempore Kentigernus Columbam ad Castrum Caledoniæ comitatus in cœnobio, quod Convallus suadente Columbâ recenter extruxerat, Athelos, Caledonios, Horestos ac vicinarum regionum incolas, quorum magna vis per singulos dies ad eos Christi dogmatis audiendi causâ confluxit, docendo, monendo, hortando ad veræ pietatis observationem instigârunt. Est eo nunc in loco, ubi olim Caledoniæ castrum tot authorum celebratum testimonijs, templum celebre (uti videre licet) polito quadratoq; lapide mirâ arte tabulatum, divi Columbæ dicatum nomini: ubi sacra episcopalis sedes (Downkeldensem vulgus appellitat) prædijs ac proventibus ad pontificis & canonicorum sumptus Scotorum regum (sed aliquot post tempora) munificentiâ magnificè donata. Profecti à Caledoniæ castro sexto post mense sanctissimi viri utrique alteri gratulantes, pijs lachrymis fusis, Kentigernus Glasgw ad solitam sedem; Columba in Hebrides primùm, inde in Hiberniam abijt.* Hæc Boëthius: cui id tamen non facilè ego concesserim, apud Dunkeldenses à *Scotorum*

[a] Ibid. fol. 167.

rege

rege Convallo excitatum tùm fuisse aliquod cœnobium; quum & Caledonij illi in *Pictorum* fuerint provinciâ, & post Convalli quoq; tempora à *Pictorum* rege Constantino Fergusij filio Dunkeldensem ecclesiam fundatam fuisse in Fordoni Scotichronico legerim.

Neq; etiam nostri hujus Columbæ nomini Dunkeldensem illam ecclesiam dicatum fuisse existimaverim, sed alterius potiùs eo posterioris, de quo in Vitâ S. Cuthberti Lindisfarnensis episcopi, *ex historijs Hiberniensium* translatâ, scriptum invenimus. *Sanctus Columba, primus Episcopus in Dunkeld*, Cuthbertum *puerum suscepit; unaq; cum puellâ quadam nomine Brigidâ ex Hiberniâ oriundâ retinuit, & aliquandiu educavit.* quod paulo post annum DCXL. contigisse, Cuthberti ætas dat indicium. Atq; hæc Brigida fortasse illa fuerit S. Monennæ socia, & hic Columba episcopus quem Monennâ moriente in Albaniâ celebrem fuisse legimus. *Conchubranus* quidem quo vetustiorem vitæ Monennæ scriptorem nondum vidimus, fuisse illam affirmat *tempore Celestini Papæ, qui S. Patricium ad Hibernienses gentes sub caligine peccatorum & ignorantiæ positas misit*; & post acceptum ab eodem Patricio virginale pallium in divinis studijs nutritam, Brigidæ & alijs aliquot virginibus se junxisse, ac primùm *Fochardæ, in nativitate S. Brigidæ*, Ecclesiam ædificavisse, ibidemq; centum & quinquaginta virginibus præfuisse; deinde *Orbilâ*, quæ & *Servila*, Abbatissâ ibi relictâ, juxta *Colmi* montem consedisse, & in loco qui vocatur *Chelle-sleve*, id est, *Cellula montis*, Ecclesiam alteram constituisse narrat. Ea Ecclesia in Armachano Comitatu sita, *Kil-sleve* nomen adhuc retinet, & mons ille vicinus *Sleu-gullen*; à quo Mounne orljab Cujllean appellationem apud Hibernos nostros Virgo ipsa est consecuta. Intra alterum autem à Dundalkiâ miliarium, in Louthiano Comitatu & territorio olim [b] *Conayl-Murthemni* & *Campo Murthemene* (in quo Conaleorum gens maximè viget, *de quâ & ipsa sanctissima Monenna*

[b] Vid. supra pag 627.

procreata est; ut habet in libri secundi Vitæ illius initio Conchubranus) hodie *Maghery-Conall* dicto, posita est villa *Fochard*: quem *locum nativitatis Brigidæ virginis* habitum fuisse, & in Vitâ Malachiæ notavit olim Bernardus, & hodierna totius viciniæ traditio *Fochardam Brigidæ* eam appellantis etiam nunc confirmat.

Addit *Conchubranus*, à Monennâ septem in Scotiâ sive Albaniâ constructas fuisse Ecclesias: quarum I.ª *Chilnecase* dicta sit, in *Galluveie*. II.ª posita in cacumine montis *Dundevenel*. III.ª in alio montis *Dunbreten*. IIII.ª in castello *Strivelin*. V.ª in *Dun-eden, quæ Anglicâ linguâ dicitur Eden-burg*. VI.ª in monte * *Dunpelder*. VII.ª *Lanfortin*, juxta *Aleethe* (quam *Aletum* sive Dundee in Angusiâ esse existimo) § ubi spiritum eam emisisse narrat, quum *Archiepiscopus* esset *Columcille* & rex Scotiæ *Conagal*; quem Conallum sive Convallum illum fortasse fuisse censuit, sub quo *Columcillum* (non quidem *Archiepiscopum*, ut appellat ille, sed presbyterum & Abbatem) in Britanniam venisse dictum est. Verùm, ut omittam inter Celestini Papæ obitum & primum adventum Columcilli in Britanniam ultra CXXX. annorum spatium intercessisse: ad Columbæ Dunkeldensis episcopi tempora Monennæ exitum fuisse potiùs referendum, suspicionem nobis movent aliquam *Ositha* virginis Acta; quæ, ex Iohannis Tinmuthensis *Sanctilogio* descripta, Capgravij & ᶜ Surij Legendis habentur inserta. In his enim Ositham à S. Modwennâ Abbatissâ (quæ juxta sylvam Ardernam apud Warwicenses duo construxerat monasteria) institutam, post illius decessum ad parentes reductam, cùm ad nubiles perveniisset annos in villâ Chichensi (à sponso Sigero Orientalium Saxonum rege sibi traditâ) quæ in Essexiâ hodie *S. Ositha* nomine nota est, sacrarum virginum cœtui præpositam, ibidemq; anno Domini DCLIII. à Danicorum piratarum duce martyrio affectam fuisse legimus. quanquam

* Dunpelderlaw, id est, *Collis Dunpelder*, in Laudoniâ. Vid supr. pag. 683. § Vid. supr. pag. 689.

ᶜ Sur. Vit. Sanctor. tom. 5. Octobr. 7.

quam vitiosum esse illum numerum, & posteriorem aliquem annum neci Virginis hujus assignandum, non gravatè admittamus: tum quòd Pendam Merciorum regem (qui anno DCLV. interijt) patrem fuisse Wilteburgæ matris Osithæ; tum quòd Ositham ipsam ab *Orientalium Anglorum episcopis Eccâ & Bedwino* (quos post annum DCLXXIII. ordinatos fuisse ex [d] Bedâ iiquet) *velo impositio consecratum* fuisse, in ijsdem Actis traditum inveniamus. Ut de [e] Polydoro Vergilio & [f] Nicolao Harpsfeldio nihil dicam, qui nono post Christum seculo *Modvennam* & *Ositham* floruisse volunt; illos secuti auctores, qui *Alfredum filium regis Anglorum*, à Monennâ vel Modwennâ nostrâ gravi quo laborabat morbo liberatam, [g] magnum illum Aluredum Adulphi sive Æthelwulphi Occidentalium Saxonum regis fuisse filium; vel qui *Editham*, cui Ositha adolescentula à Modwennâ commendata fuisse legitur, [h] regis Edgari germanam sororem fuisse retulerunt.

[d] Bed. Ecclesiast. histor. lib. 4. cap. 5. fin.
[e] Polydor. Anglic. histor. lib. 5.
[f] Harpsfeld. histor. Ecclesiast. secul. 9. cap. 7.
[g] Ranulph. Cestrens. Polychronic. lib. 6. cap. 1.
[h] Vit. Edithæ, apud Io. Tinmuthens. & Laur. Surium, Septemb. 16.

Ad Columbæ & Kentigerni congressū jam redeo: in posterioris hujus Legendâ, apud Iohannem Tinmuthensem ita descriptū. *Sanctus Columba, qui ab Anglis Columkillus vocatur, in illo cœnobio quod in insulâ Hy construxerat virtutibus clarus, sancti viri famam audiens; ad illum venire, visitare, videre, & familiaritatem ejus habere cupiebat. Et cum multâ discipulorum turbâ de monasterio egressus, cùm loco approquinquaret ubi sanctus Episcopus manebat, in tres turmas omnes discipulos divisit: similiter & Pontifex suit trifariè distinctis, cum canticis spiritalibus illis obviam processit. In primâ turmâ erant juniores, in secundâ provectiores, in tertiâ senes decorâ canicie venerabiles: & canebant, dicentes:* [i] In vijs Domini magna est gloria Domini: & [k] via justorum recta facta est, & iter sanctorum præparatum est. *Ex parte sancti Columbæ canebant.* [l] Ibunt sancti de virtute in virtutem; videbitur Deus Deorum in Sion: *cum Alleluiâ.*

[i] Psal. 138. (al. 137.) 5.
[k] Esai 26. 7. juxta LXX.
[l] Psalm. 84. 7. (al. 83. 8.)

Edidisse præterea inter cætera Kentigernus fertur (si [m] Balæo, scriptorum titulos ex ijs quæ in Legendâ ipsius narrata reperit effingenti, adhibeamus fidem:)

[m] Balæ. Scriptor. Britann. Centur. 1. cap. 61.

Manuale suorũ ministeriorũ, lib. 1.
In obitũ Davidis episcopi, Orat. 1.
De fidei observatione, Orat. 1.
De charitate mutuâ, Orat. 1.
De Christianâ pace, Orat. 1.
De obedientiâ hominis, Orat. 1. *Viri fratres, quid admira.*
De hospitalitate tenendâ, Orat. 1.
De scripturarum lectione, Orat. 1.
De oratione continuâ, Orat. 1.
Ad principem avarum, Epist. 1.
Ad Rodericum regem, Epist. 1.

* Tribuitur illi Prosopopœia ista apud Iohannem Tinmuthensem & Capgravium, in Legendâ ipsius.

Demùm verò *cùm esset* CLXXXV *annorum, anno Episcopatus sui* CLX. *Idibus Ianuarij migravisse* illum *ad Dominum* Iohannes Tinmuthensis narrat, & in Glascuensi suâ ecclesiâ jacere sepultum. Atq; sub hujus nomine, non S. *Niniani*, (ut [n] Dempstero per errorem excidit) Deo est nuncupatum summum Archiepiscopatus Glascuensis templum: de quo Iohannes Major. [o] *Columbæ contemporaneus & singularis amicus beatus Kentigernus erat, qui plurimis miraculis claruit, & in Glasgu quievit: in cujus honore templum Glasguense fundatum est, nulli templo in Scotiâ in ornatu aut in Canonicorum multitudine & prebendis pinguibus secundum. Non multis diebus elapsis tantæ gravitatis & prudentiæ Capitulum Glasguense extitit, ut in lite ambiguâ Occidentales viri illustres litem omnem in Capituli discretione posuerint.* Hæc ille.

[n] Dempster. Histor. Eccles. Scotor. lib. 13. num. 954.
[o] Major. de gest. Scotor. lib. 2. cap. 7.

S. Columbam in Ioná sive Hyensi insulâ sepultum, [p] Adamnanus, [q] Beda, [r] Walafridus Strabus & [s] Notkerus Balbulus attestantur. Catalogus verò Sanctorum in Britanniâ sepultorum, ex Anglosaxonum monimentis

[p] Adamnan. Vit. Columb. lib. 3 cap ult.
[q] Bed. Histor. Eccles. lib. 3. cap. 4.
[r] Strab. in vitâ B. Blaithmaic. suprà, pag 703.
[s] Notker. Martyrolog. V. Id. Iun.

à Gotcelino Bertiniano editus, *Sanctum Columkillam in loco qui vocatur Duncabeam vel Duneachan, juxta amnem qui vocatur Tau*, conditum notat. In Hiberniam translatas esse illius reliquias, & Duni in B. Patricij & Brigidæ tumulo repositas, nostrorum tenet traditio. Porrò Aidanum Scotorum regem, audito S. Columbæ transitu, tantum animo dolorem cepisse recentiores rerum Scoticarum scriptores referunt, ut brevi pòst extinctus fuerit. [t] quanquam decimo post Columbam anno illum ex hâc vitâ excessisse oporteat; si ad annum usq; DCVI. (quod statim Boëthius subjicit, & Ultonienses etiam nostri Annales confirmant) ejus principatus pervenerit. Hic verò ille est *Edanus*, cujus [u] suprà ex Iocelino meminimus, *Gabrani* sive *Gourani* Scotorum regis filius: quem, quòd *Ri-éda* Hibernicè *Regem Edan* sonet, [x] Hugo Cavellus eundem fuisse suspicatus est cum Bedæ *Reudâ*, eorum duce, qui primò ex Scotiâ sive Hiberniâ inter Pictos sedes in Britanniâ vendicârunt. quum tamen & Iocelinum ea de Edano, quæ ad Fergusium illius proavum potiùs spectant, retulisse appareat; & ex Bedæ sententiâ ante horum utriusq; tempora Scoticam à Reudâ ductam fuisse coloniam, haud obscuris à nobis [y] ostensum sit indicijs.

Aidanum sive Ædanum hunc à B. Columbâ in Ionâ insulâ regem inauguratum fuisse docet [z] Adamnanus: & de pugnâ, in quâ victor ille extitit, eundem Columbam corpore absentem sed spiritu præsentem pronuntiavisse refert. [a] *Nunc barbari in fugam vertuntur: Ædanoq; quamlibet infelici, tamen concessa est victoria.* addens insuper, *de numero de exercitu Ædani interfectorum, trecentorum & trium virorum, virum beatum prophetice narravisse.* Hoc prælium illud *Leithreidense* fuisse existimaverim, quod anno DXC ab Ædano factum fuisse ex Ultonien sibus Annalibus intelligimus: licèt Fordonus ad pugnam anno abhinc altero in loco qui *Wadne heath*, id est, *Mons Wedeni* dicebatur commissam id trahat. [b] ubi

[t] Io. Major, lib. 2. cap. 7. Hect. Boëth. lib. 9. fol. 170. b.
[u] Supr. pag. 610.
[x] Cavell. in vitâ Iohannis Duns Scoti, cap. 2.
[y] Vid. supr. pag. 587.
[z] Adamnan. vit. Columbæ, lib. 3. cap. 5.
[a] Id. lib. 1. cap. 7. in quo, & sequente cap. MS meus Ædanum legit, ubi in editis Aidanus perperàm habetur exaratus.
[b] Vid. Fab. Ethelwerd. in fine lib. 1. Florent. Wigorniens. ad ann. secund. Dionys. 59. Guil. Malmesbur. de gest. Regum Anglor. lib. 1. cap. 2. Henr. Huntingdon. histor. lib. 2.

Ceaulinum Occidentalium Saxonum Regem potentissimum maximâ clade à Britannis affectum legimus. Septimo tamen post obitum Columbæ anno in alio conflictu totum penè exercitum Ædanum amisisse testis est Beda; de re ab *Ædhilfrido* Nordanhumbrorum rege fortissimo gestâ ita scribens.[c] *Motus ejus profectibus Ædan Rex Scotorum qui Britanniam inhabitant, venit contra eum cum immenso ac forti exercitu: sed eum paucis victus aufugit. Siquidem in loco celeberrimo qui dicitur Degsastane, id est, Degsa lapis, omnis penè ejus casus est exercitus. In quâ etiam pugnâ Theodbald frater Ædhilfridi cum omni illo quem ipse ducebat exercitu peremptus est. Quod videlicèt bellum Ædhilfrido anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo tertio, regni autem sui (quod viginti quatuor annis tenuit) anno undecimo perfecit; porrò anno Phocatis, qui tum Romani regni apicem tenebat, primo. Neq; ex eo tempore quisquam regum Scotorum in* * *Britanniâ, adversus gentem Anglorum, usq; ad hanc diem in prelium venire audebat.* usq; ad annum nimirùm DCCXXXI. quo Historiam suam Beda terminans,[d] *Scotos qui Britanniam incolunt* § *suis contentos finibus, nihil contra gentem Anglorum insidiarum molitos aut fraudium* posteà etiam repetit.

[c] Bed. histor. Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 34.

* ita legunt antiquissimi MSS. non *Britanniam*, ut libri editi.

[d] Bed lib. 5 cap. 24.

§ Vid. supr. pag. 612.

Aidanus verò Rex, ut habet in Scotichronico suo Fordonus, *post bellum Degsastan continuè mœrens, tantùm seipsum afflixit doloribus, quòd anno secundo post fugam, adeò grandævus, ut annorum octoginta pènè metas attingens, apud Kentyre obierit; apud Kilcheran, quo prædecessorum nullus anteà, tumulatus. Statimq; Kennethus Ker filius Conal suscepit coronam; & post annum vel, ut alibi, post tres menses defunctus est. Ad regni deinde successit apicem filius Aidani regis Eugenius Buydwell, Eochodius à quibusdam, Aido secundùm alios, anno Domini* DCVI. *& regnavit annis* XVI. Hic *à primævo, postquàm* * *in B. Columbæ gremio caput reclinaverat dilectus fuit ejus alumnus, tenerrimè nutritus; diuq; postmodùm discipulus, diligenter literis informatus.*

* Vid. Adamnan. in Vit. Columbæ lib. 1. cap. 8. ubi Eochodium Regem hunc appellat, ut in capitibus duobus sequentib. Aidum vel Ædum.

tus. Ejus doctrinam Rex adeptus, in multis oblivioni tradidit. Nam paci rarò, sed bello continuè curam adhibuit: gravibus semper regiones Saxonum irruptionibus, aliquandoq; Pictorum, infestavit. In cunctis verò regendis austerus erat, ac omnibus suæ majestatis imperium irritantibus per omnia crudelis atq; ferox: glorioſiùs multo ſuperbos putavit aut effrænes cruentè quàm civiliter ſuperare. Subactis tamen vel hoſtibus vel ligiis civibus valde miſericors & mitis fuit; ſed & injuriarum veniam poſcentibus promptus indultor & ſuavis. Hæc Scotichronici ſcriptor: quæ eadem de Eugenio retulit etiam ex *libro Paſletenſi* [c] Georgius Buchananus.

[c] Buchanan. rer. Scoticar. lib. 5. *in rege* LI.

Verùm ut Aidani ſucceſſorum quenquam *adverſùs gentem Anglorum in prælium veniſſe* negat [f] Beda: ita Eugenium hunc Aidani filium in ſummâ pace regnum tenuiſſe perhibet Boëthius. *Divi Columbæ dogmatis*, inquit [g] ille, *ut in primævâ adoleſcentiâ erat imbutus, haud immemor; magis ſua piè tueri, quàm invadere aliena ſtudu-it.* Addit, *fuiſſe ejus principatûs Chriſti ſacerdotibus, plebeiis, agreſtibus, & nobilibus æquitatis cultoribus, admodùm acceptum; reſtituiſſe* illum *ſacras ædes, quas in Galloviâ & vicinis regionibus* (quas tamen ad Scotorum ditionem eo tempore minimè pertinuiſſe * non ſemel confirmavimus) *impia Saxonum feritas fuerat demolita*: atq; demùm *poſt longam quietem vitâ* eſſe *defunctum, egregijs operibus clarum*; relictis poſt ſe tribus liberis, *Ferquhardo, Piacrio & Donevaldo*, quos *ſanctiſſimo epiſcopo Sodorenſi Conano moribus ac literis inſtituendos* ille tradiderat. Tum de Ferquhardo, qui patri in regno ſucceſſit, *id temporis multorum ſententiam* fuiſſe notat, *in Pelagij delirium, quod antè à Scotorum regi acciderat nulli, abiturum: auxiſſeq; rumorem populi, regis Ferquhardi cum Britannicis ſacerdotibus, quos peſtis ea infectos per longa tenuerat tempora, diutinam & continuatam conſuetudinem.* Donevaldum verò, qui poſt infelicem fratris interitum Rex eſt ſalutatus, [h] *Domnaldum filium Aido* (ſive, ut meus habet MS. us *Donaldum filium*

[f] Bed. hiſtor. lib. 1. cap. ult.

[g] H. Bœth. Scotor. Hiſtor. lib. 9.

* *Vid. ſupr.* pag. 612. 663. 665. 666.

[h] Adamnan. vit Columb. lib. 1. cap. 9.

[i] Id. lib. 3. cap. 5.

lium Æda) & [i] *Domnallum Breccum nepotem Aidani* appellat Adamnanus; & *in bello Roth sine causâ vastavisse provinciam Domnaill nepotis Amureg*, ex libro Cummenei Albi de virtutibus S. Columbæ narrat. Porrò *Rothanam* illud prælium anno DCXXXVII. gestum fuisse, ex Ultonienſibus Annalibus didicimus: in quibus etiam utriusq; Regis mortem ad annum DCXLII. ita relatam invenimus. *Mors Domnaill mac Ædho Regis Hiberniæ in fine Ianuarij. Postea Domnall Brecc in bello Sraith-cairmaic, in fine anni, in Decembri interfectus est ab Hoan Rege Britonum. Regnavit annis* XV.

Brudeus, ſub quo in Britanniam venit S. Columba, à Cruthneo primo Pictorũ monarchâ *triceſimus quartus* numeratur in Scotichronico: in quo etiam de ſucceſſoribus ejuſdem leguntur iſta. *Brudeo ſucceſſit Garnard filius Dompnach, qui fundavit eccleſiam collegiatam de Abernethy, poſtquàm illuc introduxit beatus Patricius ſanctam Brigidam cum ſuis novem virginibus: quæ virgines infra quinque annos deceſſerunt, & ex parte boreali dictæ eccleſiæ ſunt ſepultæ. Poſt quem Garnardum fuit Conſtantinus filius Ferguſo Rex viceſimus ſeptimus, & poſt Monarcham ſexageſimus. Iſte fundavit eccleſiam Dunkeldenſem poſt Abirnethin* CCXXVI. *annis, novem menſibus & ſex diebus. Alia Chronica habet* CCXLIIII. *annis. Conſtantino præmiſſo ſucceſſit Hungus filius Ferguſij. Cujus in tempore regnavit in Weſtſax rex Ethelwulfus; cujus filij majoris Athelſtani caput infixum ſudi Rex, obtentâ belli victoriâ, ſecum in regno detulit. Ab iſto Hungo Druſken filius Feredeth ſeptimus fuit: in quo Pictorum regnandi defecit poteſtas; & ab eis penitùs eranſlatum eſt regnum ad regem & monarcham Scotorum Kenedum ſuoſq; ſucceſſores, & unum deinceps Scotorum regnum eſt effectum.*

At quum à primo S. Columbæ ſub Brudeo in Britanniam adventu Pictici regni excidium minùs CCLXXX. annis abfuerit: nobis non fit veriſimile, aut Conſtantinum illum fuiſſe *viceſimum ſeptimum* regem poſt

post Brudeum, aut inter *Abernethianam* ecclesiam à Brudei successore & *Dunkeldensem* à Constantino fundatam annorum CCXLIIII. vel CCXXVI. spatium interfluisse. Hunc errorem fabella illa, de S. Brigidâ cum novem suis virginibus à B. Patricio in Abernethianam ecclesiam introductâ, haud dubiè peperit: quum tamen Patricium & Brigidam ante Brudei tempora ex hâc vitâ excessisse constet; & in Scotichronici etiam exemplari quo usus est [k] Iohannes Major, ex aliorum sententiâ, non CCXXVI. (ut in nostro codice legitur) sed XXVI. tantùm annis & novem mensibus Abernethiana ecclesia ante Dunkeldensem constructa fuisse memoretur. cum quâ annorum notatione non malè illud convenit, quod *ex historijs Hibernien sium* [l] jam produximus; *sanctum Columbam, primum Episcopum in Dunkeld, Cuthbertum puerum*, unâ cum puellâ Brigidâ, aliquandiu educavisse. Abernethianæ enim ecclesiæ sub proximo Brudei successore, & Dunkeldensis XXVII. post illam anno fundatione positâ; primi illius Dunkeldensis episcopi ætas in Cuthberti pueritiam aptissimè inciderit. Adde, quòd [m] Boëthius sub octavi demùm seculi initia novem illis virginibus, Dovenaldi Scoti filiabus, Garnardum Pictorum regem structas Abernethi ædes cum oratorio concessisse referat. *Præfatas*, inquit, *novem virgines non sub regis Conani regno cum divâ Brigidâ (uti vulgaris est opinio) sed Eugenij septimi tempore claruisse scribunt nostrarum rerum præstantes authores: eundemq; Eugenium regnante Garnardo, quicum tantisper dum viveret fœdus habuit & societatem, sanctissimum Virginum cœtum invisentem opimis donarijs donâsse.* Eâ verò ratione, ut proximus Brudei successor non esset agnoscendus hic Garnardus (cùm centum inter utrumq; annorum positum fuerit intervallum:) ita Garnardi hujus proximus statuendus fuisset successor Nectanus ille, de quo [n] diximus; qui Abernethiam (ut in [o] antiquo fragmento legitur) *Deo & Brigidæ dedit usq; ad diem judicij cum suis finibus, qui*

[k] Maior, de gest. Scotor. lib. 3. cap. ult.

[l] Supr. pag. 703.

[m] H. Boëth. Scotor. histor. lib. 9. fol. 181.

[n] Supr. pag. 701. & 702.

[o] Camden. in Scotiâ, pag. 705.

positi sunt à lapide in Aber-trent ad lapidem usq; Carfull, id est Logh-fol, & inde usq; ad Ethan.

Sequitur jam *Hungus* Pictorum ille Rex, à quo [p] Fordonus regem Athelstanum, Ethelwulfi Westsaxonum regis filium (cujus Guilielmus Malmesburiensis meminit) prælio non procul ab amne Tinâ & Merchiæ ac Laudoniæ confinijs (in loco qui ab eo *Elstan-ford* vel *Æthelstan-forde* nomen obtinuit, duobus miliaribus ab Hadingtonâ distante) commisso occisum; ejusq; caput abscissum *in medio marit. Scotici apud quandam insulam juxta portum Regine quæ Inche-garvy ab incolis usq; in præsens vocatur*, conto affixum fuisse narrat. quanquam in proximum templum delatum, *regio more sepultum* fuisse, ex alijs referat [q] Boëthius: addens etiam, Pictorum Scotorumq; nobiles tum *pollicitos*, *Hungo authore, se suamq; posteritatem signo* * *Crucis D. Andreæ, quoties ad prælium fuerit proficiscendum (ut tam insignis victoria parta divinitùs, gratâ recordatione semper haberetur) pro insigni semper usuros.* Guilielmi Malmesburiensis, à Iohanne Fordono hîc citati, de Æthelwulpho & filio ejus Æthelstano verba hæc sunt. [r] *Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXXXVII. *Æthelwulphus (quem quidam Athulpum vocant) filius Egberthi regnum sortitus, regnavit viginti annis & quinque mensibus; natura lenis, & qui sub quiete degere quàm multis provincijs imperitare mallet. denique avito West-saxonum regno contentus, cætera quæ pater subjugaverat appendicia Æthelstano filio contradidit, qui quando, vel quo fine decesserit incertum.*

Sed quemcumq; habuerit ille exitum; ab *Hungo* Pictorum rege occisum non fuisse illud argumento fuerit, quòd Pictici regni excidio superstitem illum fuisse liqueat. Anno enim DCCCLI. Sandwici in Cantio Danorum cæsum ab eo fuisse exercitum; Asserius Menevensis de Ælfredi regis rebus gestis, Annales Anglosaxonici, Fabius Ethelwerdus & Florentius Wigornienſis in Chronicis suis, testes sunt locupletissimi. [t] Boëthius, Vere-

[p] Fordon. Scotichronic lib. 4. cap. 13. 14. *Vid. supr. pag. 654.*

[q] H. Boëth. Scotor. histor. lib. 10. fol. 190. b. * *Vid. supr. pag. 649.*

[r] Malmesbur. de gest. Regum, lib. 2. cap. 2. init.

[t] H. Boëth. ut supra fol. 191. a.

Veremundum Andreapolitanum archidiaconum secutum se professus, *quòd is author circa temporum supputationem cæteris videretur accuratiùs elaborâsse*; Æthelstanum hunc occubuisse notat postremis temporibus Achaij Scotorum regis, quem anno *Christianæ salutis* DCCCXIX. *& Hungi principatus in Pictos sexto*, emigravisse ex hâc vitâ asserit: XVII. non minùs annis priùs, quàm vel Æthelstanus vel pater illius Æthelwulphus in locum Egberti hæres successisset. Eum errorem [t] Buchananus sanare dum conatur, longè effecit ampliorem. Licèt enim & ille ad Achaij tempora ista referat; non tamen cum Fordono & Boëthio Æthelstanum hunc Æthelwulphi Occidentalium Saxonum regis filium fuisse opinatur, *sed Danicæ gentis imperatorem, cui Angli affirmant Northumbriam ab Aluredo concessam.* quum morte Achaij [*] nativitatem quidem Aluredi XXX. Æthelstani verò baptismum LIX. & mortem non paucioribus quàm LXX. annis posteriorem fuisse compertum sit. Multoq; adhuc minùs Iohannis Majoris admittenda conjectura est; [u] qui Æthelstanum hunc, à rege Pictorum Hungo in Laudoniâ occisum, regis Edvardi Senioris filium fuisse imaginatur: quem toto post extincto Pictorum regnum seculo Glocestriæ vitam finivisse constat.

[t] Buchanan. rer. Scoticar. lib. 5. *in rege* LXV.

[*] *Vid.* Asser. de reb. gestis Ælfredi, ann. 878. Fab. Ethelwerd. & Florent. Wigorniens. ad ann. 878. & 889. vel 891. cum Guil. Malmesbur. de gest. Reg. lib. 2. cap. 4 & Iohanne Piko, in Guil. Lambardi Αρχαιονομιᾳ, fol. 46.

Anno DCCCXXXIX. Pictorum illam cladem contigisse, Iohannes Fordonus & Hector Boëthius referunt. Fuisse illum annum salutis humanæ DCCCXL. & Pictorum regni in Britanniâ DCCLIII. sub finem libri IIII. Anglicæ suæ historiæ affirmat Polydorus Vergilius. Atq; ab hoc principio Regum Albaniæ series deducitur: quod & pervulgati isti Scotorum ostendunt versiculi, à Fordono & alijs commemorati.

[u] Major, de gest. Scotor. lib. 3. cap. 1.

Primus in Albaniâ fertur regnâsse Kenedus
Filius Alpini, prælia multa gerens.

Nam *Dalrieta* tantùm regnum (ut [x] dictum est) ab Occiduo Oceano ad Argatheliæ & Brunalbaniæ fines

[x] Supr. pag. 611. & 612.

protensum Scotorum reges, à Fergusio Erci filio usq; ad Alpinum Eochaig sive Achaij filium, suæ ditioni habuerunt subditum: Alpini verò hujus filius Kenedus sive Kinadius, (à quo leges *Mac-alpin*, hoc est, filij *Alpini*, dictæ sunt constitutæ) post susceptum Dalrietæ regnum biennio transacto, in Pictaviam duxit exercitum, & quinto ineunte regni sui anno (ut habet liber Pasletensis) Pictos profligavit; cæsoq; eorum rege Druskeno filio Feredethi atq; imperio eorum tandem penitùs sublato, Scotorum primus totius *Albaniæ* factus est monarcha. de cujus victorijs ex Iohannis Fordoni Scoti-chronico hæc, si placet, accipe.

Tantâ non solùm in homines irâ virumetiam in fœminas & parvulos desævijt, ut nulli sexui vel sacris parceret ordinibus: sed omne vivens, quod secum non abduxerat, gladio vel igne consumpsit. Anno deinde regni sui sexto, cùm piratæ Danorum occupatis litoribus Pictos sua defendentes non modicâ strage prædando maritima contrivissent, similiter & ipse Kenedus in reliquos Pictorum terminos (montana finium suorum, videlicèt Dorsum Albaniæ quod Scoticè Drum-albane dicitur, transiens) arma vertit: & multis Pictorum cæsis reliquos in fugam compulit, & amborum regnorum monarchiam conquisivit. Picti verò, reparatis aliquantulùm Anglorum auxilio viribus, quatuor annis Kenedum infestabant: sed consequenter postmodùm inopinatis incursibus & varijs eos stragibus debilitans, duodeno tandem regni sui anno septies uno die congreditur; & innumeris Pictorum populis prostratis, regnum deinceps de fluvio Tine juxta Northumbriam ad Orchadum insulas (ut dudùm sanctus Adamnanus Iensis Abbas prophetando retulit) totum sibi ratificat confirmatum. Hæc Iohannes Fordonus: cum quibus & illa [7] Iohannis Majoris conferas licet. *Scriptum invenio, quòd septies à desperatis Pictis eodem die* Kenedus *invasus est, & toties eos fudit: perdius & pernox in prælio & hostem fugando fuerit. Posteà ad Sconam rediens, Dunscozem Pictorum regem capite obtruncat: & sic Picto-*

[7] Major, de gest. Scotor. lib. 2. cap. 14.

Pictorum regnum, quod ultra 800. annos in Britanniâ duraverat, Kenedus extinxit & suo Imperio adjecit. Viri inhumanitatem erga Dei famulos, mulieres & impuberes vehementer detestor: non enim ita in imbelles etiam Pagani bene instituti debacchari soleunt. Sed *sive justè* (inquit ille) *sive injustè eorum terras Scoti ceperunt; eas in fine justè tenuerunt. Quod enim in nullius potestate est, id occupanti conceditur.*

Universo Kenethi regno anni tribuuntur viginti, monarchiæ verò post devictos Pictos ferè sexdecim: de quorum tamen termino aliquantula est inter scriptores discrepantia. Imperium enim cum simul cum vitâ finivisse anno DCCCLIIII. docet Fordonus & Buchananus; DCCCLV. Boëthius & Lesłæus; DCCCLVI. Caradocus Lancarvanensis; DCCCLVIII. Ultonienſium Annalium collector. juxta cujus rationes XII.us Kenethi annus, quo cum Pictis postremo decertatum est prælio, in annum ferè DCCCL. incidisset: unde hodiernæ Scotiæ Regum Giraldus Cambrensis arcessit epocham; quum nomen illam accepisse [z] dicit *à Scotis de Hiberniâ venientibus, & in eâ regnantibus per spatium* CCCXV. *annorum, usq; ad regnum Guilielmi Rufi fratris Malcolmi*, quem anno MCLXV. defuncto fratri successorem datum fuisse legimus. Idem verò Giraldus, Scotorum genti iniquior, [a] Pictorum magnates specie humanitatis ad convivium invitatos atq; ex improviso trucidatos ab eis fuisse narrat. *Sicq; ex duobus populis, gens bellicosior* (ita ille loquitur) *totaliter evanuit; altera gens Scotorum longè impar, ex tali proditione emolumentum quodammodo consecuta, totam terram illam quam nomine suo Scotiam vocaverunt usq; hodie possidet, quibus eo tempore Kinadius Alpini filius præsidens, Pictaviam invasit, Pictos delevit, sexies Saxones debellavit, & terram omnem à mari Scotico usq; ad flumen Twedam usurpavit.* [b]

[z] Ranulph. Polychronic. lib. 1. cap. 37.

[a] Ibid. cap. 58.

[b] Ibid. cap. 43. & 58. Chronic. Britann. ad ann. 1347. producit.

Quod postremum tamen, de australi regni Kinadiani limite, in [b] alijs etiam Anglorum annalibus reperi-

tum, non facilè censemus admittendum: cùm ad ipsum usq; mare Scoticum (sive fretum Edenburgicum, veterem Caledoniæ limitem) longè post Kinadiana tempora Anglorum imperium prolatum fuisse [c] priùs docuerimus. Tantum abest ut ad Scoticorum Chronographorum accedamus sententiam, qui Kinadium sive Kenethum hunc ab Ofcadum insulis usq; ad Tinam fluvium & vallum Adriani fines suos promovisse, eáque ratione totum Northumbriæ Comitatum (inter Tinam & Twedam interjectam) occupavisse, ferunt: quem tamen Comitatum, Anglici primùm & Danici generis regibus paruisse, ac deinceps Comites sive Duces suos habuisse non est dubium. Primum verò Nordanhumbrorum Comitem *Osulfum*, regnante Ædgaro, socium accepisse *Oslacum*, eiq; regionem *ad Aquilonarem plagam Tinæ* positam commisisse, *Eboraco* cùm suis finibus sibi reservato, confirmat [d] Hovedenus. *Siwardus* posteà, cujus in [e] superioribus facta est mentio, *cùm Eadulfum Comitem interfecisset, totius provinciæ Northanhymbrorum Comitatum ab Humbrâ usq; Twedam administravit*: ut ante Hovedenum testatus est Turgotus, in Dunelmensium episcoporum Chronico. Ei successit *Tostius*: sub quo *Copsi totius Comitatus curas gerebat*, ac deinde Guilielmo Seniore regnante, *Northanhymbrorum illorum qui ad septentrionalem fluminis Tini habitant Comes factus est*; ut apud eundem Turgotum, horum temporum æqualem, legimus.

[c] Supr. pag. 667.

[d] Hoveden. Annal. part. 1. ann. 953.

[e] Supr. pag. 665.

Quod autem Giraldus, & eum secuti alij, de Scotis tradiderunt, non armis sed dolis Pictorum dominatum eos esse consecutos, *multi fabulæ persimile ducunt, cùm una omninò eáná non facilè potuisset tot absorbere principes ac universum populum*: quemadmodum hîc [f] Polydorus monuit. quanquam etiam fabulæ fortasse non minùs videatur esse simile, quod de universo Pictorum populo tum deleto vulgariter receptum est. Ipsum certè *Kenethum*, tùm in Caradoci Lancarvanensis Chronico (in quo

[f] Polyd. Verg. Anglic. histor. lib. 4. fin.

quo nomen ipsius *Cemoith* pro *Cenoith* vitiosè habetur exaratum) tùm in Ultoniensibus nostris Annalibus (in quibus *Cinædh mac Ailpin* rectiùs habetur nominatus) *Regis Pictorum* titulo insignitum invenio. Ipsius quoq; frater & successor, *Domnall mac Ailpin Rex Pictorum*, in ijsdem Annalibus ad annum æræ nostræ DCCCLXII. mortuus fuisse memoratur. Anno DCCCLXXI. à Danis urbem *Alclyde* sive Dunbrittaniam spoliatam, *Northumbriam* captam, & *Pictos* plurimùm vexatos fuisse, Caradocus annotat: quod Ultoniensium Annalium collector ita explicat. *Ainlaiph & Ivar venerunt ad Ath-cliath*, sive Dubliniam, *ex Albaniâ cum ducentis navibus: & præda maxima hominum Anglorum & Britonum & Pictorum deducta est secum ad Hiberniam in captivitate.* Dein anno DCCCLXXV. ut in libro de Ælfredi rebus gestis prodit Asserius Menevensis, Dani sive Normani pagani cum Halfdeno duce suo, totâ Nordanhumbrorum regione occupatâ, *Pictos & Stratduttenses depopulati sunt.* Alij annales eidem Asserio tributi *Pictos & Strecledenses* hîc habent, Annales Anglosaxonici peohtaɣ & § ɣtɹæcleo wealaɣ, Fabius Ethelwerdus *Pihtos Cumbrosq́*, Matthæus Florilegus *Pictos & Wallenses.* Ultonienses annales *Pictos* solos nominant: quorum *stragem magnam à * Dubgallis factam* tum fuisse significant. Addunt ijdem, anno proximè sequente mortuum esse *Constantinum filium Cinæda regem Pictorum*; & post biennium similiter, *Ædh filium Cinadan regem Pictorum à socijs suis occisum esse.* Qui duo fratres cùm in *Scotorum* regum Catalogo, post patrem Kinadium sive Kenethum (de quo dictum est) & patruum Domnallum vel Donaldum, locum habere cognoscantur, & apud vicinos tamen Hibernos non alio isti omnes quàm *Pictorum* regum celebrentur elogio: colligere inde promptum fuerit, etiam post Kinadianam illam firmatam monarchiam *Pictos*, licèt Scotorum imperio jam subjectos, majorem tamen & potiorem Albanici regni partem constituisse.

§ Eos *Streatgledwalos* appellat (ad annum 901. & 921. secundùm Dionys.) Florentius *Wigorniensis*, *Mariani* nomine à Guil. Camdeno citatus in Denbigh-shire pag. 547.

* sive *Nigris advenis*, Nigræ enim gentis nomine in libris Cambrobitannicis & Hibernicis Danica & Normannica natio intelligitur.

Circa

Circa annum DCCCCXXXVII. commissum est in Northumbriâ celeberrimum illud prælium [g] *apud Etbrunnanwere vel Brunnanburg* (quæ in Ethelredi regis legibus *Bromdune*, Ethelwerdo *Brunandune*, Ingulpho & Malmesburiensi *Bruneford*, alijs *Brunneburgh*, hodie *Brumridge* appellatur) inter Æthelstanum Anglorum regem & Anlaphum Norwegum [h] Hibernienſium (ut aiunt) multarumque insularum regem; qui à socero suo [i] Constantino (Ethi filio, Scotorum Britannicorum rege) incitatus, *infinitam multitudinem Danorum, Noreganorum, Scotorum, ac Pictorum contraxit*: ut habet in Croylandensi suâ historiâ Ingulphus. ubi & rem à Cancellario *Turketulo* (Croylandensi posteà Abbate) præclarè gestam amplificans; *Iam Orcadensium*, inquit, *ac Pictorum globos pertransierat, sylvamq; jaculorum & telorum, quæ thorace fidelissimâ sufflaverat, in se projectam circumferens, jam cuneos Cumbrorum ac Scotorum cum suis sequacibus perforabat.* Post partam etiam victoriam, Æthelstani imperio *colla subdidisse Scotos pariterq; Pictos* confirmat, qui ab his temporibus proximè abfuit, [k] Fabius Ethelwerdus. & [l] Hucbaldus Elnonensis monachus in Vitâ Lebuini, Baldrico (qui ab anno DCCCCXVIII. ad DCCCCLXXVII. Trajectensium erat Episcopus) dedicatâ, unâ cum Britanniæ incolis *Pictos* (Scotis quoq; quod mireris, prætermissis) adnumerat. *Sunt verò ibi populi multi*, inquit; *Britones, Saxones, Picti, Angli.*

Mitto quod [m] de *Clericù Pictorum* post annum DCCCCLXXXV. in Actis Edithæ virginis (apud Iohannem Tinmuthensem, Capgravium & Surium) legitur, & quod in incertæ fidei legibus Guilielmo Seniori attributis est notatum; illius judicio, leges Danorum vel Norwegiensium [n] *aliarum legibus nationum, Britonum scilicèt, Anglorum, Pictorum & Scotorum præponderâsse*, eundemq; statuisse [o] *concordiam, judicium & justitiam inter Anglos & Normannos, Francos & Britones Wallie*

[g] Turgot. in chronic. episc. Dunelmens.

[h] Henr. Huntingdon. histor. lib. 5. fol. 203. Florent. Wigorn. Roger. Hoveden. & Matth. Florileg ad ann. 937.

[i] de quo suprà, pag. 659.

[k] Ethelwerd. Chronic. lib. 4. cap. 5.

[l] Hucbald. Vit. Livini, cap 2. apud Surium, tomo 6. Novemb. 12.

[m] Guil. Lambard. Αρχαιονομ. fol. 138.

[n] Ibid. fol. 124. b. & Io. Selden. Spicileg. ad Æd. merum, pag. 189. 190.

Walliæ & Cornubiæ, Pictos & Scotos Albaniæ, & inter omnes sibi subjectos per universam monarchiam regni Britanniæ firmiter & inviolabiter observari. Ad quam enim ætatem Inscriptio illa referri debeat incertum est, quæ o Romæ inter S. Petri Basilicæ antiquitates legitur. ASTERIVS COMES PICTORVM ET SYRA CVM SVIS VOTVM SOLVERE. Hoc tantùm compertum habemus & exploratum; gentem Picticam cum Scoticâ ita tandem coaluisse, ut *Picti jam videantur deleti, & lingua eorum ita omninò destructa, ut jam fabula videatur, quòd in veterum scriptis eorum mentio inveniatur:* quemadmodum monuit p Henricus Huntingdonensis; hâc insuper casûs tam memorabilis consideratione contemplationeq; subjectâ. *Cui non comparet amorem cœlestium & horrorem terrestrium, si cogitet non solùm Reges eorum & principes & populum deperiisse, verumetiam stirpem omnem & linguam & mentionem simul defecisse? &, si de aliis mirum non esset, de linguâ tamen, quam unam inter cæteras Deus ab exordio linguarum instituit, mirandum videtur.* Hæc Huntingdonensis ille archidiaconus: cum quibus Caput hoc, longitudine jam nimis productum, demùm terminandum esse duximus.

o Camden. Britann. pag. 85.

p H. Huntingdon. histor. lib. 1. fol. 371. b.

CAP. XVI.

De Hibernià, Britannicarum insularum alterâ; quæ Britannia minor, & Scotia major aliquando dicta. Scotorum nomen ante tertium post ortum Servatoris seculum scriptoribus incognitum. deinceps Hibernis & eorum in Dalrietâ Britannicâ colonis commune fuit; Scotiæ tamen appellationem sibi Hibernià retinente ad seculum usq; decimum: post quod, novo ab exteris Irlandiæ introducto vocabulo, vetus Scotiæ nomen in desuetudinem abiit. De mortis Christi recente nuncio ad Ultonienses regem Conchurem perlato nostratium traditio. Ab Apostolis in Britannicis

insulis annunciatum esse Euangelium ex Eusebio & aliis ostenditur: ubi de Simone Zelotâ & Petro, Iacobo majore cum matre Salome, patre Zebedæo sive Aristobulo, & fratre Barnabâ; qui ad partes hasce dicuntur appulisse. De S. Beato & ejus Achate qui Helvetijs, & S. Mansuete qui Lotharingis fidem primus prædicavisse memorantur: Eugenio item primo Toletanorum Episcopo, & Iosepho Arimatheensi qui ab animalibus venenatis Hiberniam liberaviisse fingitur. De Dicho, Eucho & Ashlenâ horumq; filijs Cataldo Tarentinorum & Donato Lupiensium in Italiâ Episcopo. De Florentino, Honesto, Firmino, Macrâ, Gusbagono & Ghillone. De conversione Hiberniæ quam Constantini Magni temporibus ancilla cujusdam operâ factam fuisse fabulantur. De Hildeberto Scotorum archiepiscopo, & ejus discipulo Sedulio Scoto Hiberniensi. De S. Colmano & Dymmâ & aliis religionis Christianæ sub annum Domini CCCL. *in Hiberniâ professoribus. De Eliphio & Euchario fratribus, eorumq; sororibus Memmâ, Libariâ & Susannâ. De S. Kebij Cornubiensis adventu in Hiberniam: deq; Celestij Scoti adolescentiâ & Christianis parentibus. Iohannis Chrysostomi de fidei Christianæ professione in Britannicis insulis conservatâ testimonia. De S. Albio (cum quinquaginta suis comitibus) S. Kierano & S. Declano Romam visitantibus; & post reditum, unâ cum S. Ibaro, religionem Christianam in patriâ propagantibus. De Gunisorti & Gunibaldo, & Rosino Florido Dempsteri. De Palladio & ejus ad Scotos legatione.*

BRitannicas Insulas, [a] Polybij & aliorum veterum Græcorum scriptis celebratas, numero binas, magnitudine reliquis omnibus Orbis tum cogniti insulis præferendas, his versibus reliquit testatum in Periegesi suâ Dionysius.

[a] Polyb. histor. lib. 3. pag. 209. edit. Græcolatin. Casauboni.

Ἄλλαι

Ἄλλαι δ' Ὠκεανοῖο παραὶ Βορείλιδας ἀκτὰς
Δισσαὶ νῆσοι ἔασι Βρεταννίδες, ἀντία Ῥήνου.
Κεῖθι γὰρ ὑστάτην ἀπερεύγεται εἰς ἅλα δίνην.
Τάων τοι μέγεθος περιώσιον, οὐδέ τις ἄλλη
Νήσος ἐν πάσῃσι Βρεταννίσιν ἰσοφαρίζει.

quos verbum è verbo exprimentes, sic verterunt.

Alia autem Oceani ad borealia litora
Duæ insulæ sunt Britannicæ, contra Rhenum.
Illic enim extremum eructat in mare vorticem.
Harum sanè magnitudo immensa: neq; ulla alia
Insularum inter omnes Britannicis æqualis est.

vetus autem metaphrastes, Rufus Festus Avienus, liberiùs isto modo reddidit.

Eminùs hîc aliæ gelidi prope flabra Aquilonis
Exuperant undas, & vasta cacumina tollunt.
Ha numero geminæ, pingues solâ, cespitis ampli,
Conditur occidui quâ Rheni gurgitis unda,
Dira Britannorum sustentant agmina terris.

De iisdem, post [b] Ptolemæum, Marcianus Heracleota in Periplo: Αἱ Βρεταννικαὶ νῆσοι δύο εἰσὶν, ἥτε καλεμένη Ἀλβίων, καὶ ἡ Ἰουερνία. *Britannicæ insulæ duæ sunt, quæ vocantur Albion, & quæ Ibernia.* & longo post utrumq; intervallo, Græcus Dionysij interpres Eustathius: Αἱ Βρεταννίδες εἰσὶ δύο νῆσοι, Οὐερνία καὶ Ἀλβίων, ἥτις Βερνία κατὰ Ἀλβίων. & ante istos omnes, vel ipse Aristoteles (ut contendit [c] Franciscus Patricius) vel potiùs Theophrastus (ut [d] Buchananus voluit) aut illorum temporum (ut [e] Muretus censuit) æqualis alter, in libello de Mundo ad regem Alexandrum scripto: Ἐν τῷ (de Oceano loquitur) γε μὴν νῆσοι μέγισαί τε τυγχάνουσιν οὖσαι δύο, Βρεταννικαὶ λεγόμεναι, Ἄλβιον καὶ Ἰέρνη. quæ Apuleius in suum de Mundo librum (ex Aristotele & Theophrasto, ut ille profitetur, desumptum) ita transtulit. *In alterâ parte Orbis jacent insularum aggeres maximarum; Britannia duæ, Albion*

[b] Ptolem. Geograph. lib. 2. cap. 2. & lib. 8. cap. 2.

[c] Fr. Patric. Discuss. Peripatetic. tom. 1. lib 6.

[d] Buchanan. rer. Scoticar. lib. 1.

[e] Muret. Variar. lection. lib. 2. cap. 8.

Albion & Ierna. Nam qui Iernam nostram Alexandri Magni temporibus ignotam fuisse autumant, illud Orphei in Argonauticis non videntur consideravisse.

Πὰρ δ' ἄρα νῆσον ἄμειβεν Ἰερνίδα.

Argonauticorum enim scriptorem Orpheum, non Thracium illum quidem (licèt in toto opere personam ejus Poëta induat) sed * Crotoniatam, Pisistrato tyranno familiarem extitisse. (eaq; ratione Cyri, & laxatæ sub eo Iudaicæ captivitatis, tempore claruisse) ex Asclepiadâ Suidas nos docuit: cujusmodi antiquitatis ne ipse quidem Populus Romanus, nominis sui testem, proferre poterit auctorem.

Hanc insulam *Britannidem olim à Iulio magno Cæsare vocatam,* [f] Fabius Ethelwerdus haud rectè retulit. Non alio enim quàm *Hiberniæ* nomine à Cæsare, uti post eum à Plinio, Solino & Tacito, designatam illam invenimus. Stephano tamen Byzantio Ἰουερνία ἡ Πρετανικὴ, τῶν δύο ἐλάσσων, (*Ibernia Britannica, è duabus minor;*) [g] Ptolemæo Alexandrino Μικρὰ Βρεττανία & [h] Abrahamo filio Chajæ, Rabbino Hispano, בריטניא זעירה id est, *Britannia parva,* ea est dicta. Atq; ut *Britanniæ minoris* nomine ab Albione, ita *Scotiæ majoris* appellatione ab Albaniâ discriminatam illam aliquando fuisse animadvertimus. Ita Sigismundus Imperator in Diplomate, quod auctiori editioni Metropolis Salisburgensis Wigulei Hundij intextum legitur; *Sanè,* inquit, *pro parte religiosorum Abbatis Prioris & conventus Monasterij Scotorum & Hibernorum de majori Scotiâ in Ratisbonâ devotorum nostrorum oblata nostræ Celsitudini petitio continebat,* &c. & ante illum Dovenaldus O-Neyl, princeps Hibernicorum Ultoniæ, in fine literarum ad Iohannem XXII. Romanum Pontificem datarum: *Sciat Paternitas vestra reverenda, quòd præter reges Minoris Scotiæ, qui omnes de nostrâ Majore Scotiâ originem sumpserunt, (linguam nostram in conditiones quodammodo retinentes) Reges de sanguine nostro centum nonaginta septem in totâ Hiberniæ insulâ*

* Ὀρφεὺς Κροτωνιάτης, ἐποποιός. ὃν Πεισιστράτῳ συνεῖναι τῷ τυράννῳ ἀσκληπιάδης φησὶν, ἐν τῷ ἕκτῳ βιβλίῳ τῶν γραμματικῶν. Δεκαντερίαν, Ἀργοναυτικὰ, καὶ ἄλλα τινά. Suid. in Ὀρφεύς.

[f] Ethelwerd. Chronic. lib. 4. cap. 4.

[g] Ptolem. Almagest. lib. 2. cap. 6. pag. 31. edit. Græc.

[h] R. Abrah. Chajah, in Sphærâ Mundi, cap. 6.

insulâ regnaverunt.

Et quidem Britannicos Scotos à nostris & nomen traxisse suum & originem, præter auctores jam à nobis laudatos, testem etiam hîc nobis ultrò se præbet Giraldus Cambrensis. Cùm enim Hibernienses scripsisset *dictos esse & Gaidelos, dictos esse & Scotos*; subdit, *Scotiam quoq; partem Insulæ Britannicæ dictam esse Aquilonarem, quia gens originaliter ab his propagata terram illam habitare dinoscitur. Quod tam linguæ*, inquit, *quàm cultus, tam armorum etiam quàm morum, usq; in hodiernum probat affinitas.* Cui & Iohannem Tinmuthensem comitem adjungimus, S. Columbani Vitam sic exordientem: *Beatus Columbanus in Hiberniâ insulâ in Oceano sitâ quam Scotorum gens inhabitat, ortus est. Hibernia enim antiquitùs Scotia dicta est: de quâ gens Scotorum Albaniam Britanniæ majori proximam, quæ ab eventu modò Scotia dicitur, inhabitans originem duxit & progressum habuit.* & S. Columbæ Vitam ita terminantem: *Est autem sciendum, quòd Hibernia propriè Scotorum est patria. Antiquitùs igitur Scotia pro Hiberniâ sæpiùs scribi solet; sicut hîc in vitâ sancti Columbæ diligenter intuentibus apparet: & etiam venerabilis Beda de gestis Anglorum, multiùs in locis Hiberniam exprimere volens, Scotiam scripsit.*

[1] Supr. cap. 15. pag. 579.

[k] Girald. Topograph. Hibern. distinct. 3. cap. 7. Vid. supr. pag. 587.

Quando verò primùm Græcis & Romanis nomen Scotorum innotuerit, & quamdiu Hiberniæ nostræ incolæ illud retinuerint; res à multis est & quæsita & disputata. Qui primo & secundo post Christum seculo Scotici nominis mentionem reperîsse se existimant; vel ementitæ antiquitatis monimenta, vel novorum Criticorum * conjecturas pro certis veterum testimonijs nobis hîc obtrudunt. Nam ubi in Ἀποκολοκυντώσει suâ Seneca, de Claudio ludens cecinit.

* Vid. Hiberniam Resurgentem D. R. sect. 245. 246.

Ille Britannos Ultra vagi Litora ponti,
Et cæruleos Scuta Brigantes, Dare Romuleis
Colla catenis Iussit, & ipsum Nova Romanæ
Iura securis Tremere Oceanum.

Iosephus Scaliger in Propertianis primùm Notis, deinde in[1] Eusebianis Animadversionibus, pro *Scuta Brigantes*, legi vult, *Scoto-brigantes*. & ubi Florus poëta in Adrianum Imp. (apud Ælium Spartianum) similiter lusit:

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

pro *Scythicas*, Thomas Dempsterus *Scoticas* substituit. *Nec tamen hæc divinatio est*, ait[2] ille, *sed liber meus* MS. *probissimæ notæ correctionem disertè adstruit.* Verùm tàm * suspectæ fidei hominem illum fuisse comperimus, & toties tesseram fregisse; ut oculatos nos esse hîc oporteat &, nisi quod videmus, nihil ab eo acceptum credere.

His adduntur auctores subdititij duo, Ioseph ben Gorion & Hegesippus: qui in Oratione à Iosepho ad obsessos Hierosolymitanos habitâ mentionem *Scotiæ* ab eo factam fuisse fingunt. Sic enim de Romanis ille loquens apud[3] Hegesippum introducitur. *Quid vobis cum victoribus universæ terræ; quibus secreta Oceani & extrema India *parent? Quid intexam Britannias, interfuso mari à toto orbe divisas, & à Romanis in orbem terrarum redactas? Tremit hos Scotia, quæ terris nihil debet: tremit Saxonia inaccessa paludibus, & invijs septa regionibus.* nomine *Scotiæ*, quam Insulam facit nulli alij terræ conjunctam continuatamq;, *Hiberniam* (quod etiam à[4] Camdeno est notatum) haud dubiè designans. Apud[5] Pseudogorionidem verò, majore cum loquacitate pariter & vanitate. *Quid verò, fratres & amici mei, Romanis bellum inferre vultis? cùm ipsi dominatores sint gentium; qui aperuerunt claustra India & omnium insularum maris usq; ad mare Oceanum, & omnes partes Orientales. Qui & Imperium habent in terminos terræ, usq; ad Britanniam; & in omnem *Scotiam, quæ stagnis aquarum undique clausa est: cujus populus magnus est sicut Gigantes, procera homines statura*

[1] Scalig ad Eusebij annum MMLX.

[2] Dempster. Apparat. ad Histor. Scotic. lib. 1. cap. 1.
* Vid. supr. pag 589.

[3] Hegesipp. de Excid. Hierosolym. lib. 5. cap. 15. Vid. & Balderic. in Chronic. Cameracens. lib. 1. cap. 2.
* patens?

[4] Camden. Britann. pag. 89.

[5] Ben Gorion, perek 84. fol. 126. editionis Hebraicæ, Venetijs excusæ;

* סקוטיא

Statura & fortissimi, peritissimiq; jaculandi sagittas, atq; strenuissimi milites in bello. Ad quos cùm venisset Dux exercitus Romani, oppoſuerunt se illi, nec voluerunt ei subditi esse: cùm autem Reges Romanorum venerunt, subegerunt eos ut servirent ipsis.

Vespasianum verò, quum adhuc Neronis dux esset, *percussisse totam terram Occidentalem, & Aschenaz* (sive Germaniam) *& * Scotiam, & totam terram Tubal, & universam terram Togarma*, q alter ille Hebræus significat, qui Pseudo-Iosephi hujus majus opus in compendium redegit, & alicubi etiam aliarum fabularum interjectione nonnihil auxit. Sed utrumq; infimæ antiquitatis esse scriptorem, præter alios luculenter jampridem ostendit r Scaliger: alterumq; illum ἀθεόλογον Hegesippum Constantinianis posteriorem fuisse temporibus, illa de *Antiochiâ* verba satis declarant. s *Urbs tertio loco antè ex omnibus quæ in orbe Romano sunt civitatibus æstimata, nunc quarto, postquàm Constantinopolis exstrevit civitas Byzantiorum: Persarum quondam caput, nunc repulsivum. Prima enim Roma, secunda Alexandria, tertia Antiochia, quarta Constantinopolis.* quam tamen postremam periodum contra mentem auctoris ab alio adjectam fuisse, res ipsâ indicat: sicut & fortasse pericopen illam proximè præcedentem; ex quâ non multo post annum DCCCCLXVIII. Hegesippum hunc venisse collegit eruditissimus t Vossius. Cujus opinioni ne penitùs hîc assentiar, tum floridior quàm ea ferebant tempora scriptoris stylus, tum Isidori Hispalensis me cohibet auctoritas; quem in libris u Originum non solùm ad ea quæ in priùs citato Hegesippi testimonio de *Saxoniâ* dicta sunt leviter allusisse, sed ista etiam, quæ de ejusdem gentis incolis ibidem subjiciuntur, planè expressisse deprehendi. x *Validissimum genus hominum perhibetur, præstans cæteris: piraticis tamen myoparonibus non viribus nititur, fugæ potiùs quàm bello parata.* B. Ambrosium, quem y alij interpretem, z Iohannes Hesselius Lovaniensis

* אשכנז

q Iosephi Compend. pag. 206. edit. Basil. ann. 1559.

r Ioseph. Scaliger in Elencho Trihæresij, cap. 4.

s Hegesipp. lib. 3. cap. 5.

t Voss. de Histor. Græc. lib. 2. cap. 14.

u Isidor. Origin. lib. 9. cap. 2. & lib. 19. cap. 1.

x Hegesip. lib. 5. cap. 15.

y Ioh. Fischer. Roffensis, in libro contra Pelenum. Lil. Gregor. Girald. de Poët. Histor. Dialog. 7.

z Io. Hesselii, in Censurâ historiarum Sanctorum,

ensis multo rectiùs auctorem hujus operis fuisse censuit: eo certè antiquiorem non fuisse, res est quæ in dubium venire non potest.

[a] Supr. cap. 15. pag. 186, Vid. & cap. 8 pag. 209.

Unde apparet, quod jam [a] anteà diximus, *Scoticarum gentium* (& quidem extra *Britanniam* positarum) tertio post Christum seculo primum meminisse Porphyrium, verbis illis ab Hieronymo (in epistolâ ad Ctesiphontem contra Pelagium Britannum & Celestium Scotum scriptâ) productis. *Neque enim Britannia fertilis provincia tyrannorum, & Scotica gentes, omnesq; usq; ad Oceanum per circuitum barbaræ nationes, Moysen Prophetasq; cognoverant.* Licèt enim pro *Scoticis* gentibus quosdam Codices habere *Scythicas* Erasmus hîc annotaverit: vulgatam tamen lectionem omninò retinendam vel illud argumento fuerit, quòd *Scoticæ gentes* cum *Britanniâ*, & *barbaris nationibus ad Oceanum* habitantibus, conjungantur. Sub ejusdem seculi exitum ab Eumenio rhetore ad Constantium Cæsarem habitus est Panegyricus: in quo [b] Britanniam *Pictis & Hibernis assuetam hostibus* commemorans, quos *Pictorum & Scotorum* nomine proximè subsequente seculo ab Ammiano & Claudiano designatos cernimus, Hiberniam veterum Scotorum patriam statuendam esse comprobat, quod & illa Claudiani apertissimè confirmant:

[b] Supr. pag. 586.

[c] Supr. pag. 579.
[d] Supr. pag. 594.

[c] *Scotorum cumulos flevit glacialis Ierne.* &
——— [d] *totam cùm Scotus Iernen*
Movit, & infesto spumavit remige Tethys.

Ejusdem veritatis in *quinto* post natum Christum seculo testem habemus locupletissimum Paulum Orosium, Hiberniam nostram ita describentem. [e] *Hæc propior Britanniæ, spatio terrarum angustior, sed cœli soliq; temperie magis utilis, à Scotorum gentibus colitur.* & in *sexto* Gildam Britannum: qui cùm [f] Britanniam primùm à *duabus gentibus transmarinis vehementer sævis, Scotorum à Circio & Pictorum ab Aquilone*, per multos annos conculcatam fuisse docuisset; de ijsdem posteà subdit.

[e] P. Oros. histor. lib. 1. cap. 2.

[f] Supr. cap. 15. pag. 593, 594.

5 Re-

Revertuntur impudentes grassatores Hiberni domum; post non longum temporis reversuri. Picti in extremâ parte Insulæ tunc primùm & deinceps requieverunt. Ubi *Scotos & Hibernos* pro unâ & eâdem gente accipit: quod & à Cogitoso, [h] tùm in Prologo tùm in Epilogo Vitæ S. Brigidæ, factitatum observatur.

[g] Ibid. pag. 608. 609.

[h] Tomo 5. Antiqu. lect. Henr. Canisij, pag. 625. 626. & 641.

In *septimo* seculo literas, & è Britanniâ [i] à Laurentio, Mellito & Iusto Anglorum Episcopis, & ex Italiâ [k] tùm ab Honorio Pontifice tùm à Romano Clero post successoris ipsius Severini obitum, ad *Scotos qui Hiberniam insulam Britanniæ proximam incolunt* exaratas, Beda memorat. Eodemq; seculo, Isidorus Hispalensis scripsit: [l] *Scotia, eadem & Hibernia, proxima Britanniæ insula, spatio terrarum angustior, sed situ fœcundior.* & Ionas abbas, in vitâ B. Columbani: *Columbanus, qui & Columba, ortus est in Hiberniâ, insulâ in extremo Oceano sitâ. Hanc Scotorum gens incolit: gens quanquam absque reliquarum gentium legibus, tamen in Christiani vigoris dogmate florens, omnium vicinarum gentium fide præpollet.* Ita Dicuil Hibernus, in libro de mensurâ provinciarum Orbis terræ, cùm dixisset; *Circum nostram insulam Hiberniam sunt insulæ, sed aliæ parvæ atq; aliæ minimæ:* de Hethlandicis vel Schetlandicis (ni fallor) posteà addit.. *Illæ insulæ sunt aliæ parvulæ, ferè cunctæ simul angustis distantes fretis; in quibus, in centum fermè annis, eremitæ ex nostrâ Scotiâ navigantes habitaverunt.* Hiberniam, & Scotiam suam, pro eâdem accipiens insulâ. Quâ etiam ratione apud Aldhelmum abbatem Malmesburiensem, in epistolâ ad Ealfridum, [m] *Hiberuenses & Scoticos*, [n] *Hiberniam & Scoticum solum*, ut synonyma usurpari; & apud Adamnanum Hyensem abbatem, de rebus S. Columbæ scribentem, [o] in ijsdem narrationibus eandem regionem *Scotiam* simul & *Hiberniam* subinde appellari animadvertimus.

[i] Bed. histor. Eccles. lib. 2. cap. 4.

[k] Ibid. cap. 19.

[l] Isidor. Origin. lib. 14. cap. 6.

[m] Epistolar. Hybernic. Syllog. num. 13. pag. 40. 41.

[n] Ibid. pag. 38.

[o] Adamnan. Vit. Columbæ, lib. 1. cap. 13. 23. 30. & lib. 2. cap. 25. 26 edit. H. Canisij.

Eundem Adamnanum *reversum ad Scotiam, multas gentis ejusdem turbas ad Catholicam temporis Paschalis observantium suâ prædicatione correxisse*, sub initium octavi

seculi scripsit abbas [p] Ceolfridus. Quod à [q] Bedâ, qui sub illius regimine monasticam vitam excoluit, ita explicatum invenimus. *Navigavit Hiberniam, & prædicans eis ac modestâ exhortatione declarans legitimum Paschæ tempus, plurimos eorum legitimum Paschæ tempus observare perdocuit.* Horum enim temporibus [r] Hibernia *propriè patria Scotorum* habebatur; atque (ut Isidori ætate) *Scotia eadem* erat *& Hibernia.* Atq; inde est, quòd Beda libri IIII. Ecclesiasticæ suæ historiæ capite 26.° quum dixisset, *anno Dominicæ Incarnationis* DCLXXXIIII. *Ecgfridum regem Nordanhumbrorum, misso Hiberniam cum exercitu duce Berhto, vastavisse miserè gentem innoxiam, & nationi Anglorum semper amicissimam*; idem posteà repetens, eum *Scotiam nil se lædentem impugnavisse* scribit. ubi Scotiam eandem facit & Hiberniam, etiam in eo capitulo, in quo coloniæ inde deductæ *Scotorum qui erant in Britanniâ* expressè meminit. Similiter quoq; lib. III. cap. 19. postquàm retulisset, *supervenisse de Hibernià virum sanctum nomine Furseum*; ad eandem narrationem iterùm rediens, eum *multis annis in Scotiâ verbum Dei omnibus annunciantem, ab ipsâ quoq; insulâ patriâ discessisse* narrat. & quod in 4.° ejusdem libri capite de S. Columbâ affirmaverat, in Britanniam eum *venisse de Hibernià, prædicaturum verbum Dei provinciis septentrionalium Pictorum*; id in Chronologicâ totius historiæ Epitomâ sic exprimendum censuit. *Columba presbyter de Scotiâ venit Britanniam, ad docendos Pictos.* quomodo & de S. Willibrordo cùm scripsisset Alcuinus;

[s] *Quem tibi jam genuit fœcunda Britannia mater,*
Doctaq; nutrivit studijs sed Hibernia sacris;

illud iterùm ita extulit.

[t] *Vt dudùm cecini, fœcunda Britannia mater,*
Patria Scotorum clara magistra fuit.

Nono post Christum seculo Eginhardus, Caroli Magni Notarius, in Annalibus suis ad annum DCCCXII. de

[p] Ceolfrid. in epist. ad Naitanum regem; apud Bedam, lib. 5. histor. cap. 22.
[q] Ibid. cap. 16.
[r] Bed. histor. lib. 1. cap. 1. *Vid.* & lib. 3. cap. 27. & Martyrolog. ejusd. *VIII.* Id. Iul.
[s] Alcuin. *Vit.* Willibrordi lib. 2. cap. 1.
[t] Ibid. cap. 33.

de rebus nostris hoc scriptum reliquit. *Classis Nordmannorum Hiberniam Scotorum insulam aggressa; commissoq; cum Scotis prælio, parte non modicâ Nordmannorum interfectâ, turpiter fugiendo domum reversa est.* Eadem ferè habet Egolismensis ille monachus, qui Caroli Magni vitam descripsit: quæ Ermenoldus, vel quicunq; Fuldensium Annalium fuit collector, breviùs sic exposuit. *Classis Danorum Hiberniam aggressa, à Scotis prælio superatur.* Ita Rabano Mauro, Moguntino archiepiscopo, [u] *Hibernia Scotorum insula* est, atq; [x] *Scotia eadem & Hibernia.* & à Walafrido Strabo, abbate Augiensi, S. Gallus modò de [y] *Hiberniâ insulâ*, modò de [z] *gente Scotorum*, ortus fuisse traditur. & apud Ninium Britannum ejusmodi dicta passim occurrunt. *Novissimè venerunt Scoti à partibus Hispaniæ ad Hiberniam. Novissimè venit Clam Hector, & ibi habitavit cum omni gente suâ usque hodie. Nulla tamen certa historia originis Scotorum reperitur. Si quis scire voluerit, quanto tempore fuit inhabitabilis & deserta Hibernia; sic mihi peritissimi Scotorum nunciaverunt. Scithæ* (al. *Scoti*) *in quartâ ætate Mundi obtinuerunt Hiberniam. Scithæ autem qui sunt in* * *Occidente, & Picti de aquilone, pugnabant unanimiter & uno impetu contra Britones.* Rathrannus quoq; Corbeiensis monachus, libro IIII.° contra Græcos; *Scotorum*, inquit, *natio Hiberniam insulam inhabitans consuetudinem habet per monasteria Monachorum seu Canonicorum, vel quorumcunq; religiosorum, omni tempore præter Dominicam festosq; dies jejunare, nec nisi vel ad nonam vel ad vesperam corpori cibum indulgere.* Quibus & illud Ælfredi Regis addi potest, in Saxonicâ suâ translatione Orosij: Jgbernja that we ycotlano hatath. *Hibernia, quam nos Scotlandiam appellamus.*

[u] Raban. in Martyrologio, VIII. Id. Iuli.
[x] Id. de Universo, lib. 12. cap. 5.
[y] Walafrid. Præfat. in Vitam Galli.
[z] Id. lib. 1. cap. 20. & lib. 2. cap. 46.
* Vid. supr. cap. 15. pag. 594.

Seculo *decimo* Hucbaldus Elnonensis monachus, in vitâ Lebuini, Britanniæ dicit *adjacere Scotiam sive Hiberniam.* Adso Abbas in Carmine de S. Mansueto ad Gerardum Tullensem Episcopum edito (suo loco à nobis producendo) eandem quoque *Scotiam* facit & *Hiberniam.*

 [a] Fabius

a Fabius Ethelwerdus, & Annales Anglosaxonici, * tres *Scotos* de *Hiberniâ* anno DCCCXCI. ad Ælfredum Anglorum regem venisse narrant: *Dufflanum* primum, *Macbathum* secundum, *Mælinniunum* sive *Magilmumenum* tertium, *artibus* (ut ille loquitur) *frondentem, litterâ doctum, magistrum insignem Scotorum.* Addunt ijdem Annales, & ex eis Florentius Wigorniensis, *eodem anno Swifneh doctorem Scotorum peritissimum obijsse:* quod in Ultoniensibus nostris Annalibus ita consignatum invenio. *Suibne Mac-Mailehuvai anachorita & scriba optimus* § *Cluan-macnois dormivit.* quò & illud fortasse Caradoci Lancarvanensis referendum fuerit, (licèt aliquantula annorum sit discrepantia) in Chronico Cambrobritannico. *Anno* DCCCLXXXIX. *Submon Cubin, doctorum Scotiæ maximus, obijt.* Decimo quoq; seculo Notkerus Balbulus, Sangallensis monachus, claruit: apud quem in Caroli Magni Vitâ, huc spectans occurrit istud. *Contigit duos Scotos de Hiberniâ cum mercatoribus Britannis ad litus Galliæ devenire, viros & in secularibus & in sacris scripturis incomparabiliter eruditos.* & in Martyrologio, ad XVI. Kalend. April. *In Scotiâ* * *nativitas S. Patricij Episcopi, natione Britanni; qui in Hiberniâ insulâ Scotis primùm euangelizavit nomen Domini nostri Iesu Christi, & eos per miraculorum ostensionem ad fidem veram convertit.* & ad VIII. Idus Iulias. *Passio S. Kiliani primi* Wirzburgensis *civitatis Episcopi, & duorum discipulorum ejus, Colonati scilicèt presbyteri & Totnani diaconi: qui ab Hiberniâ Scotorum insulâ venientes, & à Pontifice sedis Apostolicæ auctoritate acceptâ, nomen Christi in eodem loco & in circuitu prædicaverunt.* Cui & Anglosaxonicum Martyrologium consonat (in libro, quem Exoniensi Ecclesiæ Leofricus episcopus donavit, *Spel-boc* dicto) ad XVII. diem Martij de B. Patricio adnotans. ꝑe ꝯelæꝑde tha mæꝯthe to ꝯeleaꝑan Hjebeꝑnja, that jꝑ ꝑcotta mæꝯthe. *Qui docuit populum credere Hiberniæ, id est, Scotorum populum.* & antiquus

a Ethelwerd. Chronic. lib. 4. cap. 3. Vid. Florent. Wigorn. ad ann. 892 & Matth. Florileg. ad ann 891.

* ꝑhijs ꝑcottaꝑ

§ *Clunensis* episcopatus ea sedes est, in Occidentali Midiâ.

* Natalis, id est, obitus dies.

tiquus Vitæ Kiliani scriptor, Hiberniam nostram hoc ornans elogio. [b] *Scotia, quæ & Hibernia dicitur, insula est maris Occeani, fœcunda quidem glebæ, sed sanctissimis clarior viris: ex quibus Columbano gaudet Italia, Gallo dicatur Alemannia, Kiliano Teutonica nobilitatur Francia.*

[b] Vit. Kiliani, tom. 4. Antiquæ. H. Canis. pag. 619.

Hîc verò de gentis utriusque Scotorum distinctione Georgium Buchananum audire fuerit operæ precium; quo nemo diligentiùs antiquitates patrias est perscrutatus. Is, [c] quum docuisset ex Orosio, *Scotos omnes Hiberniæ habitatores initio vocatos* fuisse; addit. *Principio autem cùm utrique, id est, Hiberniæ incolæ, & coloni eorum in Albium missi, Scoti appellarentur; ut discrimine aliquo alteri ab alteris distinguerentur, initio cœpere alteri Scoti Iverni, alteri Scoti Albini vocari.* & posteà. [d] *Cùm ipsi se Albinos nomine ab Albio declinato vocent, vicini tamen Scotos eos nuncupant; quo nomine origo eorum ab Hibernis declaratur.* Genuini enim Scoti [e] se *Albinich* vel *Albanach*, & regionem suam *Albin* vocant; ab *Albio*, ut ille putat, sive *Albione*, quod antiquissimum Britanniæ nomen fuit, derivato vocabulo. Cui aliquantulùm & illud favet, quod *Drum-Albin*, locum in quo hodierna Scotia maximè attollitur, [f] Iohannes Fordonus *Dorsum Albaniæ*, [g] Adamnanus *Dorsum Britanniæ* est interpretatus; *Britanniæ* ad Caledoniam denotandam restricto vocabulo. ut quum antiqua Britonum patria, ab Anglo-Saxonibus occupata, novum *Saxoniæ* vel *Angliæ* nomen obtinuit, Caledoniæ (Pictorum & Scotorum sedi) vetus Albionis & Britanniæ appellatio quasi propria relicta fuisse videretur.

[c] Buchanan. rer. Scoticar. lib. 2 pag. 55. edit Francofurt. ann. 1624.

[d] Ibid. pag. 64.

[e] Id. lib. 7. pag. 11. Vid. Henr. Huntingdon. histor. lib. 8. ad annum 3. regis Stephani & Iohan. Major. de gest. Scoter. lib. 4. cap. 11.

[f] Fordon. Scotichronic. lib. 2. cap. 12.

[g] Adamnan. Vit. Columbæ, lib. 1. cap. 28. & lib. 3. cap. 18.

Sed & ulteriùs hîc notandum; quemadmodum nostrâ ætate, Anglo-Britannorum & Anglo-Hibernicorum distinctio duplicem Angliam non efficit, unam in Britanniâ, in Hiberniâ quærendam alteram: ita nec antiquioribus illis temporibus, Scoto-Hibernorum & Scoto-Britannorum discretas sedes duplicem constituisse Scotiam.

tiam. Licèt enim Beda,[h] *Scotos qui Hiberniam*, & [i] *Scotos qui Britanniam* incolunt diligenter distinguat: ipsa tamen *Scotia* ei semper est unica; eadem nimirùm (ut ostendimus) quæ *Hibernia*. Nam neq; *Dalrieda*, quæ ad annum usque DCCCXL. Scotorum Britannicorum sedes erat, *Scotiæ* nomen est consecuta; neq; etiam integra ipsa *Albania*, debellatis statim Pictis, sed tum demùm quum populo utroq; in unam gentem coalescente obsolevit planè nationis Picticæ memoria. Quod ut ante *undecimum* post Christi nativitatem seculum haudquaquàm factum, in fine præcedentis Capitis declaravimus: ita neminem, qui toto antecedentium annorum spacio scripserit, produci posse arbitramur, qui *Scotiæ* appellatione Albaniam unquàm designaverit. Quæ tamen posteà in frequentissimo usu esse cœpit, quum Angli Hibernos suâ linguâ **Irish**, Latinâ [k] *Iros* & [l] *Irenses*, atq; terram eorum [m] **Ire-land** vocare assueverunt; vocabulo etiam ad Germanos, Gallos, Hispanos, Italos, ipsosq; [n] Arabas deinde propagato. Nam & Nubiensis Geographus circa annum MCL. Hiberniam [o] *Irlanda*, Albaniam *Scotiæ* nomine designat.

Neq; verò quamprimùm apud exteros *Irlandiæ* illud vocabulum in frequentiorem usum est admissum, vel *Scotiæ* appellationem Hibernia deposuit, vel *Scotorum* nomen Hiberni statim amiserunt. Nam in *undecimo* quoq; isto seculo, ut de Hermanno Contracto nihil dicamus (qui, cum alijs, [q] *Classem Danorum Hiberniam invadentem à Scotis victam fuisse* retulit) & [r] Adamus Bremensis, qui *Irland* nominat, *Hiberniam Scotorum patriam* nuncupat; & [s] Iohannes Sulgeni Menevensis Episcopi filius, apud quem *Albaniæ* vocem primùm invenimus, *Hibernos* & *Scotos* eosdem facit; & Marianus Scotus, qui inter primos Albaniæ (si [t] vulgato saltem Chronico fidem adhibemus) *Scotiæ* nomen tribuit, Hiberniam nihilo seciùs *Scotorum insulam* fuisse agnoscit. *Sancta Brigida Scotorum virgo in Hibernia diem clausit extremum*: inquit

[h] Bed. histor. lib. 2. cap. 4. lib. 3. cap. 3. & lib. 5. cap. 16.
[i] Id. lib. 1. cap. 34. lib. 4. cap. 26. & lib. 5. cap. 24.
[k] Ælnothus Cantuariens. de Vitâ Canuti, cap. 10.
[l] Orderic. Vitalis, Ecclesiastic. histor. lib. 10. ad ann. 1098.
[m] *Irlandam*. Id. ibid.
[n] Geograph. Arab. part. 2. Climatis 7.
[o] Hermann. Chronic. tomo 1. Antiqu. Lect. H. Canisij. pag. 529.
[q] Adam. Histor. Ecclesiastic. cap. 217.
[r] Vid. Præfationem nostram in Epistolar. Hibernicar. Syllogen.
[s] Marian. Chronic. ann. 1034. 1040. & 1050. edit. Basil. ann. 1559.

inquit ille, ad Christi annum DXXI. & ad annum DCLXXXVII. *Sanctus Kilianus Scotus, de Hiberniâ insulâ natus, Wirtziburgensis Episcopus, clarus habetur.* & ad annum DCLXXIIII. *Hibernia insula Scotorum, sanctis viris plena habetur.* Ita enim ex Francofurtensi codice locum restituit, in suis ad vitam Kiliani notis, Nicolaus Serarius: quum in Mariani Chronico, quod Florentij Wigornensis Annalibus est intextum, legatur. *Hibernia, insula Sanctorum, sanctis & mirabilibus perplurimis sublimiter plena habetur.* ut & ad annum quoque DLXXXIX. *Sanctus pater Columbanus ex Hiberniâ, insulâ Sanctorum, cum sancto Gallo aliisq; probatis discipulis venit in Burgundiam.* quo utroq; in loco Basilius Iohannes Heroldus, qui ex Francofurtensi illo Manuscripto Marianum primus in lucem dedit, & *Scotorum* & *Sanctorum* voces penitùs prætermisit: quas contractè scriptas inter se facilè permutari, vel Francofurtensis Topographiæ Hiberniæ Giraldi editio fidem fecerit,[r] quæ *Scotorum* pro *Sanctorum* nobis exhibet *merita.*

[r] Girald. Cambrens. Topograph. distinct. 1. cap. 23.

Quin & ipsum Marianum Hibernienſem fuisse Scotum confirmat Florentius, vel Wigornensis potiùs monachus qui sub rege Stephano Florentij rerum Anglicarum Collectanea (ex Asserio Menevensi & Saxonicis Annalibus translata) cum universali Mariani Chronico commiscuit, & ad annum MCXXXI. continuavit. Sic enim ille, ad annum 1028. *Hoc anno natus est Marianus Hibernensis probabilis Scotus; cujus studio & labore hæc Chronica præcellens est de diversis libris coadunata.* & scriptor Chronici quod in Bibliothecâ Cottonianâ habetur, à nativitate Christi usque ad annum MCLXXXI. deductum: *Anno* 1028. *Marianus Chronographus Hibernensis Scotus natus est; qui Chronicam Chronicorum composuit.* Unde in tractatu inter Commissarios Henrici IIII. Anglorum & Roberti III. Scotorum regis, anno MCCCCI. die Martis, XVIII. mensis Octobris habito (quem in eâdem Bibliothecâ vidimus) cùm *Alanus Newerk*

Newerk clericus, ex Chronicis confirmans, quòd Reges Scotiæ homagium ligium solebant facere Regibus Angliæ, subjungendo dixisset; quòd de his omnibus fuerunt & sunt nonnullæ Chronicæ in nonnullis monasteriis Angliæ repertæ, & remanentes fideliter conservatæ, etiam scriptæ per quendam Scotum nomine Marianum: pro jure regis Scotiæ respondens *Iohannes de Merton* Decretorum Doctor, *ibidem dixit expressè & fatebatur, quòd ille Marianus fuit tempore quo vixit fidelissimus homo; sed subjunxit, quòd fuit Scotus de Hibernia, & non natus in eorum Scotia.* Quibus & illum Iohannis Aventini locum addere possumus, in Annalium Boiorum libro sexto. *Divum Marianum Scotum & conterraneos ejus, Isacium qui centum & viginti vixit annos, Clementem, Murchardochum, Iohannem, Candidum & Donatum, Imperatore Heurico quarto imperante Reginoburgum in Boiariam venisse, juxta templum D. Petri extra mœnia à civibus (præcipuè Bezelino quodam) eis adiculæ conditas esse, suprà in V. libro retuli. Hâc famâ moti plures Scoti de Hibernia adventârunt: quibus septem illi præfuere; quorum ultimus Clemens fuit.* Sed de Mariano satis: cujus Chronicon integritati suæ restitutum à clarissimo viro Gerardo Iohanne Vossio propediem expectamus.

Sub *duodecimi* seculi initium Theodericus, abbas monasterij S. Trudonis in Leodiensi territorio, S. Rumoldo ([f] Mechliniæ anno DCCLXXV. à sicarijs interempto) [e] patriam assignans *Scotiæ* insulam, Britanniæ adjacentem & ab eâ mari interjecto diremptam; adnotat planè digitum intendit Hiberniam. Eam à *Scotiâ* Britannicâ, *ulteriorem* adjecto epitheto, [a] Bernardus discriminat; de Malachiâ Armachano archiepiscopo scribens: *Ab ulteriori Scotiâ usq; cucurrit ille ad mortem.* Et quum in Benchorensi apud Hibernos monasterio *oratorium lapideum*, contra patriæ consuetudinem, extruere vellet Malachias; iniquum quendam obtrectatorem, indigenarum nomine, ita illi obloquentem inducit, *O bone vir,*

[f] Io. Molan. Natal. Sanctor. Belgij, Iuli. 1.
[e] Theoderic. Vit. Rumoldi, tomo 7.° Vitar. Sanctor. à Iacobo Mosandro edit. ad Iuli. 1.
[a] Bernard. Vit. Malachiæ.

vir, quid tibi visum est nostris hanc inducere regionibus novitatem? Scoti sumus, non Galli. Elapide enim sacras ædes efficere, tam [x] Scotis quàm [y] Britonibus morem fuisse insolitum, ex Bedâ quoq; didicimus. Indeq; in S. *Monennæ* monasterio Ecclesiam constructam fuisse notat Conchubranus *tabulis de dolatis, juxta morem Scoticarum gentium: eo quòd macerias Scoti non solent facere, nec factas habere.* In *decimo tertio* verò seculo Cæsarius Heisterbachensis Scotiæ nomen Hiberniæ tribuit apertissimè: quum, vulgi credulitate fretus, ad pœnas purgatorias stabiliendas nimis sanè confidenter hoc urget argumentum. [z] *Qui de purgatorio dubitat, Scotiam pergat, Purgatorium sancti Patricij intret; & de purgatorij pœnis amplius non dubitabit.* Neq; repetere opus est quæ ex XIIII.o & XV.o seculo Dovenaldi Nellani Principis Hibernici & Sigismundi Cæsaris jam producta sunt testimonia, *Majoris Scotiæ* appellatione Hiberniam ab Albaniâ clarissimè distinguentia. Nam recentiorum calculos diligenter à [a] D. Rothæo collectos habemus: cujus tùm libris publicè (sed celato nomine) editis, tùm scriptis privatim transmissis, non parùm hîc adjutum me fuisse libens agnosco.

[x] Bed. histor. Eccles. lib. 3. cap. 5. init.
[y] Id ibid cap. 4. ut suprà, pag. 661. *Vid.* & pag. 114.
[z] Cæsar Heisterbach Dialog. lib. 12. cap. 38.
[a] Vid. Hiberniam Resurgentem, edit. Colon. ann. 1621. distinct. 3. & Tractatum de nominib. Hiberniæ, præfixum Florilegio Insulæ Sanctorum, edit. Paris. ann. 1624.

Quæ autem hucusq; disseruimus, necessariò præmittenda hîc erant omnia: partim ne quæ de *Scotis* & insulis *Britannicis* dicturi sumus ad *Hiberniam* nihil spectare quis opinaretur; partim ut Thomæ Dempsteri insolens retunderetur audacia, quem in epistolâ ad Maphæum Cardinalem Barberinum (nunc Urbanum VIII. Pontificem) Scotico suo Menologio præfixâ, Hiberniam *nunquam Scotiæ nomen habuisse* asseverare non puduit. Et quanquam [b] ipse agnoscat, *Bedæ Hiberniam Scotorum esse patriam & eum secuto S. Isidoro Hispalensi* (quum [c] Isidorus ante Bedam natum non solùm *ab Scotorum gentibus cultum*, sed etiam *Scotiam eandem & Hiberniam* fuisse, contra Dempsterum expressè asserat) & utriq; tam Hiberniæ quàm Albaniæ suæ populo commune

[b] Dempster. Apparat. ad Historiam Scoticam, lib. 1. cap. 3. pag. 10. & 13. *Vid.* Hibern. Resurgent. distinct. 4. exercitat. 13. §. 155. 256. &c.
[c] Isidor. Origin. lib. 14. cap. 6.

mune interdum fuisse *Scotorum* nomen haudquaquàm inficietur: tamen *exiguo tempore appellationum hanc confusionem duravisse, & externis scriptoribus ignotam cum Bedâ & vatame esse & extinctam*, contra tantam jam productam nubem testium, ore perfricto prædicat. Indeq; Scotos, [d] quotquot doctrinâ vel pietate celebres à Scriptoribus uspiàm commemoratos invenerat, etiam eos qui ante annum Christi DCCCXL. claruerunt (quando Scoto-Britanni *Dalrieda* finibus [e] exiguis sanè continebantur) è majore nostrâ Scotiâ turmatim abductos, non tam in minorem transfert, quàm in unum illius angulum detrudit simul omnes & compingit.

[d] *Vid.* Edoardum Maihew Anglum, in Natalib. Sanctorum Congregat. Anglicanæ Ordinis Benedict. August. 31. pag. 1405.

[e] *Vid.* supr. cap. 15. pag. 612.

Cujus plagij socium & consortem cùm Philippum Ferrarium Italum reddere Dempsterus conaretur, [f] Sanctorum Scotiæ Indiculo communicato, quo *Catalogum generalem Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt*, ille locupletaret: vir doctus, fraude demùm perceptâ, sequentem *Admonitionem ad Lectorem* Operi suo præfigendam curavit. *Illud te admonendum duxi; me nonnullos Sanctos Hibernos, alios Scriptores sequutum, Scotiæ sive Angliæ tribuisse. Cujus rei ea causa fuit, quòd olim Hibernia Scotia dicta est, & Hiberni Scoti sunt appellati: uti apud D. Prosperum, Orosium, D. Isidorum, Cogitosum, Adamnanum, Ionam, (Antiquos Scriptores) Bedam, & D. Bernardum Abbatem aliosq; vitæ Sanctorum Hiberniæ scriptores videre est. Quis enim SS. Patricium, Brigidam, Brandanum, Columbam, Columbanum, Gallum, Magnum, Virgilium, Kilianum, Rumoldum, Dympnam, Fiacrium, * Fusæum, Malachiam, Laurentium & alios Hibernos esse ignorat? qui tamen Scoti & in Scotiâ nati à Scriptoribus vitæ eorundem dicuntur. Martyrologium quoq; Romanum Brigidam Virginem (quæ in Hiberniâ nata, defuncta est tumulata) & alios quosdam in Scotiâ reponit. Quod te admonere libuit propter quosdam* Ἁγιοκλέπτας. Ita ille; Dempsterum jam, cum suis gregalibus, inter *Sanctorum fures* connumerans.

[f] *Vid.* Philip. Ferrarij Catalog. general. in fine Notarum ad Ianuarij diem 4.

* *Fursæum.*

Primum

Primum de Servatoris nostri cruentâ passione nuncium re jam recenti, à *Conallo Cearnaigh* pugile celebratissimo (cui opidum *Raith-Airther* fuisse domicilium, & cui * *Magnesiorum* & *Mauronum* stirps suam fertur debere originem) ad *Conchurem Ri-Ullagh* sive *Cornelium Regem* § *Ulidiæ*, itti Magiensi juxta sinum Fergusianæ Petræ peninsulâ regiam tunc habentem, Hierosolymis perlatum fuisse, Insulanorum prædicat traditio. Eam satis confidenter nugatorum nostri temporis facilè princeps ‖ Philippus Sullevanus, in Historiæ Catholicæ (quam appellat) Iberniæ Compendio, sic enarrat. *Regnante in Ultoniâ Conchure Rege, Conaldus Carnius pugil nobilis animo roboreq; præstans peregrè profectus exterarum rerum cognitione flagrans, postquàm rursus in Iberniam reversus est, Regi retulit se Ierosolymis fuisse: vidisseq; hominem, qui vocabatur Iesus, & Iudæorum Rex, formâ plusquàm regiâ & divinâ præditum, vitæ innocentiâ & sanctitate excellentem, mirandarum rerum opificem, & omni virtutum ornamento fulgentem, falsis criminibus argui, iniquè damnari, verberibus affici, cruci affixum in Calvario monte interfici, & inhumari; sed iterùm divinitùs revixisse, & sepulchrum fuisse egressum. Tum Rex: Hic, inquit, revera est orbis totius Dominus & opifex, quem in mundum fuisse venturum nostrorum vatum præsensionibus proditur. Inde nonnullos, qui Romam & alias regiones Catholicas petiverunt, sacro baptismatis rore fuisse sparsos: eisdemq; doctoribus alios accepisse fidem; & aliquos vitæ integritate asperitateq; & miraculis fulsisse, inq; Cœlitum fastos atq; cœtum esse relatos perhibetur.*

* Mac-Gennis & O-Moze.

§ Ultonienſis provinciæ partes fuerunt *Plagh* (Magnesiorum patria) *Dal-riada* de quâ suprà pag. 611.) & *Dalvietagh*.

‖ Sullevan. Histor. Ibern. tom. 1. lib. 4. cap. 5.

Multo modestiùs rem totam ita proponit, in Hierographiâ suâ Hiberniæ nondùm editâ, D. Rothæus. *Nec sat ipse scio an istud mereatur commemorationem hoc loco, quod in vernaculis nostris annalibus reperio consignatum, de primo rumore qui insonuit auribus in Hiberniâ; de primâ, inquam, omnium auditione earum rerum quæ contigerunt in Urbe Hierosolymorum circa mortem filij principis, in cruce*

à Iudæis suffixi pro quorum salute advenerat. Tradunt illi veteres nostrates pugilem ex ipsâ gente famosissimum, qui multas terras tentandi roboris causâ peragraverat, Palestinam adijsse, & in urbe Hierosolymitanâ præsentem conspexisse totam tragœdiam accusationis, judicij, & nefariæ necis illatæ Christo Redemptori; ipsumq́; reducem enarrâsse Cornelio Regi quæcunq́; audierat vel viderat circa illam innocentis agni in monte Calvariæ victimam. Auditis ingemuisse Regem, indignoq́; facinori cum summâ indignatione infremuisse, subitaq́; irâ correptum inclamâsse ultionem in sceleratos homicidas; se verò si contingeret adesse non passurum inultam sævitiam ingratorum civium dixisse perhibetur. Cum his inardescens vindice animo in sceleratos mortis auctores, educto gladio impetum fecit in saltum vicinum, conscissisq́; mucrone virgultis, consimilem cædem facturum se proclamavit sicariorum & homicidarum, qui violentas manus intulissent suo principi & Domino. Hæc nostris illis veteribus τοῖς ἐγγράφοις καὶ ἀγράφοις ad posteros transmissa, quisq́; pro arbitrio libret in staterâ sui judicij, fidem posteà quam par erit vel adhibeat, vel adimat: nuda recitatio nemini facit præjudicium.

Ab Apostolis verò in Britannicis nostris insulis Euangelium annunciatum fuisse, auctorem nos dare possumus Eusebium Pamphili, libro III.° Ἐυαγγελικῆς Ἀποδείξεως disertè affirmantem, ex eorum numero aliquos ὑπὲρ τὸν Ὠκεανὸν παρελθεῖν ἐπὶ τὰς καλουμένας Βρεταννικὰς νήσους, *trans Oceanum accessisse ad eas Insulas quæ Britannicæ vocantur.* Unde de Apostolorum dispersione agens in Ecclesiasticâ historiâ Nicephorus Callisti; Αἴγυπτον, [h] inquit, καὶ Λιβύην ἄλλος ἔλαχε, τοῖς δ' ἐσχάτοις τοῦ Ὠκεανοῦ καὶ ταῖς Βρεταννικαῖς νήσοις ἐφίστατο ἕτερος. *Ægyptum & Libyam sortitus est alius extremas verò Oceani regiones & Insulas Britannicas alius obtinuit.* Atq; hunc quidem [i] *Simoni Zelotæ*, Eusebium verò (ex Symeonis Metaphrastæ fide) *Simoni*

[h] Nicephor. histor. lib. 1. cap. 1.

[i] περὶ ἰουδαίαν ... εἰσβαλὼν, καὶ τὰς Βρετανικὰς νήσους ἐυαγγελίσας, ἀφεθ... Id. lib. 2. cap. 40.

moni Petro provinciam hanc assignavisse, in hujus Operis Capitulo I. [k] jam ostendimus: quorum priorem [l] anno Christi XLVII. posteriorem [m] anno LXV. in Britanniam profectum esse, novus affirmat Chronographus Guilielmus Eysengreynius. Pro Petri apud nos Apostolatu maximè pugnat [n] Robertus Personius: ad eum stabiliendum etiam cœleste producens oraculum; quod viro cuidam sancto per quietem ab ipso Petro hunc in modum fuisse patefactum, in Vitâ S. Edvardi Regis refert Ælredus abbas Rhievallensis. *Est mihi locus in Occidentali parte Londoniarum, à me electus, mihi dilectus; quem quondam mihi propriis manibus consecravi, meâ nobilitavi præsentiâ, divinis insuper miraculis illustravi. Thorneia nomen est loci: qui quondam ob peccata populi* § *barbarorum traditus potestati, pauperrimus ex divite, humilis ex sublimi, ex nobili factus est contemptibilis. Hunc Rex* (Edvardus) *me præcipiente in habitaculum monachorum suscipiat reparandum, sublimandum ædificiis, possessionibus ampliandum. Non erit ibi aliud, nisi domus Dei & porta cœli.*

[k] Supr. pag. 7.
[l] Eysengreyn. centenar 1. part 4. distinct. 8.
[m] Id ibid. part. 7. distinct 8.
[n] Person. de convers. Angl. part. 1. cap. 1. § 10.
§ Danorum sc.

Hujus visionis ipse Rex Edvardus, in Privilegio Westmonasteriensi Ecclesiæ denuò à se extructæ concesso, ita meminit. *Revelavit B. Petrus cuidam probabili vitæ monacho incluso, nomine* * *Wulfino, voluntatem suam esse, ut restituerem locum qui dicitur Westmonasterium; quod à tempore S. Augustini primi Anglorum Episcopi institutum, multisq; veterum Regum munificentiâ honoratum, propter vetustatem & frequentes bellorum tumultus penè videbatur destructum.* In alio verò Diplomate, dato Westmonasterij V.° *Kalendas Ianuarij, die Sanctorum Innocentium* (quo dedicata ea est Ecclesia, nono ante Regis excessum die) *anno Dominicæ Incarnationis* (vel *Nativitatis* potiùs, ante triduum inchoato) MLXVI. *Indictione* III. (rectiùs IIII. nisi Indictionem Pontificiam à Kalendis Ianuarijs inchoatam in usu tùm fuisse admiserimus) eandem Basilicam priùs ædificatam fuisse significat *sub*

* de quo vid. Chronic. Florent. Wigorniens. ann. 1062.

Mellito Londoniarum primo Episcopo, socio & contemporaneo primi Cantuariæ Archiepiscopi; & per ipsum beatum Petrum, angelico famulante servitio, sanctæ Crucis impressione & sacri chrismatis perunctione dedicatam.

Nempe *Dunstanus* (ut rem à primâ repetamus origine) *cùm à perfectis viris probatisq; personis*, quemadmodum in Vitâ ejus habetur scriptum, *didicisset quantâ dignatione beatus Petrus Apostolorum princeps Oratorium suum quod Westmonasterium dicitur insignivisset, & per seipsum dedicavisset: Regi Edgaro persuasit, ut ob venerationem tanti Apostoli loci honori intenderet*. Eâdem enim facilitate, quâ posteà Wulfini visioni rex Edvardus, Dunstani relationi rex Edgarus fidem accommodavit: & in Diplomate Westmonasterienſi Ecclesiæ à se restauratæ concesso, * illam anno DCIIII. *non ab alio, sed ab ipso sancto Petro Apostolorum principe in suum ipsius proprium honorem dedicatam* fuisse pronuntiavit. licèt Nicolaus II. Pontifex, in Rescripto ad Edvardum Regem, non ita fidenter efferendum hoc censuerit: *Ut fertur*, inquiens, *primum antiquitùs consecrationem à B. Petro accepit.*

*Supr. cap. 14. pag. 575.

Habetur hæc fabula non apud Ælredum solum in vitâ Edvardi, sed etiam in Melliti vitâ, Chronico Westmonasterienſi Sulcardi, Guilielmi Malmesburienſis libro II. de Anglorum Pontificibus, & Richardi Ciceſtrij Westmonasterienſis monachi Annalibus. Sed ut indubitatæ eam daremus esse fidei: ad Rob. Personij propositum non magis profectò faceret, quàm quod *de plumbeo Sancti Petri in Westmonasterienſi cœnobio asservato*, ex * Thomæ Mori Anglicâ Richardi III. Historiâ ab alio hîc producitur. Nam Thorneiam Petrus, plus quingentis post mortem annis suâ *nobilitavisse præsentiâ* dicitur. Personius autem Petrum in diebus carnis suæ Britannis prædicavisse vult: ex P Baronio ostendens, eum edicto Claudij cum Judæis Româ pulsum ad extremas has Orbis oras prædicationem Euangelij convertisse; & eum eodem verba illa Petri Act. XV. 7. huc accommodans.

* Operum Anglicanor. pag. 46. edit. Londin. ann. 1557.

a Edvard. Maihew, Congregat. Anglican. Ord. Benedict. tabul 2. pag. 483.

P Baron. ann. 58. §. 51.

Elegit

Elegit Deus per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere. q Franciſco Guillimanno magis videtur credibile, ante ſexennium, in illâ quam Claudius contra Britannos expeditionem habuit, comitem ſe Apoſtolum addidiſſe. Anno Neronis duodecimo, qui noſtræ vulgaris æræ Chriſtianæ LXVI.us eſt, ex Britanniâ eum receſſiſſe Metaphraſtes auctor eſt. Cùm enim dixiſſet, Petrum eo in loco *longo tempore fuiſſe moratum, & multas gentes non nominatas attraxiſſe ad fidem Chriſti*; de inſtante reſolutionis ſuæ tempore, & ad urbem Romanam reditu, per Angelicam viſionem admonitum illum fuiſſe addit. Επιμείνας τε, r inquit, ἐν Βρεταννίᾳ ἡμέρας ἱκανὰς, καὶ πολλὰς τῷ λόγῳ φωτίσας τῆς χάριτος, ἐκκλησίας τε συστήσάμενος, ἐπισκόπους τε καὶ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους χειροτονήσας, δωδεκάτῳ ἔτει τῆς Καίσαρος Νέρωνος ἀῤῥθις εἰς Ῥώμην παραγίνεται.

q Guilliman de reb. Helvetior. lib. 1. cap. 1.

r Supr. cap. 1. pag. 7.

At longè ante hoc tempus Iacobum Zebedæi filium in Britannicis inſulis Euangelium prædicaviſſe, ſ capite I.° ex alijs retulimus. Extat Hugonis Epiſcopi Portugallenſis ad Mauricium Archiepiſcopum Bracarenſem t Epiſtola: in quâ, ut probet *S. Petrum Ratiſtenſem fuiſſe in Hiſpaniâ Vicarium S. Iacobi, dum in Britannias & alias provincias perrexit*, ex Caledonio Bracarenſi (quem eundem eſſe putant cum * *Caldonio* illo, inter quem & B. Cyprianum mutuæ intercеſſerunt literæ) in Vitâ ejuſdem Petri, de S. Iacobo Zebedæi filio verba producit iſta. *Inde Brigantio navem tranſcendens, in Britannias appulit; relicto Bracara S. Petro, ejus Vicario, & primario inter alios quos ſacrârat in Hiſpaniâ Epiſcopos.* Ejuſdem Hugonis æqualis Iulianus Petri, archipresbyter Toletanus, in Chronico ſuo non ſolùm in Hiberniâ Iacobum docuiſſe, ſed etiam inde Epiſtolam ſuam Canonicam in Hiſpaniam miſiſſe aſſerit, quam tamen non à Iacobo Zebedæi & Salomes filio, fratre Iohannis; ſed à Iacobo minore, filio Mariæ & Alphæi, fratre Domini conſcriptam

s Ibid. pag. 5.

t Inter Prolegomena Fr. Bivarij in Dextri Chronic. pag. IX.

* Vid Cyprian. epiſt. 19. 20. & Dextrum, ad annum Chriſti 268.

ptam fuisse communior & verior est opinio.

Salomen, Iacobi majoris matrem, & peregrinationis & prædicationis filij fuisse comitem, in fragmentis Helecæ Cæsarauguſtano Episcopo attributis ita invenio proditum. *Maria Salome, vel Iacobi, rediens cum ipso Iacobo filio peragratis partibus Germaniæ, Angliæ, & Italiæ, ubi prædicavit, cùm Verulam perveniſſet, ætate confectâ ibi requievit* XXIIII. *Maij.* anno Christi (ut in ijsdem fragmentis paulo antè est annotatum) XLII.° cùm ipsa ætatis attigisset annum nonagesimum. Per *Angliam* verò ineptulus ille intelligit *Britanniam*: ubi & patrem Iacobi Zebedæum, quem ille cum compare suo Dextro Aristobulum fuisse somniat, anno secundo Neronis (qui æræ Christianæ est LVI.us) martyrem occubuisse [u] scribit. Eundemq; Aristobulum, *cum sociis duodecim*, in Hiberniâ Euangelium annunciaviſse, refert Toletanus ille archipresbyter Iulianus. Et Aristobulum quidem Britanniam *primum Apostolum esse nactam, anno, & quod excurrit*, XCIX. *Clemente Pontif. Max. Domitiano Imper. A.* affirmat Arnoldus Mermannius in Theatro Conversionis Gentium: oblitus priùs se dixisse, sub Neronis imperio S. Paulum *Britanniam (pridem à Claudio Imper. triumphatam) Orcbades, cæteraſq; Oceani regiones seu insulas extremas quaſq; petyſſe.* Cui de Aristobuli ministerio Dorotheus & Nicephorus dicuntur adstipulari: licèt [x] alijs ad *Britianam*, sive Italiæ provinciam à Brutijs inhabitatam, illud referre placeat. quum Nicephorus tamen hujus rei omninò non meminerit; & Græcorum alij [y] τῆς Βρεττανίας, non Βρεττίας vel Βρεττιανῆς, Episcopum Aristobulum fuisse dicant.

A fratre suo Barnabâ & Episcopum ordinatum, & in Britanniam fuisse missum, in Græcorum legimus Menologio, quod à Guilielmo Sirleto Cardinale Latinè redditum Antiquæ lectionis II.° tomo Henricus Canisius inseruit. In eo enim ad Martij diem XV. commemoratio fit *sancti Aristobuli Episcopi Britanniæ, fratris Beati*

[u] Supr. cap. 1. pag. 9.

[x] Camden. Britann. pag. 47. & Fr. Godwin: de convers. Britann. cap. 1. pag. 9.

[y] Vid. Petr. Galesin. Notat. in Martyrolog. Roman. ad Idus Martij.

Beati Barnabæ Apostoli: à quo cùm esset ordinatus Episcopus, ad Britannos missus, illic Christi fidem prædicans, & Ecclesiam constituens, martyrium assecutus est. Quin & ipsum Barnabam Apostolum *in Scotiâ concionatum Euangelium diffudisse* confirmat [z] Dempsterus, tùm ex Scotichronico (in quo nihil ejusmodi invenio) tùm ex S. Beati Vitâ quam Daniel Agricola Basileæ edidit anno MDXI. & Georgij Garnefelt Carthusiani libro IV. de vitâ Eremitarum cap. I. qui à Barnabâ in Scotiâ S. Beatum baptizatum esse refert; his etiam de eo ludens versiculis.

[z] Dempster. Histor Ecclesiast. Scotor. lib. 2. num. 159. 160.

Hic vera Helvetijs ostendit numina: Petri
Unctus erat dextra, Barnabæ alumnus erat.
Nomine regq; Beatus, amans desertâ; beatum
Solum, qui solus viveret, esse ratus.

Nono die mensis Maij, *Romæ* (ut est in Bedæ Martyrologio) vel in *Castro Vindecino* potùs (ut Romanum & Usuardi habet Martyrologium) *sancti Beati Confessoris* celebratur depositio. Ejus vita à Petro Canisio est descripta, & à Iohanne Stumpfio in VII.[i] libri rerum Helveticarum capite XXII.o ex quo [a] Henricus Pantaleon ita eam nobis exhibuit. *Beatus ille nobilibus parentibus natus ex Britanniâ Romam profectus est, ut à S. Petro in verâ fide rectiùs institueretur. Cùm autem in humanioribus literis optimè profecisset, atq; Suetonius diceretur, Christianis dignus visus est, qui doctrinam veram perciperet, atq; eandem ubiq; disseminaret. Itaq; baptizatus, ab adeptâ felicitate & spe vitæ æternæ Beatus dictus fuit. Is in patriam rediens in Helvetiâ substitit, atq; ejus regionis incolas in verâ fide instruxit. Cùm autem verbum Dei plures avidè amplecterentur, apud Helvetios permanere, & Christum docere voluit. Propterea non procul à lacu Thunense, sub opido Underseuen suam habitationem fixit, omnia bona pauperibus distribuit, adq; confluentes homines Christi meritum proposuit: donec tandem circa annum Domini centesimum decimum ibidem in verâ fide obdormiverit. Ejus cella adhuc*

[a] Pantaleon, de viris illustr. German. part. 1. Vid. Guilelm. Eisengrein. Centur. 2. part. 5. distinct. 2. & Georg. Wicel. lib. 5. cap. 38.

in dicto loco ostenditur.

De eodem Petrus Merssæus Cratepolius in libello de Sanctis Germaniæ. *S. Beatus ex nobilibus ortus parentibus in Britanniâ, Romam profectus, & cùm religionis veræ esset cupidus, à beato Petro Apostolo in Christi fide instructus est & baptizatus. Inde Christianis annumeratus est; & doctrinam, quam susceperat, aliis impartiri summopere advigilavit. Cùm jam proposuisset redire in suam patriam, in Helvetijs substitit, & incolas ibi in verâ fide instruxit. Sub oppido Undesivem construxit habitationem; & Christi meritum ac peccatorum indulgentiam omnibus cum magno fructu animarum proposuit. Pestremò anno Domini* CX. *ibidem mortuus est in verâ fide. Ejus cella adhuc in dicto loco ostenditur. Ossa illius Confluentiæ in monasterio Carthusianorum in magnâ reverentiâ conservantur.* & Franciscus Guillimannus rerum Helveticarum libro I. capite XV.° *Beato, antequàm sacris Christianis initiaretur, Suetonius fuit nomen. Multæ pietatis & sanctimoniæ, miraculisq; clarus diu apud Helvetios, præcipuè pago Aventico & Urbigeno, Apostoli Christi munere defunctus est. Ultimò se in solitudinem recepit, apud Interlacenses pagi Urbigeni locum nactus, cùm inde draconem sævissimum & nocentissimum crucis signaculo expulisset, eam quam tenuerat rupem & speluncam pro tecto usurpavit: ibiq; longâ ætate confectus, vitam deposuit, sub initium Imperij Trajani,* (A.D.N.XCIX. circiter) *quo etiam tempore Iohannes Apostolus & Evangelista, ultimus Apostolorum, mortuus sive translatus est; Helvetijs ab omni antiquitate, cultu & veneratione longè celeberrimus. Ejus demùm Beati sacræ reliquiæ, ubi religio mutavit, patrum memoriâ, inde Lucerniam translatæ, non minore in honore sunt: quamquam & ejus memoria apud Interlacus catholicis non omninò obliteravit. Ibidem & Achates mortuus & sepultus est.*

[b] Rhenan. rerum Germanic. lib. 3. pag. 161. edit Basil. ann. 1631.

Hîc verò observatione digna est illa [b] Beati Rhenani de nostri *Beati* Actis vulgatis observatio. *Quidam superioribus annis, quem adhuc audio superesse, Beatum anachoretam*

choretam Helveticum, ut vulgus prædicat, Suetonium fuisse vocatum affinxit, illius vitam describens, & socium habuisse, cui nomen esset Achates. A diy hominem, quæsiturus undenam id assereret: putabam enim hæc illum absq; auctore non dicere. Sed audi impudentiam. Propterea, inquit, addidi Suetonium fuisse vocatum, quòd legerem è Suediâ prodyisse. & quia Æneæ Virgiliano fidus Achates semper adhæsit, ideò sodalem illius hoc nomine donavi, alioqui anonymum futurum. Et tamen hæc historia, si ita vocare libet, non solùm picta est in templis, ac scripta, sed etiam typis excusa. eâdem nimirùm verisimilitudine, quâ Turegij apud Lusitanos in fano B. Mariæ sacro, ex ethnico *Viarum Curatore*, joculari errore *Viarium* Episcopum factum, & pro Martyre cultum, eos quibus lumbi dolerent absq; dubio juvare solitum, in epistolâ ad Bartholomæum Kebedium de Martyribus Eborensibus scriptâ lepidè narrat vir eruditissimus Andreas Resendius. Ut hîc oppidò ridiculum [c] Dempsterus se exhibeat; qui ad hunc ipsum Rhenani locum intendens digitum, ex ineptissimo nihilominùs illo *Suetoniani* nominis figmento *præclarum Antiquitatis monimentum nobilissimi Stemmatis Setonorum* (Wentoniæ & Eglintoniæ, & Dunfirmelini Comitum) expiscari conatus est.

[c] Dempster. Histor. Eccles. ast. lib. 2. num. 159.

S. Beato condiscipulus adjungitur S. Mansuetus, *Sainct Mansu* vulgo dictus; qui Leucorum genti in urbe [*] Tullensi primus Euangelium annunciâsse traditur. Eum [d] Leo IX. Romanus Pontifex, qui olim Episcopus Tullensi ecclesiæ præfuit, in Sanctorum numerum retulit: ejusq; memoria tum in Martyrologio Romano, tum in Adonis & [e] Petri Equilini Fastis, ad III. Nonas Septembris celebratur. Tullensibus à *B. Petro* destinatum, Robertus S. Mariani monachus in Auriffiodorensi Chronico scripsit: Tullensium primum fuisse Episcopum, *ex eorum annalibus* [f] Franciscus Irenicus retulit. *Primus fuit episcopus Tullensis sanctus Mansuetus, discipulus sancti Petri, socius sancti Clementis episcopi Metensis, natione*

[*] *Toul*, in Lotharingiâ.
[d] Petr. Galesin. Notat in Martyrolog. Roman III. Non. Septembr.
[e] Petr. de Natalibus. l. 1. cap. ult.
[f] Irenic. Germ. Exeges. lib. 3. cap. 49. §. 135.

one Scotus: inquit [g] Antonius Monchiacenus Democharres; & eum secutus Iohannes Chenu, in Tullensium Episcoporum Catalogo. Similiter & Constantinus Ghinius, in Sanctorum Canonicorum Natalibus, Septembr. III. *Tulli in Galliâ Natalis sancti Mansueti episcopi; qui natione Scotus, discipulus autem S. Petri Apostoli, Romæ ordinatus, & cum sancto Clemente episcopo Metense in Galliam missus, apud Tullenses primus resedit episcopus, eosq; verbo, exemplo, ac miraculis ad Christi fidem perduxit; ibiq; requievit in pace.* & [h] Guilielmus Eysengreinius: *S. Mansuetus natione Scotus, ex nobili prognatus familiâ, Simonis Bar-Ionæ Apostolorum coryphæi discipulus, socius B. Clementis episcopi Metensis, à Petro Leucorum in urbe Tullensi primus Antistes consecratus est anno Christi* XLIX.° *Tiberio Claudio Cæsare Augusto Germanico.* & Arnoldus Mermannius, in Theatro Conversionis gentium: *Tullenses habuere Apostolum suæq; in Christum fidei primum antistitem S. Mansuetum, S. Petri apostoli discipulum, S. Clementis collegam, origine Scotum, anno & quod excurrit* LX. *Imper. Nerone.*

[g] Demochar. de Missâ, lib. 2. cap. 33.

[h] Eysengrei in Centenar. 1. part. 1. distinct. 3.

Ad Neronis quoq; tempora refert Petrus Galesinius, sed annum à Christo nato circiter LXX. nominare maluit. Circa XI.um Claudij annum (æræ Christianæ LI.) eum huc se contulisse scribit Tullensis Archidiaconus, Franciscus Rosierius: qui illius Acta fusiùs hunc in modum explicat. [i] *Tullum Leucorum urbem primariam accessit Mansuetus patriâ Scotus, vir nobilis & Christianus, ab Apostolo Petro illuc Româ missus (quem dudùm audierat, fideiq; rudimenta ab eo susceperat) ut verbum Dei evulgaret. Primum quidem ob gentilem superstitionem, inanes & irriti illius conatus fuêre. At quemadmodum Deus vult omnes homines ad agnitionem sui nominis venire ac servari, sic ille permisit, dum ibidem equestres & hastati ludi fierent, ut nobilis puer, qui è speculâ prospectabat, præceps exanimisq; rueret. Cui Mansuetus vitam evidenti miraculo restituit, non sine ingenti totius populi admiratione. Hinc pueri pater,*

[i] Fr. de Rosiers, Stemmat. Lotharing. tom. 2. histor. capital. 22.

qui

qui tunc Lucis præficiebatur, cum suâ gente, sacrâ lotione tinctus est. Hujus viri sancti peregrinationis comites extitere Valerius, Maternus, Eucharius, qui Treueris nostram religionem suaserunt; Clemens Mediomatricibus, aliyq; Rhemis & Cathalaunis, ut Memmius & Felix: quorum animi candor sic profecit, ut universæ Galliæ Idololatriâ rejectâ integram fidem abhinc imbiberent.

Horum omnium Acta (si postremum tantùm excepe-ris) ex Manuscriptis codicibus edidit nuperrimè [k] Narbonensis Præror Franciscus Bosquetus, de Ecclesiæ Gallicanæ Historiâ optimè meritus: & inter ea [l] Mansueti nostri Vitam ab Adsone Abbate jussu Gerardi (qui Gauzlino in Tullensi episcopatu anno DCCCCLXIII. successit, & in Sanctorum numerum à Leone IX. postea relatus est) conscriptam. Cujus Adsonis & ille de Antichristo tractatus est, B. Augustino (in IX.o Operum tomo) perperàm attributus: quem Cantabrigiæ in Collegij Corporis Christi sive S. Benedicti Bibliothecâ vidimus, *Gerbergæ Reginæ* (Henrici Aucupis Germaniæ Regis filiæ, Othonis Magni Imperatoris sorori, & Ludovici IIII. Regis Francorum conjugi) ab *Adsone monacho* dicatum. Ita verò Mansueti nostri originem Adso ille designat. *Eâ tempestate, ut scripturæ documento percepimus, quidam sanctæ indolis fuerat adolescens, nomine Mansuetus, ex transmarinis partibus nobilium quidem Scotorum claræ progenie genitus, sed mentis egregia nobilitate multo preciosiùs insignitus. Qui videlicèt, teneræ adhuc ætatis processu constanter, cum præsagio nominis proveheba-tur culmine sanctitatis; moribusq; vocabulo consonantibus, semper sublimior studebat fieri augmento pietatis.* atq; iterùm. *Ex transmarinis Scotorum finibus has partes* (Tullensium lc.) *moris erat expetîsse multos: inter quos eo tempore vir quidam pauper cum conjuge dicitur accessisse. Antiqui enim temporis multos fama excierat, sua gentis virum sanctissimum Scottigenis peregrè abeuntibus solito potissimum expetendum.* posteaq; pauperis illius rustici verba ista recitat. *O Sancte Dei,*

[k] Bosquet. Historiarū Ecclesiæ Gallicanæ tom. 1. part. 2. edit. Paris. ann. 1636.
[l] Ibid. pag 23. & part. 1. lib. 1. cap. 20.

Scottum inquam te, Scottum & me, genti Scottigenæ propitius miserere.

Desiderantur verò in eâ editione Carmina, quæ in Mansueti laudem huic Operi Adso præmisit: unde illud quidem [m] Dempstero citare libuit;

Protulerat quendam generosum Scotia natum
Mansuetum.

dissimulato interim hoc [n] Tetrasticho; quod non solùm *Scotiam* eandem fuisse cum *Hiberniâ* apertè significat, sed etiam Insulam hanc Mansueti tempore Christianæ religionis cultoribus refertam fuisse haud obscurè subindicat.

Inclyta Mansueti claris natalibus orti
Progenies titulis fulget in orbe suis.
Insula Christicolas gestabat Hibernia gentes:
Unde genus traxit, & satus inde fuit.

Addit præterea Dempsterus, scripsisse Mansuetum *De Apostolicis traditionibus lib.* 1. quem, vel quas, *Tullenses religiosè asservare* comminiscitur. [o] Vitam quoq; S. Mansueti *diserte Eugenium quendam ab eo in Hispanias profectum narrate, ortâ inter illos de rebus sacris levi controversiâ*, asserit. Neq; hoc contentus (quod in nullo tamen edito Vitæ illius scriptore proditum invenio) pro solitâ audaciâ adjicit insuper de suo; *S. Eugenium Scotum, socium S. Mansueti Scoti & cum eodem Romæ S. Petri Apostolorum Principis discipulum, primum in Hispanias verum Dei cultum Apostolicâ sanctimoniâ intulisse, primumq; Toleti Episcopum sanguine suo veritatem signavisse*: hunc deinde, sed fistulâ stramineâ, sibi canens triumphum. *Nos primi patriam eruimus. Quare Scotia Hispania fuerit obstricta; Scotia mihi.* Nam præter ipsum Dempsterum, nemo omnium patriam Eugenio Scotiam attribuit: ut tantillâ occasione datâ, de Eugenij Toletani tempore, varijs nominibus & rebus gestis controversias disceptare, hoc quidem in loco, operæ futurum esset planè supervacaneæ. Neq; etiam majorem meretur considerationem,

[m] Dempster. Histor. Eccles. Scotor. lib. 12. num. 838.

[n] Edovard. Maihew, Tabul. 2. Natal. Benedictinorum Congregat. Anglicanæ. August. 31, pag. 1404.

[o] Dempster. Histor. lib. 5. num. 476.

nem, quod de beneficio Hibernis à Iosepho Arimathæensi tributo, apud Iacobum Valdesium Hispanum legimus. P *Hiberni hoc habent singulare beneficium à Iosepho ab Arimathiâ collatum, quòd nullum est animal venenosum in provinciâ illâ; imò terra ex illâ ad alias regiones adducta liberat ab his animalibus veneno infectis: quod quidam tribuunt ex eo, quod herbas & radices à Salomone demonstratas adduxerit, quibus omnem regionem liberavit hoc damno. Sed ego non sapientiæ Salomonis, nec herbis ab eo edoctis, sed sanctitati eximiæ Iosephi ab Arimathiâ tribuendum censeo.*

P Valdes. de Dignitate Hispaniæ, cap. 16. §. 12.

Adriano Imperatore, aut paulo ante obitum Trajani, in Hiberniâ floruisse *Enchum* & *Achlenam* sive *Athenam* parentes S. Cataldi, & *Dichum virum sapientissimum*; è vetustissimis Tarentinæ Ecclesiæ manuscriptis codicibus refert, in vitâ ejusdem Cataldi, Bartholomæus Moronus. Vitam enim hujus Sancti descripserunt duo Moroni fratres: *Bartholomæus* prosâ; *Bonaventura* versu, editis ad cives suos Tarentinos *Cataldiados* libris sex, quorum hoc exordium.

Utrumq; opus Romæ editum extat, anno Salutis MDCIV, unâ cum Bonaventuræ Moroni Sermone de laudibus S. Cataldi Italicâ linguâ conscripto.

Oceani Divum Hesperij, Phœbiq; cadentis
Immortale decus, nulli pietate secundum,
Prisca Phalantæi celebrant quem jura Senatus;
Externisq; dolet missi glacialis Iberne,
Musa refer: liceatq; mihi, si debita posco,
Florentem juvenem patriis educere tectis:
Ut Solymos fines, sacri & monumenta sepulchri
Cernat, & Oebalias tandem transmittat in arces;
Quò monitus, quò jussa Dei, populiq; ruentis
Cura trahit patrem, nullos peritura per annos.

Dichum verò illum, de quo diximus, spiritu prophetico *Achlenam* parturientem sic allocutum fuisse narrat Bartholomæus. *Bono animo esto felicissima mater; nec dolore partus, mortis propinquæ metu, atq; omnium rerum*

indigentiâ

indigentiâ Dei inclementiam arguas: paries enim filium vere Religionis propugnatorem; nec solùm parentum ac patriæ decus, verum etiam totius Iberniæ ornamentum, necnon exterarum gentium sempiternum præsidium. quæ poëticè hunc in modum expressit frater ejus Bonaventura, in I.° Cataldiados suæ libro.

Constitit ecce autem sacri prope limina tecti
Dichus inops rerum, pietas quem fecerat urbi
Veraq; religio celebrem: qui viderat igne
Accendi æthereo thalamos parientis Achlenæ.
Et verè fax illa Dei, flamma illa Tonantis:
Nam sensus aperit vati, tenebrasq; repellit;
Et tales format peregrino in gutture voces.
Fide, parens felix, tibi nec tua gaudia differ.
Torqueris nunc sola domi, mortisq; propinquæ
Jura subis: pignusq; tuum tibi posthuma proles
Jam pupillaris sentire incommoda sortis
Incipiet; sed ferte diu tua funera nolet.
Nam tantus CATALDVS *erit (venerabile nomen*
Hoc esto) tantum poterit cœlestibus auris,
Ut revocare animam matris modò possit ab umbris,
Et nox ferre alios æterna ad limina vitæ.
Quòd si cuncta licet nostro sermone recondi,
Præsul erit, patriæ lumen, votisq; vocari
Incipiet vivus: morienti immania condet
Templa Taras; vultusq; sacros argentea moles
Exprimet, amissi referens simulacra colossi,
Quam nec Praxiteles sculpsit, nec pinxit Apelles.

Populus enim Tarentinus *argenteam statuam ductilem mitrâ & Pontificijs vestibus, ac pastorali baculo insignitam, quæ justam hominis mensuram impleret, miro artificio, nec parvo impendio elaboravit; in cujus capite cranium Sancti Cataldi inclusum observatur:* ut refert in fine Vitæ illius Bartholomæus Moronus.

De

De eodem Thomas Dempsterus. q *S. Cataldus Scotus ortu, in Knapdoliâ, monasterio sancti Philani educatus: & quia natus in Scotiæ Montanis, quæ Hiberniæ nomen habuerunt, ideò à nonnullis Hibernus audyt. sed vita ejus disertè in Ionâ Scotorum insulâ natum prodit, quæ extat* MS. *in Ambrosianâ Bibliothecâ; ut ex literis* R. P. *Georgij Archangeli Lestei Capucini apparet. Præterea, in Præfatione ad successionem Ecclesiæ Dunkeldensis, Alexander Millius Canonicus ait hunc sanctum in Duncaledonienſi tractu & Dumblanensi diu munia Episcopalia obijsse: idq; probat ex Actis ibidem* MSS. *& ex Veremundo Presbytero.* Quæ partim commentitia sunt, partim ridicula & secum invicem pugnantia. Si enim in *Montanis Scotiæ* natus fuit Cataldus; quî in *Ionâ insulâ* nasci potuit? &, ut de Montanis illis Scotiæ nihil dicam, *Iouam* insulam quis unquam *Hiberniam* appellatam audijt? & quum aliquot post Cataldum seculis Philanus vixerit; quomodo in S. *Philani* monasterio (quod an ullum in Knapdaliâ ille habuerit, valdè dubito) educari potuit S. *Cataldus*?

q Dempster. Histor. Ecclesiast. Scotor. lib. 3. num. 278.

In *Hiberniâ* verò natum fuisse & educatum, non solùm fratres Moroni, r Constantinus Ghinius, & recentiorum alij, sed etiam Versiculi illi confirmant, in Tarentinâ Ecclesiâ ab antiquo decantati:

r Ghin. in Sanctor. Canonicor. Natalibi Mai. 10.

Gaude felix Hibernia, de quâ proles alma progreditur;

item,

Felix Hibernia, sed magis Tarentum,
Quæ claudit in tumulo grande talentum.

Et ne de hodiernæ Scotiæ Montanis (quæ nunquam tamen *Hiberniæ* nomen habuisse certum est) scrupulus aliquis hæreat; in utroq; S. Cataldi Officio, tam Vetere quàm Novo, *Catandum* opidum *Numeniæ* vel *Mononiæ* locus illius natalis constituitur. Est autem *Mumenia* sive *Momonia* notissima nostræ Hiberniæ provincia: in quâ urbs est *Lesmoria*, inter quam & *Catandum* brevissimum interjectum fuisse spatium notat Bartholomæus Moronus.

Ex Cataldi Vitâ, quæ ante Romanum Officium restitutum in choro à Tarentinis clericis legebatur, eorum civis Iohannes Iuvenis, in libri VIII. de antiquitate & variâ Tarentinorum fortunâ capite II. ista recitat. *Beatus Cataldus ex partibus Hiberniæ, quæ suis & ipsa gloriatur in Domino & lætatur Sanctis, opido Numeniæ Catando, patre Eucho, matre Athenâ, honestis quidem inter cives natus.* Similiter & in Novo legimus Officio; quod à Guilielmo Sirleto Cardinali jussu Gregorij XIII. reformatum, Romæ primùm anno MDLXXX. deinde jussu Bonifacij Cardinalis Caëtani archiepiscopi Tarentini recognitum ac repurgatum, ibidem anno MDCXV. denuò est editum. *Cataldus Hibernus opido Numeniæ (Mononiæ* habet secunda editio Romana, pro *Momoniæ) honestis parentibus natus, ab infantiâ Dei præventus benedictione sanctitatis indicia præbuit.* [f] Petrus Equilinus eodem nomine & Opidum natale & ipsum Sanctum nuncupat; *Cataldum episcopum ex Hiberniæ partibus, opido quod dicitur Cataldus, patre Eucho matre Athenâ exortum fuisse* scribens.

[f] Petr. de Natalib. lib. 4. cap. 143.

Adolescentiæ studia Romanum Officium ita explicat. *Adolescens liberalibus disciplinis eruditus, ad eam brevi doctrinæ excellentiam pervenit, ut ad ipsum audiendum Galli, Angli, Scoti, Theutones, aliq́ finitimarum illarum regionum quamplurimi Lesmoriam convenirent. Sed cùm scientiarum omnium notitiam, nisi sincero cordis affectu puroq́ mentis intuitu ac pietate in Deum fulciretur, inanem esse duceret; totum se ad Christi cultum & imitationem convertit.* & Bartholomæus Moronus. *Crescebat interim puer; atq́ adeò ad optimos mores, & sanctissimas disciplinas indies proficiebat, ut omnes fœcunda virtutum semina, & egregias animi doles cum ipso natas & alias esse judicarent. Et, ne quid ad perfectissimi hominis deesset exemplar, tantum in sacrarum litterarum assiduâ lectione ac meditatione processit; ut omnes in sui admirationem raperet. Cumq́ non posset civitas abscondi supra montem posita, undiq́ ex finitimis ac remotis*

regio-

regionibus innumeri penè homines Lesmoriam, ubi tunc ille studiorum causâ degebat, celeriùs convenirent, ac præsentes experirentur, beatissimi Cataldi virtutes esse & famâ & invidiâ longè majores: quæq; potiùs laudatorem quærerent, quàm admitterent æmulatorem. & Bonaventura Moronus, libro 1.º Cataldiados:

Interèà pueri nomen crescebat, & ætas:
Nam niter egregij vultus, & prævia virtus
Signa dabant tantæ ventura in tempora sortis.
Duplex cura fuit juveni; præcepta Tonantis
Servare, & studijs impendere tempus amicis.
Hinc crescit Domini cultus, reverentia legum,
Religionis honos, hinc vera divite manant
Ingenij fructus, & veræ præmia laudis.
Sic vitæ pars nulla perit: sic conscia facti
Anceps turba diu fluitat, quæ major in illo
Doctrina, an pietas: tamen hic crescebat utraq;;
Et pariter virtus virtutem agnata fovebat.
Spargitur occiduas sensim vaga fama per urbes,
Huic juveni primis tantum conatibus omnes
Concessisse viros, eadem quos edidit ætas,
Quantum ignes superat Phœbe jam plena minores.
Undiq; convenient proceres; quos dulce trahebat
Discendi studium, major nam cognita virtus,
An laudata foret. Celeres vastissima Rheni
Iam vada Teutonici, jam deseruere Sicambri:
Mittit ab extremo gelidos Aquilone Boëmos
Albis, & Arverni coëunt, Batavíq; frequentes,
*Et quicunq; colunt altâ sub rupe * Gebennas.*
Non omnes prospectat Arar, Rhodaniq; fluenta
Helvetios: multos desiderat ultima Thule.
Certatim hi properant diverso tramite ad urbem
Lesmoriam, juvenis primos ubi transigit annos.
Mirantur tandem cuncti, quòd cognitus heros
Spe major, famâ melior, præconia laudum

* i. Genevam, *apud lacum Lemannum; ubi Cataldum ejus urbis præsulem ac professorem adorant:* inquit Raph. Volaterranus, Commentar. Urban. lib.º 3.º

Exuperet, nullumq; parem ferat æmula virtus.

Et posteà:

Cataldus, plebi juvenis sat notus Iernæ,
Quis referat quanta hîc edat miracula, quales
Hinc abigat pestes, quantorum corda virorum
Instruat exemplo, quot mulceat ore diserto?
Jam videas populos, quos abluit advena Rhenus,
Quosq; sub occiduo collustrat cardine Mundi
Phœbus, Lesmoriam venisse; ut jura docentis
Ediscant, tituliſq; sacrent melioribus aras.

Narrant deinde Biographi, Cataldum Regis jussu Lesmoriæ comprehensum, abductumq; inde, & catenis vinctum, in tenebricoso carcere detentum esse: tandem verò mortuo Meltridis Duce, ab eodem Rege (divinitùs per quietem eâ de re admonito) liberatum & Meltridis Ducatu donatum esse. Ducem illum Meltridis, *Regis animum contra innocentissimum virum sæpenumero concitâsse*, refert Bartholomæus Moronus. Ipsum verò Regem apud Ultonienses egisse, innuunt illi Bonaventuræ Moroni in primo Cataldiados suæ versiculi.

Postera fulgebat roseis Aurora quadrigis,
Cùm videt Oltonios consurgere navita portus
Fluctibus è medijs; unde improbus ante Tyrannus,
Illusus Furijs, geminas emiserat alnos.

Duo intelligit navigia, quæ Lesmoriam ad abducendum Cataldum ab eo missa dixerat. In Officio Cataldi reformato, ita rem narratam invenimus. *Rei eventu territus Rex, Cataldum illicò solvi, & ad se perduci imperat. Cumq; veniam ab eo petijsset, eum rogat ut episcopatum Rachan accipiat, cui & Ducatum Meltridis donat. Itaq; Ducatum Sanctus Cataldus in duodecim episcopatus distribuens, de suo Episcopio Archiepiscopatum fecit.* In Vitâ ejusdem per Bartholomæum Moronum conscriptâ similiter. *Cataldum* Rex *adduci jubet; veniam ab eo cum lachrymis petit: atq; illum, quamvis obstinatè renuentem, Meltridu Du-*

cem

cem in demortui locum designat. Cataldus tum Diaconus, cùm Dei ministerium cum Regijs insignibus commutare nollet, in Episcopum eligitur. Quod non modò Rex libentissimo animo approbavit, sed etiam Ducatum Meltridis in perpetuum Ecclesiæ concessit: quem duodecim Episcopis Cataldus distribuens, Episcopalem suam sedem in Archiepiscopalem evexit. quod postremum frater Bonaventura, in II.° Gataldiados suæ, sic expressit.

At quoniam se tanto oneri, rebusq; gerendis
Non putat esse parem; sacras partitur habenas
Bis senis socijs: quos, totâ è Meltride lectos
Egregiâ virtute animi, dia lemata nectunt.
Cataldus mox ipse mitrâ meliore decorus
Eminet Antistes, duodeno Præsule cinctus.

Eandem historiæ partem Iohannes Iuvenis sic enarrat. *Rex defuncti ducis provinciam Ecclesiæ quæ etiam tunc erigebatur, cuiq; Cataldus construendæ præerat, in perpetuum concessit. Erat dux ille Meltridis Dominus. Sanctus igitur acceptam provinciam in duodecim Episcopatus distribuit; & suum Episcopium Archiepiscopatum faciens, Rachau Archiepiscopus fuit dictus. Cumq; Rachaensi Ecclesiæ multos præfuisset annos; & verbo & exemplo nunquam destitit alios ad fidem trahere, alios jam tractos confirmare.* Petrus Equilinus ita. Rex *ducatum Ducis defuncti Ecclesiæ quæ fabricabatur in perpetuum concessit. In quâ Ecclesiâ Cataldus post breve tempus archiepiscopus electus est: qui laudabiliter vivens, XII. sibi suffraganeos episcopos constituit; & totam insulam verbo & exemplo ad Christi cognitionem adduxit.* Et id quidem scribit etiam (hunc, ut videtur, secutus) Bartholomæus Moronus: *Nullum in universâ penè Iberniâ relictum esse, qui veræ religionis cultum non addisceret.* Verùm universalem Hiberniæ ante B. Patricij adventum conversionem Historiæ veritas nullâ ratione potest admittere.

Itaq; in [t] Officio reformato, majore cum verisimilitudine, *universam Rachau provinciam suâ prædicatione ad Christi fidem perduxisse* Cataldus dicitur. Nam, ut in Antiphonâ canitur ibidem: *Hunc Racuensis ecclesia Pontificem primum suscepit; quem Tarentina patrem amabilem postea complexa est.* & à *Rachau* ([u] *in Mononia* seu Moniæ *partibus quondam non obscuri nominis urbe*) cognomentum ille accepit. [x] Cùm enim Drogonus archiepiscopus Tarentinus sepulcrum Cataldi aperuisset, Crucem in eo auream inveniſſe dicitur,

——— *y crucem gemmis auroq; nitentem;*
Nomen ubi exculptum Rachuensis præsulis atus
Nostra legit, totusq; Taras promulgat in orbem.

[z] Pendet enim ea hodie ante pectus statuæ illius argenteæ, quam S. Cataldo populum Tarentinum posuisse diximus; hasq; literas insculptas gerit: CATALDVS RACHAV.

Atq; hæc sunt quæ in Cataldi Actis ad nostram pertinent Hiberniam. Reliqua enim partim profectionem illius Hierosolymitanum & legationem Tarentinam, atq; res in utrâq; gestas spectant; partim reliquiarum ejus primam Inventionem Drogoni, & Translationem Giraldi archiepiscopi factam temporibus. De *Prophetiâ* etiam ejusdem, quæ anno MCCCCXCII. in lucem primùm prolata fuisse dicitur, ex codicibus Ecclesiæ Tarentinæ, Alexandri ab Alexandro libro III. Genialium dierum, capite XV. & Petri Galatini libro VIII. de Ecclesiâ destitutâ, capite I. plura addit Bartholomæus Moronus: licèt ejus Vaticinij inventionem ad annum MCCCCXCIIII. (perperàm, ni fallor) incertus quidam Annalium scriptor, de morte Ferdinandi I. regis Aragoniæ & utriusq; Siciliæ mentione factâ, ita retulerit. *Isto anno fuit repertus Tarenti liber Sancti Cataldi consistens in tribus laminis plumbeis, videlicèt duabus extremis semiscriptis & mediâ scriptâ ex utroq; latere; qui præsentatus fuit Domino Regi, loquens de dicti Regis repentinâ morte: & sic fuit*

[t] Offic. à Card. Sirleto & Cætano edit. in festo S. Cataldi, Mai. 8. lection. 5.
[u] Barthol. Moron initio Vitæ S. Cataldi.
[x] Id. circa finem, Offic. reformat. in festo Inventionis S. Cataldi, Mai. 10. lection 4.
[y] Bonaventur. Moron. in ipso fine VI. & ultimi libri Cataldiados.
[z] Barthol. Moron. in fine Vitæ Cataldi.

fuit repentè mortuus.

Antonius Caracciolus, à quo Annales isti Neapoli anno MDCXXVI. (cum quatuor alijs antiquis Italorum Chronologis) sunt editi, in *Nomenclatore* propriorum nominum quam editioni suæ præfixit, de ætate Cataldi ista subjicit. *Vixit S. Cataldus, non anno Christi 150. (ut Iuvenis opinatur in Præfat. ad Histor. Tarent. & lib. 8.) sed, minimùm, post ann. 326. quo Christi sepulcrum, quod Cataldus in Palæstinam abiens veneratus esse legitur, à B. Helenâ Augustâ repertum est. Fortassis etiam elicitur ex ejusdem vitâ gestisq; ipsum floruisse post Gothorum in Italiam adventum, hoc est, post ann. Christi 500.* Ita ille: hâc de re *aliâs diligentiùs atq; fusiùs* se acturum promittens. Iohannis verò Iuvenis in Præfatione ad Cives suos Tarentinos, de tempore Cataldi verba hæc sunt. *Reversos ad idolorum cultus, ut canis redit ad vomitum, Tarentinos centesimo & sexagesimo anno post Domini ad patrem ascensum, Aniceto Syro tunc Pontifice maximo, beatus Cataldus ab Hiberniâ usq; exteri maris insulâ oriundus ad pristinam revocavit fidem.* In octavo autem Historiæ suæ libro, capite II. ex antiquâ S. Cataldi Vitâ tempus ita delineat. *Erat annus Domini centesimus & sexagesimus sextus, quando Divus Cataldus Tarentum ingressus est. Sedem Petri tenebat tunc Anicetus Syrus, qui sedit annos novem (à LXII.o usq; ad LXXIII.um post centesimum à Christo nato) martyr in quartâ Ecclesiæ persecutione, Imperatoribus M. Antonino Vero & L. Aurelio Commodo.* A quo non multum recedit Bartholomæus Moronus, sic tempus explicans. *Fuit, cùm Cataldus Tarentum ingressus est, annus à partu Virginis septuagesimus circiter supra centesimum; cùm Ecclesiam Dei regeret Anicetus Syrus, & Antoninus Philosophus Romæ imperaret.* quò & alterius fratris Bonaventuræ versus illi referri poterunt, sub exitum libri II. Cataldiados:

Syrus Anicetus sacrarum pondera rerum
Sustinet, & Princeps Aurelius eminet Orbi.

Dempsterus floruisse dicit anno CCCLXI. quem annum esse

esse putat ejus *depositionis*. Alexander ab Alexandro, in loco jam citato, *sanctum Cataldum abhinc annis mille Pontificem Urbi Tarentinæ præfuisse* scribens, circa annum Christi quingentesimum claruisse eum significat. licèt ut eo tempore Tarentini à Christianæ fidei professione ita fuisse credantur alieni, ac nobis Cataldi Acta eos exhibent, nemo prudens facilè concesserit.

S. *Cataldo* comes adjungitur frater ipsius S. *Donatus*, primus Lupiensium in Italiâ Episcopus: cujus ita meminit Bartholomæus Moronus. *Alij existimant Cataldum, priusquàm Tarentum accederet, in Iapygiam devenisse cum Donateo, quem primum Episcopum Lupiensem faciunt & Sancti Cataldi fratrem; atq; simul aliquandiu solitariam vitam vixisse juxta opidulum, quod posteà à Sancti* (Cataldi) *nomine nomen accepit.* Eam opinionem (ut apud Iohannem Iuvenem legitur) *dicunt referri à Iacobo Antonio Lupiensi in historiâ: sanctum scilicèt Cataldum ad Iapygiam venisse, comitem habentem germanum fratrem Donatium primum Lupiensium Episcopum; & per quatuordecim annos vitam cum illo eremiticam egisse prope opidum, quod ab ipso nomen accepit* (*hodieq; adhuc extat*) *Sanctus Cataldus, ad decem milia passuum ab Hydrunte remotum.* Hunc autem Donatum [a] Dempsterus, suo more, scripsisse fingit; *Ad Lupienses Homiliarum* librum 1. & *Ordinationum Ecclesiæ* librum alterum.

[a] Dempster. Histor. lib. 4. num. 388.

Kalendis Decembribus, *in Castro Ambasio sancti Florentini presbyteri & confessoris, miræ virtutis viri*, memoriam celebrari notat, in Additionibus ad Usuardi Martyrologium, Iohannes Molanus. Ejus Vitam legimus, *ex antiquis voluminibus Capituli ejusdem S. Florentini in opido Ambasia fundati desumptam*: in quâ genus ejus ita descriptum invenimus. *Gloriosus Christi confessor Florentinus in Hiberniâ oriundus, solicitudine etiam quâ debuit à suis parentibus Theophilo videlicèt & Benignâ benigniter educatus, Dei gratiam à primis infantiæ cunabulis accipere meruit.* Tum, relictâ patriâ, Florentinum Romam pervenisse scribit

scribit auctor, quo tempore *Claudius Cæsar Christianorum atrocissimus persecutor Imperij Romani culmen adeptus* est: ibiq; Claudij jussu ab Asterio quodam in vincula conjectum, ipsum Asterium cum uxore & totâ familiâ ad Christum in carcere convertisse; viroq; ac fœminas numero nonaginta sex à se baptizatos ad *sanctum Calixtum, eo tempore Sedis Apostolicæ summum ac sanctissimum sacerdotem*, confirmandos allegavisse. Quæ *Calixti* mentio, si alia non obstarent, circa annum Christi CCXX. gesta esse ista facilè persuaderet. præsertim cùm Calixti sive Callisti hujus corpus è puteo in quem demersus fuerat post dies quatuordecim eductum, ab Asterio presbytero in cœmiterio Calepodij sepultum esse, eámque ob causam ipsum Asterium post dies sex, jussu Alexandri Imperatoris Mammææ filij, è ponte præcipitatum fuisse. [b] Callisti Acta confirment. Verùm has rationes interturbat, quod in Vitâ Florentini de *Claudij Cæsaris* imperio præcesserat, multoq; magis quod sequitur; *Theodebertum & Clotharium* eo tempore in Gallijs regnavisse, S. *Germanum* Parisiensium & S. *Gildasium* * Ruthenensium Pontificem extitisse, *Arianorum & hæreticorum perfidiam totam ferè Aquitaniam polluisse*, & ejus generis alia. Ut in tantâ rerum & personarum confusione, quâ S. Florentinus ætate vixerit, dictu non sit proclive.

* Tomo 7. Vitar. Sanctor. à Iacobo Mosandro edit. ad diem 14. Octobr. cum Martyrologio Bedæ & Adonis, prid. Id. Octobr. & XII. Kalend. Novembr.

* Rodez, sub Bituricensi metropoli.

S. Firminum Scotum, in patriâ ab Honesto presbytero educatum, ad S. Honoratum Tolosanum Episcopum missum, multos in Aquitaniâ ad fidem convertisse; & demùm apud Ambianenses, quorum primus factus est Episcopus, anno ætatis suæ LXIV. salutis humanæ CCC. Septembris die XXV. martyrij palmam percepisse, scribit [c] Dempsterus. Et eo quidem Septembris die, *Ambiani in Galliâ beati Firmini Episcopi, qui in persecutione Diocl. tiani sub Rictiovaro Præside post varia tormenta capitis decollatione martyrium sumpsit*, memoriam celebrari in Romano Martyrologio legimus. Verùm ad anteriora tempora referunt eum alij: inter quos & Pseudo-Dexter est,

[c] Dempster. Histor lib. 6. num. 512. & lib. 8. num. 643.

in Chronico suo ad annum Christi CX. ita annotans. *S. Firminus Pampilonensis civis & Episcopus, discipulus S. Saturnini S. Petri similiter auditoris, Ambiani sub Iuliano Præside patitur: priùs tamen per Hispanias Toletum usq; prædicans, provinciam longè lateq; pervasit.* & Heleca Cæsaraugustanus in Additionibus ad Maximum. *Celebris apud Vascones memoria S. Firmini Episcopi primi & Apostoli Pampilonensis; qui passus est in persecutione Antonini Pij, die* VIII. *mensis Octobris. Fuit consecratus ab Honorato Episcopo Toletano, & aquis salutaribus tinctus à S. Saturnino Episcopo Tolosano S. Petri Apostolorum principis discipulo, misso prædicatum Tolosam.*

De *Firmo* quoq; Pampilonensi Senatore, *Honesto* presbytero, & hujus discipulo illius verò filio *Firmino*, in Actis Saturnini habentur ista. *Firmus cùm jam totus Christi subditus esset dominio, & maximus haberetur in comitatu Pampilonico, tradidit filium suum primogenitum Honesto presbytero, Saturnini clientulo: & doctus est ab illo omni litera'i judicio, omniq; fidei commercio; & multo post tempore Episcopus est ordinatus ab Honorato* * *Toletano Præsule, Saturnini successore. Qui Firminus triginta transacto annorum curriculo, Agonensem Urbem adyt, & cum Astario quodam presbytero magnum acquisivit ibidem populum Christo. Postmodùm multum alumnicorum populum* (Pampilonensium sc.) *convertit ad Dominum. Vigerium posteà transmeans amnem, Andegavinam perrexit ad Urbem, & magnam ibi Deo militare fecit Gentilium plebem. Germanicam tandem iens in partem, Beluacensem ingressus est civitatem: ibiq; manens Episcopus electus à credentibus, multos revocavit ab idolorum culturâ. Ambianensium verò deinde vadens ad opidum, ter millenos Deo sociavit animas. Ad ultimum decollatus est in carcerali ergastulo.*

* A Gallis in Tolosano Episcopatu Honoratus Saturnino successisse dicitur.

Refert ista ex S. Saturnini Actis ineditis Franciscus Bivarius, in suo ad citatum Dextri locum Commentario; ubi S. Firminum Pampilonensem civem fuisse, tum ex scriptorum omnium qui gesta ejus scripserunt consensu

sensu, tum ex ipsius Ecclesiæ Pampilonensis Officijs Ecclesiasticis declarat: quod & Claudius Robertus confirmat, in Ambianensium Episcoporum Catalogo; & antiqua S. Firmini Acta [d] à Francisco Bosqueto edita, in quibus ille *Hispanus genere & civis Pampelonensis* expressis verbis nominatur. Quibus igitur auctoritatibus fretus Dempsterus, eum in Scotorum album retulit? *Hagiologorum* scilicèt, à quibus *in Hibernia partibus ortus* dicitur; & *Scotichronici*, ex cujus lib. IV. cap. IX. verba producit ista. *Hoc tempore in Gallia Firminus docebat. Ambianorum primus Episcopus.* Atqui Scotum fuisse illum, auctor iste non dicit: & aliarum nationum viros celebres in Scotichronico passim commemorari Dempsterus non ignorabat. Nec quid Hagiologorum *Hibernia* pro Dempsteri *Scotia* faciat, videre possumus: nisi putidum illud postulatum simul concedamus; quòd *priori ævo à scriptoribus Hibernia sumatur pro Scotia*. Nam *Scotiam* ab illis sumi pro *Hibernia* si dixisset; rem ipsam acu tetigisset.

[d] Histor. Eccles. Gallican. tom. 1. part. 2. pag. 152. 153.

Ex Hagiologijs verò duo tantùm protulit Dempsterus hîc loca: ex Constantini Ghinij Sanctorum Canonicorum Natalibus unum; ex Petri Equilini Sanctorum Catalogo alterum. Sic enim ad XXV. Septembris diem Ghinius. *Ambiani in Gallia S. Firmini, primi ejusdem civitatis episcopi, & martyris: qui ex Hibernia patribus ab Honesto presbytero literis eruditus, & à Tolosano episcopo ordinatus, apud Andegavenses, Belvacenses, & alios populos verbum Dei prædicans, multos ad Christi fidem convertit; Ambiani autem factus episcopus, brevi ferè omnes convertit & baptizavit, Ecclesias construxit, & pro fide Christi sæpe tentus & flagellatus, sed Dei ope servatus, tandem in persecutione Diocletiani, sub Rictiovaro præside post varia tormenta capitis decollatione martyrium sumpsit, circa annum Dom. CCC.*

Petri Equilini verba (quæ integra Dempsterus exhibere noluit; ne inde Firminus, neq; Scotus neq; Hi-

bernus, sed Navarrenus fuisse proderetur) hæc sunt.

[c] Petr de Natalib. lib. 8. cap. 129.

[c] *Firminus presbyter & martyr apud Ambianum passus est sub Longino & Sebastiano præsidibus: qui ex civitate Hiberniæ, quæ dicitur Pampilonia, ortus patre Firmo senatore, cùm adhuc esset puer traditus est Honesto presbytero sacris literis imbuendus.*

Quibus, ut erroris patefaciamus originem, & illa [f] Vincentij Bellovacensis *ex gestis Firmini* antiquioribus descripta nos adjungimus. *Sub Diocletiano & Maximiano trat in urbe Iberiensi, quæ dicitur Papilonia* (*Pompiloniam* habet, qui Vincentium hîc excripsit, [g] Claudius de Rotâ) *Senator nobilis in ordine primus, & nomine & opere Firmus, qui filium suum Firminum Honesto presbytero tradidit, divinis literis imbuendum. Qui Firminus annorum decem & septem in sanctitate & doctrinâ proficiens, ac pro Honesto jam sæpe prædicans, ab ipso ad Honoratum Tholosanum Episcopum missus est, ut ab eo ordinatus Episcopus Christum ubique gentibus prædicaret.* Pampilonam verò Hispaniæ civitatem, & Navarræ metropolim esse, nôrunt omnes: Hiberiæ deinde nomine designatam Hispaniam, & pro *Hiberiâ* librariorum incuriâ *Hiberniam* substitutam, nos non semel observavimus. [a] Ita, ubi adversùs Luciferianos scribit Hieronymus: *Nimirùm adversarius potens concessit Christo Hiberiam, & Celtiberos, Isiridos homines.* alij pro *Hiberiâ* legunt *Hiberniam*: ut Erasmus notat. Et in *Hiberniâ* nostrâ Galbam imperium invasisse credidit Arnoldus Mermannius, vulgatas Eusebiani Chronici editiones secutus: quum MSS. codices, & ex eis emendata Arnoldi Pontaci editio, *Hiberiam* nobis hîc exhibeant, id est, Hispaniam. Ut de Iohanne Lelando nihil dicam qui, in Commentarijs ad Cygneam suam Cantionem, Hiberniam *Iberiam* appellandam esse censuit: in ipso quoq; Pœmate de Hibernis ab Henrico VIII. in fidem receptis ita canens.

[f] Vincent. Specul. Historial. lib. 12. cap. 79.

[g] Claud. Rot. Addit ad Legend. aur. cap. 205.

[a] Vid. supr. cap. 1. pag 7.

Fractos undique pœnitendo Iberos
Silvestreis domuit, suâve legis

Petra

Ferre & perdocuit jugum Britannæ:
Quæ victoria comparanda magnis.

Sub eodem Præside S. Firminum & S. Macram martyrium subijsse, Romanum tradit Martyrologium: in quo, ad VI. diem Ianuarij, habetur annotatum. *In territorio Remensi, passio S. Macræ virginis: quæ in persecutione Diocletiani, jubente Rictiovaro præside, cùm in igne nesset præcipitata & permansisset illæsa, dehinc mammillis abscissis & squalore carceris afflicta, super testas etiam acutissimas ac prunas volutata, orans migravit ad Dominum.* Similiter & Flodoardus, in Ecclesiæ Remensis historiâ. [h] *Passa est in hoc Remensi pago beata Macra virgo sub Rictiovaro Præfecto. quæ post insuperabilem Christi confessionem gravissima tormenta perpessa, post mammillarum abscissionem, & repentinam curationem per Angelicam in carcere visitationem, dum super prunas & testulas accensas nuda volutaretur, cum precibus & gratiarum actionibus immaculatum Deo reddens spiritum, ac triumphans adversarium, læta petijt cœlum.* Sub Rictiovaro quoq; passam docent Bedæ, Usuardi,, Adonis & Notkeri Martyrologia: nec non Vincentius & Petrus Equilinus. Verùm [i] hic *in civitate Augustanâ martyrium passam* esse dicit: [k] ille *ex gestis* Martyris refert, *Rictiovarum venientem in civitatem Augustanam, comperisse Macram virginem Christum incredulis prædicantem*; passam tamen subjicit *in territorio Remensi, & haud procul à loco illo corpus ejus sepultum* fuisse.

[h] Flodoard. lib. 4. cap. 51.

[i] Petr de Natalib. lib. 2. cap. 50.

[k] Vincent. Specul. Historial. lib. 12. cap. 142.

De eâdem Thomas Dempsterus. [l] *S. Macra vel Magra sive ut alijs visum, Machra Regis Scotiæ filia, ac sanctissimi Guthagoni soror; cum quo patriam voto peregrinationis egressa, in valetudinem gravem prolapsa, Romam pergere non potuit; sed ubi frater discessit, in Pago quodam Fismes convaluit in agro Remense. (ubi habitum posteà Concilium sub annum* DCCCCXXXV. *dictumq; Remense Tom.* III. *Concilior. Nicolao Chesnau autore.) Sub hoc temporis Virgo beata sanitati restituta est; disquisitio per Rictiovarum Galliarum sub Diocletiano & Maximiano Augustis præfectum*

[l] Dempster. Histor. lib. 12. num. 830.

ctum de Christianis institui cœpta; & inter alios Macra Scota comprehensa, nec minis nec supplicijs deterreri potuit quin in sanctâ fidei observatione perseveraret. Hæc ex Continuatore Veremundi presbyteri Epistola Ioannis Fraserij ad Adamum Blucuodeum, apud Gilbertum Brunum in Collectaneis. Addit Dempsterus illam passam anno CCC. atq; *uno anno citiùs Guthagonum fratrem excessisse. siquidem,* inquit, *inter sanctos nostrates ille refertur sub annum* XCIX. *à Iacobi Cheinei tabulis: & consentit Calendarium Adami Regij. Collectanea Bruni & Continuator Veremundi in annum* CCXCIX. *rejiciunt: quod ex Macra historiâ verius esse convincitur.*

[m] Meyer. ad ann. 1159. & 1444.

S. *Guthagoni* meminit [m] Meyerus in Flandriæ annalibus, Gazetus in Historiâ Ecclesiasticâ Belgij, & Molanus in Natalibus Sanctorum Belgij: ubi ad III. diem Iulij, ex Oostkerckensis Breviarij lectionibus ista recitat. *In Oostkerckâ, burgo Flandriæ, sancti Guthagoni confessoris, regis Scotiæ; qui ibi peregrinus pro Christo, in pace quievit. Hic sicut suæ posteritati antiquitas reliquit, creditur dum viveret regalis fuisse dignitatis, sed considerans omnia esse vanitatem, quæ sub cœlo sunt, in Flandriam pervenit. Ubi circa littora maris in vicinio de* Knocken *aliquandiu sanctè est conversatus, & à clericis ac laïcis Oostkerckæ cum devotione sepultus, in occidentali parte cœmeterij. Sed Domino per eum crebra miracula faciente, corpus juxta ecclesiam est majori veneratione reconditum, & capella super eum constructa, ubi nunc est ecclesiæ campanile. Ghillo autem, qui eidem sancto adhuc viventi familiariùs adhæserat, ab eo jam defuncto avelli non potuit. Qui etiam creditur post mortem claruisse miraculis. Nam tempore Gregorij Curati dictæ ecclesiæ, qui postea in Ordine Prædicatorum fratrum sanctè vixit, manum aridam cuidam, ab eo misericordiam imploranti, restituit. Unde dictus Gregorius metricè scripsit;*

[n] Dempster. Histor. lib. 7. num. 584. & 585.

Contracto Ghillo scit opem conferre pugillo.

Utrumque anno CCXCIX. depositum [n] Dempste-

rus

rus scribit, Guthagonum etiam anno CCXLVIII. natum; *Findochi* utique (si illi credere libeat) XXXI. Scotorum *Regis filium, fratrem Donaldi* II. *& Crathlinti, nepotem Athirconis Regum*. Atqui Scotorum historici Donaldum Crathlinti non fratrem sed patruum faciunt, * Regesq; istos Christianam religionem coluisse volunt: quum Guthagonum tamen *relegatum à Rege patre propter fidei catholicæ professionem, in Flandriâ migravisse ad Dominum*, Historia Scotica MS. apud Gilbertum Brunum, à Dempstero citata, referat. Et sive *Scotiæ Rex* ille fuerit (ut Oostkerckensium fert traditio) sive *Regis Scotiæ filius* (ut in Fastis suis Belgicis ait Miræus) non aliam ea tempora noverunt Scotiam, quàm Hiberniam. Ut ad illam Philippi Ferrarij conjecturam confugere nihil hic opus fuerit, ° fortè pro *Hibernià* scriptam fuisse *Scotiam*: *quod usu*, inquit, *evenire non semel animadvertimus*. Fallumq; omninò est, quod à Dempstero pro concesso sumitur, *nullum in Hirlandiâ* (sic enim barbarè eam appellare ille maluit quàm, cum Cæsare & alijs Latinè loquentibus, *Hiberniam*) *Catholicum aut Christianum, bonum aut malum, hæreticum aut schismaticum, marem aut fœminam, puerum aut senem, qui veram pietatem profiteretur*, hoc tempore extitisse: nec minùs vanum, quod ad illud confirmandum postea subjicit, *quod Hirlandorum traditio habet, ancillam Piscicam Evangelium enunciâsse in Hirlandiâ primam, id non nisi post Guthagoni migrationem annis* XXXVI. *scilicèt anno Sal.* CCCXXXV. *ut Camdenus, Campianus ante eum, & utroq; posterior Ioan. Antonius Maginus* habet, contigisse.

Nam neq; Campianus (ex quo reliquos hoc hausisse fingit ? Dempstetus) ejusmodi quicquam habet, neq; ulla talis apud Hibernos extat traditio: & Scoticos suos annales, non nostros Hibernicos, hujus rei testes citat Hector Boëthius. *Hiberniam*, ? inquit, *unde Scotis origo, per id tempus Christi cultum accepisse ferunt. Res à modico principio orta, ut nostratium scribunt nonnulli, miraculis coaluit.*

* de quib suprà, cap 13. pag. 617. 636. 640.

° Ferrar. Catalog. general. Sanctor. qui in Martyrolog. Rom. non sunt, Iuli, 3.

? Dempster. Histor. lib. 6. num. 522.

? Boëth. Scotor histor. lib. 6.

coaluit. *Mulier Christiana pietatis cultrix (Pictici eam fuisse sanguinis Scotici asseverant annales) Reginæ insinuavit, Christi nomen illi mirificè prædicavit, reverendumq; effecit. Regina regem docuit: Rex universum populum.* Quanquam ille etiam fortassè, non tam Scoticos annales, quàm Antonium Coccium Sabellicum nominare debuisset; ex quo narrationis hujus singula penè verba transscripsit. Ipse verò Sabellicus non alium secutus est hic auctorem, quàm *Philippum Eremitanum* (sic enim appellat Iacobum Philippum Bergomensem) qui in libro IX.o Supplementi Chronicorum ad annum Dom. CCCXXXVIII. ita scribit. *Hiberniæ, aliàs Hiberiæ provinciæ, quæ hodie Scotia nuncupatur, in Aquilonari parte constituta, hoc anno fœdera verbi Dei & Christi fidem miraculosissimè susceperit: & mulierculæ quædam Christianæ ibidem captivæ, hujus tanti boni causam præstitit.* Tum notissimam illam de Iberorum Asiaticorum conversione historiam commemorat; quam ex relatione Bacurij gentis ipsius Regis, Rufinus expositi lib.o I.o Histor. Ecclesiast. cap.o X.o & post eum cæteri Historiæ Ecclesiasticæ scriptores, Socrates lib. I. cap. XVI. Theodoretus lib. I. cap. XXIV. & Sozomenus lib. II. cap. VI.

[r] Sabellic. Enead. 7. lib. 8.

Neq; aliam à Philippo gentem intellectam, ex eo manifestum est, quòd *hos Scotos seu Hiberos hodie Georgianos populos appellari* addit, & cum *Armenijs ac Colchis unâ sub provinciâ sive regione conjungi.* Verùm illa à nobis, ubi de *S.* Firmino egimus, notata similitudo nominum *Hiberiæ* & *Hiberniæ* (quæ vetus *Scotia* est) homini situs orbis terrarum ignaro sic imposuit; ut disjunctissimos populos pro unâ & eâdem gente acceperit. Sed & conversionem Iberiæ Asiaticæ ad nostros traduxit, ante Philippum, Wernerus Laërius; in temporum suo Fasciculo *Hiberniam conversam ad fidem per quandam ancillam captivam* annotans: erroremq; deinceps mirum in modum auxit Arnoldus Pontacus; S. Palladium simul & S. Patricium à Theodosij Junioris ad Constantini Magni

gni tempora retrahens. Sic enim ille in Chronographiâ suâ; quam Genebrardus posteà interpolavit, sed à fœdo hoc anachronismo non repurgavit. *Iberi prædicationibus S. Patricij (qui anno vitæ suæ* CXXII. *obijt) fidem Christi recipiunt. Scoti quaq; quorum primus fuit episcopus Palladius missus à Celestino Papâ.*

Neq; minore peccavit prochronismo Sigebertus Gemblacensis, quum sub Constantini Magni filijs *Sedulium* nostrum claruisse scribit: quâ ratione, ipso quoq; Constantino imperante, *Hildebertum* (quem eundem cum *Hildeberto Cenomanensi* Episcopo, pudendo sanè errore, facit * Dempsterus) *Scotorum archiepiscopum* extitisse dicendum esset; si illius, ut vult Trithemius, *ab ineunte ætate discipulus* fuit Sedulius. Sigeberti de ætate & scriptis Sedulij verba hæc sunt. f *Sedulius Episcopus ad Macedonium presbyterum scripsit libros de miraculis veteris & novi Testamenti: quos posteà sub metricâ lege redactos, prætitulavit Paschale carmen. Reparavit etiam reparacterico carmine omnia Domini opera. Claruit tempore Constantis & Constantiniani* (lege *Constantij*) *filiorum primi Constantini Imperatoris.* Trithemij ista. *Sedulius presbyter, natione Scotus, Hildeberti Scotorum archiepiscopi ab ineunte ætate discipulus, vir in divinis scripturis exercitatus, & in secularibus literis eruditissimus, carmine excellens & prosâ; amore discendi Scotiam relinquens, venit in Franciam, deinde Italiam perlustravit & Asiam, postremò Achaiæ finibus excedens, in urbe Româ mirabili doctrinâ clarus effulsit. Scripsit autem & metro & solutâ oratione plura opuscula: de quibus ego tantùm reperi subjecta. Ad Macedonium Abbatem opus insigne, juxta seriem totius Euangelij, quod prænotavit.*

* Dempster. Histor Ecclesiastic. lib. 8. num. 671.

f Sigebert. de viris illustrib. cap. 6.

Carmen Paschale, metricè	lib. 4.	Paschales quicunq; dapes
In omnes epistolas Pauli, prosaicè	lib. 14.	* Antequàm Apostolica verba
De miraculis Christi	lib. 1.	A Solis ortus cardine
Ad Theodosium Imperatorem	lib. 1.	Romulidûm ductor clari
In majus volumen Prisciani	lib. 1.	
In secundam editionem Donati	lib. 1.	

* Desideratur hæc Præfatio in libris editis.

Exhortatorium ad fideles lib. 1. Cantemus socij Domino *Epistolas plures ad diversos* lib. 1. Sedulius Scotigena *De miraculis Christi prosaicè* lib. 2. *Alia quoq; nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Hic tandem, ut Sigebertus scribit, Episcopus ordinatus fuit: sed ecclesiam, vel urbem ubi, non exprimit. Claruit sub Theodosio, anno Domini* CCCCXXX.

Ad *Episcopatum* Sedulij quod attinet, à Sigeberto in libro de viris illustribus commemoratum: extant in illius carmen Paschale à [c] *D. Liberio Poëtâ* (vel *Liberato Scholastico* potiùs, ut vetus quo ego sum utus codex MS. eum appellat) & *Belisario Poëta* (quorum utrumq; anno CCCCXL. vixisse, pro suâ auctoritate statuit [d] Dempsterus) editi versiculi: quorum primæ & extremæ literæ hanc nobis quater exhibent Acrostichidem. SEDVLIVS ANTISTES. Et opus Paschale solutis verbis editum, in vetusto P. Pithœi codice, hanc præfert ἐπιγραφὴν. [e] *Incipit Præfatio Sedulij Antistitis in solutâ oratione Paschalis carminis.* & Pæani de Christo (cujus initium, *A Solis ortus cardine*) sub finem [f] Officiorum Alcuini per Ferias, præfixus cernitur hic titulus: *Hymnus Beati Episcopi Sedulij.* Et sedes illius, si quæ fides Pseudo-Dextro adhibenda, urbs fuit Oretana in Hispaniâ. Sic enim ille in Chronico. Anno Christi CCCCXXVIII. *Fœtadio Pontifici Toletano succedit Isicius Monachus Palæstinus: qui Sedulium amicum suum, & Oretanum Episcopum, prædicationis gratiâ Toleti detinet; qui dono Dei in Poësiâ Oratoriaq; præclarus, multos libros componit.* ad quem locum Franciscus Bivarius: *Hinc*, inquit, *habemus Sedulium Oretanum in Hispaniâ fuisse Episcopum; quod tamen non tollit ortum fuisse in Hiberniâ, ut multi credunt, cùm & ipse Isicius Toletanus Episcopus Palæstinus fuerit Monachus. Sed utrùm duo Sedulij olim in poësiâ floruerint, an unus, non est hujus loci disputare.* Sic ille, non paràm hâc in re hæsitans: quum ante eum Damianus à Goës & Sebastianus Munsterus, in Hispaniæ

[c] Bibliothec. Patr. edit. Paris. ann. 1589. tom. 8 col. 537. 538. & edit. Colon. ann. 1618. tom. 5. part. 1. pag. 417.

[d] Dempster. Histor. Ecclesiastic. lib. 2. num. 176. & lib. 11. num. 817.

[e] Bibliothec. Patr. tom. 8. col. 1137. edit. Paris.

[f] Alcuin Oper. edit. Paris. ann. 1617. col. 303.

niæ Descriptione, nullâ distinctione adhibitâ, *Sedulium Poëtam* in Hispanorum numero simpliciter collocaverint.

Verùm de patriâ suâ Sedulius noster dubitare nos non finit, cùm in Epistolarum suarum Exordio, ut ex Trithemio intelleximus, *Sedulium Scotigenam* ipse se nuncupet: ejusdemq; in Epistolas Paulinas annotationes, ex Fuldensi *vetustatis adorandæ* exemplari editæ, hanc inscriptionem præferant. SEDVLII SCOTI HYBERNIENSIS IN OMNES EPISTOLAS PAVLI COLLECTANEVM. Ut desinat [a] Dempsterus *mirari, Theologos Colonienses in ultimâ editione Bibliothecæ Sanctorum Patrum illum* SCOTVM *cum adjectione* HIBERNENSEM *appellâsse*. Eadem enim adjectio etiam in duabus Basileensibus editionibus ab Henrico Petro excusis cernitur: quarum priori, quæ anno MDXXVIII. prodijt in lucem, Hexastichon hoc manu Iohannis Lelandi appositum legimus.

[a] Dempster. Histor. Eccles. astic. lib. 3. num. 229.

Ad illustrissimum principem Henricum octavum, regem Angliæ & Franciæ, & fidei defensorem.

Sacra renascentis tibi Collectanea, Princeps
Maxime, Sedulij munera rara damus.
Nil etenim pulchro Gallorum vidimus Orbe
Convenat titulis quod magis ustq; tuis.
Fac igitur lætâ capias hæc munera fronte;
Signa animi erga te qualiacunq; mei.

Iohannes Sichardus, in nuncupatoriâ ejusdem Operis ad Petrum Tomitium Premisliensem episcopum Epistolâ, *Sedulium Hybernienſem* vocat: similiterq; Georgius Wicelius, in Præfatione Carminibus Theologicis à se editis præfixâ, inter Ecclesiæ Poëtas Catholicos *Sedulium Hybernum* nominat; eoq; etiam Martinus Delrius, [a] in Sapientiæ Pharo, eundem appellat nomine.

[a] Delrius, Præloquio 2.° Glossæ literalis in Genesim.

Peregrinationis Sedulij ita meminit, in libro IIII.° Bibliothecæ sanctæ, Sixtus Senensis. *Velut alter Apollonius Tyaneus, fugientem sapientiam toto terrarum orbe perquirens, Britanniam, Hispaniam, Galliam, Italiam, Græciam & Asiam miro discendi ardore perlustravit: tandemq; Romæ, divinis & humanis doctrinis illustris, sub Theodosio Augusto floruit.* In codice Sedulij ante annos quingentos descripto, & in Bibliothecâ Succentoriæ Thorneyæ apud Halifaxenses olim repositio, annotatum vidimus. *Sedulius versificus primò laicus in Italiâ philosophiam didicit: posteà cum alijs consocijs Heroicum metrum, Macedonio consulente, didicit. In Achaiâ libros conscripsit tempore Theodosij ac Valentiniani.* Similia etiam in suo Scriptorum Catalogo habet Bostonus Burienfis: addens, *Sedulium poëtam & presbyterum Achaiæ floruisse anno Christi* CCCCXXXIIII. *tempore Theodosij minoris.* Annus enim ille Christi in Theodosij junioris & Valentiniani III. tempora incurrit: quum superior illa notatio ad Theodosij senioris & Valentiniani II. imperium referenda potiùs videatur. Eò certè nos trahit quod in vulgatis editionibus legitur, *Cœlij Sedulij Poëtæ ad Theodosium Augustum Operis sui Paschalis Carmen dedicatorium*; hoc habens exordium.

Romulidûm doctor, clari lux altera Solis,
Eorum quia regna texes moderamine justo;
Spes orbis, fratrisq; decus.

Nam Valentiniani II. sororem Gallam connubij participem habuit Orientis Imperator Theodosius: non ille junior, Arcadij filius, sed senior Arcadij ejusdem pater; quem à Poëta hîc intellectum, sequentia illa extra omnem ponunt controversiam.

Hæc relegas, servesq; diu; tradasq; minori
Arcadio.

Atq; hæc ratio me aliquando movit, ut Sedulium Poëtam ab eo qui in B. Pauli epistolas edidit Collectanea necessariò distinguendum esse putarem; quippe à quo

non

non [b] postremum solùm librum de Civitate Dei (quem extremo vitæ tempore ab Augustino scriptum fuisse constat) sed etiam [c] *Gennadium* citatum observaverim, illum utiq; Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum, quem *Pauli epistolas omnes exposuisse*. Marcellinus Comes (Cuspiniani & Sirmondi) ad Consulatum *Iordanis & Severi*, sive annum Christi CCCCLXX. annotat, & ante annum CCCCLXXIIII. *mortuum, Leone seniore imperium tenente*, [d] Gennadius alter Massilienſis presbyter confirmat.

[b] Sedul. in epist ad Ephes. cap. 4.
[c] id in 1. Corinth. cap. 3.
[d] Gennad. Scriptor. Ecclesiastic. Catalog. cap. 92.

Sed re posteà attentiùs consideratâ, non exigua est suborta dubitatio, ne Carminis illius dedicatorij titulus nos falleret, & quod ad Poëma vetustius propriè pertinuerat, opere ipso jam deperdito, propter aliquampiam argumenti similitudinem Sedulij scripto ab aliquo antiquario præfixum legeremus. Nam & ab antiquissimis quæ consului exemplaribus illud aberat: neq; in ipsius Sedulij metaphrasi prosaicâ (quam non ante, ut Sigebertus putabat, sed post Carmen Paschale Macedonij presbyteri jussu elaboratam à se fuisse ipse clarè indicat) aliquod illius comparebat vestigium: licèt ea Præfationis alterius versionem nobis exhibeat, quæ ita incipit,

Paschales quicunq; dapes convivia requiris;

& hoc versu, ab [e] Isidoro quoq; citato, concluditur

Rubra quod appositum testa ministrat olus.

[e] Isidor. Origin. lib. 20. cap. 4.

Huc accedit, quòd liber ille cui carmen dedicatorium ad Theodosium erat præfixum, à Mundi creatione & formatione Hominis capiebat exordium: ut illa Poëtæ ostendit pollicitatio, quam Paschale Sedulij opus omninò non præstat.

——— Hic tibi Mundi
Principium, formamq; Poli, Hominemq; creatum
Expediet limo.

Deniq; Consulatus *Turcij Rufij Asterij* (cujus Epigramma Seduliano Carmini præmissum in Thorneyensi

MS.o primùm inveni, deinde ex Codice Remensi in Notis Ennodianis Iacobi Sirmondi rescriptū reperi) de ætate Sedulij scrupulū omnē nobis eximit: &, ut post non *Theodosij* solùm Imperium sed etiam *Gennadij* Pontificatum Sedulium vixisse (ne tēporis obstare putetur ratio, quo minùs idem Carminis Paschalis & Collectaneorum in Epistolas auctor haberi possit) ita ante *Gelasium* Romanum Pontificem vitâ functum, ijsq; omnibus à quibus nominatum eum invenimus anteriorem fuisse demonstrat; [f] *Cassiodoro* nimirùm, [g] *Placido Lactantio*, & *Venantio Fortunato*, qui [h] *dulcis* & [i] *conspicui* epithetis illum ornat. Quibus & *Arator* Romanæ ecclesiæ subdiaconus accenseri potest: qui *contulisse se ad scribendos Actus Apostolorum idcircò versibus dicitur, quòd fecisse idem in Euangelio Iuvencum ac Sedulium vidisset. Id verò in eo Aratore licet videre, qui Venetijs, & in D. Georgij cognomento Majoris, & Deiparæ semper Virginis in Hortis bibliothecâ alligatus est:* quemadmodum in Poëtarum Christianorum editione, anno MDII. à se divulgatâ, Aldus Manutius Romanus monuit.

In eâ verò editione, post finem librorum quatuor *Mirabilium divinorum* sive Carminis Paschalis Sedulij, appositа est hæc adnotatio. *Hoc opusculum non à Sedulio authore editum est, sed à Turtio Rufo Asterio quinto. V. C. exconsule ordinario atq; patritio, qui id inter scripta Sedulij invenit.* Deinde sequitur Sedulij Elegia (in quâ finis pentametri continuatâ epanalepsi similis est principio hexametri) cujus initium,

Cantemus socij Domino, cantemus honorem:

eiq; subjicitur, quod in posterioribus editionibus est omissum,

Sedulij epigramma.

Hæc tua perpetuæ scripsi dogmata vitæ,
Corde rogo facias Christe manere meo.
*Ut tibi quæ placeant tete * favente requirens,*
Gaudia cœlorum te duce Christe metam.

[f] Cassiodor. de divin. lection. cap. 27.
[g] Lactant. in Statij Thebaid lib. 8. versu 287.
[h] *Sedulius dulcis, quod Orosius edit acutus.* Fortunat lib. 8. epigramm. 1.
[i] *Hinc quoq; conspicui radiavit lingua Sedulij.* Id. lib. 1. de vitâ S. Martini.

* faciente

[k] Onuphrius Panuinius, superiorem illam adnotationem non ad finem Operis præcedentis, sed ad initium Elegiæ sequentis pertinere ratus, à Sedulio ad *Turcium Secundum Asterium* V. C. *exconsulem ordinarium* hoc elegiacum carmen missum fuisse ait. [l] Melchior Goldastus *malè Claudiano Mamerto tributum, à Sedulio presbytero* scriptum, à *Turcio Ruffo* editum fuisse affirmat; ad annotationis illius sententiam magis accommodatè. A quâ aberrans longiùs [m] Iohannes Cuspinianus; *à Turcio Ruffo Asterio quinto* V. C. *exconsule ordinario atq; patricio scriptum* fuisse asserit: unde etiam in [n] Bibliothecâ Patrum hoc titulo præscriptum legitur. *Turcij Rufi Asterij Viri Consularis, Veteris & Novi Testamenti Sedulio hactenùs adscripta Collatio.* Et *Sedulio* quidem à Bedâ in libro de arte metricâ, Ædmero in vitâ Dunstani, Guilielmo Malmesburiensi in libro I. de gestis Pontificum, & alijs passim ea attribuitur: *Asterio* verò à nemine ante Cuspinianum, & illum Aldinæ illius adnotationis sensu non rectè percepto in errorem hunc inductum. Eam verò adnotationem ad Carmen Paschale esse referendam, ex Thorneyensis & Remensis Bibliothecæ Manuscriptis liquet: in quibus Operis illius initio ea præfixa, plenius hunc in modum legitur. *Hoc opus Sedulius inter chartulas dispersum reliquit. Quod recollectum adunatumq; atq; ad omnem elegantiam divulgatum est à Turcio Rufino Asterio Quinto Consule ordinario atq; Patricio.* vel, *adornatumq; ad omnem elegantiam divulgatum est à Turcio Rufio Asterio* V. C. *Consule ordinario atq; Patricio*; ut ex Remensi Codice Iacobus Sirmondus rectiùs expressit: in quo & sequens Epigramma, *post epistolam Sedulij ad eundem ipsum Macedonium scriptum*, his verbis legi adjicit.

Sume, sacer meritis, veracia dicta poëtæ,
Quæ sine figmenti condita sunt vitio;
Quo caret alma fides, quo sancti gratia Christi,
Per quam justus ait talia Sedulius.

Asterijq;

[k] Onuphr. Commentar. in lib. 3. Fastor. ad annum Christi 494

[l] Goldast. Not. in S. Columbani Carmin. cap. 6.

[m] Cuspinian. Commentar. in Cassiodori Consules, ad annum Christi 493.

[n] Bibliothec. Patr. edit. Paris. ann. 1589. tom. 8. col. 585. & edit. Colon. ann. 1618. tom. 6. part 1. pag. 334.

Asteriq́, tui semper meminisse jubeto,
Cujus ope & curâ edita sunt populis.
*Quem quamvis summi celebrent per secula * fasti,*
Plus tamen ad meritum est, si viget ore tuo.

* MS. Thorn. *fastus,*

Hinc ut tempus editi Seduliani Carminis eruamus, notandum est, in Fastis Consularibus duos tantùm annos occurrere *Asterij* nomen præferentes: annum nimirùm epochæ nostræ Christianæ CCCCXLIX. quo cum *Protogene* unus, & CCCCXCIIII. quo cum Præsidio Consulatum ordinarium gessit alter Asterius. Priorem illum in Gallijs inijsse Consulatum ex [b] Apollinari Sidonio constat, qui se adolescentulum cum patre, prætorio Galliarum tum Præfecto, præsentem adfuisse testatur quum *consul Asterius anni sui fores votivùm trabeatus aperiret*, & cum sportulâ *fastos* daret. Eos *fastos* fuisse *tabellas eburneas Consulis nomine insculptas*, in Notis suis ad Sidonium confirmat Sirmondus: & *Asterium* hunc *Magistrum utriusq́, militiæ* ante Consulatum fuisse, ex Idatij Chronico probat, sub annum CCCCXL. ita de eo scribentis. *Asturius Dux utriusq́, militiæ ad Hispanias missus Tarraconensium cædit multitudinem Bacaudarum.* Ex quibus inter se collatis facilè eluceſcit, cum fastis & diptychis eburneis ab Asturio inauspicijs Consulatus sui missis adnumerandum etiam esse eburneum illud sacri Euangeliorum libri operculum, quod in Galliâ Belgicâ apud Leodicos hodieq; servari idem Sirmondus in Notis ad Ennodium monuit, hoc Consulis inscriptum nomine. FL. ASTVRIVS V. C. ET INL. COM. ET MAG. VTRIVSQ. MIL. CONS. ORD. Protogenis enim in Consulatu collegam *Asturium*, non solùm in Mariano Scoto atq; sincerioribus Fastorum Cassiodori & Marcellini Comitis editionibus, sed etiam in [a] Prosperi Chronico, & in ipsius Valentiniani III. Novellis VIII.â & XIII.â appellatum invenimus.

[b] Sidon. lib. 8. epist. 6. ad Nammatium.

[a] Tom. Histor. Francor. Scriptor. ab Andreâ du Chesne edit. Paris. ann. 1636. pag. 107.

Quum

Quum igitur *Flavium Aſturium*, utriuſq; militiæ Magiſtrum, anno CCCCXLIX. Conſulatu functum liqueat: *Turcium Raſium Aſterium*, qui Sedulij verſus poſt ejus mortem recchſuiſſe dicitur; anno CCCCXCIIII. Conſulatum geſſiſſe dicamus neceſſe eſt. Et cùm poſt biennium è vitâ exceſſerit Pontifex Gelaſius: intra illud temporis ſpatium putandum eſt, & Sedulij nuper defuncti Paſchale Carmen ab Aſterio recenſitum atq; Macedonio presbytero adhuc ſuperſtiti denùo oblatum, & Romanum illud LXX. Epiſcopotum ſub Gelaſio habitum fuiſſe? Concilium, qui nuperrimè divulgato Operi præclarum hoc dederunt teſtimonium. *Venerabilis viri Sedulij Paſchale opus, quod heroicis deſcripſit verſibus, inſigni laude præferimus.* Cujus quidem viri tanta deinceps fuit exiſtimatio atq; auctoritas, ut non ſolùm ab archiepiſcopo Toletano ¶ Hildephonſo *bonus ille Sedulius, poëta Euangelicus, orator facundus, ſcriptor catholicus*, appellari meruerit; ſed etiam ex ejus de Chriſto Pæane Alphabetico duo Hymni (*A Solo ortus cardine*, &, *Hoſtis Herodes impie*) in Chriſti Natalis & Epiphaniæ feſtis ſolennibus, atq; tertius in Officio Miſſæ publicè decantari conſueverit, ſic incipiens

Salve ſancta parens, enixa puerpera Regem,

ex ſecundo libro Paſchalis Carminis depromptus. Quibus & ex quarto ejuſdem Operis libro, de Chriſto Cruci affixo Hexaſtichon adjungimus; quod in Thorneyenſi Codice à vetere quodam poëtâ Chriſtiano ita laudatum reperimus.

Qualiter affixus ligno jam Chriſtus in alto,
Sedulius cecinit, totum complecteret Orbem,
Seu demonſtraret pro toto pendere Mundo
Verſibus his mundo Chriſto miſerante ſalutem.

„ Quattuor inde plagas quadrati colligit orbis:
„ Splendidus auctoris de vertice fulget Eous,
„ Occiduo ſacræ lambuntur ſidere plantæ,
„ Arcton dextra tenet, medium læva erigit axem;

? Vid. ſupr. cap. 13. pag. 462.

¶ Hildephonſ. ſerm. 3. de Aſſumpt. Mariæ.

„ Cunctaq; de membris vivit natura creantis,
„ Et cruce complexum Christus regit undiq; mundū.

In Epistolā ad Macedonium presbyterum Paschali Carminis præfixā (quæ in Thomeyensi MS. *Apologeticus Prologus Sedulij Rhetoris* inscribitur) *Sincletica sacræ virginis & ministra Christi*, ut illius seculi singularis ornamenti, honorifica fit mentio: Synclericæ nimirum Diaconissæ, cui Basilij Cæsariensis Hexaëmeron in Latinam linguam à se translatum dicavit Rufinus. Unde liquet eodem tempore vixisse Eustathium illum, cujus in X.° & Sedulium nostrum, cujus in XXVII.° capite divinarum lectionum libri Cassiodorus meminit: & ex his quæ dicta sunt corrigendas esse discrepantes illas scriptorum in Sedulij ætate designandâ sententias. Nam præter Sigebertum, qui sub filijs Constantini, circa annum videlicet CCCXLV. claruisse eum vult; Albertus abbas Stadensis in Chronico suo *Sedulium poetam clarum habitum* ad eum annum annotat, quo Valens Imperator est mortuus: qui quidē æræ nostræ CCCLXXVIII. fuit, licèt ille CCCLXXXI. numeraverit. Sub illius in Orientali imperio successore Theodosio I. floruisse, ex Carmine illo dedicatorio colligit Margarinus Bignæus, in Bibliothecæ Patrum Indice Chronologico. Atq; hanc *veriorem sententiam, & magis placentem* esse Dempsterus ait, vixisse illum *sub Theodosio seniore, anno* CCCCXXX. quo tamen tempore non *senuerat* sed *juvenis* Theodosium imperaviſse nemo ignorat. sub quo Sedulium collocasse dicendi sunt, quotquot eum vel ad CCCXXX. annum retulerunt, ut Trithemius, Gregorius Giraldus, Georgius Fabricius & Cardinalis Bellarminus, vel ad CCCCXXVIII. ut Dexter, vel CCCCXXXIII. ut Bostonus, vel CCCCL. etiam; quo claruisse eum Balæus, mortuum fuisse Sixtus Senensis voluit.

His quoq; doctissimus Sirmondus se adjungit, Turcium Rufium Asterium, Sedulij æqualem, non cum Cuspiniano

* ita MS. non *Sindetici*, ut in editis perperàm legitur.

* In Operum S. Basilij Latinâ editione, quæ prodijt Parisijs anno 1603.

* Dempster. Histor. Eccles. ast. lib. 3. num. 219.

* Sirmond Not. ad Ennodij lib. 1. Epist. 24.

spiniano & Onuphrio *Presidij*, sed anno CCCCXLIX. *Protogenis* in Consulatu collegam fuisse existimans: *tum quia hæc illi nomine potiùs congruunt, tum quia id tempus cum Sedulij obitu cohæret; quem ex integris Gennadij exemplaribus Theodosio juniore, cui opus suum dedicavit, & Valentiniano regnantibus vitâ functum didicerit.* quum de nominum convenientiâ aliud nos jam docuerimus, ex Leodicensi inscriptione cum Idatiano Chronico collatâ Protogenis illum collegam *Flavium Asturium*, non *Turcium Rufium Asterium*, fuisse declarantes; & Carmen illud dedicatorium, cujuscunq; fuerit auctoris, non juniori sed seniori Theodosio nuncupatum fuisse ostenderimus: & incerta illa additamenta, in varijs MSS. varia, quæ interpolatum magis quàm integrum Gennadium nobis exhibent, exiguæ admodùm esse auctoritatis experientia nos docuerit. Ad genuinum enim Gennadium quod attinet; *nunquam eum meminisse Sedulij* & fatetur Aldus & miratur: non miraturus tamen, si & ante annum CCCCXCIIII. quo Consulatum gessit *Asterius*, Sedulij opus in vulgus nequaquàm fuisse editum, & ultra illum annum (quod à nobis etiam in [a] XIII.° capite est ostensum) Gennadium scriptorum Ecclesiasticorum Catalogum non produxisse didicisset. Indeq; Gennadiani Catalogi continuatorem Isidorum Hispalensem in suum Indiculum Sedulium recepisse videmus: ubi & Carminis Paschalis (quod ille in *tres*, nostræ editiones in *quatuor*, MSS. exemplaria in *quinque* libros distinguunt) ita proponit argumentum. [x] *Sedulius presbyter edidit tres libros Dactylico Heroico metro compositos: quorum primus signa & virtutes veteris Testamenti potentissimè resonat, reliqui neogectorum Christi sacramenta & miracula intonant.* quod hoc disticho à Radulpho Dunstapulensi est comprehensum:

Surgit Sedulius veterisq; noviq; tenorem
Textus concinnâ sedulitate canit.

Duos quoq; Grammaticos libros huic tribuit Trithemius:

[a] Suprà, pag. 461.462.

[x] Isidor. de Illustr. Eccles. scriptorib. cap. 7. al. 20.

themius: *in majus volumen Prisciani* unum, & *in secundam editionem Donati* alterum. quibus & *Sedulij Commentarioldum in artem Eutychij* addere liceat; qui in Bibliothecâ Thuanâ (cujus Manuscriptorum Catalogum Virorum Clariss. Puteanorum fratrum beneficio sum consecutus) Parisijs asservatur. Est autem *secunda editio Donati* (quam [y] Dempsterum ignorâsse liquet) quæ de [z] *octo partibus orationis* agit: extatq; [a] *Servij* & [b] *Sergij* Grammatici Commentarijs illustrata. Verùm ut *Donatus* & *Eutychius* sive [c] Eutyches Grammaticus antiquior, ita *Priscianus* Sedulio & qui illius cum laude meminit Gelasio ætate junior fuit: quippe quem suo tempore Constantinopoli Grammaticam docuisse [d] Cassiodorus in libro de Orthographiâ significat. Itaq; opera hæc Grammatica posteriori alicui Sedulio omninò videntur tribuenda: cujus nominis duos, genere etiam Scotos, medijs temporibus floruisse comperimus. Nam & anno DCCCXVIII. *Sedulium Scottum clarum habitum* annotavit in Chronico suo Sangallensis monachus Hepidannus: & Concilio Romano sub Gregorio II. anno DCCXXI. habito, unâ cum *Fergusto episcopo Scotia Picto*, etiam *Sedulius episcopus Britanniæ de genere Scotorum* subscripsisse legitur.

[y] Dempster. Histor. Eccles. ast. lib. 17. num. 1018.
[z] Tom. Grammaticor. antiquor. ab Heliâ Putschio edit. Hanoriæ, ann. 1603. col. 1743.
[a] Ibid. col. 1779.
[b] Ibid. col. 1837.
[c] Ibid. col. 2143. & 2311.
[d] Ibid. col. 2281. & 2318.

Hujus Sedulij, quem cum [e] Balæo *Scotorum Australium Episcopum* facit, meminisse *Honorium Augustodunensem de luminar. Eccles. & uberiùs Iohannem Majorem, lib. I. histor. Magn. Britann. cap. IV. & cap. VIII.* dicit [f] Dempsterus: quum senioris tantùm Sedulij Honorius, neutrius verò vel uno verbulo Major meminerit. Scripsisse etiam eum Dempsterus ait, *Statuta Concilij generalis*, lib. 1. *In Euangelium D. Matthæi*, lib. 1. *quod opus* MS. *penes se habet eruditissimus Iacobus Sirmondus*; & *De sancto Missæ Canone*, lib. 1. Quorum librorum primum ex Balæi mutuatus est officinâ, postremum commentus est ipse, medium quoq; adulterinâ accessione adjunctâ incrustavit; [g] *Fergusti* etiam hujus Sedulij socij, *in Euangelium*

[e] Balæ. Centur. 14. cap. 28.
[f] Dempster. Histor. lib. 17. num. 1040.
[g] Id. lib. 6. num. 533.

gelium D. Matthæi Commentarium doctissimum Parisijs ab eodem Sirmondo servari fingens: quum apud illum tantùm extet *Collectaneum Sedulij in Matthæum ex diversis Patribus excerptum*; alterius verò *Fergusti* hujus, ne γρῦ quidem.

Ad tempora Constantij jam redeo: quibus nati fuisse putantur B. Patricij quatuor illi præcursores, de quibus in Vitâ Declani legimus. *Quatuor sanctissimi Episcopi cum suis discipulis fuerunt in Hiberniâ ante Patricium, prædicantes in eâ Christum: sc. Ailbeus, Declanus, Ibarus & Kiaranus. Et hi plures ad Christum rete Evangelico traxerunt: sed tamen S. Patricius majores Hiberniæ & potentiores ad fidem convertit; & ipse summum habet archiepiscopatum Hiberniæ per circuitum.* & in Vitâ Kiarani. *Interea fides Christiana crescebat in Hiberniâ quia alij tres sancti Episcopi* (præter Kiaranum sc.) *ante adventum Patricij prædicabant in eâ. Ailbeus Episcopus hinc & inde per diversa loca, similiter S. Ibarus episcopus, & beatissimus episcopus Declanus in suâ natione quæ dicitur Nandesi, & multos per circuitum & plurimos gentis suæ Osraigi sanctus Pontifex ad fidem convertit. Deinde gloriosus archiepiscopus Patricius missus à Celestino Papâ venit in Hiberniam; qui Dei gratiâ reges, duces, principes populosq; ad Christum convertit. Et tota Hibernia repleta est fide & baptismo Christi.*

Albeus, ut in Vitâ ejus legimus, *ex orientali parte regionis Eliach quæ est in Mumeniâ ortus est. Pater autem illius vocabatur Olcnais, qui apud regem Cronanum in regione Arrigi habitavit; ibiq; Regis ipsius ancillam nomine Saidith occultè affidavit, & cum eâ dormivit.* Ex his natus Albeus, sub petrâ expositus à Lochano quodam inventus est. *Lochanus hic filius Luidir, quibusdam Britonibus, qui apud eum in oriente Eliach fuerunt, dedit sanctum puerum, & ipsi diligenter nutrierunt eum, nomenq; ei dederunt Albeus, eo quod vivus sub rupe repertus est: & gratia Dei erat cum illo. Post hæc venit quidam Christianus sacerdos missus à sede Apostolicâ ad Hiberniam insulam, multis au-*

nis ante Patricium, ut fidem Christi ibi seminaret. Hibernienses autem tunc fuerunt gentiles: & non receperunt eum, nec crediderunt ei nisi pauci. Cùm ergo venisset ille ad Mumenienses, invenit sanctum puerum Albeum foris orantem, aspicientem in cœlum, rogantemq; assiduè ut ostenderetur ei vera credulitas; dicens. Oro ut sciam creatorem omnium, & credam ei qui fecit cœlum & terram & omnes creaturas: scio enim quòd omnia elementa sine artifice facta sunt, nec humanus artifex potuit facere illa. Cùm ergo hanc orationem sanctus puer Albeus audisset, sacerdos ille de propinquo audiens salutavit eum: & secundùm sui cordis desiderium docuit eum de his omnibus, & baptizavit eum; ponens illi idem nomen, Albeus. Ubi, cùm multis annis ante Patricium Christianus hic Sacerdos à sede Romanâ in Hiberniam missus fuisse memoretur, in eorum sententiam concedere non possumus, qui Palladium eum fuisse existimârunt; quem proximo ante Patricium anno legatione apud Hibernos functum fuisse post eà docebimus.

Ex *Declani* jam Vitâ, de primis ipsius annis, deq; *Colmano* Momonienſi presbytero, *Dymmâ* viro pietate & eruditione insigni, atq; alijs illorum temporum Christianis, sequentia visum est excerpere. *Beatissimus episcopus Declanus de nobilissimo Hiberniæ regum genere, qui per multos temporum cursus in civitate* * *Temoriâ regnum totius Hiberniæ fortissimè tenuerunt, oriundus fuit.* Ejus *pater Ercus dux Nandesi vocatus venit cum multis ad domum cognati sui qui dicebatur Debranus; & uxor sua nomine Dethidin (id est, Cura) cum eo. Tunc ei tempus parturiendi advenit: prægnans enim erat, habens Declanum in utero suo. Tunc jam Hibernia gentilitati dedita erat: & eo tempore rarò singuli Christiani inveniri solebant et poterant sibi esse sine persecutione. Colmanus religiosus & sanctus presbyter, qui postea præclarus Episcopus extitit, venit cum gaudio magno, repletus spiritu prophetiæ, ad locum in quo natus erat sanctus infans Declanus. Et prædicavit parentibus illius de fide Christi, qui coram eis in filio suo gratiam ostendit suam:*

* Taragh, in Midiâ.

suum: & prophetavit de gloriâ filij eorum coram Deo & hominibus, & prædixit seriem futuræ ejus vitæ in hoc seculo. Illi autem Dei credentes sancto Colmano sacerdoti, tradiderunt ei filium suum ut baptizaret illum. Tunc sanctus Colmanus baptizavit sanctissimum infantulum, Declanum nomen ei imponens.

*Post talia jam dicta & facta, beatus Colmanus ad locum suum in gaudio recessit: commendans ut diligenter nutriretur sanctus infans, & septimo anno ad legendum traderetur, si Christianus literatus propè inveniretur. Et apparebat magna lætitia in vultu sancti infantuli, in præsentiâ beati baptizatoris sui: & omnes illi sentiebant, quòd ipse intùs spiritualiter gauderet. Omnia hæc audiens & videns Dobranus prædictus, cognatus Erci Ducis patris sancti Declani, rogavit multùm parentes S. Declani ut sibi traderent eum ad nutriendum, in cujus villâ S. Declanus natus est: & traditus est ei S. Declanus, ut nutriret eum. Locus ille in quo natus est S. Declanus, Atrium Dobrani prius vocabatur; modò autem Atrium Declani vocatur. Ipse enim Dobranus nutritor S. Declani obtulit ipsum locum S. Declano; & movit castrum suum in alio loco. In quo loco post multum tempus S. Declanus, cùm esset Pontifex, cellam Deo ædificavit: & ipse locus in australi plagâ * Nandesi est, in oriente sc. campi quem Scoti vocant* Mag reeluh, i. Campus senui, à quo non longè est clara civitas S. Carthagi, qua dicitur Lesmor. Et per septem annos S. Declanus nutritus est cum magnâ diligentiâ apud prædictum Dobranum cognatum patris sui: quem sanctus puer multùm diligebat.*

* *Desia*, in Waterfordiensi Comitatu. S. i. *Hiberniæ* ut clarum est.

Completis itaq; septem annis ætatis S. Declani, traditus est ad legendum à parentibus & nutritoribus suis, sicut beatus Colmanus mandavit, sancto Dymma qui fuit vir religiosus & sapiens atq; probatus in Christi fide (qui nuper illo tempore ad Hiberniam unde erat ipse natus venit, factus fidelis Christianus, & cellam in illâ regione ædificavit) ad literaturam discendam sanctus puer Declanus traditus est. Et alius puer nomine Carpre (vel Coibre) filius Colmin, qui

qui posteà sanctus & venerabilis Episcopus fuit, simul cum S. Declano traditus est B. Dymma ad legendum: & ipsi ambo apud eum sedulò legerunt. Apud prædictum siquidem sanctum Dymmam beatissimus Declanus multo tempore legit, & dulcia diversarum pocula scriptarum exhausit disciplinarum; & subtilis atq; astutus ac facundus in illis effectus est. Plures jam scientes nobilitatem S. Declani, & videntes & audientes sanctitatem, religiositatem & caritatem ejus per omnia venerunt ad eum, & sub jugo disciplinæ ejus sponte colla sua posuerunt. Hæc Vitæ illius scriptor: qui septem quoq; Sanctorum ibi meminit, *Mochelloci* scilicèt, *Beani, Colmani, Lachnini, Mobi, Findlugi* & *Caminani*; quos in S. Declani pueritiâ sacro baptismo tinctos de eo prophetavisse ita retulit. *Septem viri, qui habitabant in illo Campo scuti, simul venerunt ad S. Declanum, & accipientes eum Dominum & magistrum suum, prædicaverunt coram omnibus ipsum futurum suum Episcopum, & dicebant propheticè. Veniet jam dies in quo (fili care, servo Dei magni) nosmetipsos & loca tibi offeremus. Et sic factum est. Ipsi videlicèt Deo credentes, baptismum in Trinitatis nomine acceperunt; & viri sanctissimi effecti sunt, & septem claras construxerunt Deo cellas in circuitu prædicti Campi scuti.*

Ibarus, quem Hiberni Ibur nominant, *de gente Ultorum ortus est, quæ est quinta pars Hiberniæ*: ut in Vitâ Abbani nepotis ejus legimus. In *Lageniæ* verò provinciâ inter Ossorienses, circa annum CCCLII. natus est *Kiaranus*, quem à monasterio ab ipso condito *Saigrium* vocant. *In Cornubiâ, ubi quiescit, Piranum appellari* affirmat in ejus Vitâ Iohannes Tinmuthensis: cujus nomini Capellam quoq; dicatam in *Caerdyff* apud Monemuthenses [h] Giraldus Cambrensis memorat. Eum *Piranum Ossiriensi Hiberniæ provinciâ ex patre Domnel & matre Wingellâ originem traxisse*, idem Iohannes addit: licèt alios *Kiarano* parentes in Vitâ ipsius, quam MS. habeo, ita assignatos inveniam. *Pater ejus vocabatur Lugneus, qui erat de nobilioribus gentis Osraigi; mater verò*

[h] Girald. Hiber. expugnat. lib. 1. cap. 39. & Itinerar. Cambr. lib. 1. cap. 6.

Liadain

Lindais dicebatur; quæ ortu est de australi plagâ Munsenensium, id est, de gente quæ dicitur Coreulaigde. in quâ & natum & educatum illum fuisse, ibidem paulo pòst subjicitur. *Conceptus est electus Dei Kiananus, natusq́; & nutritus est in regione Coreulaigde, videlicèt in Clerâ insulâ.* quæ in libro Ballimotensi *Fiontraghe Cleire* appellatur.

Sub hæc tempora *S. Eliphius* martyrium passus est: cujus Acta fusiùs à Ruperto abbate Tuitiensi descripta, summatim in libello de Sanctis Germaniæ ita perstrinxit Petrus Merssæus Cratepolius. *S. Eliphius filius Regis Scotiæ, relictis suis possessionibus amplissimis, Christo Domino Deo in paupertate servire dulce habuit. In civitate Tullensi unà cum sociis suis* XXXIII. *fidelibus est captus, & quasi patria proditor in carcerem conjectus. Verùm Dei beneficio, nocte ipsâ mirabiliter liberatus est. Inde ipse Dei verbum constanter & sedulò ubiq́; prædicavit, & magnam fecit in vineâ Domini messem. Ultra quadringentos homines brevi convertit, quos & baptizari curavit. Iulianus verò Imperator Apostata in eum iratus, & quòd Christi gloriam (cui ille plurimùm invidebat) audacter profiteretur, eum comprehendi fecit, & anno Dom.* CCCL. *decollari.* vel CCCLXIII. ut in Colonienſium archiepiſcoporum Catalogo, num. XXIX. idem habet Cratepolius. quo tamen anno cùm apud Persas Iulianum interijsse constet, CCCLX. substituendus fuisset potiùs, quo & in Gallijs illum commoratum, & ab exercitu Augustum acclamatum fuisse non est dubium.

Iuliano enim præsente passum fuisse Eliphium refert Rupertus Tuitiensis, XVI.° die Octobris (quo etiam in Martyrologijs, Bedæ, Adonis & Romano, ejus celebratur memoria) juxta civitatem *Grandensem* ad ripam *Veræ* fluvij, & in monte per unius miliaris spatium inde remoto sepultum. *Unde hactenùs mons ille,* inquit, *mons dicitur sancti Eliphij. Est autem inter Frumentosum & Grandem medius, ab utrâq́; millibus distans sensu: ab Aquilone Tullensem urbem, ab Austro verò Grandem habens.*

[1] Rupert. in Vitâ Eliphij, cap. 12. apud Surium, tomo 5. Octobr. 16.

Inde posteà translatum ejus corpus fuisse traditur à Brunone I. Colonienſi archiepiſcopo, & in Eccleſiâ S. Martini Majoris intra Coloniam Agrippinenſem, nationi *Scoricæ* olim aſſignatâ, repoſitum. Cujus loci Abbati *Albano* Vitam Eliphij à ſe editam Rupertus dedicavit: in quâ de ejus fratre quoq; Euchario & tribus ſororibus ſtrictim iſta retulit. [k] *Frater ejus Eucharius, epiſcopalis gratia functus honore, palmam quoq; martyrij feliciter adeptus eſt; corpusq; ejus in caſtro, quod dicitur ad Liverdum, conditum eſt. Prima ſororum ejus Menna, ſecunda Libaria, tertia dicta eſt Suſanna: fueruntq; ſicut unius fidei, ita & unius ejuſdemq;, ſcilicèt monachicæ, profeſſionis. Et prima quidem, videlicèt Menna, ſacra virgo utrùm per martyrij palmam præſentem vitam finierit, antiquitas literis non expreſſit; niſi quòd in virginitate permanens defuncta, & in loco, qui Porces dicitur, condita eſt. Secunda Libaria, & tertia Suſanna ſanctæ vitæ propoſitum ſanctiore martyrij gloriâ conſummaverunt. Et Libaria quidem apud civitatem, nomine Grandem: Suſanna verò in Campaniâ tumulata eſt.*

[k] Ibid. cap. 1.

Kebius Britannus, Salomonis Cornubiæ ducis filius, & *Celeſtij* Scoti parentes jam ſequuntur: è quibus* *Kebium*, gradu epiſcopali ab Hilario Pictavorum antiſtite accepto, in patriam reverſum Meneviam conceſſiſſe, & *inde tranſfretantem in Hiberniam, in quâdam inſulâ conſtructâ Eccleſiâ annis quatuor manſiſſe*; ac demùm cum diſcipulis ſuis inde recedentem in inſulâ Monâ ſive Angleſeiâ conſediſſe, refert in illius Vitâ Iohannes Tinmuthenſis. *Celeſtium*, Rufini auditorem & Pelagij Britanni hæreſiarchæ ſatellitem, *habuiſſe progeniem Scotica gentis de Britannorum vicinitate*, ex Hieronymo [l] dictum eſt. De eo Gennadius Maſſilienſis, in Eccleſiaſticorum Scriptorum Catalogo, cap. XLIV. *Celeſtius antequàm Pelagianum dogma incurreret, imò adhuc adoleſcens, ſcripſit ad parentes ſuos de monaſterio Epiſtolas in modum libellorum tres, omnibus Deum deſiderantibus neceſſarias. Moralis ſiquidem*

* Vid. ſupr. cap. 5. pag. 91. & cap. 8. pag. 195. & Camden in Anglеſ. p. pag. 541.

[l] Suprà. cap. 8. pag. 208, 209.

in

in eis dictis, nihil vitij postmodum proditi, sed totum virtutis incitamentum tenuit. Ex quibus Genpadij verbis etiam colligitur, non minùs Celestium in Scotiâ sive Hiberniâ, quàm Pelagium in Britanniâ, ex Christianis procreatum fuisse parentibus.

In Britannicis enim nostris Insulis Christi fidem, Apostolorum temporibus primùm acceptam, haudquaquàm hactenùs interijsse, Iohannis Chrysostomi luculenta confirmant testimonia. Sic enim ille in Demonstratione, *quòd Christus sit Deus.* = Αἱ Βρεττανικαὶ νῆσοι, αἱ τῆς θαλάττης ἐκτὸς κείμεναι ταύτης καὶ ἐν αὐτῷ οὔσαι τῷ Ὠκεανῷ, τῆς δυνάμεως τὸ ῥῆμα δέδεκται. καὶ γὰρ κἀκεῖ ἐκκλησίαι καὶ θυσιαστήρια πεπήγασι. *Britannicæ Insulæ extra hoc mare sitæ, & quæ in ipso Oceano sunt, virtutem verbi sentiunt: sunt enim etiam illic fundatæ ecclesiæ, & erecta altaria.* & in Sermone de utilitate lectionis Scripturæ. = Κἂν εἰς τὸν Ὠκεανὸν ἀπέλθῃς, κἂν πρὸς τὰς Βρεττανικὰς νήσους ἐκείνας, κἂν εἰς τὸν εὔξεινον πλεύσῃς πόντον, κἂν πρὸς τὰ πρόσω ἀπέλθῃς μέρη πάντων ἀκούσῃ πανταχοῦ τὰ ἀπὸ τῆς γραφῆς φιλοσοφούντων, φωνῇ μὲν ἑτέρᾳ πίστει δὲ οὐχ ἑτέρᾳ, καὶ γλώσσῃ μὲν διαφόρῳ διανοίᾳ δὲ συμφώνῳ. *Sive ad Oceanum te conferas, sive ad Britannicas illas Insulas; sive in Euxinum pontum naviges, sive ad Australes partes abeas: omnes ubiq; audies de ijs quæ in Scripturâ sunt philosophantes, aliâ quidem voce sed non aliâ fide, ac linguâ quidem diversâ sed mente consonâ.* καὶ βαρβαρίζουσι μὲν τῇ γλώττῃ, φιλοσοφοῦσι δὲ τῇ γνώμῃ. καὶ σολοικίζουσι μὲν τῷ φθόγγῳ, εὐσεβοῦσι δὲ τῷ τρόπῳ. *Et linguâ quidem barbarè loquuntur, sed animi sensu philosophantur: solœcismos faciunt sono, sed pietatem moribus colunt.* & in posterioris epistolæ ad Corinthios cap. XII. homiliâ XXVIII. ◦ Ὅσοι περ ἂν εἰσέλθῃς εἰς ἐκκλησίαν, κἂν ἐν τῇ Μαύρων, κἂν ἐν τῇ Περσῶν, κἂν πρὸς αὐτὰς τὰς Βρεττανικὰς νήσους, ἀκούσεις βοῶντος τοῦ Ἰωάννου, Οὐκ ἔξε-

= chrysost. Oper. tom. 6. edit. Græc Savilian. pag. 635.

= Ibid. tom. 8. pag. 111.

◦ Ibid. tom. 3. pag. 696.

σοι ἔχειν τὴν γυναῖκα Φιλίππου τοῦ ἀδελφοῦ σου. *In quamcunq; Ecclesiam ingressus fueris, sive apud Mauros, sive apud Persas, sive apud ipsas Britannicas Insulas, clamantem Iohannem audis; Non licet tibi habere uxorem Philippi fratris tui.* Cui gemimum est, quod vel in illius, vel in alterius, illi æqualis, sermone *de Pentecoste* (quem sub Arcadio senioris Theodosij filio & junioris patre habitum, ex fine liquet) legitur. p Ὅσα δ' ἂν ἀπέλθῃς, εἰς Γότθους, εἰς Μαυρους, εἰς Βρεττανους, εἰς τὴν οἰκουμένην, εὑρήσεις, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ εἶχεν ἐνάρετον. *Quocunq; iveris, ad Indos, ad Mauros, ad Britannos, usq; ad ultimum finem terrarum, invenies, In principio erat Verbum, & vitam religione plenam.*

p Ibid. tom. 5. pag. 979. Vid. sup. in cap. 15. a. 389. 390.

Iohannes Tinmuthensis *Kiaranum Saigrium*, quem ille *Piranum* vocat, ad insulam *Cleram* accedentem, *triginta annis in magnâ abstinentiâ & operibus sanctis Deo servivisse*: ac *demùm Romam profectum, scripturas sanctas legentem & Ecclesiasticam regulam discentem, quindecim annis ibidem mansisse, & gradum Episcopalem suscepisse* refert. Cum quo de primis *triginta* annis in Hiberniâ transactis etiam alteri Vitæ ejusdem scriptori convenit: licèt commorationi in urbe Romanâ *viginti* annos ille tribuat. *Triginta*, inquit, *annis S. Kiaranus, in sanctitate & integritate corporis & animæ in Hiberniâ habitavit sine baptismo (quia gentiles tunc erant Hibernienses:) sed tamen, inspirante sancto Spiritu in suo sancto famulo Kiarano, religiosus perfectusq; in moribus ipse vivebat. Et audiens famam Christianæ religionis in urbe Româ esse, deseruit Hiberniam, & advixit Romam; perveniensq; illuc, baptizatus est & doctus in fide Catholicâ: ibiq; viginti annis mansit, legens divinas scripturas, libros q; earum colligens, & Ecclesiasticas regulas sedulus discens.* Deinde ordinatum ibi Episcopum, *ad patriam suam Hiberniam missum* fuisse subjicit, *triginta* annis ante adventum B. Patricij, quem anno Domini CCCCXXXII. contigisse posteà docebimus. Unde inità subductâque ratione, anno CCCLII. in lucem editum

tum, CCCLXXXII. Romam adijsse, & CCCCII. in patriam redijsse Kiaranum comperiemus.

S. *Albeum* quoq; *perrexisse Romam, ibiq; apud Hilarium Episcopum divinam didicisse Scripturam*, in Vitâ ipsius legimus. Cujus autem sedis episcopus fuerit ille *Hilarius*, auctor non explicat: alium tantùm à Romano Pontifice fuisse, in sequente narratione significat. *Videns sanctus Hilarius magnam sanctitatem S. Albei & maxima mirabilia quæ fiebant per illum à Deo, & probatum esse in omni sapientiâ; misit illum ad Dominum Papam, ut ab eo ordinaretur Episcopus. Et sanctus Papa gavisus est in adventu ejus: mansitq; apud eum uno anno & quinquaginta diebus. Tunc autem viri sancti quinquaginta de Hibernià post sanctum Albeum Romam perrexerunt. Cùm ergo venissent ubi erant sanctus Papa & Albeus; dedit eis Papa cellam seorsum, & misit sanctum Albeum cum eis ut ipsis præesset. Multi erant ex ipsis unius nominis: i.* XII. *Colmani, &* XII. *Coëngeni, &* XII. *Fintani, & beatissimus Declanus cum cæteris.*

S. *Declanum* Romæ tùm adfuisse, Vitæ ipsius scriptor etiam confirmat. *Tunc*, inquit, *in mente S. Declani Romam ire venit: ut ibi mores Ecclesiasticos disceret, & gradus acciperet, & licentiam prædicandi à sede Apostolicâ haberet, & ordinem & regulas secundùm institutionem Romanam secum duceret. Et ipse quosdam assumens in comitatu suo discipulos transnavigavit, & perrexit Romam: mansitq; ibi multis diebus. Eodem tempore S. Albeus erat Romæ multò annò in discipulatu S. Hilarij Episcopi: ex cujus jussione & rogatu à beato Papâ Albeus ordinatus est episcopus. Venientq; S. Declanus Romam cum discipulis suis, magnâ lætitiâ in adventu ejus gavisus est* Papa; *& de nobilitate ejus & sanctitate populo Romano indicavit. Et magnum honorem & dilectionem apud populum & clerum Romanum invenit beatissimus Declanus intelligentes bonitatem ejus. Sanctus enim Declanus formâ pulcher erat, genere nobilis, habitu & incessu humilis, dulcis eloquio, magnus consilio, strenuus*

nuus in sermone, caritate ardens, conversatione hilaris, in donis largus, vitâ sanctus, in prodigijs & miraculis frequens & clarus. Et post multos dies S. Declanus à Domino Papâ, suadentibus multis, ordinatus est: & posteà, traditis sibi libris & regulis, missus est ad patriam suam sc. Hiberniam, ut prædicaret in eâ. Acceptâq; licentiâ & benedictione ab Apostolico & populo Romanæ ecclesiæ, sanctus episcopus Declanus iter cœpit arripere ad Hiberniam. Et multi à Româ secuti sunt sanctum episcopum Declanum, volentes in peregrinatione sub eo vivere: inter quos filius regis Romanorum Luvanus nomine venit, quem S. Declanus multùm diligebat. Obviaveruntq; sibi invicem in Italiâ S. Declanus & S. Patricius, qui posteà à Cœlestino Papâ ad prædicandum Hibernensibus missus est: & ipse est totius Hiberniæ Archiepiscopus. Et salutantes se invicem pacificè, fraternitatem inter se fecerunt: & in osculo pacis sanctus Declanus venit ad Hiberniam, sanctus autem Patricius Romam perrexit.

Factum hoc anno CCCCII. ex S. *Kiarani* Vitâ colligitur: in quâ illi etiam in patriam revertenti S. Patricius in Italiâ occurrisse legitur, promisisseq; *post triginta annos* visurum se illum in Hiberniâ: quod antiquissima quoq; carmina Hibernica, in libro Ballimotensi & Actis B. Patricij Hibernicè scriptis laudata, confirmant. In Actis verò hisce Patricianis quinque illi *Clerici natione Hibernici* Kiarano in hoc itinere comites adjunguntur, quos *casu felici S. Patricium de Britanniâ regressum obvium habuisse* posteà retulit Iocelinus. *Horum*, inquit [q] ille, *Sanctorum nomina fuerunt; Lugacius, Columbanus, Meldanus, Lugadius,* [*] *Cassanus, Cheranus: quorum sedium Episcopalium nomina deferibere certâ de causâ supersedemus. In multis enim vocabula locorum, & etiam personarum, ob inconditam verborum barbariem devitamus; ne Latinis auribus fastidium aut horrorem ingeramus. Prædicti tamen Pontifices in Ecclesiâ Dei verbo & exemplo plurimùm profecerunt; & in magnâ sanctitate vitam terminaverunt.* Sedes autem

[q] Iocelin. *Vit. Patricij, cap. 93.*
[*] *Vid. ibid. cap. 141.*

tem Episcopales (si quem nominum barbaries non offendat) in Laginiensi provinciâ antiquiora illa Acta Hibernica hisce assignant: Lugacio quidem *Cill-airthir*, Columbano *Cluain-ernain*, Meldano *Cluana-crema*, Lugadio Erci filio *Feradrum*, Cassano *Domnach mâr Maigeechnach*, & Cherano sive Kiarano nostro *Saigre*, de quâ posteà.

Hujus S. Kiarani (quem & Cheranum & Piranum nominant) atq; S. Patricij congressus Iohannes Tinmuthensis ita meminit. *Illis diebus fuit in Italiâ sanctus ille magnus Patricius: qui spiritu sancto edoctus, beato Pirano ait. Festina ante me, fili dilecte, & in medio insulæ super ripam fluminis Waran tibi locum construe. Placet enim Deo, & providit quòd in eo loco honor sanctitatis tuæ hominibus declaretur: in Britanniâ tamen demùm perveniens, & usq; ad finem vitæ tuæ Deo serviens, communis resurrectionis & vitæ æternæ beatitudinem expectabis.* Hæc ille: hypothesi suæ accommodatè, quâ Sanctus hic sepultus ponitur * *in Cornubiâ supra mare Sabrinum, à Petrok-stowe* (sive *Padstowe*) *militaribus quindecim & à Monsehole viginti quinque.* At alter vitæ Kiarani scriptor, qui in Hiberniâ eum vitam finiviſſe statuit, hoc rem modo narrat. *Occurrit ei in viâ in Italiâ S. Patricius archiepiscopus totius Hiberniæ: & videntes se invicem Sancti Dei, gavisi sunt. Tunc sanctus Patricius non erat Episcopus: sed posteà* (post annos scilicèt triginta, ut dictum) *à Celestino Papâ ordinatus est Archiepiscopus, & missus est ad prædicandum in Hiberniam. Cui jam, quamvis alij Sancti ante se erant in Hiberniâ, Deus custodivit magisterium & omnem archiepiscopatum Hiberniæ: quia per neminem Reges vel Duces Hiberniæ ante Patricium Deo crediderunt. Et ait S. Patricius ad S. Kiarnum: Vade ad Hiberniam ante me, & ubi fontem in medio Hiberniæ, in confinio australium & aquilonalium Hibernensium, qui vocatur Fuaran, & constitue ibi monasterium; quia illic honor tuus & resurrectio tua erit.*

* Vid. Camden. in Cornwall, pag. 140.

Fons verò ille, ut ibi sequitur, *constat in confinio duarum*

rum partium Hiberniæ, sed tamen in australi parte in regione Mumeniæ, videlicèt in plebe quæ vocatur Hele. Et cœpit beatus pontifex Kiaranus ibi quasi eremita habitare, quia eremus lata densa sylvis per circuitum erat, & de vili materiâ cellulam suam incepit; & inde monasterium, & posteà civitas, crevit Dei dono per gratiam S. Kiarani: quæ omnia vocantur uno nomine, id est, Saiger. Vulgo *Sier keran*, dicitur, in *Hele*, sive *Eliæ Carolinæ* territorio (quod Lageniæ hodie accensetur, non Mumeniæ vel Momoniæ) ejusq; in Annalibus suis Iohannes Clinnus Kilkenniensis ad annum 1284. ita meminit. *Dominus Galfridus de Sancto Leodegario episcopus Ossoriensis acquisivit per duellum manerium de Seirkeran.* Ipsum verò *Kiaranum* Collecta, quæ in Officio ejus olim legebatur, ita celebrat: *Deus, qui B. Kiranum seniorem Confessorem tuum atq; Pontificem ante alios sanctos in Hiberniæ insulam misisti*, &c. Indeq; jam dictus Biographus *Hiberniæ sanctorum primogenitum* illum appellat: tum prætereà addens, non modò *Liadanam* eum matrem *fidelem Christianam & sanctam Dei famulam effecisse* (Cellâ eidem in propinquo loco ædificatâ, *quæ dicitur Scoticè* Ceall lyoain;) sed etiam *suam gentem, id est Osraigi, & plurimos alios de errore gentilitatis ad Christi fidem convertisse.* Idem quoq; à *Declano* in patriâ suâ *Desia* præstitum, scriptor Vitæ ipsius ita indicat. *Venit sanctus antistes Declanus ad propriam gentem suam Nandesi: & cœpit fidem sanctæ Trinitatis eis prædicare, & illos baptizare in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, & à Diabulo ad ipsum unum Deum omnipotentem convertere. Et multa Deo loca instituit: in quibus quosdam de discipulis suis manere constituebat, ad serviendum Christo, & ad gentiles in fide Christianâ imbuendos & à Diaboli cultu ad Christi Euangelium revocandos.*

De *Albei* etiam laboribus hæc, inter alia, in Vitâ illius habentur tradita. *S. Albeus à sede Apostolicâ missus est ad gentes, ut Apostolico more Euangelium Christi illis prædicaret: & magna plebs de gentibus per illum Domino credidit,*

dit, & baptizati sunt. In illâ autem regione S. Albeus monasterium construxit, in quo reliquit sanctos filios Guill: benedixit autem totam illam regionem, & recessit ab eis. Post hæc S. Albeus quasi apis prudentissima cum melle onere ad suam patriam Hiberniam, Deo comite, reversus est. Cumq; venisset ad mare, benedixit illud: & cum serenitate magnâ sine ullâ offensione, in navi vilissimâ, ipse & omnis populus suus trans mare navigaverunt; & in aquilonali parte Hiberniæ portum tenuerunt. Ibi autem jubente S. Albeo unus de familia ipsius, Colmanus nomine, cellam ædificavit quæ dicitur Chell-ruaid.

Postea rex illius regionis quæ dicitur Dal-araidi (& de illâ gente erigo S. Albei erat) bellans contra Connachtos, illis diebus versus est ipse in fugam magnam, & tres filij ejus occisi sunt: habensq; corpora illorum, venit ad Albeum, dicens. Ecce ego miser homo veni ad te, Sancte Dei, ut mihi auxilium præstes: quia audivi quòd facis magna mirabilia. Ille autem rex vocabatur Fintannus, & gentilis erat. Cui Albeus ait: Si tu credideris & baptizatus fueris, divinum auxilium rogabo pro te & filijs tuis. Tunc Rex, fidem Christianam edoctus, credidit & baptizatus est. Sanctus verò Albeus accessit ubi erant filij, & oravit pro eis ad Dominum Iesum Christum: ac illi vivi surrexerunt ad patrem suum, & illi omnes firmati sunt in fide Christi. Tunc Albeus illos benedixit, & ait eis: Quia vos suscepistis fidem veram & credidistis in Christum, superabitis inimicos vestros. Illicò autem ille rex secundùm verbum S. Albei, perrexit ad bellum contra Connachtos, & vindicavit in eos injuriam suam: accipiensq; obsides, cum triumpho magno ad domum suam gaudens reversus est. Sanctus verò Albeus circuibat totam Hiberniam, prædicans baptismum, & multos ibi convertit ad fidem, sed non omnes, quia voluit Dominus omnipotens ut beatus Patricius Episcopus, qui post Albeum in Hiberniam venit, converteret omnes Hibernienses ad fidem.

Porrò *S. Albeus & S. Declanus* (ita in hujus Vitâ legimus) *sanctusq; Ibarus magnam fraternitatem & societatem*

tatem inter se & posteros suos, usq; ad finem mundi, in terrâ & in cœlo fecerunt; diligentes se invicem. Sed præcipuè S. Declanus & S. Albeus nimio se germanico armore diligebant; ut vellent simul esse semper, nisi à discipulis necessitas separandi suaderet. Vitæ Brigidæ scriptor ineditus, libro II. cap. XIV. *Sanctum Ibarum episcopum, qui seminator fidei in multis locis in Hiberniâ fuit ante beatissimum Patricium, in campo Gessyll mansisse* narrat. Conchubranus in vitâ Monennæ sive Modwennæ virginis, *Arranicas* primùm insulas, deinde *Inis Beg-ery* prope Wexfordiam illum incoluisse significat. Cùm enim in primo scripsisset libro, *sanctum episcopum Ibar commoratum in insulis ultra Hiberniam in Occidentali Oceano positis, tribus in uno vocabulo coarctatis*; in secundo subjicit. *Sanctus verò Ibar episcopus de prædictis insulis, Domino itineris duce, in meridianam Hiberniæ partem pergit; audiens ibi parvam insulam quam modicam Hiberniam vocant, in quâ & posteà post gloriosam vitam reconditus est.* Cui & illud addere liceat, ex Vitâ S. Abbani. *Beatus episcopus Ibarus in famosissimo & in optimo suo monasterio, quod vocatur Beckerin, plus habitabat quàm in alijs locis: quia multùm illum locum diligebat. Illud verò monasterium in australi parte Huachensealay est positum, in insulâ vallatâ mari: & insula & monasterium uno nomine dicuntur, id est, Beckherind; quod interpretatur Latinè, Parva Hibernia. In illo autem monasterio reliquiæ beatissimi antistitis Ibari jacent & honorificè coluntur: atq; ipse locus honoratur ab Hiberniensibus pro nomine sancti Ibari valdè; quia ipse unus erat egregius dispensator divini dogmatis de prioribus prædicatoribus, quos elegit Deus ut Hibernienses de gentilitate ad Christi fidem converterent.*

Papiæ, die XXII. Augusti, Romanum Martyrologium memoriam celebrari notat *S. Guniforti martyris*: cujus Acta habentur apud Mombritium Tomo I. Philippum Ferrarium in Catalogo Sanctorum Italiæ, & Iacobum Guallum I. C. in Sanctuario Papiæ ita de eo scribentem. *Gunifortus Scoticâ gente natus, nobili genere, gigan-*

teoque

teque corpore, cùm apud eam Scoticam gentem magna fureret persecutio, sibiq; esset cordi pro Christo mori, & altum suæ mentis arderet votum, potentiâ nobilis suæ familiæ impediri veritus, cum fratre suo Gunibaldo ac duabus sororibus pertexit in Germaniam, ubi Christiani variis tormentis occidebantur: unde ut eorum votum perducerent ad effectum, Christi fidei flammâ incensi magno spiritu illam prædicabant. Tunc capiuntur, & supplicijs crudeliter cæduntur; unde, Dei virtute operante, salvantur ipsi fratres: sorores verò genere & formâ speciosæ, speciosiores fide & virginitatis zelo, superatâ fœmineâ fragilitate, accedente etiam piâ fratrum exhortatione, oculis ac manibus in cœlum intentis, Christum confitentes, cruentissimâ cæde martyrij palmam adipiscuntur. Quibus tam impiè peremptis, Gunifortus Gunibaldus; inde discedentes, superatis Alpibus, descendunt in Italiam ad Camaram usq; civitatem; ubi etiam Christiani crudeliter mactabantur. Tunc ibi ad populum fidem Christi aliâ voce tollere cœperunt; multos etiam qui poterant spiritu ad martyrij coronam accendebant. Verùm Gunibaldus captus cruento mactatur gladio. Totam deinde seriem martyrij S. Guniforti subjungit: ut Mediolanum venerit, ut sagittis confixus fuerit, ut Ticinum divino monitu devenerit, ut in paupertinæ anus tugurio obdormierit, ut sacræ ibi reliquiæ asserventur.

Hæc ex Guallo recitat [r] Thomas Dempsterus: qui duas sorores affirmat [s] *martyrium passas esse citiùs uno anno quàm fratres, hoc est, anno* CCCCXIX. quum tamen earum alteram, [t] quam S. *Dardaluchan* Scotam fuisse existimat, (cujus memoria Kalendis Februarijs apud Frisingenses celebratur in Bavariâ) unâ cum fratribus anno CCCCXX. *Scotiâ excessisse* scribat; & [u] fratres anno CCCCXVII. passos fuisse martyrium opinetur, *Theodosio Mediolani agente.* Quæ nimis inconsideratè temporibus divisa esse, non modò annorum illa dispositio inconcinna secumq; discordans, sed illud præcipuè arguit, quòd in Italiâ Gunibaldus quidem Camaræ vel

[r] Dempster. Histor. Ecclesiastic. lib. 7. num. 576.
[s] Id. lib. 9. num. 20.
[t] Id. lib. 4. num. 391.
[u] Id. lib. 7. num. 575. 576.

Comi pro Christo cæsus, Gunifortus verò Mediolani ab infidelibus confixus sagittis fuisse dicatur, ipso etiam Theodosio Mediolani tum agente: ac si Theodosio imperante pagana fuissent, non Christiana tempora. Sed multo magis est ridiculum, quod de *Rosino* quodam *Florido* apud eundem Dempsterum legimus. [z] *Rosinus Floridus, annis ex Cultoris, Episcopatum alicubi gessit: ut Indiculus Scriptorum Scotorum Anonymi præfert. Eo vivebat seculo, quo hæresis Pelagiana Britanniam inficiebat; & strenuam pia causæ operam navavit, communicato cum Palladio consilio. Scripsit.*

[z] Id. lib. 16. num. 1067.

Contra [*] *Severianum & Iulianum Episcopos Pelagianos.* lib. 1.

[*] de quo suprà, cap. 11. pag. 320. 321.

Ad Ecclesias Scoticas Antidotum. lib. 1.

Epistolæ ad Cœlestinum Pontificem. à quo consecrationis suæ insignia Romæ acceperat, ut meriti erat.

Epistolas ad Palladium. lib. 1.

Sermones de Sanctis. lib. 1.

Claruit sub Fergusio II. *anno* CCCCLXI. *aut prater propter.*

[y] Κελτικὸν τὸ γένος. Zosim. histor. lib. 4. & eum secutus Suidas, in Θεοδόσιος.

[z] Claudian. lib. 2. in Rufin.

[a] B. Ambros. epist. 33.

Ubi leviculum illud, quòd annus CCCCLXI. vel etiam CCCCXLI. in Scotorum scriptorum Nomenclaturâ notatus, cum regno Fergusij non cohæreat: unde novus iste Episcopus nobis prodierit, potiùs inquirendum. *Rufinum* igitur natione [y] *Gallum* ([z] *Elusâ* Aquitaniæ opido oriundum) [a] *ex Magistro officiorum factum* [b] *Consulatu Præfectum Prætorio* Orientis, anno CCCXCV. contra Arcadium, & post triennium Gildonem Africæ præsidem, natione Gothum, contra fratrem illius Honorium tyrannidem molitum esse; tùm ex [b] Romanâ historiâ, tùm ex Claudiani poëtæ in Rufinum libris duobus & de bello Gildonico libro altero, nemo est qui non intelligat. Iam, ut bellum hoc Claudiani *Gildonicum* [c] Hector Boëthius & [d] Iohannes Leslæus ad prælium in Hibernià ante imperium Iulij Cæsaris gestum, in

[b] Vid. Marcellini Comitis Chronicon.

[c] Boëth. Scotor. Histor. lib. 2. fol. 28 b

[d] Leslæ. de reb. gest. Scotor. lib. 2. in Reg. XIII.

in quo *Gillus* nescio quis Scotorum Albionensium tyrannus occubuerit, ineptissimè traduxerunt: ita & [c] Iohannes Balæus, quum *Rufinum* illum, quem Claudianus duobus libris insectatus est, *Gallicum vel secundùm alios Britannum* fuisse, apud [d] Iohannem Cuspinianum legisset, *Rufinum poëtam Britannum* inde effinxit: quem *ex illis Britannis unum fuisse, qui* cum Cæsare Maximo in Armoricam classe trajecit*, & anno CCCCXIIII. (hoc est, integro post mortem novennio) *claruisse* asserit. Ac ne Poëtæ à se creato deesset cognomentum, **Floridi* illum ornatum esse voluit epitheto: & ne Carmina quoq; desiderarentur, non solùm *contra* Claudianum Epigrammata XXVIII. *& alia his similia plura* scripsisse illum ait, sed etiam *Rufi* (ni fallor) *Avieni* librum *ad Theodosium & De oris maritimis* eidem tribuendum censuit. Balæi posteà expilator [e] Pitseus in Scriptorum Britannicorum universali Indice *Rufinum Florium* collocans, in ipso Opere auctorem cum adscriptis illi librorum titulis reponere oblitus est. Atq; hinc ab Anonymo illo, scriptorum nomina ex Pitseo excerpente, pro *Rufino Florido, Rosinum Floridum* exaratum; deinde à Dempstero, scriptorem sine libris commemoratum reperiente, pro Poëticis (usitato sibi quidvis comminiscendi artificio) Theologica supposita fuisse opuscula, facilè animum induco ut existimem.

[c] Balæ. Scriptor. Britann. Centur. 1. cap. 42.
[d] Cuspinian. de Cæsarib. in Arcadio & Honorio.
* Vid. supr. cap. 8. pag. 193. 199.
[e] Io Pits. Relationum Anglicanar. tom. 1. p. 936.

De *Celestino* verò (à quo commentitius iste Episcopus consecrationis suæ insignia accepisse fingitur) Pelagianam pestem à Britannis propulsante & fidem Christianam inter Scotos propagante, in [f] XI.° Capite ex Prosperi libro contra Collatorem præclarum hoc à nobis recitatum est elogium. *Nec segnior curâ ab hoc eodem morbo Britanniæ liberavit, quando quæ sua inimicorum gratia, solum sua originis occupantes, etiam ab illo secreto exclusit Oceani; & ordinato Scotis Episcopo, dum Romanam insulam studet servare Catholicam, fecit etiam barbaram Christianam.* Britanniam nimirùm *Romanæ*, Hiberniam & alias

[f] Supr. p. 320.

gentes à Romanorum ditione & cultu alienas *Barbaria* nomine notatas fuisse, jam [h] antè diximus. Et Prosper, Scotorum insulam hanc à Britannijs disertè distinguens, de majore Scotiâ id est Hiberniâ, non de minore id est Albaniâ (quæ neq; tum temporis Scotia fuit, neq; insula etiam nunc est, sed pars insulæ majoris Britannicæ) necessariò intelligendus est. *Certè*, inquit [i] Richardus Vitus Basinstochius, *cùm Prosper numero plurativo Britannias dixit, utiq; Romanam insulam vocavit Britanniam; & alteram, quam dixit Barbaram, intellexit Hiberniam, quò Romana potestas armorum nunquam perveniss creditur.* & [k] Nicolaus Serarius: *Scotos hîc Hibernos vocari, testis in S. Patricij (apud Bedam) historiâ Probus.* Ex hoc enim, uti etiam ex Ninio, Mariano, Sigeberto, Antonino, Iocelino & reliquis Vitæ Patricianæ descriptoribus mox producendis, manifestum est, ad eosdem Scotos destinatum fuisse Palladium, ad quos eo defuncto posteà missus est Patricius.

[h] Supr. cap. 12. p. 409.

[i] Vit. in lib. 1. historiar. Britannic. not. 6.

[k] Serar. in Vit. Kiliani, notat. 9.

Neq; verò vel Palladij vel Celestini tempore putandum est sic *barbaram insulam factam esse Christianam*, ut aut nullos eam anteà Christianæ fidei professores habuisse, aut illis viventibus eam universam Christo nomen dedisse, existimandum sit: sed cogitandum, uno vel altero post missum Palladium anno, sub ipsis (ut [l] indicavimus) Xysti successoris Celestini initijs, scriptum à Prospero fuisse contra Collatorem hoc opusculum; quum vix tanto operi manum adhuc admovere cœpisset Patricius, cui universam & absolutam gentis suæ conversionem constanti traditione acceptam Hiberni referunt. Ut de primis Palladij conatibus recente, ut fit, crescente famâ & eundo vires acquirente, facilè induci potuerit Prosper ut crederet quod libenter audijt, Scotos nostros in eorum populorum censu reponendos, in quo fuerunt quum [m] posteà cecinit:

[l] Supr. cap. 12. pag. 364. 365.

[m] Prosper de Ingratis. cap. 14.

——— *Nunc sævas gentes & barbara regna*
Ignoti priùs aut spreti nova gratia Christi

Attra-

Attrahit, & terrâ sibi templum condit in omni.

Itaq; idem in Chronico, re meliùs intellectâ, sic potiùs hanc historiam referendam fuisse censuit. *Ad Scotos in Christum* CREDENTES *ordinatus à Papâ Celestino Palladius Episcopus mittitur.* quod & Beda, Freculphus Lexovienſis, Ado Viennenſis, Marianus Scotus, Florentius Wigornienſis, Hermannus Contractus, Sigebertus Gemblacenſis, Henricus Huntingdonienſis, Matthæus Florilegus, Antoninus Florentinus & alij sunt secuti: ne quis in *credentium* nomine à librarijs commissum hîc fuisse errorem suspicetur. Neq; enim frustrà Kiaranum, Albeum, Declanum & Ibarum in messe Hibernicâ ante Palladium & Patricium laboraviſſe declaravimus: ut Chrysostomi de Britannicarum insularum fide laudata testimonia non urgeamus; neq; illud etiam Augustini (antè missum huc Palladium vitâ functi) verba hæc Prophetæ [[n] *Adorabunt eum uniſquiſque de loco ſuo, omnes inſulæ Gentium*] ita explicantis. [o] *Omnes inſulæ, dixit, tanquam diceret, etiam omnes inſulæ: hinc oſtendens quàm nulla pars relinquatur orbis terrarum, ubi non ſit Eccleſia, quando nulla relinquitur inſularum; quarum nonnullæ etiam in Oceano ſunt conſtitutæ, & quasdam earum Euangelium jam ſuſcepiſſe didicimus. atq; ita & in inſulis ſingulis quibuſq; impletur quod dictum eſt,* [p] *Dominabitur à mari uſq; ad mare (quo unaquæq; inſula cingitur) ſicut in univerſo orbe terrarum, quæ tanquam omnium quodammodo maxima eſt inſula, quia & ipſam cingit Oceanus: ad cujus litora in* OCCIDENTALIBVS *partibus Eccleſiam pervenisse jam novimus; & quocunq; litorum ejus rotundum pervenit, perventura eſt utique fructificando atq; creſcendo.*

[n] Sophoni. 2. 11.

[o] Auguſtin. epiſt. 80. ad Heſychium. Vid. ſupr. cap. 1. pag. 3.

[p] Pſalm. 72. (al. 71.) 8.

In [q] vulgatis Prosperi editionibus (quas Beda etiam & alij illi à nobis nominati Chronographi sunt secuti) à Celestino Palladius PRIMUS Episcopus missus fuisse dicitur: cujus *primatus* mentio in Chronico illius integriore, ex [r] quo locum illum proximè citavimus, omninò non habetur. Sed hinc tamen quæstio est exorta,

[q] ut suprà, pag. 320.

[r] Tom. 1. rer. Francicar. scriptor. ab Andr. du Cheſne edit. pag. 205.

quâ

quâ ratione *primus* Episcopus missus dici potuerit Palladius, si Scotos ante eum alios fidei doctores habuisse admiserimus. [f] Iohannes Major prioribus illis temporibus *per sacerdotes & monachos sine Episcopis Scotos in fide eruditos* fuisse affirmat. Et ita sanè ante Majorem scripsit [e] Iohannes Fordonus: *Ante* Palladij *adventum habebant Scoti fidei doctores ac sacramentorum ministratores presbyteros solummodò vel monachos, ritum sequentes Ecclesiæ primitivæ.* quod postremum ab ijs accepisse videtur, [h] qui dixerunt *quòd in primâ primitivâ Ecclesiâ commune erat officium episcoporum & sacerdotum; & nomina erant communia, & officium commune: sed in secundâ primitivâ cœperunt distingui & nomina & officia.* [x] Hector Boëthius fuisse dicit *Palladium primum omnium qui sacrum inter Scotos egere magistratum, à summo Pontifice episcopum creatum: quum antea populi suffragijs ex monachis & Culdeis pontifices assumerentur.* A Celestino illum missum ait [y] Iohannes Balæus, *ut sacerdotalem ordinem inter Scotos Romano ritu institueret. Habebant*, inquit, *antea Scoti suos episcopos ac ministros, ex verbi divini ministerio plebium suffragijs electos, prout Asianorum more fieri apud Britannos videbant: sed hæc Romanis, ut magis ceremoniosis atq; Asianorum osoribus, non placebant.*

[f] Io Major. de gest. Scotor. lib. 2. c. 2.

[e] Io. Fordon. Scotichronic. lib 3. cap. 8.

[h] Io. Seneca in glossâ Decreti, distinct. 93. ca. *Legimus.*

[x] Boëth. Scotor. Histor. lib. 7. fol. 128. b.

[y] Balæ. Scriptor. Britann. Centur. 14. cap. 6.

Sed cùm quatuor illi superiores Episcopi ante Pontificatum Celestini & missionem Palladij Romæ ordinati fuisse memorentur: videretur de Palladio statuendum potiùs, vel duorum Episcoporum quos Papa Celestinus Scotis miserit fuisse illum primum (siquidem post eum ad eosdem missus ab illo est Patricius) vel primarium & primæ sedis Episcopum ordinatum; ut licèt alios anteà haberet Episcopos, primum tamen Archiepiscopum Palladium, secundum Patricium nostra accepisse dicenda esset Insula. quanquam antiquiores illi Episcopi ægrè fasces Patricio submiserint: si incerto Vitæ Declani scriptore fidem adhibere libeat, ita rem narranti. *Supradicti quatuor Episcopi qui erant in Hiberniâ ante Patritium, missi à Ro-*

à Romano Pontifice sicut & ipse, id est, Albeus, Declanus, Chiaranus & Ibarus, non unam voluntatem cum sancto Patricio habebant sed diversam: tamen in postremo concordiam cum illo fecerunt. Chiaranus enim omnem concordiam & subjectionem & magisterium dedit S. Patricio, ipso presente & absente. Albeus autem videns majores Hiberniæ post Patritium concurrere, venit ad S. Patricium in civitate Caissel, & accepit enim ibi cum omni humilitate magistrum summ coram rege Ængusio: quod priùs non habuit in mente. Ipsum jam Albeum illi Episcopi magistrum suum antè constituerunt: & idèo ipse ante eos venit ad S. Patricium, ne ipsi pro se contradicerent illi. Ibarus verò nullâ ratione consentire S. Patricio neq; ei subjectus esse voluit: nolebat enim partenum Hiberniæ de aliâ gente habere. Patricius enim de gente Britonum natus est: sed in Hibernià nutritus est, captus in provinciâ suâ. Et conflictus magnos inter se ipse Ibarus & Patricius fecerunt in primis: sed postea, suadente Angelo, pacem & concordiam ac fraternitatem inter se fecerunt. Declanus autem nolebat contradicere S. Patricio, quia antè fraternitatem cum eo in Italiâ fecit; neq; subditus quidem ejus esse cogitavit, quia ipse dignitatem Apostolicam habuit: sed ita ab Angelo admonitus est, ut veniret ad eum & voluntatem ejus faceret.

Missum verò huc *Palladium* docet Prosper in Consulatu *Bassi & Antiochi*: qui in annum epochæ Christianæ CCCCXXXI. incidit; quo tertia Synodus Oecumenica Ephesi est habita. Ad annum VIII. imperij Theodosij junioris refert Beda, lib.° I.° Hist. Angl. cap. XIII.° quem ex Prospero corrigendum monet [a] Baronius; quia *Pontificatus ipsius Cælestini ab eo tempore post annos octo contigerit, nempe decimo sexto ejusdem Theodosij Imperatoris.* Verùm non animadvertit optimè Bedæ cum Prospero convenire; quandoquidem uterq; annos imperij Theodosij non ab eo tempore quo simul cum Honorio regnavit (quod facit Baronius) sed ab Honorij morte (quam in eundem annum conjicit Prosper, quo

[a] Baron. ann. 429. §. 7. Vid. supr. cap. 12. pag 370.

Pontificatum adeptus est Celestinus) deducit: quemadmodum tum ex illo ipso loco Historiæ Ecclesiasticæ Bedæ (ubi *anno Dominicæ incarnationis* CCCCXXIII. *Theodosium junioremi post Honorium regnum sustepisse*, & XXVII. *annis tenuisse* notat) tum ex totâ serie Chronici Prosperi & libri Bedæ de sex ætatibus, luce clarius apparet.

[a] Supr. pag. 320.

Ex eodem quoq; [a] Prospero liquet, ante biennium Palladium, *Diaconum* tunc existentem, ut Germanus Autissiodorensis episcopus ad Britanniam à Pelagianâ corruptelâ liberandam mitteretur, à Celestino obtinuisse. Unde Palladius notter à [b] Ranulpho Cestrensi *Romanus Diaconus*, à [c] Probo & [d] Iocelino Celestini Papæ *Archidiaconus*, à nostrorum temporum scriptoribus [e] *Romanæ Ecclesiæ Cardinalis* & [f] *Apostolicus Nuncius* appellatur. Patriam illi pro libitu recentiores assignant, unus aliam. Iohannes Sichardus *Hiberniensem* fuisse vult. Ad mutilatum enim illum Sedulij locum, in primum caput epistolæ ad Romanos, [*alitèr secundum Pil.*] ita annotat. *Crederem legendum Palladium, qui item Hybernienfis fuit; nisi aliquot annis fuisset Sedulio minor.* Cujus tamen conjecturæ non assentior; non quidem ob rationem ab eo allatam (cùm Sedulium Palladio ætate posteriorem fuisse jam demonstraverim) sed quòd *Pilagium* potiùs reponendum hîc existimem: quo nomine Pelagij in Pauli epistolas scholia non semel in antiquioribus Manuscriptis notata reperi. Antonius Possevinus in Apparatu sacro Palladium *Britannum* appellat: Iohannes Trithemius, in suo scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo, *Natione Gratum* fuisse ait.

[b] Ranulph. Polychronic. lib. 4 cap. 32.
[c] Prob. Vit. Patricij, lib. 1.
[d] Iocelin. Vit. Patric. cap. 35.
[e] Possevin. Apparat. sacr. in *Palladio Britanno.*
[f] Io. Lesl. Præfat. Historiæ Scotor. vel Rob. Turner, potiùs, epistol. 5.

Trithemium & Balæus hîc secutus est, & Romanæ editionis Operum B. Ambrosij procuratores: in quorum V. tomo, *De origine & moribus Brachmanorum tractatus* legitur, sic incipiens. *Desiderium mentis tuæ, Palladi, quæ immensæ sapientiæ amore incensa nova semper discere optat, novum etiam studium opus efficere nos compellit. id verò*

est, Brachmanorum patriam consuetudinem vitamq; recensere. de quo editores illi ita censuerunt. *Opus certe ipsum non admodùm expolitum fatemur. Vel fortasse Ambrosius (si illius dicendus est auctor) Palladio Græco homini scribens, linguæ Latinæ parùm erudito, & adhuc juveni (iuenim est, ut conjicitur, qui postea Hibernorum episcopus fuit ordinatus) ut ejus capacitati se accommodaret, magis aperto & cõmuniore sermone usus est.* Hæc illi; Latinè opusculum hoc primò scriptum fuisse existimantes: quod Græcè tamen tum in Bibliothecâ Sfortianâ tum alibi MS. adhuc extat, non *Ambrosio* alicui sed ipsi *Palladio* attributum.

Balæi de Palladio, & illius perneccssario * Iohanne Hierosolymitano, verba hæc sunt § *Palladius Græcus, primus Scotorum apostolus, Iohannis quadragesimi quarti Hierosolymorum episcopi discipulus olim fuit (ut author est Nicolaus Harlemius) dum adhuc eremi cultor, solitaria Syriæ loca, potissimè Carmelum incoleret. Ejus inquam Iohannis, qui ob Origenis allegoricum dogma Hieronymi atq; Epiphanij in se concitavit scripta: quibus tamen ipse sui studij rationem reddens, respondit se non Origenis fidem, sed ingenium esse imitatum: edidicq; librum contra sui studij obtrectatores, & de institutione primorum monachorum ad Caprasium librum allegorijs plenum, quem è Græco transtatum vidi.* Verùm multa castigationem hîc desiderant. Nam, ut quâ ratione Palladius *primus Scotorum Apostolus* haberi potuerit non excutiam: illud de Carmelo à Iohanne Hierosolymorum episcopo Origenistâ & alijs vitæ monasticæ professoribus tùm culto figmentum exustavit jampridem ‖ Cæsar Baronius; librumq, illum de primâ institutione monachismi Carmelitani ad Caprasium, qui Tomo nono Bibliothecæ Patrum Parisijs anno 1589. editæ habetur insertus, Iohanni huic falsò esse adscriptum, in Tomi illius censurâ ostendit Pontificij Palatij Magister ¶ Iohannes Maria Brasichellanus. Manifesto denique errore Palladius noster & alter ille Origenista, cum Iohanne Hierosolymitano benevolentiâ conjunctus, unus

* de quo suprà, cap. 9 pag. 238. 240. 251.

§ Balæus. Centur. 14. num. 6.

‖ Baron. ann. 444. §. 17.

¶ Tom. 1. Indicis librorum expurgandorum, edit. Romæ, ann. 1607.

& idem fuisse statuitur: licèt eandem falsam opinionem Iohannem Fordonum quoq;, Scotorum Palladium cum Palladio discipulo Euagrij confundentem, habuisse animadverterim.

[a] Fordon. Scotichronic lib. 3. cap. 8.

[b] Iohannem Fordonum quoq;, Scotorum Palladium cum Palladio discipulo Euagrij confundentem, habuisse animadverterim.

Patriâ *Gallum* fuisse Palladium illum Origenistam, Euagrij discipulum, & Epiphanius in [l] Epistolâ ad Iohannem Hierosolymitanum, & ipse in [m] Lausiacâ suâ Historiâ confirmat; quam, in Proœmio ad Lausum Præfectum, à se etiam scriptam fuisse indicat anno *tricesimo* & *tertio* postquàm vitæ sese addixisset monasticæ, quum *viginti* quidem in Episcopatu, totius verò vitæ *quinquaginta* & *tres* exegisset annos. Quum verò [n] *in secundo senioris Theodosij Consulatu*, qui in annum æræ nostræ CCCLXXXVIII. incidit, monasticam primùm vitam amplexatum illum fuisse constet: anno CCCLXVII. natum, CCCC. Episcopum ordinatum, & CCCCXX. Historiam suam scripsisse colligimus. Possevinum enim ratio fugit, qui eum *Alexandriam anno* CCCLXXXVIII. *ex Eremo petijsse*, *Commentariumq; memoratam scripsisse*, asserit. In patriâ autem suâ *Bithyniâ* creatum se episcopum testatur [o] ipse: in sede nimirùm *Helenopolitanâ*, à quâ ad *Aspunitanam* in eâdem Bithyniâ civitatem translatum ex [p] Socrate, ibidemq; ante annum CCCCXXXI. (quo noster ad Scotos missus est Palladius) vitam finiviisse ex Ephesini Concilij Actis intelligimus, quæ [q] *Eusebium Aspunorum Galatiæ episcopum* Concilio illi interfuisse memorant. Simul quoq; adfuisse [r] *Palladium Amasiæ Hellespontiepiscopum* eadem Acta docent: quem eum fuisse, ad quem *scripsit Cyrillus Alexandrinus Dialogum de adoratione in Spiritu*, *& quòd lex Euangelica vita umbras tantùm typosq; sit*, potiùs quàm Scotorum hunc Palladium, quod opinatus est Balæus, prudens quivis judicaverit. Nam quod hunc etiam & Palladium Origenistam confundit idem, ex Prospero perspicuè refellitur, anno CCCCXXIX. hunc & in *Diaconatus* ordine positum, & *Pelagianis* adversatum fuisse confirmante: quum illum

[k] de quo suprà, cap 8. pag. 804.

[l] Inter Hieronymianas, num 60.

[m] Pallad. histor. Lausiac. cap. 43. Heraclid. Paradis. cap. 21.

[n] Ibid. cap. 1. & 3.

[o] Vbi suprà, cap 43. & 22.

[p] Socrat Histor. Ecclesiastic. lib. 7. cap. 36.

[q] Concil. Ephesin. Act. 1. pag. 322. 369. & Act. 6. pag. 644. edit. Roman. Græcolatin.

[r] Ibid. Act. 1. pag. 321. 330. 344. 346. 367. & Act. 6. pag. 443.

alterum

alterum anno CCCC. *Episcopum* fuisse ordinatum ex ipsius Lausiacâ Historiâ ostenderimus, & Origenicam atq; ex eâ ortam *Pelagianam* hæresim instaurare conatum esse, in Dialogorum adversùs Pelagianos Prooemio declaraverit Hieronymus.

De nostro Palladio ista habet, in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, Iohannes Trithemius. *Palladius Britannorum seu Scotorum insulæ Hiberniensis à Celestino Papâ primus ordinatus Episcopus, natione Græcus, vir doctus & sanctus, suâ dulcissimâ prædicatione gentem sibi commissam ad fidem Christi convertit. Post quem sanctus Patricius genere Brittus, à S. Celestino Papâ consecratus in Archiepiscopum Hiberniensem, per annos* XL. *signis & miraculis coruscans, totam insulam convertit ad fidem. Scripsit autem Palladius Vitam sancti Iohannis Chrysostomi.* & eum secutus, in Catalogo testium veritatis, Guilielmus Eisengreyneus. *S. Palladius Britannorum seu Scotorum insulæ Hiberniensis à Celestino Pontifice Præsul ordinatus, natione Græcus, tum vitæ morumq; integritate, tum sanctitatis famâ clarus, cùm Rhetor omnium suo tempore celeberrimus habitus esset, B. Iohannis Chrysostomi vitam doctissimo volumine eleganter & politè conscripsit.*

In Indice librorum Græcorum MSS. Bibliothecæ Cæsareæ Viennensis, anno 1579. confecto annotatus reperitur *Palladij Græci Episcopi Commentarius de Vitâ Iohannis Chrysostomi:* qui quæsitus, non alius quàm Georgij Alexandrini archiepiscopi fuisse deprehensus est; qui in Præfatione se Acta Chrysostomi cùm ex alijs hausisse profitetur, tum ἐκ τῆς γεγονύιας διαλέξεως παρὰ Παλλαδίου τοῦ ἐπισκόπου πρὸς Θεόδωρον τὸν διάκονον τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας, *ex dissertatione quam Palladius episcopus cum Theodoro Romanæ Ecclesiæ diacono habuerat.* Ἐπίσκοπος δὲ ὁ Παλλάδιος, καὶ Διαλογικῷ τύπῳ καλῶς τε καὶ ἐσπουδασμένως τὰ περὶ τὸν Χρυσόστομον ἀνεγράψατο. *Episcopus verò fuit Palladius, & dialogi formâ pulchrè ac studiosè Chrysostomi res conscripsit:* inquit, in suis ex

ex hoc Georgij opere excerptis, [f] Photius; Palladium hujus sermonis auctorem constituens, quem inter Palladium & Theodorum Georgius distribuerat. *Palladij* etiam nomine, in [g] Quæstionibus Anastasio Nicæno Episcopo tributis, & *Palladij Episcopi Helenopoleos*, ab [h] Anonymo Græco Vitæ Chrysostomi scriptore productum illum invenio. Ut de Iodoco Coccio nihil dicam, cui aliquando [x] *Episcopum* aliquando [y] *Diaconum Helenopolitanum* appellare illum libuit.

Hunc Dialogum è Græco in Latinum sermonem transtulit Ambrosius monachus Camaldulensis: qui Venetijs primùm anno 1533. seorsim, deinde anno 1553. in Aloysij Lipomani secundo tomo Vitarum SS. Patrum; atq; Parisijs demùm anno 1581. & deinceps in varijs Operum Chrysostomi editionibus, typis excusus extat. Dialogo autem præfixum legitur hoc Procœmium. *Cùm venisset aliquando Romam Palladius Helenopolitana ecclesiæ venerandus Antistes, Ioannis illius sanctissimi viri Constantinopolitani Episcopi jam vitâ functi discipulus, susceptusq; fuisset cùm honorificè à Pontifice Romano sedis Zosimo beatissimo, cùm à clero universo devotissimè: inter cæteros, quibus ille familiarius est usus, Theodorus fuit Ecclesiæ Romanæ Diaconus. Is enim sancti viri doctrinâ castâ & vitæ sanctitate delectatus, frequens illi aderat, imo, quoad licebat, nunquam à latere ipsius discedebat. Quâdam autem die dum essent ambo simul, otiumq; à curis omnibus mortalibus agerent, ortâ ex more collatione spirituali, hoc sermoni suo initium dedit Episcopus.*

Quod Procœmium, ut *Palladij* non esse, doctrinæ & sanctitatis illius prædicatio in eo facta palàm loquitur; ita aliunde non parva suboritur suspicio, à recentiore aliquo Græculo vel compositum illud fuisse, vel saltem interpolatum, ad ipsius operis veritatem non accómodatè satis. Cùm enim colloquium hoc habitum ibi fuisse referatur, *ortâ ex more collatione spirituali*; ad primum potiùs congressum fuisse illud referendum ista dialogi-

smi

[f] Phot. Bibliothec. num. 96.
[g] Anastas. Nicæn. quæst. 10. in Scriptur. tomo 1. Bibliothec. Patr. edit. Paris. an. 1589. col. 161.
[h] Oper. Chrysostom. tom. 8. pag. 293. edit. Græc. Savilian.
[x] Cocc. Thesaur. Catholic. tom. 2. pag. 296.
[y] Ibid. pag. 611.

ſmi verba ſuadere videantur. [a] THEODOR. *Unde, quæſo, ad nos advenisti Pater?* PALLAD. *Ab Oriente, frater, adveni; nunc primùm Romam vidi.* THEOD. *Quænam te maximè advexit cauſa?* & paucis interjectis. *Puto enim te eſſe ex Iohannis Constantinopolitani Episcopi ſocijs.* Deinde, *Zoſimo* Romanam cathedram obtinente, colloquentes inter ſe iſti inter ſe introducuntur: unde & anno, quo ille ſedere cœpit, CCCCXVII. Romam veniſſe Palladium colligit [a] Baronius. At factum id Theophilo Alexandrino adhuc ſuperſtite (quem in Conſulatu *Honorij* IX. & *Theodoſij* V. hoc eſt, anno Dom. CCCCXII. mortuum fuiſſe docet [b] Socrates) ejuſmodi de eo dicta, in hoc Dialogo paſſim occurrentia, ſatis indicant. [c] *Ex ipſo quippe aſpectu callet interiorem hominis voluntatem ſententiamq; dinoſcere.* & paulo poſt: *Si ejuſmodi Theophilus eſt, tantóq; viget acumine.* Item: [d] *Eſt ille naturâ fervidus, & temerarius, & audax, ac ſupra modum contentioſus.* Et ſub operis finem: [e] *Eſt hæc Romanæ Eccleſiæ ſententia, non communicare in finem uſq; Orientalibus epiſcopis, maximéq; Theophilo, donec Dominus univerſalis Synodi tribuat locum.*

[a] Vit. Chryſoſt. tomo 3°. Lipomani, fol. 301.

[a] Baron. an. 417. §. 1.

[b] Socrat. Hiſtor Eccleſ. lib. 7. cap. 7.

[c] Tom. 3. Lipom. fol. 307.

[d] Ibid. fol. 312.

[e] Ibid. fol. 333.

Quin & ipſum collocutionis hujus annum ita erui poſſe arbitror. [f] *Tertiadecimâ* indictione, Aſiaticorum Epiſcoporum negotium tractari cœpiſſe & ad illud componendum, [g] barbarico Gainæ tumultu ingruente, Syncletium metropolitanum & Palladium Helenopolitanum epiſcopum a Synodo Conſtantinopolitanâ miſſos, [*] æſtivo fervente ſole, Smyrnam deſcendiſſe, narrat in hoc Dialogo Palladius alter. Factum igitur hoc anno æræ noſtræ CCCC. in cujus exitu occiſus eſt Gainas, & initio Helenopolitanus epiſcopus creatus eſt Palladius. [h] *Biennio integro* cauſam hanc agitatam fuiſſe, addit Dialogiſta, & à Iohanne Chryſoſtomo in Epheſinâ LXX. epiſcoporum Synodo, [§] dum hyems eſſet, terminatam: quo tempore depoſitis aliquot Epiſcopis, in locum defuncti nuper Epheſiorum eccleſiæ antiſtitis *Heraclidem* diaco-

[f] Ibid. fol. 319. b. ἐπὶ τῆς [illegible] Geo. g Alexandrin.

[g] Ibid. fol. 320. b.

[*] [illegible] Georg.

[h] Ibid. fol. 321. a.

[§] χειμῶνος [illegible] Georg.

diaconum, natione Cyprium, & Euagrij monachi in Scethi eremo discipulum (cujus nomini, ni fallor, condiscipuli sui Palladij Lausiaca historia, *Paradisi* titulo, falsò habetur adscripta) substitutum fuisse, præter alios, in Ecclesiasticâ suâ historiâ (lib. VIII. cap. VI.) refert Sozomenus.

Verùm post *quadriennium* Episcopos illos qui depositi fuerant sedibus suis restitutos esse, docet in eodem Dialogo [i] Palladius; de Ephesijs speciatim deinde adjiciens. *Ordinantes tribuni Victoris eunuchum, in sede Episcopi collocârunt: cum verò, qui à* LXX. *episcopis fuerat ordinatus, carceri hactenùs inclusum servant; virum apprimè liberalibus disciplinis imbutum, & qui post vitam solitariam, ac divinarum literarum peritiam singularem, accersitus ex eremo, triennium Diaconi fuerat perfunctus officio.* Unde colligimus, sub initium anni CCCCII. Ephesiorum episcopum ordinatum Heraclidem, anno CCCCVI. datum fuisse in custodiam; in communi videlicèt illâ persecutione, [k] quæ Palladium Helenopolitanum & reliquos qui Attico (hoc ipso anno, [l] Arcadio VI. & Probo Coss. vivente adhuc Iohanne, in sedem Constantinopolitanam intruso) communicare noluerunt, similiter involvit. Quot verò annos in carcere ille exegerit, quum de eâ calamitate dissereret Palladius, verbâ illa declarant: [m] *Heraclidem Ephesium quadriennium jam Nicomediæ carceri inclusus est.* Ex quo inferimus, anno CCCCX. hoc inter Theodorum & Palladium habitum fuisse colloquium: Romanæ Ecclesiæ adhuc præsidente *Innocentio*, non *Zosimo*, ut in vulgato hujus Dialogi legitur Procemio.

In quo & illud mihi non parùm est suspectum quòd, qui cum Theodoro hîc sermonem confert, Palladius *Helenopolitanæ ecclesiæ venerandus Antistes* appellatur. Nam *Episcopum* quidem se fuisse, quum Iohanni Chrysostomo comes adhæsisset, illis verbis satis ipse indicat; [n] *Eramus cum Iohanne quadraginta Episcopi, tunc in episcopatus*

[i] Ibid. fol. 321, b.

[k] Ibid fol. 305. a. b. 315. a. & 330. a.

[l] Socrat. Histor. lib. 6. cap. 20.

[m] Tom. 2. Liporian. fol. 310. a.

[n] Ibid. fol. 310. b.

cristinio

triclinio sedentes: sed alium tum fuisse sedis *Helenopolitanæ* præsulem, non minùs clarè idem ipse significat. Professus enim se [o] *ne punctum quidem temporis*, dum Asiaticorũ Episcoporũ tractaretur negotiũ, à Iohanne abfuisse; illo Cõstantinopoli manente, [p] *Palladium Helenopolitanũ Episcopum* ad eorum causam cognoscendam in Asiam missum fuisse narrat. Et quum post [q] mortem Iohannis se [r] *primùm Romam vidisse* noster hic testatus sit Palladius: priùs [s] Romam *Palladium Episcopum Helenopoleos* advenisse, viventisq; Iohannis causam ibi egisse confirmat Theodorus; [t] quid de illo posteà actum fuerit ignorans, & [u] ab altero illo cum quo loquitur Palladio scire desiderans. Quibus & ipsius Helenopolitani Palladij testimonium addere liceat, qui se in Bithyniâ ordinatum Episcopum, [x] *tempestatis illius quæ sub sancto Iohanne commota est interfuisse malis* innuit; ejusq; causâ Romam se profectum, à Piniano & juniore Melaniâ ejus uxore hospitio ibi exceptum fuisse, in Lausiacâ suâ Historiâ hisce verbis apertè indicat. [y] Οὐ μικρῶς δὲ καὶ ἡμᾶς πλείονας ὄντας ἐτίμησαν ἀπελθόντας ἐν Ῥώμῃ, διὰ τὸν μακάριον Ἰωάννην τὸν ἐπίσκοπον, καὶ ἀνέπαυσαν ἡμᾶς καὶ ξενοδοχείᾳ καὶ ἐφοδίοις δαψιλεστάτοις. [z] *Nec nobis quidem, & certè cùm plurimi simul essemus qui Romam propter beatum episcopum Iohannem perrexeramus, exigua præstiterunt: sed dum & in illis partibus degeremus, officiosissimo nos susceperunt hospitio, largissimisq; sumptibus cùm exinde proficisceremur honoraverunt.*

Idcircò audiendi non sunt, qui in Dialogum de Vitâ Chrysostomi, pro *Blemmyorum* episcopo, *Helenopolitani* antistitis nomen errore librariorum irrepsisse suspicantur: ab Ambrosio Camaldulensi decepti, qui [a] *Palladium Blemmyorum sive Æthiopum episcopum servari prope locum qui Syene vocatur*, in Latinâ suâ versione retulit. quum *Episcopi* vocabulum, ab Interprete temerè adjectum, tenebras historiæ hîc offuderit; quæ non aliud voluit, quàm *Palladium* illum, cujus superiùs mentio facta fuerat, Helenopolitanum episcopum, in custodiâ esse *servatum in vi-*

[o] Ibid. fol. 319. b.
[p] Ibid. fol. 320. b.
[q] Ibid. fol. 315. b. 333. a.
[r] Ibid. fol. 301. a.
[s] Ibid. fol. 304. b.
[t] Ibid. fol. 305. b
[u] Ibid. fol. 329. b.
[x] Heraclid. Paradis. cap. 22. κοινωνήσας τῇ περιστάσει τῇ κατὰ τὸν μακάριον Ἰωάννην. Pallad. Lausiac. histor. cap. 43.
[y] Pallad. histor. cap. 121.
[z] Heraclid. Paradis. cap. 49.
[a] Tom. 2. Lipom. fol. 330.

ciuitâ Blemmyorum Æthiopum, in loco qui Castrum Syenes vocabatur. Id enim Græca illa sonant, à [b] Georgio Alexandrino ex Dialogo hoc perita: Παλλάδιον Βλέμμυων τῶν Αἰθιόπων ἐκγεγόνων φρουρεῖσθαι, Συήνης τὸ Κάστρα καλουμένα τὸ τόπο. Qui igitur in hoc Dialogo cum Theodoro colloquitur Palladius, non Helenopoleos in *Bithyniâ* (cui Palladium Galatam, Euagrij discipulum, Lausiacæ scriptorem Historiæ, eo tempore præfuisse ostendimus) sed vel Helenopoleos in [c] *Palæstinâ*, vel alterius alicujus Ecclesiæ antistes est habendus. Et cujuscunq; sedis ille fuerit Episcopus, quum unam Dialogi personam is sustineat & Theodorus alteram; ab hoc potius quàm ab illo sermones istos literis memoriæq; fuisse commendatos, illa Theodori ad Palladium verba, cuivis sine præjudicatâ opinione ea perpendenti facilè persuaserint. [d] *Volo autem id sit tibi meæ credulitatis argumentum, quòd ea intentissimè audivi quæ dicta sunt, memoriæq; altiùs infixa teneo; scripturæ fortè tradenda per me, si Deus juverit, in memoriam generationis nostræ, & eorum utilitatem qui Episcopatum desiderant.*

[b] Tom. 8 Oper. Chrysostom. pag. 216. edit. Græc. Savil.

[c] Vid. supr. cap. 8. pag. 131.

[d] Tom. 2. Lipom. fol 329. b.

Ista paulo diligentiùs persequi visum fuit, non solùm ut appareret quàm nullo niteretur fundamento Trithemij & ejus sectatorum sententia, Vitam hanc Chrysostomi Palladio Scotorum episcopo tribuentium; sed etiam quòd à viris doctis hâc in re variè peccatum fuisse animadverterem. Clarissimus [e] Vossius, à Scotorum quidem Palladio Vitam Chrysostomi conscriptam fuisse rectè negat; sed in vero auctore designando nonnihil aberravit, dum addit. *Is qui Chrysostomi vitam scripsit est Palladius Galata, Chrysostomi* (vel *Euagrij* potiùs,) *discipulus, episcopus Helenopolis: cujus hodiè dialogus exstat de vitâ Chrysostomi, in quo se colloquentem induxit cum Theodoro Romanæ Ecclesiæ diacono; qui habitus, cùm Zosimus pontifex esset.* Baronius, [f] initiò quidem Palladium, Helenopoleos in Bithyniâ episcopum & Lausiacæ scriptorem historiæ, diversum ab illo fuisse statuit, qui in hoc Dialogo interloquitur;

[e] Voss de Historicis Latin. lib. 3. cap. 12.

[f] Baron. ann. 388. §. 110.

quitur: posteà verò e utrumq; confundit, atq; demùm [h] Palladium, qui ex Romanæ Ecclesiæ Diacono Scotorum factus est Episcopus, scripsisse ait *sub Zosimo Papâ res gestas S. Iohannis Chrysostomi; nempe dialogum illum alterius Palladij Episcopi Helenopolis cum Theodoro itidem Romanæ Ecclesiæ diacono.*

[g] Id. ann. 400. §. 61. & 417. §. 1.
[h] Id. ann. 429. §. 3.

Possevinus quoq; [i] Palladij Galatæ *Dialogum cum Theodoro* extare dicit: eundemq; Dialogum [k] *Palladium primum Hiberniæ Episcopum* scriptisse asserit; de alijs ejusdem scriptis alibi adjiciens: [l] *Scripsit librum contra Pelagianos, & librum Homiliarum, & ad Celestinum librum Epistolarum, & alia. sed ut pleraq; pereire, ita dolendum est extare non posse, unde pleraq; illius Pontificiæ legationis in lucem erui possent.* In hisce verò secutus ille est Baronium: qui Iohanni Trithemio ea perperàm tribuens, quæ [m] Iohanni Balæo accepta erant referenda, de Palladij nostri scriptis ista retulit. [n] *Palladius diaconus apud Trithemium numeratur inter scriptores Ecclesiasticos. nam præter Vitam Iohannis Chrysostomi ab ipso scriptam per dialogismum, in quo Palladius Episcopus & Theodorus diaconus interloquuntur, librum etiam contra Pelagianos, & Homiliarum librum unum, & ad Celestinum epistolarum librum unum, & alia Græco sermone ab eodem edita idem tradit. Utinam extaret liber ille Palladij epistolarum ad Celestinum: certè quidem, cuncta quæ in hâc legatione ab eo gesta essent, fuisse accurate scriptis mandata illis epistolis, opinari possumus; cum nos illis carentes, de rebus magni ponderis memoriâ perpetuâ dignis, nihil præter ea quæ dicta sunt ex Prospero, habeamus expressum.*

[i] Possevin. Apparat sacr. in Palladio Galatâ.
[k] Id. in Iohan. chrysostomo.
[l] Id. in Palladio Britanno.
[m] Balæ. Centur. 14. num. 6.
[n] Baron. ann. 429 §. 8.

Verùm & vano illo dolore Possevinus, & inani illo voto Baronius supersedisset, si Balæi perspectam habuisset consuetudinem, non illa solùm auctoribus tribuendi quæ scripta ab eis fuisse alicubi legisset, sed etiam quæ scribi ab illis probabiliter potuisse ipse conjecisset. A nostro enim Palladio quicquam literarum monimentis memoriæ posteritatiq; proditum fuisse, nihil est quod faciat fidem. Quare ut aliunde quæ in Prospero desunt aliquo

modo suppleantur; visum est ex rerum B. Patricij scriptoribus, quæ ad hanc Palladij legationem spectant, hîc apponere. Sic igitur de eâ scribit Ninius Britannus. *Missus est Palladius episcopus primitùs à Celestino Papâ Romano ad Scotos in Christum convertendos. qui prohibitus est à Deo per quasdam tempestates: quia nemo potest quicquam accipere in terrâ, nisi de cœlo illi datum fuerit. Et profectus est ille Palladius de Hiberniâ, pervenitq; ad Britanniam, & ibi defunctus est in terrâ Pictorum.* & [a] Matthæus Florilegus. *Missus est Palladius episcopus à Papa Celestino ad Scotos ad Christum convertendos. Qui primò verbum Dei in Scotiâ prædicans, tandem Britanniam pervenit, & in terrâ Pictorum defunctus est.* & [p] Probus Hibernus. *Palladius à Celestino Papâ directus fuerat ad hanc insulam sub brumali rigore positam, convertendam; sed prohibuit illum Deus convertere gentem illam: quia nemo potest accipere quicquam in terrâ, nisi datum ei fuerit de cœlo. Immites enim & feri homines recipere nolebant doctrinam ejus: neq; ipse longum voluit transigere tempus in terrâ non suâ, sed reverti disposuit ad eum qui misit illum. Cumq; aggressus Palladius mare transnavâsset, & ad fines Pictorum pervenisset, ibidem vitâ decessit. Audientes itaq; de morte Palladij archidiaconi, discipuli ipsius qui erant in Britannijs, id est, Augustinus, Benedictus & cæteri, venerunt ad sanctum Patricium in Euboriam, & mortem Palladij ei denunciabant.*

[a] Flor. histori. ann. grat. 491.

[p] Prob. Vit. Patricij, lib. 1.

Qui veterè linguâ Hibernicâ vitam Patricij descripsit, ita rem narrat. Celestinus *misit Palladium eximium Diaconum, cum duodecim alijs, ad prædicandum Hibernis. Cumq; in Laginiam advenisset Palladius, occurrens illi Rex illius gentis Nathi filius Garichon*, inde eum expulit. *Paucos tamen eo in loco sacri baptismatis lavacro ille abluit, ibiq; tres fundavit Ecclesiolas.* I. *Cell-fine: ubi libros suos reliquit, unâ cum scrinio & reliquijs quibusdam Petri & Pauli, nec non tabulâ in quâ scribere consueverat.* II. *Teach na Roman*, sive Ædem Romanorum. III. *Domnach Arte, quam dicavit Silvestro & Solonio. Et cùm ad suos revertere statuisset, morbo correptus in terrâ* * *Pictorum mortuus est.* Alius, qui Latinè

* Cruindech.

tribus

tribus libris Acta Patricij explicavit, in eorum secundo de Palladij legatione ista retulit. *Anno ab Incarnatione Domini CCCCXXX. beatissimus Papa Celestinus Archidiaconum Romanæ Ecclesiæ nomine Palledium ordinavit Episcopum, & ad Scotos convertendos ad Christum in Hiberniam ante sanctissimum misit Patricium; traditis ei BB. Petri & Pauli & aliorum Sanctorum reliquijs, Veterù quoq; & Novi testamenti voluminibus datis.*

Est autem Hibernia insula omnium occidentalium Insularum post Britanniam maxima, serenitate aëris salubertima, ut nullus propter hyemem secet ibi fœnum; nullusq; serpens potest ibi vivere aut rana, sed & omnia quæ inde portantur valent contra venena: ultra quam ad occasum nulla inventur habitabilis terra, nisi miranda loca quæ vidit S. Brendanus in Oceano. Hæc jam Insula propriè Scotorum est patria. Palladius ergo perveniens Hiberniam, in tribus locis ibi Christi fundavit Ecclesiam. In plebe autem Nathi filij Garrchon, quæ dicitur modò Hnagarrchon, construxit monasterium quod vocatur Scoticè Ceall-mor: in quo usq; hodie sunt ejus libri, & Apostolorum reliquiæ. Discipuli verò ejus construxerunt monasterium, quod dicitur Scoticè Teach na Romanach, id est, Domus Romanorum. Tertia autem Ecclesia Domnach Arda, à Silvestro & Solonio S. Palladij discipulis est constructa. Palladius itaq; paucos ad Christum convertens, & gentilium impetum ac ferocitatem ferre non valens, Hiberniam deseruit: & redire volens Romam, in provincia Pictorum, quæ modò est Scotia in Britannia, vitam finivit suam. Sanctus autem Patricius ad tale opus grande à Deo olim est præelectus. Habitatores enim Hiberniæ non receperunt doctrinam Palladij: quia non illi Deus donavit Hiberniam, sed S. Patricio servavit eam.

Apud [1] Iocelinum quoq; de eâdem Palladij legatione, similiter legimus. *Præmiserat Papa* Celestinus *prædicandi gratiâ in Hiberniam, ante* Patricium, *alium Doctorem nomine Palladium, Archidiaconum scilicèt suum: cui adjunctis sociis copiam contulit librorum, utrumq; videlicèt Testamenti, cum reliquijs Apostolorum Petri & Pauli ac martyrum.*

[1] Iocelin. Vit. Patricij, cap. 25. Vid. & cap. 105.

rum plurimorum. Hibernicis verò prædicationi ejus non credentibus, sed obstinatissimè oppugnantibus, à regione illorum discessit; Romamq; tendens, in Britanniâ infra fines Pictorum in fata concessit. Quosdam tamen in Scotiâ ad Christum convertens, baptizavit: tresq; ecclesias de robore extructas fundavit; quibus discipulos suos prælatos, Augustinum videlicèt, & Benedictum, Silvestrum & Solonium, collatis codicibus suis & reliquijs sanctorum, reliquit. Huic, fructuosiori legatione & labore, S. Patricius successit: quia, ut Hibernico proverbio dicitur, Non Palladio sed Patricio Dominus convertendam Hiberniam concessit.

Palladium, ex Hiberniâ reversum, in terrâ *Britonum* mortuum esse, Johannes Tinmuthensis significat: scriptorem Vitæ Patricij secutus, quem in publicâ tum Oxoniensis tum Cantabrigiensis Academiæ bibliothecâ legimus, ita hâc de re scribentem. *Cœlestinus alium prædicatorem, nomine Palladium, misit ante Patricium ad hanc insulam: sed habitatores ejus non susceperunt doctrinam ejus; quia non illi donavit Deus istam insulam, sed S. Patricio reservavit eam. Palladius verò reversus est ut iret Romam: sed mortuus est in regione Britonum.* Sed cùm *Fordoni*, in Mernix provinciâ, vitâ functum fuisse in [f] præcedente Capite docuerimus: aliorum quos recensuimus sententiam verioremesse consequitur, qui eum in terrâ *Pictorum* vitam finijsse tradiderunt. quanquam etiam in Tirechani episcopi Collectaneis annotatum invenerim, Palladium *martyrium passum esse apud Scotos, ut tradunt sancti antiqui.* XVIII. Kalendas Ianuarij fatis eum concessisse refert [g] Balæus. quod si verum: sub finem ejusdem anni, quo ad Scotos missum illum fuisse ex Prospero jam ostendimus, decessisse eum necesse est. Anno enim CCCCXXXII. proximè insecuto Cœlestinum Romanum Pontificem mortem obijsse constat: à quo, post Palladium, missum huc fuisse B. Patricium, Ninius, Tirechanus, Maccuthenus, Probus, Marianus, Sigebertus, Iocelinus, Vincentius Bellovacensis, Matthæus Florilegus, Martinus Polonus, Antoninus Florentinus,

[f] cap. 15. pag. 670. 671.

[g] Balæi Centur. 14. num. 6.

rentinus, & cæteri confirmant.

Ad annum igitur CCCCXXXII. S. Patricij in Hiberniam adventum non malè in Annalibus suis Iohannes Clinnus retulit: ad quem æræ Dionysianæ annum, *Aëtij* atq; *Valerij* Consulatu, & Theodosij junioris imperij (ab Honorij morte deducti) *nono* anno prænotatum, in Mariani Scoti MS.° & ex eo expresso Florentij Wigornienſis Chronico, annotatum invenimus. *Patricius sanctus genere Britto* (vel *Brito*) *à sancto Cœlestino Papâ consecratus, & ad archiepiscopatum Hiberniæ missus, ibi per annos* LX. *signis atq; mirabilibus prædicans, totam insulam Hiberniam convertit ad fidem.* Cum quibus & auctor ille consentit, qui tribus libris res B. Patricij enarravit; eorum postremum sic exorsus. *Anno nono regni Theodosij Imperatoris, qui post Honorium regnavit, anno quarto Lœgarij filij Neill regis Themoriæ, anno autem sexagesimo ætatis suæ missus à Cœlestino Papâ ad prædicandum in Hiberniam beatissimus archiepiscopus Patricius venit.* Quandoquidem verò *sexagenarius* huc ille perveniſſe memoratur; ne primam ætatis partem ingrato silentio præterijſſe videamur, tanti viri & de universâ nostrâ Hiberniâ tantopere meriti primordia, ex ijs qui supersunt Vitæ ipsius scriptoribus, visum est repetere.

CAP. XVII.

Varij Aliorum B. Patricij scriptores. Ejus patria, parentes, fratres, nepotes, servitutes, studia in Galliâ & Italiâ, Episcopatus & legationis Hibernicæ susceptio. Primi ejus in gentilitiâ superstitione debellandâ conatus, & primum Pascha in Hiberniâ celebratum. Trimmensis, Louthiana, Armachana, Slebtiensis & Dublinensis Ecclesiæ fundatio. Ængus rex in Momoniâ & Almogith rex in Connaciâ, cum suis, ad fidem conversi. Postremum Patricij iter Romanum: & quid per triginta reliquos vitæ suæ annos ille egerit. De successoribus ejusdem, recessu ejus Avallonico, mortis tempore & sepultura eius. Tres San-

ctorum

florum Hiberniæ ordines; & eorum in Liturgiâ Ecclesiasticâ, Regulæ monasticâ, tonsurâ, observatione Paschali, & mulierum contubernio, consuetudines variæ. Regum Hibernicorum, sub quibus illi claruerunt, tempora; & alia ad eosdem speciatim pertinentia.

PATRICII nostri Acta omnium copiosissimè *Iocelinus* Furnesij monachus descripsit: quæ Antuerpiæ anno MDXIIII. operâ *Cornelij Hugonis* Franciscanorum Hiberniæ provincialis Vicarij, & post CX. annos Parisijs *Thomæ Messinghami* diligentiâ, typis publicata extant. Quorum verò consilio laborem hunc susceperit, in Operis Prologo Iocelinus ita patefacit. *Reverentissimi Thomæ Ardmachani Archiepiscopi totiusq; Hiberniæ Primatis, & Malachiæ Dunensis præsulis, ad hoc opus aggrediendum præceptis perstringimur. Illustrissimi nihilominùs Iohannis de Curci Ulidiæ Principis, qui & illam debellavit, super hâc re petitio adjungitur, qui S. Patricij specialissimus dilector & venerator esse dinoscitur; cui obtemperare dignissimum arbitramur.* Factum hoc circa annum MCLXXXIII. ad quem à Chronographo quodam Cestrensi annotatum invenimus. *Ivit quidam monachus de Cestrâ, nomine Willelmus de Etleshale, in Hulvester ad Dun; & prioratum Ecclesiæ S. Patricij ab Episcopo Malachiâ de Dun & à * Domino Iohanne de Curci suscepit.*

* Vid. Pembrigij Annales Hiberniæ, ad annum 1204. apud Camden. pag 797.

A plurimis jam olim idem tractatum fuisse argumentum, Biographus ille, quem in publicâ Oxoniensis & Cantabrigiensis Academiæ bibliothecâ haberi diximus, breviter ita indicat. *Omnes libri qui de virtutibus Patricij scripti sunt, sexaginta sex numero computantur; vel sexaginta tres,* ut habet alter anonymus qui libris tribus Acta illius descripsit. Id Iocelinus plenius hunc in modum explicat a *De his quæ mirificè gessit in mundo, libelli vel tractatus referuntur cõscripti, sexaginta sex numero: quorũ pars plurima principantibus * Gurmundo & Turgesio consumpta periit incendio. Quatuor tamen codices de virtutibus & miraculis ejus partim Latinè*

a Iocelin. Vit. Patricij, cap. 126.

* Vid. supr pag. 571.

&

& partim Hibernicè conscripti reperiuntur, quos diversis temporibus quatuor discipuli ejus (videlicèt beatus Beniguus successor illius, & sanctus Mel episcopus & sanctus Lumanus pontifex nepos ejus, & sanctus Patricius filiolus ejus, qui post decessum patrui sui Britanniam remeans in fata concessit, in Glasconensi Ecclesiâ sepultus honorificè) conscripsisse referuntur. Sanctus nihilominùs Evinus simili modo actus S. Patricij in unum codicem compilavit, quem partim Latino sermone, partim Hibernico composuit. De quibus omnibus quæcunq; fide digna reperire potui, in hoc opus collecta communicare notitiæ posterorum gratum duxi. Ita Iocelinus.

Scriptorum Vitæ Patricij qui typis excusi extant antiquissimus est *Probus* Hibernus; qui duos hâc de re ad Paulinum libellos edidit, venerabilis Bedæ Operum tomo tertio, sine auctoris nomine, insertos. Ipse tamen in secundi libri Epilogo nomen suum sic aperuit. [b] *Ecce habes, frater Pauline, à me humili Probo postulatum nostræ fraternitatis iudicium; quo nos pauperes aliqua tibi de sanctissimi patris nostri Patricij Episcopi virtutibus scribere cupiebas.* Quandoquidem verò Mellonem sive Mellanium Britannum, Rhotomagensium de quo [c] diximus episcopum, *Probi* cognomento [d] Balæus (cum Possevino, Pitseo & alijs ejusdem sectatoribus) ornandum esse censuit; [e] Dempstero etiam hunc vitæ Patricianæ scriptorem *Mellanium Probum Scotum* appellare libuit. quum, si ejusmodi cognomentorum à Balæo excogitatorum aliqua habenda esset ratio, *Elvodugus Probus* multo majore cum ratione quàm *Mellanius Probus* ab eo nuncupari potuisset. Ab omni enim veri specie abhorret ut *Mellanius*, quem [f] Dempsterus anno CCLX. floruisse agnoscit, B. Patricij annis CXII. post illud tempus in lucem editi & CCXXXII. defuncti Vitam & exitum literis commendaverit. Inter monumenta autem literaria quæ suis reliquit *Elvodugus*, [g] Balæus *Historiam Britannorum* nominat, ex quâ plura ait annotavisse discipulum ipsius *Nennium*, à nobis *Ninium* appellatum, quem de B. Patricio multa, & aq; parùm

[b] Oper. Bed. tom. 3. col. 314. edit. Basil. ann. 1563.

[c] Supr. cap. 7. pag. 145. 146.

[d] Balæ. Centur. 1. num. 31.

[e] Dempster. Histor. Ecclesiast. lib. 15. num. 1001. pag. 523. & 527.

[f] Id. lib. 12. num. 924. pag. 488.

[g] Balæ. Centur. 1. num. 67.

parùm probatæ fidei, Chronico suo Britannico inseruisse novimus. Quin & Patriciana Probi nostri historia, ut [h] Gabriel Pennottus monuit, *non ab omnibus recipitur, & in aliquibus falsa esse convincitur apertissimè:* atq; *permulta cum anili futilitate conjuncta, & nonnulla à veritate Euangelicâ omninò aliena* in eâ contineri pronuntiavit (in Præfatione librorum duorum de Vitâ S. Patricij, quos anno MDLXXXVII. Alexandro Farnesio Parmæ & Placentiæ Duci dicatos, Antuerpiæ typis Plantinianis edidit) avunculus meus Richardus Stanihurstus.

[h] Pennot. in Clericorum Canonic. Histor. lib. 2, cap. 35. §. 4.

A quibus anilibus cómentis optaremus ut reliqua etiam ejusdem argumenti scripta essent immunia: quorum, præter *Probi* & *Ninij* ista, quatuor ante Iocelini ætatem exarata nobis videre contigit. Eorum *primum*, Poëma fuit Hibernicum, XXXIIII. distichis comprehensum, [i] *Dubhtachi* poëtæ discipulo [k] *Fiecho*, quem Slebhtiensi Ecclesiæ (in **Lesâ* sive *Regina Comitatu*) Patricius Episcopum præfecerat, attributum. *Secundum* Collectanea *Tirechani* episcopi complectebatur, quæ ex ore vel libro *Ultani* Conchuburnensis episcopi, cujus ipse alumnus fuerat, scripsisse dicebatur. *Tertium* titulos tantùm Capitum Vitæ Patricij continebat, quam ad *Aidum*, Slebhtiensis item civitatis episcopum, *Macccuthenus* scripserat. *Quartum* linguâ Hibernicâ ab Anonymo quodam consignatum erat: qui S. Patricium à *Columbâ* sive *Columchille* * Felimæi filio, *Ultano* filio Conchobhair, (quem *Ardbrecanensem* appellant) *Adamnano* Attinienſi, *Helerano* sapiente, *Ciarano* de Belaig-duin, *Ermedacho* Clochorensi episcopo, *Colmano* Vamachensi, & *Crumthir Collais* de Druim-roilgeach, celebratum memorat.

[i] de quo Iocelin. cap. 44.
[k] Id. cap. 115. & 117.
* Lugir

* supr. pag. 689.

De genere suo ita scribit ipse Patricius (si modò titulus non fallat) in epistolâ ad Coroticum tyrannum: *Ingenuus fui secundùm carnem * de decurione patre nascor.* & in Confessione suâ: *Patrem habui Calpornium diaconem, filium quondam Potiti presbyteri, qui fuit in vico Bonaven Tabernie.* Similiter Probus, libro I. de Vitâ ipsius: *Hic in Britannijs*

* forte, decurione

annis natus est à patre Calpurnio diacono, qui fuit filius Potiti presbyteri, & matre Conchessâ nomine, de vico Bannaue, Tyburniæ regionis, haud procul à mari Occidentali. & Iocelinus, capite I. *Extitit vir quidam Calpurnius nomine, filius Potiti presbyteri, Brito natione, in pago Taburniâ vocabulo, hoc est, Tabernaculorum campo (eo quòd Romanus exercitus tabernacula ibidem fixerit) secus oppidum Emptbor degens, mari Hibernico collimitans habitatione.* ubi Scholiastes illius, *Taburniam sitam esse in Cornubiâ* malè annotat: quum natale Patricij solum, inter castrum Dunbritannicum & civitatem Glascuensem positum, accepto ab ipso nomine, Kirk-Patrick vel Kil-Patrick hodie dicatur; ubi & olim Vallum illud terminatum fuisse [1] ostendimus, quod à Romanis Barbaros discludebat. Hanc enim extremam Romanorum in Britanniâ provinciam, quarto ferè ante natum Patricium anno, [m] Theodosius Comes ab hostium potestate recuperatam *Valentiam* nominaverat: ad cujus limitem, inter Glottam & Bodotriam porrectum, stationem habuit illa à [n] Claudiano commemorata

[1] Supr. cap. 15. pag. 602, 605.

[m] Supr. pag. 96. 97. 588. & 683.

[n] Claudian. de Bello Getico: supra, pag. 595.

.. extremis legio prætenta Britannis;
Quæ Scoto dat frena truci ferroque notatas
Perlegit exanimes Picto moriente figuras.

Genitum fuisse Patricium in *Nemthur*, Fiechus Slebhtiensis ut concessum sumit: quem locum vetus illius interpres in septentrionali Britanniæ parte situm, & *Aileluade* dictum fuisse ait. illum extremum intelligens Britannicæ ditionis limitem: de quo Beda. [o] *Est sinus maris permaximus, qui antiquitùs gentem Britonum à Pictis secernebat. Qui ab Occidente in terras longo spatio erumpit, ubi est civitas Britonum munitissima usque hodie, quæ vocatur Aleluith. Ad cujus videlicet sinus partem septentrionalem Scoti advenientes, sibi locum patriæ fecerunt.* & Rogerus Hovedenus, in Annalium parte priore. *Anno* DCCLVI. (qui fuit post Bedæ mortem XXI) *Eadbert rex* (Nordanhumbrorum, qui & *Egbert* dictus) *& Unnust* (sive *Oengus*, quem anno DCCLXI. obijsse, ex eodem Hovedeno & Appen-

[o] Bed. histor. lib. 1. cap. 1.

dice ad Bedæ Epitomen Historiæ Anglorum adjectâ, liquet) *rex Pictorum duxerunt exercitum ad urbem Alcluit; ibiq; Britones inde conditionem receperunt, primâ die mensis Augusti.* Ea hodie castri *Dunbritannici* nomine nota est: in quo & Patricium natum fuisse, in suâ Scotiæ descriptione Iohannes Hardingus retulit. à quo castrò opidum illud *Empthor* sive *Nemthur* non procul abfuisse, etiam illa Iocelini indicant. P *Erat in quodam promontorio supereminenti præfato opido Empthor munitio quædam exstructa, cujus adhuc murorum apparent ruinosa vestigia.* &c. *Est autem locus celebris in valle Clud situs, linguâ gentis illius Dunbretan, id est, Mons Britonum nuncupatus.*

P Iocelin Vit. Patric. cap. 11.

Quia verò hodie, mutatis priscis regionum terminis, castrum illud Dunbritannicum non, ut olim, ad Britonum sed ad Scotorum ditionem spectat: inde fortasse factum, ut aliqui B. Patricium *Scotum* fuisse dixerint. nisi hinc potiùs errorem ortum fuisse existemus; quòd in antiquis Martyrologijs (Bedæ, Usuardi, Rabani & Adonis) XVI. Kalend. April. *in Scotiâ natale* (vel, ut q Notkeri Martyrologium habet, *nativitas*) *S. Patricij Episcopi* annotatum reperiatur. quum tamen, ut *natalis* nomine non ortus sed obitus, ita etiam *Scotiæ* vocabulo non Albania sed Scotia designetur. quod & in suis ad Martyrologium annotationibus observat Petrus Galesinius, & novi Martyrologij Romani textus confirmat, in quo legitur. *In Hiberniâ natalis sancti Patricij episcopi & confessoris, qui primus ibidem Christum euangelizavit, & maximis miraculis & virtutibus claruit.* ubi tamen ille (ut ex literis D. Rothæi, ante annos XV. ad me datis, hoc ἐν παρόδῳ moneam) non simpliciter *primus prædicator fidei in Hiberniâ* est accipiendus; sed *primus & primarius honore, virtute, zelo, opere, sanctitate & efficacitate conversionis omnium consummatissimæ.*

q Suprà, pag. 731.

Sigebertus Gemblacensis in anno CCCXCIIII. S. Patricium *Scotum* appellat: in anni tamen CCCCXXXII. historiâ *genere Britonem* fuisse agnoscit. Matthæus Florilegus postquàm in anno CCCXCIIII. Sigebertum secutus,

tus, *S. Patricium Scotum in Hiberniam venditum cum suis sororibus* fuisse dixisset; in anno CCCCXCI. ita narrationem invertit. *Cùm esset natione Hibernensis, à patre cum duabus sororibus suis in Scotiam venditus est.* Scotum Hibernienſem fuisse, [r] Baronius quoq; innuit. [s] Humfredus Lhuydus in *Roseâ valle* natum asserit: de quâ Giraldus. [t] *Dicitur locus, ubi Ecclesia Menevensis sita est & in honore B. Andreæ Apostoli primò fundata, Vallis Rosina: quæ tamen Marmorea potiùs quàm vel Rosea vel Rosina dici posset; quoniam rosis minimè, marmore verò plurimùm abundat.* Et [u] quia eò aliquando secessisse, & [x] monasterium ibi fundaviſſe Patricius ferebatur; etiam natum ibidem fuisse, opinandi data inde est occasio.

[r] Baron. ann. 431. §. 191. & ann 491. §. 10.
[s] Lhuyd fragmant Britan. descript. fol. 63 b. Camden. in Penbrokeshire, pag. 511.
[t] Girald. Itinerar. Cambriæ, lib. 2. cap. 1.
[u] Galfrid. Monemuth. lib. 11. cap. 3. Supr. pag. 82.
[x] Iocelin. Vit. Patric. cap. 1.

In baptiſmo verò haudquaquàm *Patricium*, ut [x] Iocelinus voluit, sed *Succat* à parentibus fuisse dictum, non Sigebertus solùm Gemblacensis & Florentius Wigorniensis Iocelino priores, sed etiam carmina Fiecho Slebhtiensi episcopo tributa confirmant; in quibus & *Succat* filius *Calpuirnd* filij *Otidi* (sic enim ibi appellatur, qui alijs *Odaige*, *Potaid* & *Poticus* dicitur) filij *Odissi* fuisse memoratur. Antiquus Fiechi scholiastes *Succath* linguâ Britannicâ *Deum belli* vel *Fortem bello* significare notat: & genealogiam ulteriùs protendens, *Odissum* filium *Gornaid* fuisse ait (*Cornutum* & *Cornicum* alij nominant:) eumq; filium *Mercvid* (al. *Liberudi* vel *Libairni*) filij *Otæ* (al. *Odonis*) filij *Muriæ* (al. *Maviris*) filij *Oric.*, filij *Leonis*, filij *Maximi*, filij *Henoredi* (al. *Eancreti*) filij *Feirin*, filij *Britti* (al. *Britani*) *à quo sunt Bretani nominati.* In alijs quæ penèsme sunt Sanctorum Hiberniæ Genealogijs, inter *Eancretum* & *Ferineum*, interponitur *Eirisus* & pater illius *Pilisius*; atq; *Britanus* sive *Britus* ille, Britannicæ gentis auctor, filius fuisse dicitur *Fergusij*, filij *Nemedi*, illius nimirùm, de quo Ninius. *Secundus ad Hiberniam venit Nimeth quidam filius Agnominis, qui fertur navigâsse super mare annum & dimidium: & postea tenuit portum in Hibernia, fractis navibus ejus; mansitq; ibidem per multos annos.* & Giraldus

Cambrensis: [y] *Nemedus Agnominij filius, natione Scythicus, cum quatuor filijs ad desolatæ litora terræ devectus est. Starium, Gerbanelem, Anninum, Fergusinumq; hic filios habuit.*

Mater Patricij *Concheſſa*, in Angloſaxonico Exonienſis eccleſiæ Martyrologio *Conſablata*, in Opere tripartito & alio Vitæ B. Patricij ſcriptore ex academiæ Oxonienſis & Cãtabrigienſis Bibliothecâ à nobis jam producto, *Conches filia Ocinis* vel *Ochinis*, in libro Ballimotenſi *Comceas vel Cochmas filia Ochmais*, à Fiechi Slebhtienſis ſcholiaſtâ *Conces filia Ochmuis*, appellatur: & Martini, celeberrimi illius Turonenſium Epiſcopi, ab [x] alijs *ſoror*, à [a] Iocelino & alio Biographo anonymo ſororis filia rectiùs fuiſſe traditur. Cùm enim eam *Francam*, vel *Gallam* potiùs, Hibernici noſtri ſcriptores fuiſſe dictitent, & [b] Sabariæ in Pannoniâ Martinum natum fuiſſe conſtet: vero eſt ſimilius, ſororem illius in eâdem Pannoniâ natam, fratrem in Galliam fuiſſe ſecutam, & Gallo cuidam Ochmuis dicto collocatam, Patricij matrem Concheſſam ibidem peperiſſe. Quâ autem occaſione ex Galliâ in Britanniam illa tranſmigraverit, idem [c] Iocelinus ita aperit. Calphurnius *duxerat in uxorem puellam Francigenam Conques vocatam, B. Martini Turonorum archiepiſcopi conſanguineam, formâ atq; morum elegantiâ egregiam. De Gallijs namq; abductam, cum ſorore priore natu, ad aquilonales partes Britanniæ in obſequium patris ſui venditam adamavit; ejuſq; moribus delectatus, delinitus obſequijs, illectus pulchritudine, illam ex ancillari famulatu in conjugale conſortium promovit. Soror verò illius, alteri tradita viro, habitabat in Emphor opido prænominato.*

Anno æræ Chriſtianæ, ſecundùm Dionyſium, CCCLXXII. *S. Patricium natum in Britanniâ ex patre Calprun nomine (qui preſbyter fuit, filius diaconi nomine Fodit)*

[y] Girald. Topograph. Hibern. diſtinct. 3. cap. 3.
[x] Sigebert. Chronic. ann. 432. Florent. Wigorn. ann. 372. Vincent. Specul. Hiſtorial. lib. 20. cap. 23. Annal. Waverleienſ. an. 433. Ranulph. Polychronic. lib. 4. cap. 29. Eulog. hiſtor. lib. 4. Henr. Marleburg. Chron. an. 376. Werner. Faſcic. tempor. Antonin. Chronic. tit. 11. cap. 1. §. 2. Offic. Canonicor. Regular. Lateranenſ. à Pio V. confirmat. Baron. ann. 431. §. 191.
[a] Iocelin. Vit. Patric. cap. 22. & Gabr. Pennott. hiſtor. Clericor. Canonic. lib. 2. cap. 34. §. 1. & lib. 3. cap. 50. §. 2.
[b] Sever. Sulpit. lib. de vitâ Martini, cap. 1. Sozomen. hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 3. cap. 14. Gregor. Turonenſ. hiſtor. Francor. lib. 1. cap. 34. & lib. 10. cap. 31.
[c] Iocelin. cap. 1.

in

in Florentij Wigornienſis Chronico legimus. Cui & auctoris illius rationes qui libris tribus res S. Patricij deſcripſit, & aliorum qui *ſexagenarium* hûc eum à Celeſtino miſſum adveniſſe tradiderunt, conſentaneas fuiſſe, in fine præcedentis capitis declaravimus: à quibus quare alij diſceſſerint, juſtam adhuc cauſam non videmus. Henricus enim Marleburgenſis *anno gratiæ* CCCLXXVI. *S. Patricium natum in Britanniâ majori* fuiſſe refert. Iocelinus, [d] anno ætatis ſuæ CXXIII. atq; [e] Incarnationis Dominicæ CCCCXCIII. deceſſiſſe ſcribens, in annum CCCLXX. nativitatem ejus eâ ratione conjicit. Probus annos vitæ CXXXII. illi tribuit: qui ab anno illo CCCCXCIII. ſubducti, annum Chriſti CCCLXI. nobis exhibent: quo in lucem editum fuiſſe Patricium, etiam in libro de Glaſtonienſis Eccleſiæ antiquitate Guilielmus Malmeſburienſis prodidit. Connacienſes deniq; Annales, majore adhuc prochroniſmo, *natum S. Patritium anno Chriſti* CCCXXXVI. *ſub Conſtante Imperatore* ſtatuunt: quum Conſtantis tamen patrem Conſtantinum Magnum anno demùm æræ noſtræ CCCXXXVII. Maij XXII. ipſo Pentecoſtes die, *Feliciano* & *Titiano* Conſulibus, imperium cum vitâ terminaviſſe conſtet.

[d] Id. cap. 191.
[e] Id. cap. 196.

Fiechianus ſcholiaſtes Patricium unâ cum patre, matre, fratre & quinque ſororibus, relictâ *Ailcluadâ* Britannicâ, auſtrum verſùs itinere ſuſcepto & *Muir-nicht* ſive mari *Icht* tranſmiſſo, ad Britanniam *Armuric-Iathanam* veniſſe atq; apud Britones *Letheos* (illi, *Letos* & *Letavienſes* alijs) dictos, inter matris Concheſſæ cognatos conſediſſe narrat. Eſt autem mare *Icht* (ut ex Albei etiam & Declani Vitis didicimus) illud quod Galliam & Britanniam interfluit; Britannia *Armuric-Iathana*, Britannia *Aremorica*, hoc eſt, *ante mare* (veteres enim Galli Are *ante*, More *dicunt mare*, & *ideò* Morini *marini*: ut ad calcem antiqui Itinerarij Hieroſolymitani à P. Pithœo editi annotatum legimus) vel *Letavia* (id eſt, univerſæ illius Gallicanæ provinciæ quam poſt hæc, de quibus nunc agimus, tempora

pora à novis advenis *Britanniæ minoris* nomen accepisse [f] declaravimus) vel *Alethæ* (notissimi ejusdem provinciæ portus, quem à Maclovio Britanno *Saint Maloes* hodie appellatum [g] ostendimus) collocata. Fratrem autem B. Patricij *Deochoin Sannan* appellatum fuisse ait: qui pater alterius illius *Patricij* fuisse videatur, quem ex Iocelino [h] jam diximus, *post decessum patrui sui* Britanniam repetentem *in* [i] *Glasconensi* (ut prima legit editio) vel [k] *Glastonensi* (ut in eo quo ego usus sum habetur Manuscripto) *Ecclesiâ sepultum fuisse honorificè*. Quinque sororum nomina ab eo recensentur ista: *Lupait, Agris, Liamain, Darerca, Cinnenum.*

[f] Supr. cap. 12. pag. 421. 422.
[g] Ibid. cap. 14. pag. 533.
[h] Supr. pag. 817.
[i] Vid. ibid. pag. 819.
[k] Vid. cap. 6. pag. 110.

Earum prima *Lupita* virgo erat: quam in monasterio sanctimonialium, ad orientalem civitatis Armachanæ partem in illius honorem extructo, sepultam fuisse scripti tripartiti auctor retulit. Secunda, in Florentij Wigorniensis Chronico *Tigris*, à Iocelino *Tigridia* appellatur, qui numerosam ejusdem prolem ita memorat. [l] *Tigridia, felici fœcunditate ditata, fructus optimos protulit: quia septemdecim filios & quinque filias edidit. Omnes mares, magni meriti Pontifices, sive sacerdotes optimi & monachi fuerunt: fœminæ verò sanctimoniales effectæ, in magnâ sanctitate dies consummaverunt. Episcoporum nomina, Brochadius, Brochanus, Mogenochus & Lumanus fuerunt: qui cum S. Patricio avunculo suo de Britannijs in Hiberniam venientes, & in agro Dominico strenuè collaborantes, messem multam ad horrea cœlestia transmittendam collegerunt.* Præter hos, alios etiam Episcopos ejusdem filios (inter quos *Manis, Hiforgnidius, Lacuircnius, Hicill, Dumi, Gluinn*) & maritum *Gollit* Britannum à Tirechano nominatum observo.

[l] Iocelin. cap. 50.

Tertiæ sororis obitum in Hibernicis annalibus anno DXVIII. ita consignatum reperi. *Quies Darercæ, quæ Moninne nominata est.* Ut hâc fortasse vocis homonymiâ deceptus * Conchubranus, *Moninnam* quæ S. Patricij tempore claruit cum posteriorum temporum sive *Monennâ* sive *Modwennâ* confuderit. Nostram verò *Darercam*, in

* Suprà, cap. 15. pag. 705. 706.

thoro

thoro maritali viventem, genuisse novem sanctos Episcopos & totidem sanctas virgines, in Opere tripartito legimus. Ex maritorum uno, cui nomen *Conis*, eam *Mel*, *Riochum* & *Munium* suscepisse, qui *in prædicatione atq; itinere B. Patritium comitabantur, & in locis diversis Pontificalem dignitatem sortiebantur*, [a] Iocelinus indicat: de *Riochi*, quum esset adhuc *cultos codicum S. Patricij*, pulchritudine externâ simul & internâ hæc etiam [b] alibi adjiciens. *Erat ipse natione Brito, gradu tunc Diaconus, sanctis præsulis consanguineus, speciosus formâ præ filijs hominum in finibus illis degentium. Erat nihilominus homo vitæ sanctissimæ: ut dicere posset ex sententiâ illud Psalmistæ; [c] Domine, in voluntate tuâ præstitisti decori meo virtutem.* Postea Episcopum factum invenio in *parvâ* illâ (à [d] Bedâ descriptâ) *insulâ; quæ ad Occidentalem plagam ab Hiberniâ procul secreta, sermone Scotico Inis-bo-finde, id est, Insula vitulæ albæ nuncupatur.* Eam in hodiernâ Scotiâ frustrà quærit [e] Dempsterus: quum, è regione Maionensis litoris in Connaciâ positam nomen adhuc integrum retinere, compertum habeamus.

[a] Id ibid. & cap. 102.
[b] Id cap. 34.
[c] Psalm. 30. 7. al. 29. 8.
[d] Bed. histor. lib. 4. cap. 4.
[e] Dempster. Apparat. ad histor. Scotic. lib. 1. cap. 13. §. 4.

Restituti, alterius Darercæ mariti, (licèt in Connacienſibus Annalibus, ad annum CCCCXLVI. *Restituti* uxorem *Culmanam Patricij sororem* nominatam inveniam) septem in Sanctorum Hiberniæ Genealogijs enumerantur filij; *Sechnall episcopus, Nechtain episcopus, Dabeuna sanctus, Magornan sanctus, Darioc episcopus, Auxilius episcopus, & Lugnath sanctus.* Inter hos celebriores erant *Sechnallus & Auxilius*: quorum prior Latino *Secundini*, posterior Hibernico *Usaili* nomine notus est. *Secundinum* eodem ferè tempore quo avunculum ipsius Patricium in lucem editum fuisse, ex Annalibus Ultonienſibus colligo; qui anno æræ nostræ CCCCXLVIII. *ætatis suæ* LXXV. *quievisse* illum significant. Is auctor habetur Hymni alphabetici in laudem Patricij compositi: de quo antiquus scriptor Hibernus, in Hymni illius Argumento. *Sechnall, filius Restituti de Longobardis & Darercæ sororis Patricij fecit*

hunc Hymnum. Et Secundinus Romanum nomen ejus, Sechnall Hibernicum. & Iocelinus, in Vitâ Patricij, cap. CLXXVII. *S. Secundinus, sapiens & literatus, dixit S. Patricio, velle sibi adjacere, de sancto quodam adhuc superstite carmen componere. Et quia sanctus idem erat Patricius, de quo scribere disposuit, illius nomen silentio suppressit. Ad quem S. Patricius.* —— *Si id omninò cordi tuo infixum fuerit, quod facere disponis, fac citiùs; quia mors tibi adest in januis. Omnium enim Episcoporum qui sunt in Hibernia de seculo primus migrabis. Hymnum igitur in laudem S. Patricij composuit: & paucis postea diebus elapsis, juxta verbum S. Patricij, diem ultimum clausit; sepultusq; in Ecclesia sedis suæ, in loco qui vocatur Domnach-seachlain, crebris se miraculis cum Christo vivere ostendit.* Hæc Iocelinus: cum quibus & illud conferendum, quod in Vitâ Declani legitur. *Seachnallus discipulus S. Patricij, de quo fertur quòd ipse primus Episcopus sub humo Hiberniæ exivit, fuit vir multùm sapiens & sanctus.* Ubi de Episcopali illius sede hoc obiter notandum, ab ipso Sancto eam nomen accepisse. Ut enim *Domnach* sive *Dominica* ædem sacram denotat, non in B. Patricij modò (quod in capite XCI. Iocelinus innuit) sed in nostrâ etiam vulgari lôquendi consuetudine, quâ Kirk & Church * à Κυριακῆ, hoc est, *Dominicâ* deductam eodem sensu usurpamus: ita *Shachlin* populari sermonis usu recepta est hujus Sancti appellatio. locusq; ille, ejus memoriâ apud Midenses adhuc celebris, in Chartâ Donationis Hugonis de Lacy (ab Eugenio Cluhardensi sive Midensi Episcopo anno MCLXXXIII. confirmatâ) *Domenach-sakelin*, tempore hodierno *Don-sohuchlin* nuncupatur: ubi etiam de instituendâ Cantariâ in *Ecclesiâ sancti Secundini Episcopi* decretum in Regni Comitijs anno VII. Edvardi IIII. editum fuisse comperimus.

* Vid. Walafrid. Strab. de reb. Ecclesiasticis, cap. 7.

De *Auxilio* in Opere tripartito ita legimus. *Ad fines Laginensium gloriosus Pontifex Patricius pervexit: & crediderunt ei filij Dunlainge, qui tenebant potestatem aquilonalem Laginensium; & baptizati sunt. Et ordinavit ibi unum de discipulis*

pulis suis nomine Auxilium, virum sanctum & pium, Episcopum: & dimisit eum in provinciâ Laginensium, quæ est quinta pars Hiberniæ contra mare Orientale. Qui Auxilius, post multa miracula, in suâ civitate quæ dicitur Ceall-usalli in planitie Laginensium sanctam finivit suam vitam. anno nimirùm æræ nostræ Christianæ CCCCLX. (si Ultonienses Annales sequi volumus) apud Kildarienses, in loco qui ab ipso *Ædis Auxilij* (id enim *Ceall usalli* sonat) nomen accepit, *Kil-ussi* hodie corruptè appellatus.

Sed à nepotibus Patricij ad ipsum Patricium jam redeo: de cujus primâ captivitate, in Florentij Wigornienſis Chronico, ad annum vulgaris æræ Christianæ CCCLXXXVIII. referuntur ista. *S. Patricius cum duabus sororibus suis, id est, Lupait & Tigris venditur in Hiberniam. Et ipse quidem S. Patricius venditur ad regem nomine Miluc, filium nepotis Buani, in aquilone Hiberniæ; cujus porcorum pastor erat Patricius; & Victor angelus sæpè loquebatur cum eo. Duæ verò sorores ejus venditæ sunt in Conaelle Muirtemne.* quam in Louthiano Comitatu positam, S. Brigidæ & Monennæ sive Modwennæ patriam fuisse, ¶ suprà indicavimus. Fiechianus scholiastes; & qui linguâ Hibernicâ Vitam Patricij descripsit, septem filios *Sectmaidi* vel *Fechmaidi* majoris Britanniæ regis, classe in Armoricam sive *Armuric-Iethanam* Britanniam delatos, magnam inde prædam cepisse, vulneratoq; Calphurnio liberos illius Patricium & Lupitam secum in Hiberniam abduxisse, atq; hanc in *Conalli Muirthemne*, illum in septentrionali parte *Dal-araida* vendidisse produnt. Posterior etiam ille scriptor, cum Florentio consentiens, non *Lupitam* solam sed etiam *Tigridem* sororem in Conalliâ venditam fuisse ait. Alius autem qui Latinè Acta Patricij edidit antiquus auctor illum ex patriâ suâ Britanniâ (quod ipse etiam in Confessione suâ innuit) à Scoticis sive Hibernicis piratis huc traductum narrat. *Causa*, inquiens, *primæ peregrinationis atq; alvei tui Patricij in Scotiam hæc erat. Scotiensis exercitus, classiario more conductâ stipatâ atq; multitudine navium,*

¶ Supr. cap. 15. pag 627. 705. 706.

vium, cùm frequenter transnavigâsset in Britanniam; multos inde ducebat captivos. Et hoc solitè faciente, casus tulit ut ipse cum sorore suâ (Lupitâ) *inter alios captivos duceretur in Scotiam; qui centum tunc erant, annumerato utroq; sexu.*

De eodem, Operis tripartiti auctor: *Eo tempore quedam classis prædavit patriam in quâ S. Patricius erat, & multos inde captivos consueto more ducebat: inter quos S. Patricius cum duabus sororibus suis* (quas ille *Lupitam* & *Darercham* fuisse ait) *captivus ductus est ad Hiberniam. Et ipsi qui cum Patricio captivi ducti sunt, numero centum utroq; sexu erant.* & Jocelinus, capitulo XIII. *Cùm ipse puer illustris tria lustra perlustrâsset, sextumdecimum attingens annum, cum aliis pluribus compatriotis, à piratis fines illos deprædantibus rapitur, captivatur, & in Hiberniam ducitur. Cuidam deinde Regulo paganissimo, Milchoni nomine, in aquilonali parte ejusdem insulæ principanti, in servitutem venditur; in quâ videlicet ætate Ioseph in Ægypto venundatus fuisse memoratur.* Nempe Ioseph [t] *sedecim* fuisse annorum, in editione vulgatâ Latinâ ille legerat; ubi Hebraica, Græca, Samaritana, Chaldaica, Syriaca & reliquæ habent, *septemdecim*. Sexdecim verò fuisse annorum B. Patricium, quum captivus est abductus, non Fiechus solùm Slebhtiensis cum aliis, sed quæ ipsi etiam Patricio tribuitur, confirmat Confessio; in quâ ista legimus. *Annorum eram tunc ferè sedecim. Deum verum ignorabam: &* § *Hiberi nealn captivitate adductus sum, cum tot milibus hominum, secundùm merita nostra. quia à Deo recessimus, & præcepta ejus non custodivimus; & Sacerdotibus nostris non obedientes fuimus, qui nostram salutem admonebant: & Dominus induxit super nos* * *iram animationis suæ, & dispersit nos in gentibus multis; etiam usq; ad ultimum terræ, ubi nunc parvitas mea esse videtur inter alienigenas. Et ibi Dominus aperuit sensum incredulitatis meæ, ut vel serò rememorarem delicta mea, & ut converterer toto corde ad Dominum Deum meum: qui respexit humilitatem meam, & misertus est adolescentiæ & ignorantiæ meæ, & custodivit me antequàm scirem eum, & antequàm saperem vel distinguerem inter bonum & malum;*

[t] Genes. 37. 2.

§ Ita etiam Hibernia appellatur in Antonini Itinerario, quod in MS. Scoti præfert titulum.

* τὴν ὀργὴν τοῦ θυμοῦ αὐτοῦ. 2. Paralipom. 29. 10.

lum; & munivit me, & consolatus est me, ut pater filium.

Hæc ex *libris Epistolarum* Patricij citans Operis tripartiti auctor, *annorum sedecim* illum tum fuisse concludit, qui juxta [f] ipsius rationes, cum nostris consentientes, sub finem anni CCCLXXXVIII. essent terminandi. Ut nullo modo consistere possit, quod ab eodem traditum [g] alibi meminimus; *ductum esse S. Patricium ad Hiberniam captivum primo anno regni Iuliani imperatoris apostatæ.* sic enim in calamitatem hanc incidisset, XI. annis antequàm natus fuisset. Major tamen est Annalium Connaciensium scriptoris prochronismus (licèt ipsius rationibus, quæ in annum CCCXXXVI. natalitia Patricij conjiciunt, satis consentaneus) ita rem referentis. *S. Patricius in Hiberniam captivus ducitur anno Christi* CCCLII. *& post sex annos à captivitate liberatur.* ut de sexennij metachronismo in Sigeberti Gemblacensis (eumq; secuti Matthæi Florilegi & Waverleiensium Annalium collectoris) Chronologiâ nihil dicamus; quæ anno CCCXCIIII. Patricium cum sororibus in Hiberniâ venditum fuisse statuit. Hîc verò Fiechus Slebthiensis, & alter ille anonymus qui linguâ Hibernicâ vitam Patricij descripsit, novum *Kothrigi* nomen illum accepisse notat, à *quatuor* quibus serviebat Dominis. *Gravissimo* enim, inquit, [h] Iocelinus, *quaternarum servitio dominorum oppressus, sex annis porcorum greges præsago jure pavit. Quatuor namq; Evangeliorum dulcissimo pabulo eos qui prius erant porci, postea depositis idololatriæ sordibus, velut candidos agnorum pavit greges.* &, Ultanium secutus, Tirechanus; *Cothirthiae servivit quatuor dominis Magorum; & empsit illum unus ex eis, cui nomen erat Miliucc mac Cuboin* (al. *Milcon mac Cubnain*) *magus, & servivit illi* IIII. *annis omni servitute & duplici labore.* quanquam aliam vocabuli illius etymologiam tripartiti operis auctor ita nobis exhibeat. *Impositum est ei nomen aliud, quod dicitur Cothirge, propter mite & fidele suum ministerium.*

Sed de hâc servitute ipsius Confessionis Patricianæ verba (licèt non parùm depravata) audiamus. *Quotidie*

[f] Supr. cap. 16. pag. 815.

[g] Supr. cap 15. pag. 787.

[h] Iocelin. cap. 191. ex MS. suppletus.

pecora pascebam, & frequens in die orabam: magis ac magis accedebat amor Dei, & timor ipsius & fides augebatur, & spiritus agebatur, ut in die unâ usq; ad centum orationes & in nocte propè similiter; ut etiam in sylvis & monte manebam, & ante lucem excitabar ad orationem per nivem, per gelu, per pluviam. & nihil mali sentiebam, neq; ulla pigritia erat in me, sicut modò video: quia tunc spiritus in me fervebat. Et ibi scilicèt quâdam nocte in somno audivi vocem dicentem mihi: Bene jejunas, citò iturus ad patriam tuam. Et iterùm post paululum tempus audivi responsum dicens mihi: Ecce navis tua parata est. & non erat propè, sed fortè habebat ducenta milia passus: & ibi nunquam fueram, nec ibi notum quenquam de hominibus habebam. Et deinde postmodùm conversus sum in fugam; & intermisi hominem cum quo fueram sex annis.

Probus ex istis historiam Patricij contexens, reliquisse eum scribit *homines cum quibus fuerat captivus septem annis:* quot etiam annos huic servituti in Vitâ Patricij Hibernicè scriptâ assignatos reperi. Eundem quoq; annorum numerum in uno MS. Ninij codice annotatum inveni: sed ab alijs omnibus aberat, qui hoc se habebant modo. *Sanctus Patricius erat in illo tempore captivus apud Scotos; & Dominus illius dicebatur Milchu, & porcarius cum illo erat: & in decimo septimo anno ætatis suæ de captivitate suâ reversus est.* quod postremum, de *decimo septimo* anno ætatis, hinc etiam Rogerus Wendoverius & Matthæus Florilegus in suam anni CCCCXCI. historiam transtulit. Fiechus verò Slebhtiensis, Iocelinus, Iohannes Tinmuthensis, Officium S. Patricij, & alij anonymi Biographi, *sex* huic captivitati annos rectius tribuunt, cum *vicesimo secundo* ætatis illius anno terminatos. monetq; [a] Iocelinus, *confinare sanctionem legalis edicti liberationi ac libertati S. Patricij. Sex enim annis servituti subjectum in septimo decrevit* [b] *Lex libertati restituendum.*

[a] Iocelin. cap. 16.

[b] Exod. 21. 2. Deuter. 15. 12.

Initium verò septimi Patricianæ servitutis anni in æræ nostræ CCCXCV. annum incidit, *Olybrij & Probini* Consulatu prænotatum: sub quo vulgatum Mariani Scoti

Chronicon

Chronicon hoc factum recitat. *Quum S. Patricium noluisset dominus suus dimittere, nisi pro massâ aureâ, servavit S. Patricius præcepto angeli Victori cuidam gregem porcorum: quorum custos dum fuit S. Patricius & pastor, fodit massam auream, quam ille Patricius domino suo pro se dedit.* ad quem locum Thomas Dempsterus hanc notam apponendam censuit. [y] *Vereor ne fidem fallat in hoc antiquitas. nam Sigebertus* Regis *Porcarium nominat, hic* Victoris *cujusdam subulcum facit, Matthæus Westmonasterienſis dominum ejus ille probrosam eam servitutem obierit. Scotum quendam* Cuulcu *appellat, Florentius Wigornienſis* Miluc filio nepotis Buani *in aquilonari Hibernia venditum ait ad annum salutis* CCCCX. *Conciliet hæc qui volet: mihi indicâsse pro instituto satis erit.*

[y] Dempster. Histor. Eccles. siast. Scotor. lib. 15. num. 1001.

Verùm, librarijs sublatis mendis, non difficilis futura est istorum conciliatio. Nam verba illa Mariani, vel interpolatoris ipsius potiùs (in MSS. enim ea non invenio) corrupta esse, res ipsa indicat. Una enim & consentiens Biographorum omnium est sententia, *Victorem* nomen fuisse *Angeli*, vel peculiaris *Custodis* S. Patricij, ut vult [z] Iocelinus, vel *communis Scoticæ gentis*, ut mavult Fiechianus scholiastes. Dominus autem Patricij, quem Sigebertus indefinitè *Regem*, Florentius Wigornienſis (ad annum juxta vulgarem, quam nos sequimur, supputationem CCCLXXXVIII.) *Miluc filium nepotis Buani* nominat, in Matthæo Westmonasterienſi MS.[a] non *Cuulcu*, sed *Milcu* nominatur: estq; idem ipse quem Hibernicus Vitæ Patricianæ descriptor & Latinus Operis tripartiti auctor *Miliuc* filium *Buain*, Fiechi scholiastes *Milcan* filium *Hui-bain* appellat. qui scholiastes *Regem* etiam *septentrionalis partis Dal-araidæ* eum fuisse addit; ibiq; porcos suos Patricio pascendos tradidisse, in *magnâ valle Arcail juxta montem Mis*; * ubi Ecclesia *Scirte* posita est, quæ apud Antrimmenses in Ultoniâ ad hunc usq; diem nomen suum retinet.

[z] Iocelin. cap. 15. Vid. Offic. Patric. edit. Paris. lect. 4. & 5.

[a] Vid. Iocelin. cap. 15. Probo moni Egli est, in regione Cruthenorum, Tirechano mons Scirte, juxta montem Mis.

Quæ in Patricij Confessione sequuntur, de triduanâ navigatione,

navigatione, viginti octo dierum itinere per desertum, cibo fame laborantibus ministrato, & nocturnâ tentatione Satanæ superatâ, apud Probum videri possunt: qui post hæc addit. *Veniens cum præfatis nautis ad civitates eorum, prædicavit ibi verbum Dei, & multum populum convertit ad Christum. Post multos autem annos S. Patricius captionem iterùm ab alienigenis pertulit.* De hâc *secundâ capturâ quam senis decies diebus ab inimicis pertulerat* (ut apud Maccuthenum legimus) in Confessione Patricianâ habentur ista. *Et iterùm post annos multos adhuc capturam dedi. Eâ nocte primâ utique mansi cum illis. Responsum autem divinum audivi, dicens mihi, Duos menses eris cum illis: quod ita factum est. Nocte illâ sexagesimâ liberavit me Dominus de manibus eorum.* ac de reditu ad parentes. *Et iterùm post paucos annos in Britannijs eram cum parentibus meis: qui me ut filium susceperunt, & ex fide rogaverunt me, ut vel modò ego (post tantas tribulationes quas ego pertuli) nunquam ab illis discederem. Et ibi scilicèt vidi in visu nocte virum venientem de Hiberione, cui nomen Victoricius, cum epistolis innumerabilibus: & dedit mihi unam ex illis, & legi principium epistolæ continentem;* VOX * HIBERIONACVM. *Et dum recitabam principium epistolæ, putabam § ipso momento audire vocem ipsorum qui erant juxta sylvam Focluti, quæ est prope mare occidentale: & sic exclamaverunt, quasi ex uno ore; Rogamus te, sancte puer, ut venias & adhuc ambules inter nos. Et valde compunctus sum corde, & ampliùs non potui legere: & sic expergefactus sum.* Est autem nominatus ille locus apud Maionenses in Connaciâ; Tirechano *Sylva Fochloth* vel *Fochlithi*, Fiecho Slebthiensi *Cialle Fochlad* dictus.

* HIBERNIGENARVM, Iocelin. cap. 21.

§ al. *ipso in mente.*

Sequitur tertia Patricij captivitas, non parùm mihi suspecta: cujus ab unico Probo hanc mentionem factam invenio. *Cùm adhuc esset in patriâ cum patre Calpurnio & matre Concessâ, fratre etiam Ructi ac sorore Milâ nomine, in civitate eorum Arimuric, facta est seditio magna in partibus illis. Nam filij Rethmini regis de Britanniâ vastantes Arimuric*

&

& alia circumposita loca, jugulaverunt Calpurnium & uxorem ejus Conchessam: filios autem eorum Patricium & fratrem ejus Ructi unâ cum sorore captivos abducentes, Hyberniam ingressi sunt. Et vendiderunt Patricium Milchoni Regi, Ructi verò fratrem ejus ac sororem alteri principi: ubi & post multum temporis data est fratri suo Ructi in conjugium. At ille sciens esse sororem suam, non tetigit eam, mansit tamen cum eâ in continentiâ.

Post hæc venit angelus Domini ad beatum Patricium juxta petram montis Egli, & dixit illi; Vade ad hæreditatem tuam, de quâ venisti. Qui statim fugiens de captivitate, pervenit iter unius diei usq; dum veniret ad domum cujusdam viri in Arcennacte civitate. De cujus domo cùm exiret; suscepit eum vir in navim suam, & vendidit eum in Galliam, & portavit pretium ejus domum, solidos scilicet triginta. Suscipientes ergo Galli beatum Patricium, duxerunt eum in navi in terram suam: qui cùm navigare cœpissent, fuit illis ventus contrarius multis diebus. Rogavit autem Patricius Dominum, & dedit illis ventum congruum. Deinde venit cum Gallis post dies XII. ad Brotgalum, inde Trajectum: ubi cum venisset beatus Patricius, absolutus est à Christianis de captivitate. Et fugiens inde, pervenit ad Martinum episcopum Turoni, & quatuor annis mansit cum eo: & tonso capite ordinatus est ab eo in clericum, & tenuit lectionem & doctrinam ab eo.

Verùm ad tertiam hanc captivitatem quod attinet: licèt personarum & locorum aliquantùm variata hîc sint nomina, tamen & *Milchonis regis* cui venditus fuerit Patricius retenta appellatio, & aliæ narrationis circumstantiæ, eandem hanc cum primâ captivitate fuisse omnino persuadent. De Patricij verò ad Martinum profectione ita etiam [a] Iocelinus meminit. *Ob divinæ doctrinæ dignoscendæ gratiam, cum B. Martino Turonensi archiepiscopo aliquanto tempore demorabatur; qui etiam avunculus matris suæ Conchessæ esse dicebatur. Et quia idem sanctissimus Sacerdotum carbunculus monachus fuit, cognato suo P. tricio monasticum habitum & ejus institutæ tradidit observandæ: quæ ille devotè*

[a] Iocelin. cap. 22. Vid. Offic. Patricij edit. Par. sect. 5.

suscepta alijs habitui respondentibus adornavit, & in eisdem perseveravit. quanquam Patricium nostrum [b] Iohannes Trullus Aragonius & [c] Gabriel Pennottus Novariensis non inter *Monachos* propriè reponendum esse doceant, sed inter *Clericos Canonicos* sive *Regulares*: in quorum etiam Catalogo à [d] Raphaële Volaterrano, [e] Augustino Ticinensi, [f] Pio V. & Constantino Ghinio & alijs recensetur. Nam & ipsum Martinum regulare Clericorum institutum ex Insubribus in Gallias advexisse, ex [h] Baronio observat [i] Pennottus: & Patricium *tonso capite ordinatum fuisse ab eo in Clericum*, ex Probo jam audivimus.

S. Martinum ex hâc vitâ *transijsse mediâ nocte, quæ Dominica habebatur, Attico Cæsarie & Consulibus*, refert [k] Gregorius Turonensis, eumq; in Chronico suo secutus Marianus Scotus, qui annus neq; cum charactere ab ipsis proposito (dies enim transitus S. Martini, qui in [l] Capitularibus Regum Franciæ & Martyrologijs omnibus III. Idus Novembr. constituitur, anno CCCXCVII. quo isti Consulatum gesserunt, *in quartam* feriam incidit) neq; cum [m] Severi Sulpitij, qui ipso Martino usus est familiariter, cõsentit testimonio, ab *Enodij* Consulatu ad Martini exitum *sexdecim annos* numerantis. Sextus decimus autem ab illius Consulatu annus nostræ est epochæ CCCCI. in quo media nox, Romano more, & decimi Novembris Dominicam claudebat (quæ, ob communis ambiguitatem termini, *Dominica* idcircò, ut loquitur Gregorius, *habebatur*) & undecimum ejusdem mensis diem, qui III. Idus Novembris fuit, aperiebat. Hoc verò modo, quum non plures quàm *septem* annos inter primæ captivitatis Patricij & vitæ Martini terminum rationes nostræ exhibeant: si illud admittamus, quod ex Patricij Confessione jam retulimus, inter primam & secundam illius captivitatem *annos multos* intercessisse; non toto *quadriennio*, cum Probo & eum secuto [n] Baronio, sed *quadraginta diebus*, cum Iohanne Tinmuthensi & alijs, Martini eum usum fuisse consortio dicendum erit. Sic enim & in Opere tripartito legimus:

Trull. histor. Canonicor. Regular. lib. 1. cap. 5.
[c] Pennot. histor. Canonicor. Regular. lib. 2. cap. 34. 35.
[d] Volaterr. Anthropolog. lib. 21.
[e] Aug. Ticin. Christianar. Religion. Elucidar.
[f] Pij V. Bulla Confirmationis Officij Canonicor. Regular. Lateranens. edit. Venet. ann. 1586.
[g] Ghin. in Sanctor. Canonic. Natalib. Mart. 17.
[h] Baron. an. 328. §. 22.
[i] Pennot. ut suprà. cap. 34. §. 1.
[k] Greg. Tur. histor. Francor. lib. 1. cap. ult.
[l] Benedict. Levit. Capitular. lib. 6. cap. 186.
[m] Sever. in lib. de Vitâ Martini cap. 23. collat. cum Dialogo 3.
[n] Baron. ann. 431. §. 191.

gimus: *Aliquando B. Patricius S. Martinum visitavit; & cum honore debito quadraginta dies apud eum mansit.* & in alio Vitæ ejusdem scriptore: *Ad B. Martinum venit, & mansit quadraginta dies cum illo, secundùm libros Hiberniæ.*

Quum sibi valedixissent invicem, ad *Tamorensem* insulam secessisse, Patricium quidem Operis tripartiti auctor, ipsum verò Martinum [o] Iocelinus asserit. Proximo verò post mortem Martini anno, qui ætatis Patricianæ XXX. æræ Christianæ CCCCII. fuit, Patricium Romam perrexisse, atq; in Italiâ Declanum & Kiaranum cum socijs in Hiberniam redeuntes obvios habuisse, in præcedente [p] Capite dictum est. Romæ verò illum *sacras literas affatim didicisse* notat [q] Vincentius. eoq; referendum Nimij illud de eodem testimonium: *Romam usq; perrexit, & per longum spatium ibidem mansit, ad legendum scrutandaq; mysteria Dei; sanctaq; percurrit Scripturas.* & Matthæi Florilegi. [r] *Romam tandem perveniens, ibidem tempus suum protrahebat, donec eruditior haberetur; sanctaq; percurrens scripturas, divina mysteria penetravit.* & Historiæ, quam Canonici regulares Lateranenses quotannis in Officijs divinis recitare solent: [s] quæ S. Patricium post captivitatem Romæ in Ecclesiâ Lateranensi Canonicum regularem vixisse, ibiq; tum sacris literis imbutum, tum etiam Ecclesiasticis institutis eruditum, & in regulari disciplinâ optimè institutum fuisse significat.

[o] Iocelin. cap. 22.

[p] Supr. pag. 790.

[q] Vincent. Specul. historial. lib. 10. cap. 23.

[r] Flor. Historiar. ann. 491.

[s] Offic. Canonicor. Regular. Lateranens. à Pio V. approbat. Mart. 16.

Nec prætermittendus est de Patricij peregrinatione *Tirechani* locus ille. *Septem annis ambulavit & navigavit, in fixilibus & in campestribus locis & in convallibus montanis, per Gallias atq; Italiam totam, atq; in insulis quæ sunt in mari Tyrrheno; ut ipse dixit in commemoratione laborum. Erat autem in unâ ex insulis, quæ dicitur Aralanensis, annis XXX. mihi testante Ultano Episcopo.* Verùm quum tempus quo lectioni vacavit Patricius XXX. fuisse annorum idem posteà confirmet; neq; plures quàm XXX. inter primam & secundam profectionem Romanam interjecti deprehendantur: non moræ in unâ aliquâ insulâ totum illud

Gabr. Pennotti. histor. Canonicor. Regular. lib. 2. cap. 35. §. 2.

spatium tribuendum, sed partim commorationi in Urbe partim Insularum maris mediterranei peragrationi, partim Antissiodorensi apud S. Germanum incolatui assignandum censemus. [c] Probus *octo* annos in solitudine cum eremitis, deinde *novem* in insulâ nescio quâ inter montes & mare transegisse illum narrat. Eremitas illos [u] aliqui Lirinensis Insulæ incolas fuisse suspicantur; de quâ Eucherius, in libello de laude eremi ad Hilarium. *Et quidem cunctis eremi locis, quæ piorum illuminantur secessu reverentiam debeo: præcipuè tamen Lirinum meam honor complector, quæ procellosi naufragijs mundi effusos piissimis ulnis receperat venientes.* sed [x] alij, nondum virtæ eremiticæ institutum eò ab [y] Honorato inductum fuisse, contra opponunt. Alteram verò illam insulam, qui Hibernicâ linguâ Vitam Patricij conscripsit, è Tyrrheni maris insulis fuisse unam; atq; in eâ cum tribus *Patricijs* nostrum non novennio quidem sed anno tantùm unico, mansisse refert.

[c] Prob Vit Patric. lib. 1.

[u] Iohan Marquez, de Origine Fratrum Eremitar. cap. 15. § 4. 5.

[x] Gabr. Pennott. histor. Canonicor. Regular lib. 1. cap. 35. § 4.

[y] Vid. suprà, cap. 11. pag. 325.

Inter *Dictos Patricij* nostri, hoc etiam commemoratum reperi: *Timorem Dei habui ducem itineris mei per Gallias atq; Italiam, etiam in Insulis quæ sunt in mari Tyrrheno.* Ut illi idem hîc usu venerit, quod non multo antè in Fabiolâ suâ laudaverat [z] Hieronymus. *Peragrabat insulas, & totum Etruscum mare, Volsiniumq; provincium, & recondita curvorum litorum sinus, in quibus monachorum consistunt chori.* Inter quas Etrusci vel Tyrrheni maris insulas, & *Gallinaria* numeratur, in quâ B. Martinum solitariam aliquando vitam egisse [a] legimus: & *Capraria*, quam monachis hoc tempore refertam fuisse [b] Rutilij Numatiani, hominis à fide Christianâ alieni, versus illi indicant.

[b] Hieronym. epist 30 ad Oceanum.

[a] Sever. Sulpit. lib. de vitâ Martini, cap 4. Sozomen. historor Ecclesiast. lib 3 cap. 14.

[b] Rutil Numat. Itinerar. lib. 1.

Processu pelagi jam se Capraria tollit:
Squalet Lucifugis Insula plena viris.
Illi se monachos Graio cognomine dicunt,
Quòd soli nullo vivere teste volunt.

A Tyrrhenicis verò insulis & continente Italiæ ad Gallicas oras Patricium pertraxit fama sanctitatis & doctri-

næ

næ B. *Germani*; qui à Præfecturâ seculari raptus ad sacerdotium, anno CCCXVIII. ut [c] nos ex Constantio antiquissimo Vitæ ipsius scriptore collegimus, vel CCCCXXI. ut tradiderunt [d] alij, *Amatori* in Autissiodorensis Ecclesiæ regimine successit. Huic enim se in disciplinam tradidisse Patricium, Ninius, Probus, Guilielmus Malmesburiensis, Iocelinus & reliqui Vitæ ipsius scriptores consentiunt: à quo & novum *Magonij* nomen (pro quo *Maun* apud Ninium, *Nanus* depravatè apud Matthæum Florilegum legitur) illum accepisse. Hibernicus Vitæ Patricianæ descriptor, Florentius Wigornensis, Sigebertus Gemblacensis, Fiechi Slebthiensis scholiastes, Ranulphus Cestrensis, Henricus Marleburgensis & alij affirmant. Cùm autem inter mortem Martini & ordinationem Germani non pauciores quàm XVII. & ab hujus ordinatione ad missionem Patricij in Hiberniam non plures quàm XIIII. anni interceserint; Biographos illos falli necesse est, qui Patricium à Germano Autissiodorensi ad Martinum Turonensem veniisse, & sub Germani magisterio vel XL. (quod à Iohanne Tinmuthensi, Operis tripartiti auctore & alijs duobus anonymis traditum invenio) vel etiam XVIII. annos transegisse retulerunt. quem posteriorem annorum numerum non [e] Iocelinus seclùm & [f] Iohannes Clinnus nobis exhibet, sed [g] Erricus Autissiodorensis quoq;: apud quem *succincta mentio Patricij, per beatum Germanum in Hiberniam destinati,* (hunc enim titulum Capitulum hoc præfert in codice MS.[o]) his verbis habetur proposita.

Quoniam gloria Patris in suorum claruit modcramine filiorum; è multis quos in Christo filios, in religione creditur habuisse discipulos, unius tantùm ejusdemq; famosissimi castigatâ brevitate sufficiet inseri mentionem. Patricius, ut gestorum, illius series prodit, Hibernicæ peculiaris Apostolus regiovis, sanctissimo ejus discipulatui XVIII. *addictus annis, non mediocrem è tanti venâ fontis in scripturis cœlestibus* * *hausrire eruditionem. Quemq; in religione magnanimem, in virtu-*

[c] Supra cap. 12. pag. 382.
[d] Robert. Altissiodorens. in chronolog. ann. 421. Ioachar. de Sacrificio Missæ, tom. 2. cap. 19. Constantin. Charius, in Sanctor. Canonicor. Natalib. Mai. 1 Vid. Vincent. Specul. historial. lib. 20, cap. 15.
[e] Iocelin. Vit. Patricij, cap. 21. & 191.
[f] Io. Clinn. Chronic. MS. ad ann. 432.
[g] Erric. de vitâ & miraculis S. Germani, lib. 1. MS. in Bibliothecâ Bodleianâ.
* i. haurirebat.

tibus excellentem, in doctrinâ strenuum, divinissimus consi-
rans Pontifex, ineptumq; ducens robustissimum agricolam
Dominica segetis torpere culturâ; ad sanctum Celestinum U-
bis Romæ Papam per Segetium presbyterum suum eum di-
xit, qui viro præstantissimo probitatis Ecclesiastica testimo-
nia apud sedem ferret Apostolicam. Cujus judicio approbatu-
auctoritate fultus, benedictione denique roboratus, Hibernie pa-
ies expetiit: gentiq; illius datus propriè Apostolus, tum quide-
ex doctrinâ & miraculis, nunc quoq; & in perpetuum miri-
cis Apostolatus sui illustrat privilegijs.

A Germano *Sacerdotalem apicem percepisse* Patric-
[b] Offic. Patric. edit. Paris. lect. 5. um, in ipsius [b] Officio, & *singulos sacrorum ordinum*
[i] Iocelin. cap. 22. *gradus*, in [i] Iocelino legimus: licèt à Martino *ordinatus*
[k] Prob. Vit. Patric. lib. 1. *fuisse in Clericum* auctor antiquior [k] Probus tradideri
Episcopalem honorem eum accepisse, dum Romam cu-
Segitio vel *Segetio* presbytero (*Sergecium* Iocelinus, *Segi-*
rum Ninius, *Regirum* Probus eum nominat) ad Celes-
tinum pergeret, Tripartiti scriptor operis ita retulit. *S. Pa-*
tricius audiens magnam beatitudinem cujusdam sancti se-
nis Episcopi, declinavit iter suum ad eum, ut se benediceret i-
senior sanctus. Et videntes se invicem ipsi sancti, alter alte-
ius sensit sanctitatem. Et divino nutu tunc S. Patricius gr-
dum Episcopalem ab illo sanctissimo sene Episcopo accepit; v-
lens anteà à Domino Papâ accipere: sed videns nimiam sa-
ctitatem prædicti senis Episcopi, ab eo accepit coram discipu-
suis. Acceptoq; gradu Pontificali, cum benedictione & oratio-
beati consecratoris sui, S. Patricium cum comitibus perveni-
Romam viam arripuit suam. Comitum numerum *novena-*
um Vitæ Patricij scriptor Hibernicus, nomen consecr
toris *Amatorem* fuisse Probus significat. *Patricius*, inqu
ille, *& qui cum eo erant, declinaverunt iter ad quendam mi*
sanctitatis hominem, senumum Episcopum, Amatorem nomi
in propinquo loco habitantem: ibiq; S. Patricius sciens quæ s
perventura essent illi, Episcopali gradu ab eodem archipræsu
Amatore sublimatus est. Sed & alij nonnulli clerici ad of-
cium inferioris gradus ordinati sunt.

Hu

Hunc *Amatorem* illum intelligendum non rectè judicavit [1] Baronius, cui in Autissiodorensi Episcopatu *Germanum* successisse jam diximus, & quem in Vitæ ejusdem Germani libro I. Erricus Autissiodorensis isto celebrat elogio: [1] Baron. in Martyrolog. Roman. Maii, 1.

Urbis amor nostræ sacriq; refector ovilis
Præsul Amator erat, merito cognomine mactus;
Doctor magnificus, meritorum luce coruscus,
Signorum titulis longè lateq; celebris.

Ita enim Episcopus fuisset Patricius ante magistrum suum Germanum. Sed hic ille est quem *Amathum* appellat Ninius, *Amathum* Maccuthenus, *Mathæum* vel *Matthæum* = Rogerus Wendoverius & Matthæus Florilegus, *Amotum* Iohannes Tinmuthensis Vitæ Patricianæ scriptorem, quam in Oxoniensis & Cantabrigiensis academiæ bibliothecâ publicâ conservari diximus, secutus; in quâ similiter legimus. *Patricius declinavit iter ad quendam hominem mirabilem, summum Episcopum & sanctum, Amotum nomine; & ab illo gradum Episcopalem accepit.* = In histor. anni. 491.

Sed integram Patriciani itineris historiam, ex *Ninio* placet hîc describere, & cum aliorum narrationibus comparare. *Audità*, inquit ille, *morte Palladij episcopi, Patricius Theodosio & Valentiniano regnantibus, à Celestino Papâ Romano, & angelo Dei cui nomen erat Victor nomine, & Germano sancto Episcopo, ad Scottos convertendos in Christum mittitur. Misit ergo Germanus cum illo seniorem Segerum ad quendam hominem mirabilem, summum Episcopum, Amathaum regem in propinquo habitantem. Ibi Sanctus sciens omnia quæ ventura essent illi, gradum Episcopalem ab Amathæo* (al. *Mathæo*) *rege* * *& episcopo sancto accepit: nomenq; quod est* PATRICIVS *sumpsit ibi; quia* MAVN *prius vocabatur. Auxilius presbyter, & Yserninus diaconus, & cæteri inferioris gradus simul cum eo ordinati sunt. Tunc acceptis benedictionibus perfectisq; omnibus, in nomine sanctæ Trinitatis, paratum ascendit navim: & pervenit ad Britanniam insulam, & prædicavit ibi non multis diebus. Et omissis omnibus ambulandi anfractibus,* * al. *Episcopum sanctus*

anfractibus, summâ velocitate flatuq; prospero mare Hibernicum transfretavit. Oneratâ verò navi cum transmarinis mirabilibus & spiritualibus thesauris perrexit ad Hiberniam: & baptizavit eos.

Ubi primùm, quod ad temporis rationem attinet; XVIII. Kalend. Ianuar. desinentis anni CCCCXXXI. mortem obijsse Palladium, annoq; sequente à Celestino (qui & ipse eodem anno vitam finijt) in Hiberniam missum fuisse Patricium, in fine præcedentis capitis declaravimus: in Oriente videlicèt juniore Theodosio, in Occidente Valentiniano III. imperium obtinente. De conjunctis deinde Celestini & Germani studijs in Patricij missione procurandâ cum Ninio consentiens Guilielmi Malmesburiensis habemus testimonium, tum in libro secundo de gestis Pontificum Anglorum, ubi illum *à Papâ Celestino ordinatum Episcopum Hiberniensibus misisse apostolum* Germanus dicitur; tum in libello de antiquitate Glastoniensis ecclesiæ, in quo leguntur ista. *Anglis Britannorum infestantibus pacem, & Pelagianis eorum expugnantibus fidem; S. Germanus Autissiodorensis (ut * alibi legitur) contra utrosq; suppetias tulit. Illos enim alleluatico cantu fudit, & istos Euangelicis & Apostolicis tonitribus fulminavit. Inde in patriam meditans reditum, Patricium ad familiare contuberniam ascivit: eundemq; post aliquot annos Hiberniensibus, jubente Celestino Papâ, prædicatorem misit.* quâ ratione ultra triennium in Germani contubernio Patricium haudquaquam permansisse dicendum esset.

* Vid. supr. cap. 11. pag. 327 & 332.

Germano verò hîc *Lupum* etiam collegam adjungit libelli de Officiorum Ecclesiasticorum origine concinnator. Cùm enim *in Brittannijs vel Scottijs prædicavisse* eos dixisset quæ § suprà retulimus; de ijsdem subdit. *Beatum Patricium spiritaliter litteras sacras docuerunt, atq; enutrierunt, & ipsum Episcopum per eorum prædicationem archiepiscopum in Scottijs ac Brittannijs posuerunt.* At neq; ab istis, neq; ab Amathæo vel Amatore, sed ab ipso Celestino Papâ Patricium ordinatum esse Pontificem, præter Malmesburiensem

§ Ibid. pag. 343.

mesburiensem jam citatum, etiam [n] Iocelinus & [o] Ossicij Patriciani scriptor affirmant. *Veniens Romam, à beato Papâ Celestino, post beatissimum Petrum apostolum quadragesimo quinto, cum honore susceptus est in episcopatum; & paucis diebus elapsis consecratus est:* ait Biographorum anonymorum unus. & alius: *Romam venientem Papa Celestinus à B. Petro apostolo quadragesimus quintus, honorificè suscepit; & paucis diebus elapsis, ad Episcopale fastigium sublimavit.* Tripartiti Operis auctor, ista quasi concilians, ab alio quidem *gradum Pontificalem* accepisse, à Celestino verò *ordinatum Archiepiscopum* eum fuisse refert. Et quidem à Celestino *consecratum & ad Archiepiscopatum Hibernensem missum* [*] Marianus Scotus, *Archiepiscopum Scotorum ordinatum* Sigebertus & [p] Antoninus, *Archiepiscopum totius Hiberniæ* constitutum eum fuisse vetus [q] Vitæ Kiarani scriptor indicat.

[n] Iocel. in cap. 25.
[o] Offic. Patric. edit. Paris. lect. 5.
[*] Vid. Trithemium, suprà pag. 805.
[p] Antonin. Chronic. tit. 11. cap. 1. §. 2. & cap. 18. §. 2.
[q] Suprà, pag. 791.

A Celestino quoq; Papâ PATRICII illum nomen accepisse, Fiechi Slebhtiensis scholiastes & Sigebertus confirmant: quibus etiam Hibernicus Vitæ Patricianæ descriptor, [r] Florentius Wigornensis, [s] Ranulphus Cestrensis & [t] Henricus Marleburgensis accedunt; *Patrem civium* eâ voce denotatum adjicientes. quæ etymologia à Glastonensi quodam monacho his expressis reperitur versiculis:

Sonat Patricius jam Pater civium,
Multorum civium & pater plebium,
Hibernienſium & Glastonensium,
Sortitus meritò tale vocabulum.

[r] Florent. Wigorn. chronic. ad ann. secund. Dionys. 372.
[s] Ranulph. Polychronic. lib. 4. cap. 29.
[t] H. Marleburg. Chronic. ad ann. 376.

Honoris certè causâ novum hoc impositum ei fuisse nomen non est dubium. Nam & apud [u] veteres Romanos *patriciorum*, ut apud Athenienses εὐπατριδῶν, appellatione nobiliores familiæ à plebeijs secernebantur: & *patriciatus* dignitas à [x] Constantino Magno ad illud postea perducta est fastigium, ut qui hoc ornatus fuisset titulo ipsis Prætoriorum Præfectis anteponeretur. De *Auxilio* & *Iserninio* simul cum Patricio ordinatis cum Ninio consen-

[u] Dionys. Halicarnass. Antiquit. Roman. lib. 2. Liv. lib. 1. & 10. Plutarch. in Quæstionib. Roman.
[x] Zosim. histor. lib. 2.

tiunt alij, licèt detortis aliquantulùm nominibus. *Axilius & Seruinus cum eo in inferiori gradu ordinati sunt*: ait Vincentius, in Specul. Historial. lib. XX. cap. XXIII. &, in anni CCCCXCI. historiâ, Rogerus Wendoverius & Matthæus Florilegus: *Ordinati sunt cum eo Ausilius & Iserninus, & cæteri nonnulli, ad ordines inferiores; ut, sub ipso, Domino ministrarent*, vel (ut apud Matthæum legitur) *duce Deo militarent*.

[y] Offic. Canonic. Lateran. Mart. 16. edit. Venetijs apud Iuntas, anno 1586.

[y] Officium Canonicorum Lateranensium, à Pio V. approbatum, Patricium à Celestino Papâ totius Hiberniæ Metropolitanum unâ cum *Germano* Lateranensi Canonico consecratum, adjunctis etiam fidelibus socijs *Axilio* & *Seruinio* pariter Lateranensibus Canonicis, ad sacrosanctum legationis Hibernicæ munus destinatum memorat. Verùm non in ipso legationis hujus exordio, sed post quinquennium saltem exactum, *Secundinum*, Auxilium & Iserninum Episcopos in *Hiberniam esse missos in auxilium Patricij*, in nostris Annalibus proditū invenimus. & quod de *Germano* hîc additur, ex Vincentio videtur desumptū, in loco jam notato ita scribente: *Mittitur cũ Germano Patricius, & Hibernijs Episcopus ordinatur*. qui [z] alibi etiam ex Germani Autisiodorēsis discipulis unius meminit, *qui eũ de Hibernià secutus fuerat*. Quanquã si *Germanus* aliquis Patricio comes in hoc itinere esset adjungendus, *discipulum* ipsius potiùs fuisse existimarem, quem primum Manniæ insulæ Episcopum ab eo constitutum fuisse [a] diximus, quàm *magistrum*, celeberrimum illum Autisiodorensis ecclesiæ antistitem: quem domi mansisse, & quum Patricium ad Celestinum unâ cum seniore suo presbytero mitteret, & quum eundem Româ redeuntem iterùm à se dimitteret, præter alios ostendit Iocelinus; de Patricio, omni festinatione in Hiberniam properante, narrationem ita pertexens: [b] *Versùs Hiberniam, cum viginti viris vitâ ac sapientiâ præclaris ab ipso summo Pontifice sibi deputatis in adjutorium, regressum maturavit. Divertit autem ad B. Germanum nutritorem & eruditorem suum: ex cujus manibus accepit*

[z] Vincent. Specul. Historial. lib. 20. cap. 10. ut & Antonin. in Chronic. tit. 11. cap. 17. §. 2.

[a] Supr. cap. 15. pag. 643. 644.

[b] Iocelin. cap. 26.

pit calices & vestimenta sacerdotalia, copiam codicum & alia quæ pertinent ad cultum & ministerium Ecclesiasticum.

Patricium *pervenientem ad Britannia insulam, prædicavisse ibi multis diebus*, in edito Matthæi Florilegi [c] Chronico legimus; quum *non multos dies* habeat, quem ille secutus est, Ninius: ex quo negationem hîc restituendam, non est quod quis dubitet. In *Cornubiâ* tamen aliquamdiu cum commoratum Anselmus Cantuarienſis, in Guigneri & sociorum Actis, hisce verbis significat. *Glorioſus & prædicandus ubique Domini Confeſſor Patricius, cùm in Cornubiæ partibus ſanctis actibus moraretur intentus, admonitus eſt voce Angelicâ ut Hiberniæ Inſulam, fidem Chriſti in eâ prædicaturus, adiret. Tunc fidelis ſervus & prudens, Domini viſione compertâ, ſine morâ ſurrexit; & locum ſibi præſignatum à Deo, in nullo barbaræ & incredulæ gentis expaveſcens feritatem, expetiit.* Qui verò Davidis Menevensis vitam descripsere, Ricemarchus Sulgeni filius, Giraldus Cambrensis & Iohannes Tinmuthensis, Patricium * *Vallem Roſinam* sive Meneviam in Cambriâ triginta ante natum Davidem annis sedem sibi eligere voluisse; atq; ex eo portu, mutato postea consilio, in Hiberniam trajecisse asserunt.

[c] Flor. historiar. ann. 491.

* Vid. supr. pag. 72. 443. 444. & 811.

Ricemarchi eâ de re verba hæc sunt. *Patricius Romanis linguis eruditus ac diſciplinis, comitantibus virtutum turmis Pontifex effectus, gentem quam exulaverat petivit. In quâ fructuoſi operis lucernam oleo geminæ charitatis infatigabili reficiens labore, non ſub modio ſed ſuper candelabrum imponere volens ut cunctis glorificato omnium patre roraret; Cereticæ gentis regionum adiit. In quâ per aliquantulum temporis converſatus, Demeticæ intravit rura. Ibiq; perluſtrans, tandem ad locum qui Vallis Roſina nominabatur, pervenit; & gratum agnoſcens locum, devovit ibi Deo fideliter deſervire. Sed cùm hæc ſecum meditando revolveret, apparuit ei Angelus Domini, dicens: Tibi (inquit) non iſtum Deus diſpoſuit locum, ſed filio qui nondum natus, nec niſi peractis XXX. annis naſcetur. Audiens autem hæc S. Patricius, mœrens ſuſpenſus voluit, deliberans & corde dicens: Cùm ante Domini mei conſpectum*

incessum labor meus redigitur, & mihi qui nondum natus est superponitur; vadam & tali labore amodo non subjaceam. Hæc autem secum cogitans, talibus ab Angelo blanditus verbis consolationem accepit. Non ita fiet; sed Hibernensium insulæ principem constituet te Dominus: nondum enim verbum vitæ accepit. Ibi enim prodesse debes; ibi paravit tibi Dominus sedem; ibi signis & virtutibus radiabis; totamq; Deo gentem subjugabis. Ego ero tecum: sit tibi hoc in signum. Totam tibi insulam ostendam: curventur montes; humiliabitur pelagus, oculus transmunia erectus ex loco in quo stas videbit promissum. His dictis erectisq; oculis ex loco in quo stabat, qui modò sedes Patricij dicitur, totam perspexit insulam: ac protinùs paratis omnibus, navim petit. Resuscitato q; mortuo, qui ante XII. *annos defunctus fuerat, promissam patriam intrat.*

[d] Giraldus Cambrensis Itinerar. lib. 2. cap. 13

Giraldus, in [d] Cambriæ Itinerario, Davidis *triginta annis ante ortum præelectionem* strictim attingens, in Vitæ ejus descriptione eam post Ricemarchum fusiùs hunc in modum explicat. *Contigerat annis antè triginta Patricium natione Britannum, Romanis disciplinis eruditum, virum virtutum meritis affatim insignitum, cum ab Italiæ partibus ubi diutinam moram fecerat in natale Britanniæ solum reversus fuisset, ad Ereticam fortè regionem divertisse. In quâ per aliquantulum temporis conversatus, Demeticam postmodùm provinciam petit: ubi demùm perlustrando, angulum de* * *Pebidiana terram intravit. Veniens igitur ad locum qui Vallis Rosina vocatur; videns considerans q; locum ab omni populari strepitu longè remotum, locum amœnâ solitudine super Hibernicum mare religioni & contemplationi idoneum, corde concepit fixum q; in animo ratum q; devovit, se Deo ibidem usq; ad extremum spiritus halitum devotis obsequijs mancipandum. Sed cùm ista secum propensiùs meditando revolveret; hæc in contrarium, Angelo proponente, suscepit. Hanc tibi sedem, ô Patrici, non providet Deus; immò viro nondùm nato, nec nisi tercentis post hæc annis elapsis nascituro. Quibus auditis, vir sanctus vehementer admiratus, & ultra quàm credi possit animo consternatus & anxiè contristatus ingemuit; hæc secum deliberans,*

* Vid. supr. pag. 442.

liberans, & desperatâ mente proponens. Frustrà diutinis abstinentiæ tædijs corpus afflixi, frustrà jejunijs olim, frustrà vigilijs & orationibus vexor; ex quo tot meritis nihil adhuc meritus: quia nondum natus ante fertur.

Sed hæc & hujusmodi animo revolvens, consolationis ab Angelo in hunc modum verba suscepit. Parce Patrici, parce mœrori: spem potiùs erige, spemq; resume. Magna tibi in insulâ Hibernicâ reposita est corona. Nondum enim hæc natio salutis monita, nondum vitæ verba suscepit. Gentis hujus Apostolum, gentis hujus prædicatorem & principem summum te constituit Deus. Ibi proficere debes, ibi sedes à Domino tibi parata: ibi signis & virtutibus radiabis, totamq; gentem illam Deo subjugabis. Ego tecum ero: & hoc tibi signum. Totam Insulam quam intrabis tibi ex hoc prospectu statim ostendo. Et continuò in Zephyrum oculos vertens, totam Insulam, ex loco qui hodie Sedes Patricij dicitur, trans maris & montium tam interstitia quàm obstacula tanta miraculosè prospexit. Nec mora, paratis omnibus juxta monita navem scandens, resuscitato tamen priùs ibidem mortuo quodam cui nomen Dunandus, Euro ad vota spirante, promissam feliciter patriam intravit. De loco verò illo, è quo Patricius totam prospexisse Insulam fingitur, Iohannes Tinmuthensis adjicit. *Erat vallis satis magna, in quâ est lapis super quem stetit ante ostium cujusdam capellæ antiquæ; quem ego oculis vidi, & manibus palpavi.*

Viginti quatuor discipulos secum in Hiberniam adduxisse Patricium notat Operis tripartiti auctor: sed Vitæ illius scriptor qui in publicâ Cantabrigiensis & Oxoniensis academiæ Bibliothecâ habetur, eumq; secutus Iohannes Tinmuthensis, *familiam Patricij triginta quatuor viros de peregrinis* eo tempore complexam fuisse narrat. *Consummato igitur navigio ac labore S. Patricius episcopus, oneratâ navi cum spiritualibus thesauris, id est, cum armaturâ sanctæ prædicationis, in optatum portum regionis Euolenorum, portum utiq; apud nos clarissimum, delatus est:* ait Probus; *regionem Euolenorum* appellans, quam Hibernici scriptores *Crich Cuallan* nuncupant. [e] Iocelinus & alij portum hunc ad

[e] Iocelin. cap. 29.

ad quem ille primùm appulit, *Inbher-dæ*, sive *Portum Dæ* nominant: qui idem esse putatur, quem [f] Giraldus Cambrensis *Wykingelo*, Angli *Wicklo*, Hiberni *Kilmantan* vocant. *Consummatâ navigatione, quoddam ostium marinum intravit S. Patricius cum discipulis suis, quod Scoticè Inbher-de quondam vocabatur, in finibus Lageniorum positum*: inquit Operis tripartiti auctor. & alius scriptor antiquus: *Patricius à Papâ Celestino in Hiberniam transmissus, pervenit ad ostium fluminis Deæ. Et* * *idem iniquus Comes, id est Nathi, qui sancto Palladio antè resistebat, beato Patricio & ejus doctrinæ contradicebat. Sinell verò filius Finchado per prædicationem S. Patricij omnipotenti Deo credidit, & à S. Patricio primus ex gente Scotorum baptizatus fuit: & sibi & semini ejus Patricius benedixit.*

[f] Giral. Topograph. Hibern. distinct. 2. cap. 25

*de quo suprà, pag. 812. 813.

A *Dea* portu ad locum qui vocatur *Ænach-tailtan* divertisse dicitur Patricius, indeq; ab Operis quidem tripartiti auctore *ad quoddam castellum prope mare positum nomine Raith-inbheir* venisse (quod **Old-court** sive *Fetus Curia* fortasse fuerit, ad *Bray* fluvioli ostium) à [g] Jocelino verò *ad quandam insulam parvulam, quæ non longè à terrâ distans Insula S. Patricij usq; in præsens nominatur*, **Holme Patrick** appellatione hodie nobis notissima. Relictâ deinde Laginiâ, in Ultoniam profectus, navim ad portum *Inbher-Slan* applicuit: atq; conversus ad fidem Dichone Trichimi filio, & cum universâ familiâ suâ baptizato, locum qui hodie *Sabhul* dicitur, duobus passuum milibus ab urbe Dunensi remotum, dono ab eo accepit. *Credidit ergo homo ille primus omnium insularum cum omni domo & familiâ suâ*: inquit Probus; *Sinelli* mentione prorsùs præteritâ. & tripartiti Operis auctor: *Dichus credidit ei primus pre omnibus toto corde; & baptizatus obtulit Deo & S. Patricio agrum in quo ipsi tunc stabant. Ejus enim voluntate erat, in quo sanctus Dei portum apprehendit. Et rogavit Dichu sanctum Episcopum, ne longitudo suæ Ecclesiæ ab Occidente in Orientem esset, sed ab Aquilone in Meridiem: quia Dominus est Meridies sicut Oriens. Zabulum enim erat in loco quem heros Dichu dedit S. Patricio; & voluit*

[g] Jocelin cap. 30.

voluit ille ut secundùm formam Zabuli sui domus Dei adificaretur ad Solem: & hoc adeptus est ille à viro Dei. Tunc sanctus Pontifex in ipso loco Ecclesiam nominatam fundavit; quæ est transversa ab Aquilone in Meridiem, secundùm positionem Zabuli prædicti. Qui locus, ex nomine ipsius Ecclesiæ, Scoticè nominatur usq; hodie Sabhull Padhrig, Latinè autem Zabulum Patricij, vel, *Horreum Patricij*, ut vocabulo magis Latino Probus & [b] Iocelinus Sabhul illud Hibernicum expressêrunt. Hinc ad antiquum Dominum suum Milconem Dal-araidæ regulum, ante annos XXXVIII. à se relictum, Christo lucrifaciendum profectus est Patricius. Sed misero illo homine mirâ quâdam sententiæ obstinatione, ne servo suo cessisse videretur, igne ædibus injecto se & sua omnia incendio absumente, [i] duas ejusdem filias *Emeriæ* dictas (quæ sanctitate posteà conspicuæ, in loco qui *Cluain-Broin* vocatur sepultæ sunt) ad fidem prædicatione suâ conversas baptizavisse, deinde *Sabullum* ad domum Dichonis reversus esse dicitur.

[b] Id. cap. 32.

[i] Id. cap. 36.

Triginta annis ante nativitatem sancti David Episcopi, hoc est, eodem ipso quo in Hiberniam Patricius advenit anno, *Cadantocum* Hibernis *Cernach* appellatum, *Keredici* Ceretic æ apud Cambrobritannos regis filium, *in Hiberniâ conversari cepisse*, in Sancti illius Vitâ legimus. *Perrexit ad Hiberniam*, inquit Iohannes Tinmuthensis, *amore sancti Patricij allectus. Quò cum pervenisset, inito consilio, dixerunt ut separarentur, unus ad sinistram & alter ad dexteram; quia multi clerici cum illis ambulabant: & ut convenirent unâ vice in anno condixerunt.* Appropinquante verò tempore Paschali, ut apud Probum legimus, *inierunt consilium Patricius & discipuli ejus, ubi primùm hoc ipsum Pascha in gentibus, ad quas illos misit Deus, celebrarent. Multis ergo super hâc re consiliis habitis, postremò divinitùs inspirato S. Patricio, visum est ei, hanc maximam resurrectionis Domini solennitatem quasi caput omnium solennitatum celebrari debere in campo Breg maximo, qui est juxta* *Thenoriam civitatem regis Logarei, ubi erat maximum regnum nationum illarum, & caput omnis gentilitatis*

* Taraghe (in Orientali Midiâ) Hibernicorum monarcharum Regia.

§ Psal. 74. (al. 73.) 14. *gentilitatis & idololatriæ: ut juxta § Psalmiste vocem caput draconum confringeret Dominus; quatenùs hoc in loco capite totius idololatriæ destructo, non posset ulteriùs Diabolicus error adversùs Christi fidem insurgere. & ita factum est. Elevatâ denique navi ad mare, & dimisso in fide plenâ & pace benâ prefato Dicone, migrantes de regione illâ, & ad dexteram manum dimittentes omnia loca, in portum qui vocatur Colbdi bene & prosperè delati sunt.*

Portum illum Colp hodie vocamus, juxta urbem Pontanam, ad ostium Buvindæ vel Boini fluminis positum. Hîc B. Patricius [k] *navem suam cum armamentis ejus S. Lumano nepoti suo custodiendam commisit: injungens illi, ut saltem quadraginta diebus in illis partibus commorando illam obedientiam sustineret, dum ipse ad ulteriora interim regionis loca ad prædicandum pergeret.* Ipse verò, [l] *pernoctandi gratiâ, in cujusdam viri venerabilis qui vocabatur Sesgnem declinavit domum. Paterfamilias Patricium gratanter hospitio collegit; sperans salutem domui suæ affuturam ex hospite tanto. Nec fefellit eum spes sua: quia prædicante Patricio verbum salutis, credens baptizatus est cum omni domo suâ. Habebat vir ille filium: quem sanctus undâ salutari abluens, ac nomen ei ex re adaptans, nominavit Benignum. Et verè, sicut vocabulo, sic & vitâ & moribus erat benignus; dilectus Deo & hominibus, in terrâ & in cœlo gloriâ & honore dignus. Hic sancti Præsulis Lateri firmiter adhæsit; nec ab illo avelli ullatenùs potuit.* Ita Iocelinus. Paulo aliter rem exponit Tirechanus, sic de Patricio scribens. *Primò venit ad vallem Sesenani, & ædificavit ibi Ecclesiam primam, & posuit filium Sesenenium nomine Episcopi secum; & reliquit ibi duos filios peregrinos. Vespere verò venit ad æstium Ailbine, ad quendam virum bonum, & baptizavit illum &c. & invenit cum illo filium placitum sibi, & dedit illi nomen Benignum. qui colligebat pedes Patricij inter manus suas & pectus; & noluit dormire apud patrem & matrem, sed flevit nisi cum Patricio dormiret.* In Hibernicis tamen Sanctorum Genealogijs *Sesenen* filium *Benên* fuisse legimus: ita enim Hiberni illum vocitant, quem

[k] Iocelin. cap. 51.

[l] Id. cap. 39.

quem *Stephanum, Beneneum* & *Benignum* [m] Probus nominat.

[n] *Contigit eo tempore, ut rex Logareus maximam ageret solennitatem idololatriæ in Themoriâ: quam gentiles multis incantationibus, & magicis inventionibus, & sacrificiorum superstitionibus summo studio celebrare solebant. Congregatis ergo tunc regibus & optimatibus populi, ducibus, principibus, satrapis, & magistratibus, insuper & magis atq; incantatoribus, aruspicibus, & omnis artis inventoribus ac doctoribus: Logareus rex cogitabat solennitatem illam in Themoriâ, velut quondam Nebuchodonosor in Babyloniâ, cum canticis & citharis, sistris & lyris, & omnis generis carminibus celebrare.* Patricius vero [o] *ad quendam locum in campo Breg qui dicitur Ferta-fer-feich pervenit, disposuitq; Pascha ibi celebrare. Paschalis enim solennitas illâ nocte erat: & eâdem nocte in Themoriâ maxima festivitas ritu gentili, in memoriâ annali ipsius castri regalis, quam Scoti* * *Feys-teamrach nominabant. Mos erat gentilibus in illâ solennitatis nocte prædictæ, ut non accenderetur neq; videretur ignis in omni provinciâ Teamrach, donec priùs in Themoriâ rogus accenderetur foris maximus, qui posset undiq; conspici. De hoc ritu gentili pater catholicus Patricius non curans, accendit ignem suum consecratum: & ipse à Themoriâ cum magnâ admiratione visus est. Videns autem quidam Magus hunc ignem, dixit coram Rege: Nisi ignis ille citiùs extinguetur in hâc nocte, ipse qui eum accendit principatum in totâ Hiberniâ tenebit & successores ejus in æternum.*

Accersito ad Regem per nuncios Patricio, *unus ex juvenibus regis Ercus nomine filius Dego videns S. Patricij vultum, divino nutu surrexit ante Sanctum, & dedit ei honorificè locum suum ad sedendum, contra præceptum Regis & Magorum. Et benedixit illum S. Patricius archiepiscopus, & sedem coram omnibus promisit ei æternam in cælo. Et beatus juvenis Ercus ibi Deo credidit, & effectus est vir sanctus & mirabilis; cujus vita miraculis fulget. Quem ipse Patricius post tempus Episcopum consecravit: qui vitam felicissimam in*

[m] Probus, in fin. lib. 1. & init. lib. 2. *Vitæ Patricij.*

[n] Id. lib. 1.

Dan. 3.

[o] Op tripartit. de *Vitâ Patricij*, lib. 2. *Vid.* Probum, lib. 1. & Iocelin. cap. 40.

* i. *Festum Themoriæ.*

suâ civitate Slarie in regione Breg, prope fluvium pulcherrimum & fertilem Boyn, duxit. Hæc tripartiti Operis auctor: ex quo restitui poterit Probi ille locus. *Unus à Domino instigatus noluit obedire dictis Magorum, nomine Bereg filius Dego; cujus reliquiæ nunc venerantur in civitate quæ vocatur Hylane. Hic, inquam, surrexit & benedixit Patricio, & credidit per eum Deo æterno.* Nam & *Eirc filium Dego* Maccuthenus hunc appellat: & in *civitate Slaniæ* (quæ in Orientali Midiâ nomen adhuc retinet, & nobilissimis Fleminganæ sive Flandrensis familiæ proceribus Baronis tribuit titulum) eum *ad cælestia migravisse*, [p] Iocelinus etiam confirmat.

[p] Iocelin. cap. 41.

[q] Prob. Vit. Patric. lib. 1.

Sequenti etiam die suæ solennitatis, inquit [q] Probus, *hoc est in die sancto Paschæ nostræ summæ festivitatis, recumbentibus simul Regibus & Principibus & Magis totius Hiberniæ apud Logareum Regem (festus enim dies maximus ab eis tunc agebatur Themoriæ) manducantibusq; illis & bibentibus vinum cum jucunditate (tum pro festivitate Regis, tum quia mortem evaserant perendie:) sermocinantibus alijs, & alijs cogitantibus de his quæ facta fuerant à S. Patricio; repentè inter omnes ipse sanctissimus Pontifex cum duobus tantùm viris (ut contenderet de fide sanctâ, & verbum Dei prædicaret in Themoriâ coram omnibus nationibus Hibernienſium tunc illic collectis) ostijs clausis, secundùm hoc quod de Christo legitur, apparuit. Eo igitur intrante cænaculum Themoriæ, nemo de omnibus ad adventum ejus surrexit, præter unum, hoc est Dubtag poëtam optimum: apud quem tunc temporis erat quidem adolescens poëta, nomine Pheg, qui posteà mirabilis Episcopus factus est in Themoriâ; cujus reliquiæ nunc venerantur ibidem. Hic videlicèt Dubtag solus ex gentibus illo die ob honorem S. Patricij surrexit: unde & benedixit ei vir Domini Patricius; crediditq; Deo primus in illo die, & reputatum est ei ad justitiam.*

Iohan. 20. 19.

Qui verò hîc *Pheg Themoriensis*, ab alijs *Fiechus Slebhtiensis* Ecclesiæ Episcopus nominatur. Is [r] Hymni Hibernici auctor fuisse creditur in B. Patricij laudem compositi:

[r] Supr. pag. 818.

compositi: cujus Scholiastes, magistrum ipsius *Dubthach mac Hulugair*, cum Maccutheno & Hibernico Vitæ Patricij scriptore, appellat. Illius conversionis historiam Operis tripartiti scripto ita breviter exponit. *Omnes fores castelli divinitùs apertæ sunt Sancto; & intravit in domum Regis: & tunc Rex prandebat. Et nolens Rex honorem dare Sancto, nemini præcepit ut surgeret ante eum de sede suâ. Sed dei dispensatione comes Regis Dubtachus filius Vulgayr surrexit coram Sancto, & dedit ei locum suum; & credidit ipse Deo.* Qui deinde, ut [f] Iocelinus addit, *baptizatus & in fide Christi confirmatus, carmina quæ quondam studio florente peregit in laudem falsorum Deorum, jam in usum meliorem mentem mutans & linguam, poëmata clariora composuit in laudem omnipotentis Dei & Sanctorum ejus præconium.*

[f] Iocelin. cap. 44.

Anselmus Cantuariensis archiepiscopus *Fingarem* sive *Guignerum*, cujus Acta ille descripsit, primum & solum Patricio assurrexisse narrat; ita rem totam referens. Patricij *adventu famâ vulgante præcognito, septem Insulæ Reges cum Pontificibus idolorum, cum Satrapis ejusdemq; gentis non minimâ multitudine, in Sancti convenere occursum. Hos sanctus Domini fide integer & devotione plenus aggrediens, cæpit eis Euangelium Christi cum fiduciâ prædicare, & in Iesu euangelizare salutem. Verùm quia vas plenum absinthio, nisi priùs amaritudine pulsâ, alterius liquoris non admittit dulcedinem: illi, adhuc pleni spiritu superbo, doctrinam salutis recipere noluerunt. Sed cernentes humilitatem, & vilitatem habitus attendentes non thesaurum latentem interiùs, sanctum & verè Apostolicum virum penitùs contempserunt. Fuit inter jam dictos Reges nobilior unus ac potentior omnibus, nomine Clito. Huic erat filius adolescens bonæ indolis, vocabulo Fingar, electione divinâ præcognitus, & sancti Spiritus jam gratiâ perfusus. Hic ex universis solus Sancto assurgens Patricio, quo potuit honore, virum Dei suscipiens cessit, & in loco quo sederat ipse eum sedere fecit. Iratus pater severus & indignatione grandi succensus in filium, dicens, quòd Deorum suorũ intenderet evacuare culturam, & novam Christianorum per Sanctum Patricium*

introducere legem, regno expulit, & solo fecit exhæredem paterno. Cui plures in nobilibus Hiberniæ procreati adolescentes dulcissimo amore conjuncti, pariter profecti coëxules, terrâ mariq; minorem in Britanniam pervenerunt. Hæc Anselmus: cum cujus *septenario* Regum Hiberniæ numero & illud conferri poterit, quod in Vitæ S. Frigidiani Lucensis episcopi (cujus meminit [t] Gregorius) initio legitur. [u] *Beatus Frigidianus filius fuit magni Regis Ultoniæ: Ultonia enim majus est regnũ. Hæc quidem insula est in Oceano septentrionali versùs occasum proxima Britanniæ. In hâc itaq; insulâ septem Reges, anâ cum Almogit Rege Scotorũ, S. Patricius sacro baptismatis fonte purificavit. In quorũ numero fuit Rex Ultoniæ.*

[t] Gregor. Dialog. lib. 3. cap. 9.

[u] Offic. Frigidiani, lect. 1. apud Augustin. Ticinens. Elucidar. Christianar. religionum, part. 4.

Quæ de concertatione Patricij & Magorum (quos *Druidas* liber Hibernicus vocat, & viri sancti adventum ante triennium prædixisse narrat) coram rege Læogario Themoriæ peractâ referuntur, apud Probum & Iocelinum videri possunt. Relicto verò Læogario, in perfidiâ obdurato, *gloriosus Pontifex Patricius* (ut est in Opere tripartito) *ad locum agonis regalis qui dicitur* [*] *Tailltean, ad alterum filium Neill nomine Carbre, qui erat frater Lægarij regis, perrexit. Tres enim fratres erant; Lægarius rex, Carbre & Conall.* Sed *Carbre* jam nolente credere, *venit S. Patricius ad alium filium Neill, fratrem Lægarij regis & Carbre, nomine Conallum: qui suscepit eum cum gaudio magno. Baptizavitq; S. Patricius Conallum: & obtulit ei Conallus omne castellum suum, dicens ei; Fac tibi hîc monasterium & civitatem, & ego faciam mihi aliud habitaculum propè. Et fecit ibi S. Patricius monasterium, & designavit civitatem quæ dicitur Domnach Padraig. Designavitq; S. Patricius castrum Conallo, prope monasterium suum Domnach Padraig, quod dicitur Raith. airthir.* Illa autem *Dominica* [*] sive Ecclesia *Patricij* (id enim *Domnach Padraig* denotat) *in Midiâ Orientali*, non (ut [x] Iocelini scholiastes censuit) *in Comitatu Dungallensi*, posita est.

[*] Teltan, in Orientali Midiâ. Vid. Iocelin. cap. 53.

[*] Vid. supr. pag. 816.

[x] Iocelin. cap. 54.

[y] Supr. pag. 814.

Sed *Lumani*, y filij *Golliti* Britanni & *Tigridiæ* sororis S. Patricij, videmur esse obliti; quem in portu *Colpa-*

no

no avunculi sui reditum expectantem reliquimus. De eo Iocelinus. [2] *Expletis dierum duobus quadragenarijs, cùm fatigatus esset diutinâ expectatione super reditu S. Patricij quâdam die flatibus ventorum vehementiùs ex opposito spirantibus, armamenta navis explicuit, & fervens fide, fidenter de S. Patricij meritis, ipsius auctoritate navi quatenùs se transveheret ad locum sibi congruum præcepit. O signum hactenùs inauditum & incompertum! Navi nemine gubernante, contra fluvium & ventum ad vocem viri Dei velificavit; & ab ostio Boyn fluminis usq; ad Ath-trym cursu prospero illum transvexit.* Ita ille: qui ex eo etiã miraculi amplificare potuisset magnitudinem, quòd *Boyni* fluvij ita angustus & scopulosus hodie cernatur esse alveus; ut navigiolo, etiam flumine & ventis usq; secundis, ad urbem Trimmensem ab ejus ostio nullus pateat aditus. [2] Iocelin. cap. 51.

Quæ de *Trimmensis* ecclesiæ à *Lumano*, primo illius Pontifice, jactis fundamentis apud Iocelinum posteà sequuntur, ex antiquiore auctore Tirechano, licèt minùs eleganter explicata, libet hîc repetere. *Quum Patricius cum suâ sanctâ navigatione ad Hiberniam pervenit, sanctum Lomanum in ostio Boindæ navem custodire reliquit* XL. *diebus & XL noctibus: ac deinde alium quadragesimum, propter obedientiam Patricio, mansit. Deinde secundùm imperium sui magistri in suâ navi, contrario flumine, usq; ad vadum Truim in ostio Arcis Feidilmedi filij Loiguiri, Domino gubernante, pervenit. Mane autem facto Foirtchern filius Feidilmedi invenit Euangelium recitantem: & admiratus Euangelium & doctrinam ejus, confestim credidit; & aperto fonte in illo loco à Lomano in Christo baptizatus est. Et mansit cum illo, donec mater ejus quærere eum pervenit: & lota facta est in conspectu ejus; quia Britonissa erat. At illa similiter credidit: & iterùm reversa est in domum suam; & nunciavit marito suo omnia quæ acciderant illi & filio suo. At verò Fedelmidius lætificabatur in adventu Clerici: quia de Brittonibus matrem habuit, filiam Regis Brittonum. i. Scoth-noesa. Salutavit autem Fedelmidius Lomanum lin-*

guâ Britannicâ, interrogans eum secundùm ordinem de fide & genere: & respondit ei. Ego sum Lomannus Britto, Christianus, alumnus Patricij Episcopi, qui missus est à Domino baptizare populos Hiberuensium & convertere ad fidem Christi; qui me misit hunc secundùm *voluntatem Dei. Statimq; credidit Fedelmidius cum omni familiâ suâ: & * immolavit illi & S. Patricio regionem suam, cum possessione suâ, & cum omnibus substantijs suis, & cum omni progenie suâ. Hæc omnia immolavit Patricio & Lomanol,* cum *Foirtcherno filio suo, usq; in diem judicij. Migravit autem Fedelmid trans amnem Boindeo: & mansit Loman cum Foirtcherno in vado Truim; usque dum pervenit Patricius ad illos, & edificavit Ecclesiam cum illis* XXII. *anno antequàm fundata est Ecclesia Alti-machæ.*

* i. obtulit

[a] Iocel. cap. 52.

[a] Iocelinus, & qui Hibernicâ linguâ res Patricij descripsit, XXV.° *anno ante fundationem Ard-machiæ* (Hibernis enim ut *Mach*, juxta [b] Bedam, *Campum* ita *Ard* arduum vel *altum* denotat) Ecclesiam *Ath-trymmensem* extructam fuisse significant. Verùm ad XII.um potiùs quàm ad XXII.um vel XXV.um ante Ardmachiam fundatam annum illius Ecclesiæ primordia fuerint referenda; si Ultonienſibus Annalibus fidendum, in quibus tempus conditæ urbis Ardmachanæ ita consignatum est. *Anno Domini* CCCCXLIV. *Ardmacha fundata est. Ab Urbe conditâ usq; ad hanc civitatem fundatam*, MCXCIV. anni sunt. Et quidem à Româ condi cœptâ usq; ad annum æræ Christianæ CCCCXLV. (ei enim respondet annus CCCCXLIIII. in Annalibus illis notatus) juxta Polybij rationes anni MCXCIIII. revera effluxerunt: quam summam triennio tantùm superat numerus annorum à Vartonianis deductus Palilibus.

[b] Bed. histor. lib. 3. cap. 4. suprà, pag. 650.

Louthie commoratum fuisse S. Patricium, priusquàm *Ardmachiam* concessisset, à loci illius incolis accepi: quorum traditioni favet etiam [c] Iocelinus, qui illum *ad Orientalem plagam loci* qui *Lugh* dicitur (ita enim prima Antuerpiensis legit editio, Hibernico retento nomine; pro quo *Ludham* in Parisiensi editione substituit Messinghamus,

[c] Iocel. cap. 134.

mus, ad Anglicanam loci appellationem propriùs accedentem) *divertisse, ibiq; locum Domino, tabernaculum Deo Iacob, ipsius Patricij nomine adhuc insignitum, erexisse* memorat, & quum *in Ardmachiâ suam sedem Cathedralem constituere* proposuisset, *S. Mocthèo* (sic enim etiam prior illa editio habet, non *Moccheum*, ut posterior) *magnæ virtutis viro* contulisse; qui, relictâ *Britanniâ* patriâ suâ, sedem hîc posuerit diesq; suos consummaverit. Hinc in libro Sliguntino, inter domesticos S. Patricij *Mochta Lugh Sacerdos* secundo loco collocatur: ejusq; ad hunc usq; diem in Louthiano & Cavanensi Comitatu celebratur memoria.

Neq; ab hoc alius est ille *proselytus Britto, homo sanctus, S. Patricij discipulus*; quem de Columbâ prophetâsse, in secundâ Præfatione Vitæ illius præmissâ, significat Adamnanus. *Mocthèum* enim, in MS.o quo usus sum codice, ibi nominatum invenio: pro quo *Maucteus* [d] in libris Adamnani editis, apud Iohannem verò Tinmuthensem & Capgravium (in ejusdem Columbæ Vitâ) *Macceus* legitur. unde ab alijs *Macceus vates* dicitur: & à [e] Iohanne Balæo (eumq; hîc secutis Nicolao Harpsfeldio & Iohanne Pitseo) cum *Bachiario* perperàm confunditur, cujus ad Ianuarium de recipiendis lapsis extat Epistola, & cujus *de fide* libellum alium [f] Gennadius se legisse scribit; *in quo satisfacit Pontifici Urbis adversus querulos & infamatores peregrinationis suæ, & indicat se non timore hominum sed Dei eam peregrinationem suscepisse, ut exiens de terrâ suâ & de cognatione suâ cohæres fieret Abrahæ Patriarchæ.* Habebatur verò & *Mocthei* nostri Epistola, hanc inscriptionem præferens. *Mauchteus (al. Mocthæus) peccator, presbyter, sancti Patricij discipulus, in Domino salutem.* Meminerunt illius Annales Ultonienses: in quibus ad annum Domini DXXXIV. vel DXXXVI. secundùm alios (hoc est, usitatæ nostræ æræ DXXXV. vel DXXXVII.) *Dormitatio sancti Muchti, vel Mochta, discipuli Patricij,* XIII. *Kal. Septembr.* refertur. Nam quod [g] Iocelinus narrat, S. Patricij sententiâ,

[d] Tom. 5. Antiqu lect. Henr. Canisij, pag. 563. & Florileg. Sanctor. Hiberniæ à Tho. Messinghamo edit. pag. 145. in cujus margine, pro *Mauctei*, reponendum est nomen *Patricij*.

[e] Balæ. Scriptor. Britann. Centur. 1. num. 46. Vid. Possevin. Apparat. sacr. in *Bacciario* & *Macceo*: & Dempster. Histor. Ecclesiastic. Scotor. lib. 2. num. 162. & lib. 12. num. 829.

[f] Gennad. Catalog. scriptor. Ecclesiast. cap. 24.

[g] Iocel. cap. 135.

tiâ, vitam illi, in pœnam incredulitatis, ad *trecentos* annos protensam; dignum certè est quod inter alia prodigia, *inaudità suâ novitate stupenda*, in Guilielmi Thyræi Discursibus Panegyricis locum habeat: [h] quos, si lubet, consule.

[h] Thyræ Discurs. Panegyric. de S. Patricio, pag. 124. 125.

Clocherensi etiam Ecclesiæ (in Comitatu Tironensi sitæ) præfuisse S. Patricium, priùs quàm Armachiam concessisset, Jocelinus refert; de discipulo ipsius, & in Ecclesiâ illâ successore, *Kertenno* ita scribens. [i] *Quia S. Patricius talis discipuli diligebat præsentiam; providit illi Ecclesiam nec à sede Archiepiscopali, quam in Ardmachiâ constructurus erat Angelo jubente, nimis remotam, nec eidem Metropoli, ne fortè à secularis Archiepiscopis gravaretur, valde vicinam. Sic profectò factum est, ut vir Domini non vexaretur, sedem priùs frequentando ac Patricium sanctum visitando, ob via longinquitatem; nec ejus Ecclesia despicabilis videretur ob nimiam vicinitatem. Expletis aliquantis diebus, præfecit illum Clocherensi Ecclesiæ, quam ipse S. Patricius tunc regebat.* Est autem hic *Mac-kartinus* ille, *de nobili* (ut in Vitâ ejus habetur) *prosapiâ Arad-nsium ortus*, B. Patricii in Italiâ & Hiberniâ comes individuus: quem ante Mocthеum, IX. videlicèt Kalendas Aprilis anno Domini DVI. obijsse legimus; S. *Tigernaco* successore relicto, qui in *Cluana-eois* (vulgò *Clunes*, in Comitatu Monachanensi) sedem Episcopalem posuit, & anno DL. *Nonis Aprilibus* mortalitatem exuit. ad quem diem in Martyrologijs (à Molano & Galesinio editis) Natalis ejus ita consignatus est: *In Scotiâ*, (majorem intellige & antiquam) *sancti Tigernaci Episcopi, & Confessoris.*

[i] Jocelin. cap. 143.

Ludunensis verò, *Clocherensis*, *Cluainensis*, *Ardsrathana* (quæ unâ cum Episcopatu *Rathlurigensi*, Decanatu de *Rathloury* hodie dicto, *Derensi* Episcopatui posteà est annexa) & Ecclesia de *Dainb-gnis* (*Devenish* ea est, in Fermannachano Comitatu posita) successu temporis in unum conflatæ sunt Episcopatum; qui à primariâ illa Ecclesiâ, apud Louthianos à S. Mocthеo constitutâ, *Ludunensis*.

nensis appellationem obtinuit. Ut enim [k] Giraldo Cambrensi Louthia nostra *Luuedum* & urbis illius Episcopus *Luuedensis* (vel etiam *Lug-dunensis*, ut in uno codice scriptum reperi:) ita in vetusto Provinciali Romano, [l] Episcopatus *Clochorensis aliàs Lugundunensis* vel *Lugu-dunensis*, ejusq; sedes principalis *Ecclesia S. Mariæ de Lugu-dun* (quæ in opido Louthiano adhuc superest) à Centio Camerario nuncupatur. Et in Regesto Clochorensi, tempore *Davidis O-Bragan*, per potentiam quidem *Germani O-Chearbalan Rathrulensis* sive *Derensis* episcopi, & nationis suæ de *Kanel-eogain* (sive *Tir-oen*) Ecclesia de *Ardsrathâ*, cum pluribus aliis ecclesiis de *Opheathrach*; per Ardmachanorum verò Præsulum potentiam, Ecclesia *Ludunensis*, cum tribus Decanatibus de *Droichid-hathâ*, (*Pontana ea est*, vulgò *Drogheda* dicta) de *Atrio Dei*, (vulgò *Athirdee*) & de *Dundelgâ*, (vulgò *Dundalke*) Clochorensi diœcesi subtractæ fuisse referuntur. quâ de re Davidis in Reynaldum Ardmachanum archiepiscopum ibidem recitatur Actio, data Perusij, Id. August. anno Domini MCCLII. Pontific. Innocentij IV. anno X.

[k] Girald. Topograph. Hibern. distinct. 3. cap. 50. & Hibern. expugnat. lib. 2. cap. 24.
[l] Camden. Hibern. pag. 735.

De *Ard-macha* sive *Alti-macha* primordijs, à *salicibus* quibus consita fuerat *Druim-sailech* aliquando appellatæ, apud Probum, libro II. de Vitâ Patricij, hæc habetur narratio. *Fuit homo quidam dives & honorabilis in regione * orientalium, cui nomen erat Daire: quem rogans S. Patricius, petijt ab eo ut aliquem locum daret ei, ubi monasterium construeret, & sanctæ conversationis religiosè viventibus mansionem præpararet. Respondit dives ille, dicens ad S. Patricium: Ecce terra coram te est; dic ergo mihi, quem locum desideres ad inhabitandum. Peto, inquit S. Patricius, ut illam altitudinem terræ, quæ nominatur Sailes, dones mihi ad inhabitandum; ut construam ibi locum ad cultum divinum. At ille noluit dare sancto viro terram altam quam petierat, sed dedit illi locum alium in inferiori terrâ: & habitavit ibi S. Patricius cum suis.* quod in Opere tripartito breviùs hunc in modum legitur expositum. *Fuit quidam homo dives multùm & honorabilis*

* septentrionalium.

bilis in aquilonali Hiberniæ plagâ, nomine Dare; in regione scilicèt quæ modò dicitur Airthir. Gloriosus præsul Patricius ipsum divitem rogavit, ut aliquem locum daret sibi, ubi habitaret cum suis. Deditq; ei Dare locum quendam parvum, nomine Feartu, qui est in orientali plagâ civitatis Ardmachæ; in quo jacet soror S. Patricij Lupita, sicut [a] *superiùs diximus: & ibi habitavit S. Patricius aliquo tempore.*

[a] Supr. pag. 814.

In libro Hibernico *Dairus* ille filius fuisse dicitur Finchadæ, filij *Eoghani* sive Eugenij, filij *Niallani*; & locus habitationis ipsius *Raith-Daire*, alter verò B. Patricio ab eo donatus *Dea-fert* appellatur. *Est autem locus angustus,* inquit [b] Iocelinus, *secùs Ardmachiam situs, tempore moderno Festum miraculorum nominatus.* Hibernis enim *Feartu* miraculum denotat. De ipsa verò *Ardmachâ*, B. Patricio à Dairo posteà donatâ, Probus adjicit. *Accepit ab eo S. Patricius prædium optatum & placitum sibi; & ædificavit in eo monasteria & habitationes religiosorum virorum. In quo loco nunc civitas est Arithmachæ nominata; ubi sedes Episcopatus & regiminis est Hiberniæ.* quod [c] Iocelinus plenius ita explicat. *Civitatem itaq; egregiam situ, formâ, quantitate, ambitu, Angelicis indicijs designatam, fundavit Patricius & extruxit, divinitùs adjutus ad unguem perduxit. Cives quoq; duodecim, quos studiosè undecumq; collegit, discretè delegit, ad inhabitandum in eam introduxit, introductos fidei Christianæ catholicis institutis atq; dogmatibus diligenter instruxit. Ecclesijs autem honesto ac spirituali schemate fabricatis urbem eandem venustavit. Clerum etiam ad divini cultus obsequium, ad regimen animarum, ad catholici populi eruditionem, in ipsis ordinavit: monasteria monachis, & alia sanctimonialibus, replevit, omniq; perfectionis institutis erudivit.* & pauculis interjectis. *Cathedram Archiepiscopalem in eâdem urbe collocavit; & ut sedes illa totius Hiberniæ esset primaria Metropolis & magistra, animo statuit.* quibus & brevem illam ex Opere tripartito annotationem adjungere liceat. *Ibi B. Patricius magnam civitatem, quæ dicitur Ardmacha, instituit; in quâ est omnis Archiepiscopatus Hiberniæ: quam valdè dilexit S. Patricius,*

[b] Iocelin. cap. 161.

[c] Id. cap. 165.

Patricius, & in quâ constituit summum suum honorem per secula. In ipsâ jam civitate, scilicèt Ardmachâ, summum Studium literale manet semper.

Primatum sedi Armachanæ delatum fuisse, non ob Patricij solius sed etiam ob aliorum Sanctorum in eâ conditorum honorem, Guilielmus Neubrigensis autumat. *Ardemachia*, inquit [p] *ille, esse dicitur prima sedes Hiberniæ, propter honorem beati Patricij atq; aliorum indigenarum Sanctorum, quorum ibidem sacræ reliquiæ requiescunt.* At reliqui omnes uni Patricio hoc acceptum referunt: de quo, in Hiberniæ Topographiâ, [q] Giraldus Cambrensis. *Baptizatis catervatim populis, & totâ jam Insulâ ad fidem Christi conversâ, apud Ardmachanam sibi sedem elegit: quam etiam quasi Metropolim constituit, & proprium totius Hiberniæ primatiæ locum:* & ante eum, in Malachiæ vitâ, Bernardus Claræ vallensis. Illius *reverentiâ & honore, tanquam Apostoli illius gentis qui totam patriam convertisset ad fidem, sedes illa, in quâ & vivus præfuit & mortuus requievit, in tantâ ab initio cunctis veneratione habetur; ut non modò Episcopi & Sacerdotes, & qui de clero sunt, sed etiam Regum ac Principum universitas subjecta fuerit Metropolitano, & unus ipse omnibus præsit.*

[p] Neubrigens. de reb. Angl. lib. 3. cap. 9.

[q] Girald. Topograph. distinct. 3. cap. 16.

Illius verò (cujus ex Opere tripartito facta est mentio) *summi Studij literalis*, sive Academiæ in urbe Armachanâ constitutæ, *Gildam* Albanium (quem Balæus, Harpsfeldius & Pitseus *Patricij* nostri faciunt discipulum) Rectorem aliquando extitisse, confirmat Caradocus Lancarvanensis; ita de eo scribens. *Gildas Britonum historiographus tunc remanens in Hiberniâ, studium regens & prædicans in civitate Ardmachâ, audivit * fratrem suum ab Arthuro Rege interfectum fuisse.* Sed quam fidem mereatur quod, ex antiquo nescio quo monimento ante aliquot annos *Oxonie reperto*, in suis antiquitatum Hibernicarum Collectaneis refert Florentius Mac-Cartinus, nondum intelligo: *tot Ardmachæ collegia extitisse, ut studiosorum census septem millium numerum excesserit.* Certius est, quod ex

* Vid. supr. cap. 15. pag. 678.

historijs patrijs idem recitat: *Turgesium* Danorum sive Norwagiensium Ducem, *urbe Ardmachanâ occupatâ, Faranannum Primatem unâ cum omnibus religiosis & studiosis inde expulisse.* quod & cum *Faranani* temporibus convenit, quem ab anno DCCCXXXIIII. ad DCCCXLVIII. Ardmachanæ sedi præfuisse aliunde didicimus; & cum *Turgesij*, sub cujus ductu Norwagienses, Hiberniam [r] *annos circiter triginta* occupantes, [s] *& gentili furore debacchantes, Ecclesias ferè omnes destruxisse* scribit Giraldus Cambrensis.

[r] Girald. Topograph. distinct. 3. cap. 42.
[s] Ibid. cap. 37.

Et in Francofurtensi quidé editione, Norwagienses cum Turgesio huc dicuntur appulisse *anno octingentesimo trigesimo octavo.* Verùm ab omnibus quos consului Giraldi manuscriptis exéplaribus verba illa aberant: & *triginta* Norwagiensis hujus tyrannidis annos ab anteriori epochâ esse deducendos, ex Northmannorum sive Norwagiensium horum Chronicis colligimus. [t] quæ cùm *Scotos à Northmannis*, id est, Hibernos à * Norwagiensibus, *per annos plurimos tributarios effectos* fuisse doceant; anno demùm DCCCXLVIII. pristinam ab eis recuperatam fuisse libertatem ita indicant. *Scoti super Northmannos irruentes, auxilio Dei victores, eos à suis finibus propellunt. Unde Rex Scotorum ad Karolum* (Calvum) *pacis & amicitiæ gratiâ Legatos cum muneribus mittit; quam sibi petendi Romam concedi deposcens.* Hoc verò ipso anno, qui Turgesianæ tyrannidis videtur fuisse postremus, expulsi *Faranani* locum suscepisse putatur *Dermitius*; & uterq; post quadriennium ex hâc vitâ migravisse. Unde in Ultonienſibus Annalibus, ad annum DCCCLI. (qui nobis DCCCLII. est) scriptum legimus. *Duo hæredes S. Patricij, nempè Forannanus Scriba, Episcopus & Anachoreta, & Dermitius Episcopus, sapientissimus omnium Doctorum Europæ, quievérunt. Vastatio Armachæ per Gentiles, die Paschæ.* In ijsdem præterea Annalibus sequentia hæc annotata invenimus. *Anno* DCCCLXXVIII. *Malcobus filius Crumvaili antistes Armachanus, & Moltheus Lector, capti sunt à Gentilibus,* illis videlicèt

[t] Chronic. de gest. Normanor tomo 2. Histor. Franc. scriptor. ab Andr. du Chesne edit. pag. 525.
* Northmanni procedentes de Stanziâ insulâ, quæ Northwegia dicitur, in quâ habitant Gothi & Huni atq; Daci. Ibid. pag. 524.

videlicèt Norwagiensibus. *Anno* DCCCXCVIII. *Bressalus Lector Armachanus mortuus est.* Anno DCCCCLII. *Mel-Patricius filius Coskani, Lector Armachanus, obiit.* &, Lectorum successione deinceps continuatâ: *Anno* MCII. *Mugronus O-Mungair, Armachiæ & totius Occidentalis Europæ Lector primarius, multis testibus præsentibus,* III. *Nonas Octobris vitam feliciter finivit.* &, *Anno* MCVII. *Mel-Patricius O-Druranus munus Lectoris Armachiæ suscepit die S. Ailbeo dicato.* quæ idcircò commemoravimus, ut Armachanæ Academiæ, inter medias Norwagiensis tempestatis procellas emergentis, aliqua deprehendi possent vestigia.

Ab *Armachanâ* ad *Dublinienſem* civitatem jam accedo, Hibernis *Balle-atha-cliath*, & primâ compositionis parte omissâ (quæ generaliter *opidum* denotat) *Athcliath* Iocelino nuncupatam; qui de primo B. Patricij ad illam adventu ista memorat. [a] *Discedens Patricius de Midiæ finibus, versùs Lageniam euangelizandi gratiâ dirigebat gressus. Cumq; iter agens deveniſſet trans flumen Finglas nomine ad quendam collem, à pago Ath-cliath (qui modò dicitur Dublinia) uno fermè miliario distantem; considerans locum & circumjacentia ejus & benedicens, in hanc fertur prophetando prorupiſſe vocem. Pagus iſte nunc exiguus, eximius erit; divitijs & dignitate dilatabitur: nec crescere cessabit, donec in regni ſolium ſublimetur.* Idem tamen posteà, eorum quæ dixerat parùm memor, non exiguum pagum, sed in regni solium jam tum urbem sublimatam fuisse significat: quum [z] *Alpini* Dubliniæ Regis filium *Eocchiad* (ut est in MS^o. vel *Eochadh*, ut Antuerpiensis habet editio; pro quo in posteriore Parisiensi *Cochadh* perperam habetur expressus) & filiam *Dubliniam* (quæ, ut ille fabulatur, *civitati nominis ſui contulit vocabulum*) ad vitam, quâ nuper functi fuerant, à Patricio revocatos, indeq; Regem totumq; populum *ad fontem B. Patricij, juxta civitatem ad Austrum*, ab eodem baptizatos fuisse refert; hoc de situ & statu urbis illius præmisso Proœmio.

[a] Iocelin. cap. 69. libb. impress. cap. 68. MS.

[z] Id. cap. 71. libb. impress. cap. 98. MS.

Advenit Patricius in *urbem nobilem populo, situ amœnissimam, concurrentibus mari & flumine piscibus opulentam, commerciis famosam, planitie viridante affectuosam, glandiferis nemoribus consitam, ferarum lustris circumvallatam; quæ postèà dicta fuit Dublinia. Hæc à convenis Norwagiæ & Insularum populis exercitio peritissimis, omni armaturâ munitis, bello fortibus, dapsilibus pace, omni regno necessarijs, in favorem Regis Hiberniæ sub reginâ filiâ Regis Norwagiæ initiata; in posterum, per varias rerum vices, modò rebellis modò fœderata regno Hiberniæ extitit.* Eum locum (cum alijs quibusdam ad urbis patriæ illustrationem spectantibus) ex Manuscripto Iocelini codice desumptum, ante annos triginta ad doctissimum Camdenum transmisi: qui priorem ejus partem [y] antiquæ suæ Hiberniæ descriptioni inseruit. quod ideò hîc monendum duxi, ne quis verba Iocelini à Viro clarissimo citata in libris editis (qui totum hoc Caput suo loco motum & variè mutatum exhibent) frustrà perquirens, fidem nostram in disceptationem quæstionemq; vocaret.

[y] Camden. Hibern, pag. 751.

Habetur in libro Ballimotensi & Sliguntino de Dublinienſium conversione vetus Carmen Hibernicum [z] *Beneneo* sive *Benigno*, Patricij discipulo & in sede Armachanâ successori, attributum: quæ pars aliqua Operis illius, quod de Vitâ Patricij [a] Iocelinus editum ab eo affirmat, fuisse videatur. Ibi verò *Ath-cliathæ rex Alpinus filius Æoli, de stirpe Donaldi Dubh-dainaigh*, fuisse dicitur: & occasione filij ipsius *Eochaidi* sive Achaij (filiæ enim *Dublinia* nulla hîc mentio) precibus Patricij à mortuis suscitati, Dublinienses cum Rege suo Christi fidem suscepisse &, præter præsens oblatum munus, tres auri uncias Patricio & illius in sede Armachanâ successoribus singulis annis persolvendas se & posteros suos sempiternâ religione obligavisse traditur. *Ex illâ ergo die*, inquit Iocelinus, *Rex Alpinus & omnes Dublinienses cives voverunt se & omnes posteros suos in servitium S. Patricij & Ardmachanorum Primatum: statuentes Ecclesiam juxta præfatum fon-*

[z] de quo suprà, pag. 848, 849.

[a] Suprà, pag. 817.

tem

tem extra civitatem, & aliam mansionem juxta Ecclesiam Sanctæ Trinitatis in civitate, ad Occidentem ejusdem sedis Archipræsulis.

Nempè duas habet Dublinia cathedrales Ecclesias: alteram extra civitatis mœnia, *S. Patricij* nomine insignem; alteram in urbis medio sitam & *S. Trinitati* dicatam, intra cujus septa Dublinienſis archipræsulis ædes olim positas fuisse etiam ex [b] Giraldo didicimus. In *Patriciana* Ecclesiæ claustro, non procul à Campanili, illum *Patricij fontem* vidimus (intra privatas ædes inclusum nuperrimè & obstructum) ad quem Dublinienses neophytos ab eo fuisse baptizatos, *juxta civitatem ad Austrum*, ex Iocelino jam audivimus. Altera, sanctissimo *Trinitatis* nomini consecrata, quæ *Christi* Ecclesia vulgo dicitur, fornicibus subterraneis innixa surgit: de quibus in Nigro illius Ecclesiæ libro ita legimus. *Fornices sive volta fuerunt fundata per Danes ante adventum S. Patricij ad Hiberniam: & tunc temporis Ecclesia Christi non fuerat fundata nec constructa prout nunc est. Quapropter S. Patricius celebravit missam in uno fornice sive voltâ, qui in hodiernam diem appellatur Fornix sive Volta S. Patricij. Deinde S. Patricius, cernens ingentia miracula quæ Deus ei ostenderat, prophetavit & dixit. Post multos annos futuros, hîc erit Ecclesia fundata & constructa; & Deus laudabitur in eâ post omnes Ecclesias totius Hiberniæ.*

[b] Girald. Cambrens. Topograph. Hibern. distinct. 2. cap. 46.

In Laginiensi provinciâ (cujus sub finem Pontificatus Eugenij III. *Dublinienſis* antistes constitutus est Metropolitanus) Fiechum Ercæ filium (quem Hiberni Fiach finn, & eodem sensu *Fecundum Album* Tirechanus nuncupat) à B. Patricio *Slebhtiensem* Episcopum ordinatum fuisse [c] diximus: quem, *sexaginta Sanctis ad Deum ante se præmissis, Slepti sepultum* fuisse [d] Iocelinus asserit. *Themoriam* quidem hîc [e] Probus nominat: sed *Slebhti* alij omnes & viventi & defuncto sedem illi assignant; in quibus & tripartiti Operis auctor, ita rem referens. *Ordinavit S. Patricius de gente Laginensium alium Episcopum*

[c] Supr. pag. 818.
[d] Iocelin. cap. 117.
[e] Suprà, pag. 850.

nomine

nomine Fyacha virum religiosissimum: qui jussione beatissimi Patricij gentem Ceanselach ad fidem convertit & baptizavit; quæ gens major atq; potentior pars Laginensium est. Qui episcopus Fyacha fortiter carnem suam cum vitijs & concupiscentijs attrivit: & in suâ civitate Sleibhti juxta flumen * Berbha *in Campo Albo suæ vitæ sanctissimæ finivit cursum.*

* Barrow.

Hymni Hibernici, qui Fiecho tribuitur, Scholiastes ipsi & ejus successoribus totius Lageniæ Archiepiscopatum collatum fuisse notat. Vitæ tamen Brigidæ scriptor anonymus [f] *Kildariam* suo tempore *Metropolim Laginensium* fuisse affirmat: eamq; Cogitosus [g] *Maximam civitatem & Metropolitanam*, ejusq; præsulem [h] *Archiepiscopum Hibernienſium Episcoporum* appellat. Alij verò *Fernensem* Ecclesiam, ut [i] suprà monuimus, S. Edani sive Moedogi cathedram, totius Lageniæ Metropolim constituunt. Ita enim in Vitâ Edani legimus. *Magna civitas in honore S. Moedog ibi crevit, quæ vocatur Ferna. Deinde factâ Synodo magnâ in terrâ Laginensium decrevit Rex Brandubh, & tam laici quàm clerici, ut Archiepiscopatus omnium Laginensium semper esset in sede & cathedrâ sancti Moedog. Et tunc sanctus Moedog à multis catholicis consecratus est Archiepiscopus.* & in Vitâ Molyngi quoq;. *Adductus S. Molyng ad prædictam civitatem, constitutus est ipse Archiepiscopus in sede & cathedrâ sancti Moedog. A rege jam Laginensium Brandubh filio Eathach constitutum est, ut Archiepiscopatus Laginensium in civitate sancti Moedog esset. Ipsa civitas vocatur Ferna, quæ est in terrâ gentis Kenselach.*

[f] Supr. cap. 15. pag 627.
[g] Cogitos. *Vit.* Brigid. tomo 5 Antiqu. lect. H. Canisij, pag. 641.
[h] Ibid. pag. 616.
[i] Supr. cap 5. pag. 89.

Sed maximè memorabile est, quod de septem filijs *Amalgaidh* sive *Amblaich* regis Connaciæ (à quo tractus terræ in eâdem provinciâ Mire-aulx dictus nomen accepisse putatur) & XII. hominum milibus uno die ad fidem à Patricio conversis & baptizatis refertur: cui [k] *populo noviter ad Christum converso magistrum Mancenum, virum religiosum & optimè in scripturis sanctis exercitatum,* ille præfecisse legitur. Eam conversionem Ninius ita commemorat,

[k] Iocelin. cap. 59.

commemorat, de Patricio nostro scribens. *Duodecim mil'a hominum in unâ regione Connachtâ ad fidem Christi convertit & baptizavit: & septem reges qui erant filij Amolgith in uno die baptizavit.* Eadem ad annum CCCCXCI. repetit Matthæus Florilegus: & *septem regum filiorum Almogith uno die baptizatorum* meminit etiam [l] Vincentius. Neq; aliam habuisse originem exterorum illam opinionem facilè mihi persuadeo, qui unam hanc provinciam à totâ Insulâ distinguere nescientes, universam Hiberniam [m] *septem* Regibus Patricij tempore administratam fuisse crediderunt.

[l] Vincent. Spec. hist. lib. 20. cap. 23.

[m] Suprà, pag. 851. 852.

Patricius, *dum Scotorum regi de Christi passione prædicaret, stans ante eum & appodians se super ferulam quam manu tenebat & casu pedi Regis superposuerat, cum aculeo pedem perforavit. Rex verò credens sanctum Episcopum ex industriâ hoc facere, & se aliter fidem Christi non posse suscipere nisi similia pro Christo pateretur, patienter sustinuit. Sanctus hoc tandem intelligens obstupuit, & precibus Regem sanavit.* Habet ista in [n] Legendâ suâ Iacobus Ianuensis: quæ ad *Almogittum* illum regem [o] Officij Canonicorum Lateranensium à Pio V. approbati concinnator, ad Momonien sium regem *Ænguſum sive Æneam Nadfraichi* filium [p] Iocelinus & reliqui Vitæ Patricianæ scriptores accommodant. De hujus verò conversione in Opere tripartito ita legimus. *Gloriosus præsul Patricius, seminatâ in regionibus Laginensium fide, viam suam ad fines Muminensium direxit: transiensq; terram* * *Ossargy, quæ est Occidentalis Laginensium plaga, intravit in terram Nandesi, quæ est Orientalis Mumoniæ pars. Et audiens rex Mumonien sium filius Nafroich nomine Ængus adventum S. Patricij, occurrit illis in* § *campo Femyn, qui est in terrâ Nandesi. Et gaudens est Rex in adventu S. Patricij, multum desiderans credere & baptizari. Adduxitq; sanctum Pontificem secum cum honore & lætitiâ ad suam civitatem regalem nomine Cassel, quæ est in regione Eoghanacht. Et ibi credidit Deo rex Ængus, & baptizatus est.*

[n] Legend. aur. cap. 49.

[o] Offic. Canonic. Regular. Lateranens. Mart. 16. edit. Venet. ann. 1586.

[p] Iocelin. cap. 74.

* Ossory.

§ Muigh-Feimin.

Cum quibus conjungenda, ex Vitâ Albei, illa. *Cùm*

B. Albeus audisset quòd Patricius regem Memcnensium Engussum filium Nefrich converteret ad Christum, & esset cum eo in civitate regali Casel: venit ut eos salutaret. Rex autem & Patricius gavisi sunt in adventu Albei; & ille est gavisus eos videns. * *Ibi verò accepit Patricium magistrum suum S. Albeus: quia valde erat humilis. Tunc rex Engus & Patricius ordinaverunt, ut in civitate & cathedrâ S. Albei esset Archiepiscopatus omnium Memonensium semper.* & ex Vitâ Declani. *Commanentes in civitate Caissyl S. Patricius & S. Albeus sanctusq; Declanus, cum multis sanctis suis discipulis, apud regem Ængusa, multa bona rigoris Christiani constituerunt. Et ibi rex Ængusa & S. Patricius, cum omni populo, ordinaverunt Archiepiscopatum Mumeniæ in civitate & in sede S. Albei (qui tunc ab eisdem Archiepiscopus ordinatus est) per seculum. Et constituerunt S. Declano quos de gentilitate ad fidem convertit, gentem scilicèt Nandesi, ut ipsi in parochiâ Episcopatus ejus essent, quæ est magna & clara; & ut Hibernienses in aliis locis S. Patricio servirent, ita & Nandesi gens suo patrono S. Declano omne exhiberent sub Deo obsequium. Inde S. Patricius, archipontifex & patronus totius Hiberniæ, versum sequentem Scoticâ linguâ, quasi quoddam oraculum legis vigorem habens & privilegia his Sanctis concessa cantavit. Quem versum familia S. Ailbei & familia S. Declani noluerunt pro se vel rhythmicè seu metricè in Latinum vertere nus; sed majoris auctoritatis ei conciliandæ gratiâ, illum proprio & genuino quo pronunciatum & compositum est à S. Patricio idiomate, pro dignitate proferremus in medium. Ita Scoticè canitur ille versus:*

* Vid. suprà, pag 801.

Ailbe umal, Patraic Muman, mó gach rath:
Declan Patraic Nandeisi, nadeisi ag Declan go brath.

Se autem cum antiquis horum discipulis versatum fuisse auctor ille subindicat; de Declano posteà hunc in modum scribens. *Discipuli & turba credentium & Christi pauperes & peregrini semper sequebantur eum. Ipse enim largus valde, pius & clemens erat: & inde fertur nobis ab antiquis*

ejus

ejus discipulis, quòd magnus exercitus in comitatu suo consuetè fuerat. Carminis verò illius Hibernici sententiam si quis requirat, eam Latinè à Iohanne Kellio nostro ita expressam accipiat:

Albeus est humilis, dixit Calphurnia proles;
Patriciusq; esto hinc Albee Momoniæ.
Declanus pariter patronus Desius esto,
Inter Desenses Patriciusq; suos.

Sedes autem Albei urbs *Imelacensis* est, Emelye vulgo dicta; Declani *Ardmorensis*, ab eo Ardmor Deaghlan Hibernis appellata: quarum prior Cassiliensi archiepiscopatui, posterior episcopatui Lismoriæ (à quâ XII. tantùm passuum milibus distat) hodie habetur annexa.

Cùm S. Albeus reverteretur de Cassel, occurrit ei Enna abbas dicens: Revertere mecum ad Regem, & quære mihi ab eo illam insulam. i. Arn, ut in nomine Domini faciam ibi monasterium. Tunc reversus S. Albeus ad Regem, salutavit eum dicens: Illam insulam positam in Oceano maris da nobis, ut ædificemus ibi monasterium. Rex ait: Non vidi nec audivi qualis & quanta sit illa insula; & ideò nemini eam dabo, ut priùs sciam quomodo sit. Tunc virtus divina fecit Regem videre totam illam insulam per longa spatia terrarum; & scivit qualis & quanta fuit. Tradidit autem rex sanctis insulam Arn: & sub sancto Albeo sanctus Enna construxit ibi egregium monasterium: & sub uno nomine nominatur etiam insula. i. Arn. Et magna est illa insula, & est terra Sanctorum; quia nemo scit numerum Sanctorum qui sepulti sunt ibi, nisi solus Deus. Hæc scriptor Vitæ S. Albei: qui de eodem posteà subjicit. *Sanctus jam Albeus volens fugere homines, videns se honorificatum esse apud homines omnes, & cùm essent plurima loca sub eo, ad insulam Tyle in Oceano positam navigare decrevit; ut ibi viveret Deo secretè solus. Sed nutu Dei Ængus rex Casseil hoc prohibuit. nam ipse rex ordinavit custodes custodire omnes marinos portus; ne S. Albeus fugeret ab ijs quos per baptismum & prædicationem Dei filios fecit.*

Hic *Enna*, ni fallor, est *Ennaus Cath-bothai filius*;

quem anno CCCCLVII. mortem obijsse Ultonienses docent Annales. *Ara*, Hibernis *Ardna namh* sive *Arna Sanctorum* dicta, est notissima illa *Aranica* in Occidentali Oceano sita insula; de quâ [q] Giraldus Cambrensis. *Est insula quædam in Occidentali Connaciæ solo* (vel *salo* potiùs), *posita, cui nomen Aren; à S. Brendano, ut aiunt, consecrata.* qui de [r] *Islandiâ* etiam & [s] *Tyle* vel *Thule* illâ (quam non sibi solùm sed etiam Occidentalibus omnibus incognitam fuisse profitetur) nonnulla præterea commemorat: quæ cum istis scriptoris antiquioris Dicuili Hiberni de *Thyle* (quæ illi non alia quàm *Islandia* est) conferre, & Islandicis Arngrimi Ionæ antiquitatibus adjicere liceat. *Trigesimus nunc annus est, à quo nunciaverunt mihi clerici, qui à Kalendis Februarij usq; ad Kalendas Augusti in illâ insulâ manserunt: quòd non solùm in æstivo solstitio, sed in diebus circa illud, in vespertinâ horâ occidens Sol abscondit se quasi trans parvulum tumulum; ita ut nihil tenebrarum in minimo spatio ipso fiat.* & paulo pòst. *Idcirco mentientes fallunter, qui circùm eam concretum fore mare scripserunt; & qui à vernali æquinoctio usq; ad autumnale continuum diem sine nocte, at q; ab autumnali versâ vice usq; ad vernale æquinoctium assiduam quidem noctem: dum illi navigantes in naturali tempore magni frigoris eam intrabant, ac manentes in ipsâ, dies noctesq; semper præter solstitium tempus alternatim habebant. Sed navigatione unius diei ex illâ ad Boream congelatum mare invenitur.*

[q] Giral. Topograph. Hibern. distinct. 2. cap 6.
[r] Ibid cap. 13.
[s] Ibid. cap. 17.

Ad *Patricium* jam redeo: de quo [t] Iocelinus. *B. Patricius singulas regiones Hiberniæ crebrò consuevit visere ac, prout temporis opportunitas expetebat & ratio dictabat, in eis moram facere. Unde & septem annis continuis in regno morabatur Momoniæ, totidemq; in regione Connaciæ. Diutiùs tamen degebat in Ulteniâ, in quâ primitùs regnum Dei evangelizans, ad Christi fidem illius incolas perduxerat: cujus fines singulos crebriùs suâ sanctâ præsentiâ perlustrando illustrabat. Ubicunq; proficiscebatur, auditores suos aut ad fidem Christi convertebat, aut in fide Christi confortabat,* ubi in [u] *Dalnardiâ*

[t] Iocelin. cap. 96.
[u] Arden.

diâ. vel *Dalnaradiâ* illum agentem; Ecclesiam *Mucmorien-* [t] Id. cap. 98.
sem à *Colmanelo*, & [t] *Benchorensem* à *Comgallo* ibi ædifi-
candam prædixisse narrat. quod posterius vaticinium, quum
ipsis [x] *sexaginta* ante natum Comgallum annis editum ab [x] Vid. supr. pag.
illo referatur, & ex Ultonienſium annalium fide anno 441.
DXVI. Comgallus natus ſtatuatur; anno CCCCLVI. id
ab illo prænunciatum fuisse consequetur.

Neq; *Fingaris* vel *Guigneri*, [y] quem in Britanniâ Ar- [y] Supr. pag. 851.
moricâ reliquimus, dimittenda memoria est: qui ad lo- 852.
cum nativitatis suæ inde reversus, *Hiberniam Christi legibus*
subditam, in confessione Christiani nominis gloriantem, & to-
tam lavacro sancto perfusam invenit. Inde verò relicto re-
gno, quod *Clitone* patre defuncto ad ipsum spectabat, unâ
cum *Pialâ* sorore, DCCLXX. *viris, & septem Episcopis, quos*
S. Patricius per aquam incorruptionis Christo genuerat, in
Cornubiam profectum ad portum *Heul* appulisse, atq;
Christianam hanc universam multitudinem à *Theodorico*
Cornubiæ rege, *timente ne populum suum ad fidem Christi*
vellent convertere, trucidatam fuisse, fide narrantibus reli-
ctâ, refert Cantuariensis archiepiscopus Anselmus: ad fi-
nem horum Actorum nominis sui subscriptione ita appo-
sitâ. *Hæc ego servus Christi Iesu Anselmus de passione San-*
ctorum, & virtutibus Martyris pretiosi Guigneri, juxta fidem
narrantium, brevi stylo digessi.

At *gloriosus Præsul Patricius*, ut jam [z] Iocelinum lo- [z] Iocelin. cap.
quentem audias, *postquàm prædicationis laboriosa instantiâ* 166.
peractâ tot & talium signorum exuberantiâ totam ad Christum
*converterat Insulam, ordinatis Episcopis & Presbyteris cateris*q;
ministris Ecclesiæ in locis singulis ubi opportunius ducebat,
benedicens & valefaciens eis; cum quibusdam filys, Angelico
fultus ducamine, profectus est Romam. Quò perveniens, dum
in summi Pontificis præsentiâ sui adventus exposuisset causam,
in oculis suis summam invenit gratiam. Inprimis ergo illum ut
Hiberniæ Apostolum amplectens ac pronuncians, Pallio decora-
vit; illiq; vices suas committens atq; Legatum suum constitu-
ens, quæcunq; in Hibernia gesserat, constituerat, disposuerat,

auctoritatis suæ munimine confirmavit. Romanæ hujus profectionis etiam auctor Operis tripartiti meminit: sed jam antè Patricio ordinato archiepiscopo *datum Pallium honoris* à Papâ Celestino ille scripterat. Verùm ante annum MCLI. archiepiscopale aliquod Pallium in Hiberniam transmissum fuisse, Rogerus Hovedenus & Melrosiensium Annalium collector negant; ad illum annum ita annotantes. *Papa Eugenius quatuor pallia per legatum suum Iohannem Papirum in Hiberniam transmisit; quò nunquam anteà Pallium delatum fuerat.* quibus & illa Bernardi, in Vitâ Malachiæ, de sede Ardmachanâ verba maximè suffragantur. *Metropolitica sedi decerat adhuc, & defuerat* AB INITIO, *Pallij usus.* cujus etiam de *Gilleberto*, Lumnicensi sive Limericensi Episcopo, non prætermittenda sunt ista. Eum *aiunt primâ functum legatione Apostolicæ sedis per universam Hiberniam.* Ut de *Legati* quo Patricius functus fuerit officio, & *Pallio* huc advecto, posteriorum fides haud labet hîc parùm & vacillet.

Sed de Patricij reditu narrationem pertexere pergit Iocelinus. [a] *Sanctus in regressu suo aliquantisper in Britanniâ propriâ patriâ moratus monasteria multa fundavit, atq; à Paganis destructa reparavit; monachorum sacris conventibus secundùm formam religionis, quam eis præfixit, annuentibus ea replevit. Multa etiam adversa & prospera quæ eventura erant Britanniæ Spiritu & ore prophetico prænunciavit: beati etiam David, utero materno inclusi, sanctitatem prævidit & prædixit.* Unde iter hoc Patricianum ad annum CCCCLXII. referendum colligimus; quo in lucem editum Davidem fuisse [b] declaravimus, *triginta* post Euangelium à Patricio in Hiberniâ prædicari cœptum peractis annis. Ut ille necessariò corrigendus sit anachronismus, quo *Albeus* ante annunciatum hîc à Patricio euangelium Româ rediens Davidis matrem prægnantem offendisse statuitur. Sic enim in Vitâ illius traditum invenimus. *Eodem tempore S. Albeus invenit in quâdam Ecclesiâ Sacerdotem stantem ante altare, & volentem offerre sacrificium: sed non potuit, quia*

[a] Iocelinus cap. 167.

[b] Supr. cap. 13. pag. 443. & cap. 17. pag. 843. 844.

quia tenebatur lingua ejus. Tunc Albeus, circumspiciens populum qui erat in Ecclesiâ, vidit inter eos quandam mulierem prægnantem. Tunc spiritus prophetiæ replevit S. Albeum, & dixit Sacerdoti: Ideo non potes loqui, quia voluit Deus ut audiretur priùs fama de illo infante quem habet illa mulier in utero suo. Ipse enim electus Dei erit, claruſq; Episcopus; & vocabitur David.

Sacerdotem hunc *Gildam* Albanium fuisse jam antè significavimus: quem ad populum præsentem hâc oratione tùm usum refert, in illius Vitâ, Caradocus Lancarvanensis. *Nonnita mulier sancta manet in Ecclesiâ; quæ nunc prægnans puerum paritura est cum immensâ gratiâ: pro quo non potui prædicare, divinâ potestate sermonem retinente. Majoris gratiæ erit puer venturus: nullus ei æquiparabit in nostris partibus. Ego relinquam illi istam regionem: ipse citò crescet, & florebit de ætate in ætatem. Angelus enim Dei nuncius mihi declaravit istam veram destinationem. Unde contigit,* inquit Caradocus, *quòd sanctissimus prædicator Gildas transivit ad Hiberniam: ubi innumerabiles convertit ad fidem catholicam.* Ob quam ibi navatam operam, * & *Prædicatoris Hibernia* titulo insignitum illum fuisse observavimus. * Vid. supra pag. 443.

Quum verò *Hilarum* anno CCCCLXII. Romanæ Ecclesiæ præsediſſe compertum sit; hunc *Hilarium* fuisse illum, sub cujus disciplinâ *Albeum* Romæ sacrarum literarum studio incubuisse [c] dictum est: & quum ipse *David* primus Menevensis Ecclesiæ antistes semper sit habitus; non tam à *Relveo Menevensium Episcopo* ex Hiberniâ veniente (quod ex Giraldo [d] jam audivimus) quam ab *Albeo* vel *Ælbeo Mumenensium Episcopo*, baptizatum illum fuisse, suboriri forsasse alicui posset suspicio. præsertim quum in Albei Vitâ statim sequatur. *Posteà ille filius natus est, & pater ejus dedit eum S. Albeo ut nutriret eum Deo. Ipse est David sanctus Episcopus; cujus reliquiæ requiescunt in civitate suâ Ceall-muni, quæ est in Britanniâ.* Sed quum eodem tempore Davidem materno incluſum utero Biographus ille referat, quo *Samson Episcopus* fuerit

[c] Supr. cap. 16. pag. 789.

[d] Supr. cap. 13. pag. 444.

civitatis

civitatis quæ vocatur Dol-omhoir in extremis finibus Lethæ (sive *Armuric-lethanæ*, de quâ [e] diximus, Britanniæ;) & Samsonem post integrum penè seculum * Dolensis Ecclesiæ apud Aremoricos Præsulem fuisse liqueat:

[e] Supr. pag. 823. 824.
* Vid. supr. pag. 74. & 530.

-- incerta hæc si tu postules
Ratione certa facere; nihilo plus agas,
Quàm si des operam ut cum ratione insanias.

Quid igitur fecerit S. Patricius, reversus in Hiberniam, ex [f] Iocelino porrò audiamus. *Benedictus Patricius*, inquit ille, *itinere longo de regione longinquâ peracto, præsentiâ sui suos exhilarabat: & triginta Episcopos, ex transmarinis partibus congregatos & à se consecratos, in Dominicam messem (eo quòd esset multa, & operarij pauci) destinabat. Cœpit igitur Episcoporum Synodos sanctas sæpiùs congregare, Concilia solenniter celebrare, & quod fidei catholicæ comperit contrarium Ecclesiasticisve institutis adversum evellere & destruere; & quod Christianæ legi, quod justitiæ, quod sacris Canonibus consonum, moribusq; optimis consentaneum erat, studuit plantare & ædificare.* Reliquo verò vitæ tempore [g] *contemplativæ vitæ dulcedini intendens, potissimùm in Saballo vel monasterio Ardmachiæ constituto commorari consuevit. Nec de facili de sanctis locis solebat egredi, nisi traheretur aliquâ causâ inevitabilis negotij. Semel tamen singulis annis Concilium celebrabat; ut ad regulam deduceret, quæ correctione egere cognoverat.*

[f] Iocelin. cap. 168.
[g] Id. cap. 191.

Ardmachiæ celeberrimum fuit Clericorum Canonicorum instituti Augustiniani cœnobium, Petri & Pauli nomini dicatum: de monasterio verò *Saballi* à Patricio extructo ita anteà meminit ipse [h] Iocelinus. *Processu temporis egregium inibi monasterium construxit, in quod perfectos monachos introduxit: ad quorum usum non longè à loco pernecessarium de terrâ fontem orando produxit. Huic cœnobio S. Dunnium discipulum suum Abbatem constituit: ubi & ipse, de prædicatione reversus, cum eo non paucis diebus deguit.* De Patricio etiam *Saballum* frequentante, in secundo tripartiti Operis libro legimus. *Sanctus in eo loco usq; ad obitum*

[h] Id. cap. 32. Vid. supr. pag. 846. 847.

obitum suum frequentiùs habitabat. Et ipse locus est ad orientem, in fine ferè secundi miliarij à civitate Dun-daleath-ghlas, in quâ ipse præsul Patricius sepultus est. & de toto vitæ ipsius curriculo, in libri tertij initio. *Anno sexagesimo ætatis suæ missus à Celestino Papâ ad prædicandum in Hiberniam beatissimus archiepiscopus Patricius venit. Alijs sexaginta annis in Hiberniâ vixit: triginta annis prædicando & baptizando per diversas Hiberniæ provincias; alijs verò triginta annis in suis cellis & in monasterijs thecricè vixit.*

Ipsos verò *sexaginta* illos annos prædicationi & publico ministerio impendisse Patricium, in Carmine Fiecho Slebhtiensi tributo, & Vitâ Patricij Hibernico sermone conscriptâ, traditum invenimus: cum quibus & Marianus Scotus & Florentius Wigornienſis consentiunt; [i] Sigeberto quoq; & [k] Antonino haudquaquàm dissentientibus, dum eum *Archiepiscopum Scotorum ordinatum, per* LX. *annos signis, sanctitate, doctrinâ excellentem, totam insulam Hiberniam ad Christum convertisse* scribunt. Nam [l] Vincentij Bellovacensis & [m] Matthæi Florilegi non magna videtur hîc habenda ratio, qui modò XL. modo LXXX. annis in Hiberniâ eum prædicavisse referunt, neq; secum ipsi neq; cum alijs consentientes: licèt in edito [n] Mariani, Patricium in Hiberniâ *per annos quadraginta* (annis XL. proclivi admodùm librariorum lapsu, contra mentem Mariani, pro LX. positis) & *Euangelium Christi exteris nationibus per annos* XL. *prædicavisse*, in Ninij inedito legamus Chronico.

Atq; hîc notandum, Patricium in metropoli Armachanâ successore relicto ad alias Ecclesias constituendas animum adjecisse: in quibus sedes illa Episcopalis fuit in * *Sinei* fluminis alveo, *Inù-catti* & eodem sensu in Provinciali Romano *Insula Cathay* appellata. Is Episcopatus inter Limiricensem, Laonensem & Ardfertensem hodie est divisus: quem *Archiepiscopali* honore aliquando nobilitatum enituisse, incolarum fert traditio. Et diu sanè ibi Patricium consedisse oportuit, si verum sit quod de *Senano*

[i] Sigebert. Chronic. ann. 432.
[k] Antonin. Chronic. tit. 11. cap. 1. §. 2. & cap. 18. §. 2.
[l] Vincent. Specul. historial. lib. 20. cap. 23.
[m] Flor. historial. ad ann. 491.
[n] Marian. chronic. ad ann. 432. & Baron. notat. in Martyrolog. Roman. Mart. 17.

* Shanan

in Vitâ ejusdem legitur: *A sancto Patricio successor suus prænunciatus antequàm natus.* quod etiam in Vitâ illius metro conscriptâ rhythmico ita prædicens Patricius introducitur:

Nascetur nobis parvulus,
Futurus Dei famulus,
Qui & Senanus nomine;
In meo stabit ordine,
Mihi, Deo propitio,
Succedens Episcopo.

Iniscathensi enim, non (ut ° Campianus ariolatus est) Armachanæ Ecclesiæ *Senanum* præfuisse, ne mo rerum nostrarum paulo peritior ignorat: cujus hanc etiam in Vitâ S. Brigidæ mentionem factam animadvertimus. ᵖ *Sanctus Senanus habitabat in quâdam insulâ in ostio pelagi positâ, freto septâ lato, in Occidentali plagâ Hiberniæ.* Eodem demùm tempore, quo David Menevensis præsul, cui conjunctissimus vixit, lucis hanc usuram reddidisse traditur.

° Edm Campian Histor. Hibern. lib. 1, cap. 14.

ᵖ Vit. Brigid. MS. lib. 2, cap. 60.

Aliorum verò Patricij successorum in antiquis Monionensium libris Hibernicis hic repertus est Catalogus: quem cum Ultonensibus nostris Annalibus comparatum Lectori communicandum duximus.

Patraic.	Ex Annal. Ulton.	Anno Christi.
Sechnall, ann. VI.	1. *Patricius.*	CCCCXLV.
Sen-patraic, X.	2. *Benignus,*	CCCCLV.
Binên, X.	3. *Iarlaithus.*	CCCCLXV.
Iarlaithe, XVIII.	4. *Cormacus.*	CCCCLXXXIII.
Cormac, XV.	5. *Dubtachus.*	CCCCXCVIII.
Dubthach, XVI.	6. *Aill.*	DXIIII.
Ailill, XIII.	7. *Aill.*	DXXVII.
Ailill, X.		

Annos æræ Christianæ, Episcoporum quatuor ultimorum initijs appositos, ex Ultonensibus Annalibus accepimus:

accepimus: in quibus ad annum CCCCLXXXI. (cui vulgaris nostræ epochæ CCCCLXXXII. respondet) *Quies Iarlaithi* filij Threnæ, TERTII *Episcopi Ardmachani*, & post annos XV. (*quatuor* verò post ipsius *Patricij* excessum) *Cormaci Episcopi Ardmachani*, HÆREDIS *Patricij* quies habetur consignata. Eâ ratione quum primus *Cormaci* annus in Christi CCCCLXXXIII. incurrat, anni XVIII. (in Hibernicis adnotati Catalogis) inde subducti primum *Iarlaithi* CCCCLXV. atq; inde subtracti X. primum *Benigni* (Hibernis nostris [q] *Benên* & *Binên* dicti) CCCCLV. inde alij X. primum *Sen-patricij* CCCCXLV. ac demùm VI. residui inde deducti primum *Sechnalli* CCCCXXXIX. nobis exhiberēt. Nam XV. anni, quos pro VI in duorū quibus usi sumus Hibernici hujus Catalogi exemplarium altero (quod ex Cassilienſi Cormaci filij Culenani Psalterio dicebatur esse descriptum) huic assignatos invenimus, non modò *Sechnalli* in Hiberniam adventum (quem ad annum CCCCXXXVIII. aliqui, ad annum CCCCXL. alij libri referunt) sed etiam ipsius *Patricij* (quem ante annum CCCCXXXII. haud quaquàm obtigisse ostendimus) præverterent planè & antecederent.

[q] Supr. pag. 848, 849.

Collatione jam Ultonienſium Annalium cum Momonienſium illo Catalogo factâ, satis apparet, *Sechnallum* & *Sen-patricium* ad Armachanorum antistitum seriem omninò non spectare. Nam *Sechnallum* quidem sive *Secundinum*, B. Patricij nepotem, in Ecclesiâ suâ de *Domnach-seachlain* & vixisse & mortuum esse, jam antè [r] declaravimus. Anni autem *Sen-patricio* in Catalogo tributi ad ipsum annum CCCCXLV. (ut vidimus) rectâ nos ducunt; quo à B. Patricio *Armacham* fundatam fuisse, ex antedictis Annalibus [s] significavimus: & *Sen-Patricium* sive *Senem Patricium* non hîc solùm sed aliâs quoq; non semel cum magno nostro Patricio confusum fuisse, ex ijs quæ posteà producemus liquebit. Adde quòd Patricium designavisse *Benignum* successorem suum futurum, docent [t] Probus: de quo & Tirechanus. *Ipse est Benignus Episcopus*

[r] Suprà, pag. 825, 826.

[s] Ibid. pag. 854.

[t] Prob. circ. init. lib. 2. Vit. Patric.

[u] Iocelin fin. cap. 39.

Episcopus, successor Patricij in ecclesiâ Machia. & [u] Iocelinus. *Ipsum successorem ministerij sui, sicut & fuit, fore prædixit. Idem namq; Benignus in regimine Pontificatus q; totius Hiberniæ successit S. Patricio.* quanquam alius Biographus anonymus S. *Mochteum* Britannum (quem primum *Ludunensium* sive *Louthianorum* Episcopum fuisse

[x] Supr. pag. 859.

[x] diximus) per aliquot dies B. Patricij cathedram ante Benignum obtinuisse asserat. Sic enim ille: *Tunc Mochteus ait* S. Patricio; *Si ante te de hâc luce migravero, familiam meam tibi committo. At Patricius ait: Et ego meam tibi commendo, si te ad Dominum præcessero. Et factum est ita. Rexitq; post ipsum sedem Mochteus aliquot diebus; & Benignum illius discipulum pro se inthronizavit.* Hæc ille: Benigno Patricium superstitem, viventiq; Patricio, non defuncto, successorem in sede Armachanâ substitutum fuisse, minùs attendens vel planè etiam ignorans.

Guilielmus Malmesburiensis, in libro de Glastoniensis Ecclesiæ antiquitate (in cujus Prologo & *Vitam beati Patricij & miracula venerabilis Benigni* à se conscripta fuisse memorat) vivente quidem Patricio Benignum Pontificem fuisse agnoscit; sed in successionis ordine, Momonienſium potiùs Catalogum, quàm Annales sequi visus est Ultonienſium. Verba illius hæc sunt. *Anno Domini* CCCCLX. *sanctus Benignus venit Glastoniam. Hic discipulus S. Patricij & successor in Episcopatu ejus* TERTIVS *in Hibernia fuit: quemadmodum eorum gesta testantur. Hic igitur, Angelo monente, patriam pontificij q; dignitatem ex voto deserens, voluntariâ peregrinatione susceptâ, Glastoniam Deo duce pervenit; ubi & sanctum Patricium invenit. Quante autem apud Deum gratiæ fuerit, multis patet virtutum indicijs. Hoc etiam testantur ejus insignia apud Feringmere; data ejus precibus aqua largissima, & ex ejus baculo arido ingens arbor virens & frondifera. Hic itaq; post immensos agones, in dictâ Insulâ beato fine quievit, usq; ad tempora regis Willielmi Rufi: & tunc Glastoniam translatus est.* anno nimirum Domini MXCI. ut in Iohannis Tinmuthensis Sanctilogio

&

& magnâ Glastonienſum Tabulâ notatum legimus. Priori verò ejus ſepulcro apud *Ferremere* vel *Ferlingemere* hujuſmodi inſcriptum fuit Epitaphium.

*Hoc patris in * lapide Beona ſunt oſſa locata;* * tumulo
Qui pater extiterat Monachorum hîc tempore priſco.
Hunc fore Patricij dudùm fortaſſe miniſtrum
Fantur Hybernigenæ, & Beonam de nomine dicunt.

quanquam alium hunc *Beonam* ab Hibernigenarum *Beuên* ſive *Benigno* eſſe oporteat; ſi hujus *reliquias in ſummâ civitate Patricij* (Armachanâ utique) *honorificè jacere*, Operis tripartiti ſcriptor rectè prodiderit.

A Benigno *in regimine Pontificali tranſactos feliciter in Hibernià annos multos*, in Vitæ ejus initio Iohannes Tinmuthenſis; anno Dominicæ incarnationis CCCCLX. Glaſtoniam venientem, poſt triennium, anno videlicèt CCCCLXIII. *in Domino requieviſſe*, ſcribit Glaſtonienſis quidam Chronographus. Noſtri *decem* in Pontificatu annos eum exegiſſe ſignificant, cum anno CCCCLXIIII. terminatos; & *quadriennio* pòſt anno nimirùm (ut ex Glaſtonienſibus Annalibus intelligimus) CCCCLXVIII. ex hâc vitâ demigraviſſe. Et ante illius adventum & poſt illius deceſſum, Patricium noſtrum monaſticam Glaſtoniæ vitam coluiſſe, Malmesburienſis auctor eſt: de primo ejus ad locum illum acceſſu, ex Glaſtonienſium fide, iſta referens. *Extremis diebus Britanniam remeans, priorem* (*Metropolitani Pallij*, ut in magnâ Glaſtonienſi Tabulâ additum hîc eſt) *celſitudinem ſalutationeſq; in ſpiritu reſpuens, ſuper altare ſuum Connubiam appulit; quod uſq; hodie apud incolas magnæ veneration eſt, tum propter ſanctitudinem & utilitatem, tum propter infirmorum ſalutem. Inde Glaſtonias veniens*, XII. *fratres anachoriticè viventes ibidem reperiens congregavit; Abbatiſq; ſuſcipiens officium, eoſdem agere vitam docuit cœnobialem: ſicut ſequens ſcriptum, quod idem tempore ſuo conſcripſit, manifeſtiùs declarat.*

CHARTA S. PATRICII.

„ *IN nomine Domini nostri Iesu Christi, Ego Patri-*
„ *cius humilis servunculus Dei, anno Incarnationis*
„ *ejusdem quadringentesimo vigesimo quinto in Hi-*
„ *berniam à sanctissimo Papâ Celestino legatus, Dei gra-*
„ *tiâ Hibernicos ad viam veritatis converti. Et cùm*
„ *eos in fide catholicâ solidâssem, tandem in Britanniam*
„ *sum reversus: ac, ut credo, duce Deo qui vita est &*
„ *via, incidi in insulam Ynswytryn: in quâ inveni lo-*
„ *cum sanctum ac vetustum, à Deo electum & sanctifi-*
„ *catum in honore intemeratæ virginis Dei genitricis*
„ *Mariæ. Ibiq; reperi quosdam fratres rudimentis ca-*
„ *tholicæ fidei imbutos, & piæ conversationis, qui suc-*
„ *cesserunt discipulis sanctorum Phaghani & Derwia-*
„ *ni. &c. Hi cùm essent nobilibus orti natalibus, nobili-*
„ *tatem suam fidei operibus ornare cupientes, eremiti-*
„ *cam vitam ducere elegerunt. Et quoniam inveni eos*
„ *humiles ac quietos; elegi potiùs cum illis abjectus esse,*
„ *magis quàm in regalibus curijs habitare. Sed quia*
„ *omnium nostrùm erat cor unum & anima una; elegi-*
„ *mus simul omnes habitare, comedere & bibere pariter,*
„ *& in eâdem domo dormire: sicq; me, licèt invitum,*
„ *sibi prætulerunt. Non enim dignus eram solvere corri-*
„ *giam calceamentorum eorum. Et cùm vitam mona-*
„ *sticam ita duceremus, juxta normam probabilium pa-*
„ *trum; ostenderunt mihi præfati fratres * scripta*
„ *sanctorum Phagani & Derwiani. &c.*

* Vid. supr. cap. 2. pag. 20. & cap. 6. pag. 116.

Sed hâc de re in † VI.o capite plura à nobis pro-

† Supr. pag. 106. & 110.

ducta sunt scriptorum loca: quibus & sequentia hæc, ex jam dicto Glastonienſis ecclesiæ Antiquitatum libello deprompta,

deprompta, adjungas licet. *Sanctus Phaganus & Derwianus in Britanniam venientes, & eam fidei gratiâ illustrantes, à rege Lucio per eosdem in Christo renato insulam Avallonia cum suis adjacentijs confirmari obtinuerunt:* XII. *fratribus ibidem institutis, ac alijs post eos instituendis. Successit post multum tempus beatus Patricius: qui adhuc fratres* XII. *quasi eremiticam vitam agentes reperiens, eosdem vitâ cœnobiali informavit; & multis possessionibus, licèt nobis incognitis, (ut credi fas est) ditavit.* Item: *Cùm S. Patricius, à Celestino Papâ missus, Hibernicos ad fidem Christi convertisset atq; eos in fide solidâsset, ut superiùs declaratum est: Britanniam rediit, & in portum qui* Vaile-mont *nuncupatur appulit. Ob cujus reverentiam sanctitatisq; excellentiam ibidem statuitur Ecclesia S. Patricij nomine, propter ejus merita & frequentia miracula, insignita. Tunc ex omni copiâ locorum Glastoniam potissimùm elegit, ubi ei triumphorum de Diabolo materia suppeteret, & cœlestium præmiorum gaudia promereri posset. Nam tunc locus ille, paludibus penè invius, pro solitudine hominum cœlestibus excubijs erat opportunus. Ibi sanctissimam excurrens vitam, die vocationis suæ reposcentibus astris exhibuit animam.*

Habetur ibidem & sequens Patricianæ vitæ, non parùm vitiosa, Chronologia; in magnâ etiam Glastonienſi Tabulâ & Iohannis Tinmuthensis Legendâ Patricij inde repetita. *Excessit hic Deo dignus anno ætatis suæ* CXI. *Incarnationis verò Domini* CCCCLXXII. *ab anno quò in Hiberniam missus est* XLVII. *Siquidem anno Domini* CCCLXI. *in lucem venit; & anno Domini* CCCCXXV. *à Celestino Papâ in Hiberniam missus fuit. Hic fuit ætatis suæ annus* LXIIII. *Et anno Domini* CCCCXXXIII. *Hibernicos ad fidem Christi convertit. Demùm Britanniam reversus, in optimâ conversatione per* XXXIX. *annos in insulâ Avallonie permansit.* Cum quâ & ista [z] Iocelini Chronologia conferri poterit. * *Quinquagenarius quinquennis natus fuit, quando Episcopali gradu decoratus Hiberniam prædicandi gratiâ intravit. Triginta quinque annorum spatio totam Hiberniam cum alijs quibusdam Insulis ad Christum convertit: reliquis*

[z] Iocelin. cap. 191.

* Vid. eundi cap. 185. & Offic. S. Patricij Paris. edit. lection. 5.

reliquis deinde triginta tribus contemplativæ vitæ dulcedini intendit. Ad CXXIII. enim ætatis annum perveniſſe illum vult; & [a] *deceſſiſſe anno Incarnationis Dominicæ* CCCCXCIII. *Pontificante Felice Papâ, primo anno imperij Anaſtaſij Imperatoris, principantibus Aurelio Ambroſio in Britannia, Forcherno* (al. *Forthkerro*) *in totâ Hiberniâ.*

[a] Iocelin. cap. 196.

In mortis anno deſignando, ut vides, magna eſt inter iſtos diſcrepantia: de anno miſſionis id Hiberniam nulla. Sive enim ſpatium intermedium annorum LXVIII. cum Iocelino ponas, & anno CCCCXCIII. defunctum dicas; ſive anno CCCCLXXII. & ab anno quo in Hiberniam miſſus eſt XLVII. exceſſiſſe, cum Glaſtonienſium Antiquitatum ſcriptoribus aſſirmes: ex utrâque hypotheſi erit conſectarium, anno Domini CCCCXXV. in Hiberniam miſſum eſſe Patricium; quod in *Chartulâ* etiam illâ, *Patricij* nomine à monachis Glaſtonienſibus venditatâ, (cujus initium, ex tribus MSS. exemplaribus deſcriptum, exhibuimus) expreſſum legitur. licèt in *Excerptis* quæ Vitæ Patricij inſeruit Iohannes Tinmuthenſis (& ab ex-ſcriptore illius [b] Iohanne Capgravio mutuata in Collectanea primùm ſua Marianus Victorius, indeq; in ſua [c] SS. Patrum Miſcellanea Gerardus Voſſius, atq; hinc in renovatam [d] Bibliothecæ Patrum editionem Colonienſes tranſtulerunt) pro anno CCCXXV. repoſitus CCCCXXX. cernatur. quum horum tamen neuter admitti poſſit; niſi Patricium, [e] contra omnium ſcriptorum conſenſum, ante Palladium à Celeſtino miſſum fuiſſe in Hiberniam ſtatuamus.

[b] Nova Legenda Angliæ, edit. Londin. ann. 1516. in Vitâ Patricij.
[c] Edit. Mogunt. ann. 1604. cum Operib. Gregorij Thaumaturgi.
[d] Bibliothec. Patr. tom. 5. part. 3. pag. 793. edit. Colon. ann. 1618.
[e] Vid. fin. cap. 16. ſuprà, pag. 814. 815.

In edito Mariani Scoti Chronico, ut diximus, ad annum CCCCXXXII. Patricius annis XL. ad annum verò CCCCXCI. annis LX. in Hiberniâ prædicaviſſe legitur. Anno CCCCXXXII. (quo in Hiberniam veniſſe Patricium, præter auctores in fine præcedentis Capitis citatos, vetuſtus etiam *Chronicon* liber à [f] Camdeno productus, & Annales quos Cantabrigiæ in Collegij S. Benedicti Bibliothecâ [g] MSS. vidimus, confirmant) anni XL. adjecti,

[f] in Girald. Cambrenſ. Topograph. Hibern. diſtinct. 3. cap. 16.
[g] MSS. colleg. Benedict. Cantabrig. num. 70.

jecti, ad annum CCCCLXXII. nos perducent, qui & Glastonienses mortuum illum esse volunt: additi verò anni LX. in anno CCCCXCII. terminabuntur; licèt ipse Marianus ad annum præcedentem (quo & *Olybrius* junior Consulatum gessit, & *Zeno* Imperator vitâ functus est) obitum illius referat. Sic enim ad annum illum CCCCXCI. in Chronico ejusdem MS.° annotatum legimus: *S. Patricius Hiberniæ archiepiscopus, annorum* CXXII, *beatissimo fine obiit.* in impresso verò fusiùs: *Sanctus Patricius Hiberniæ archiepiscopus, quum esset annorum* XCII. *obiit. Quum esset annorum* XVI. *venditus est*, VI. *annis vixit in servitute, in Romanis partibus*: LX. *annis in Hibernià prædicavit.* Ubi pro XCII.[b] Baronius LXXXII. annorum numerum substituendum existimat: quot particulares illi anni conficiunt, in unam collecti summam. Sed quum *sex* illos servitutis annos, non *in Romanis partibus*, sed in Hibernià Patricium exegisse constet: mutilatum esse locum non est dubium, & ad Mariani & sectatorum ejus mentem sic esse restituendum. *Quum esset annorum* CXXII. *obiit. Quum esset annorum* XVI. *venditus est*, VI. *annis vixit in servitute*, XL. *annis in Romanis partibus*: LX. *annis in Hibernià prædicavit.*

[b] Baron. ann. 491. §. 19.

Neq; enim unius Mariani hæc fuit sententia, anno Domini CCCCXCI. Patricium, ætatis annum CXXII. agentem, ex hâc vitâ migravisse; sed Sigeberti quoq; Gemblacensis, Florentij Wigornienſis, Rogeri Wendoverij, Matthæi Florilegi & Waverlienſium Annalium collectoris. Quibus accedit & Ranulphus in Polychronico, libro V. cap. IIII. ita scribens. *Anastasius imperavit annis* XXVII. *cujus primo anno obiit S. Patricius primus Hibernienſis archiepiscopus*, CXXII.° *ætatis suæ anno, tempore Aurelij Ambrosij apud Britannos tunc regnantis.* Cum primo enim anno Anastasij, non CCCCXCIII. ut voluit[i] Jocelinus, sed CCCCXCI. annus æræ Dominicæ convenit. licèt non in Jocelino solo, sed etiam in Johannis Tinmuthensis aureâ Historiâ, vetusto libro Chromelliæ, Johan-

[i] Jocelin. cap. 196.

nis Clinni & Henrici Marleburgensis Chronicis, Ultoniensibus quoq; & Dubliniensibus Annalibus, ad annum gratiæ CCCCXCIII. Patricij obitus relatus inveniatur.

Feriâ *quartâ* (quam Hiberni, Græcorum ritu, faciunt ἀποκρεώσιμον) & *natus* ille fuisse traditur, & per baptismum *renatus*, & per mortem *denatus*: si verba * libri Sliguntini, Hibernicè scripti, rectè intelligo. Eâ ratione in annum CCCCXCIII. (epochæ vulgaris Christianæ, à Kalendis Ianuarijs deductæ) potiùs quàm CCCCXC. (ad quem in Anglicanâ Legendæ aureæ editione Patricij obitum relatum legimus) aut duorum sequentium alterutrum, tempus mortis illius conjici oporteret: quandoquidem eo anno feria *quarta* cum XVI. *Kalend. April.* coinciderit. Hoc enim die Martyrologia, non novum solum Romanum (cum illo antiquissimo, ab Heriberto Rosweydo edito, consentiens) sed etiam Bedæ, Usuardi, Rabani, Adonis, Notkeri, *Natalem* illius commemorant. quo nomine non *diem consecrationis in Episcopatum* (quod *Hirlandos ignoravisse* [k] Dempsterus jactat) sed *depositionis* designari (quod idem ipse uno quasi spiritu modò [l] negat, modò [m] asserit) etiam Probus, Tripartiti operis scriptor, Iocelinus, Iohannes Tinmuthensis, Petrus Equilinus, & alij Patricianæ vitæ scriptores confirmant; qui de hoc ipso omnes consentiunt, quod in antiquissimo Armachanæ Ecclesiæ codice ita consignatum invenimus. *Septimadecimâ Martij die translatus est Patricius ad cœlos.* Cujusmodi usus vocabulorum *Natalis* & *Nativitatis* apud [n] veteres frequentissimi, etiam duo è nostris scriptoribus petita jam succurrunt testimonia. Unum [o] Cogitosi, commemorantis *solemnitatem Nativitatis S. Brigidæ; quæ in die Kalendarum Februarij mensis dormiens secutè sarcinam dejecit carnis.* alterum [p] Adamnani, S. Columbam cum ministro suo Diormitio in Ionâ insulâ sic colloquentem introducentis. COLVMB. *Sacra celeriter Eucharistiæ ministeria præparentur. Hodie enim Natalis beati Brendini est dies.* DIORMIT. *Quare talia Missarum solemnia hodiernâ*

* Τρι ϲοαϲαιηε Ρατραιϲ, αϲεη, αϲαϲαιγ, αϲαγ.

[k] Dempster. Histor. Eccles. lib. 15. num. 1001.

[l] Id. ibid. pag. 521.

[m] Id. ibid. pag. 524.

[n] Vid. supr. pag. 820. Iac. Pamel. in Tertullian. de Coronâ milit. & Cyprian. epist. 34. & Io. Molan. tractat. de Martyrologijs, cap. 15.

[o] Cogitos. in fine Vitæ Brigidæ.

[p] Adamnan. Vit. Columbæ, lib. 3. cap. 15. edit. H. Canisij.

nâ præparari præcipis die? Nullus enim ad nos de Scotiâ sancti illius viri obitus pervenit nuncius. COLUMB. *Vade tu: meæ obsecundare jussioni debes. Hâc enim nocte præteritâ vidi subitò apertum cœlum, Angelorumq; choros sancti Brendini animæ obvios descendere; quorum luminosâ & incomparabili claritudine totus eâdem horâ illustratus est Mundi orbis.*

In Annalibus Ultoniensibus, ad annum Domini CCCCLVII. (qui nostræ æræ est CCCCLVIII.) annotata habetur *Quies Senis Patricij, ut alij libri dicunt.* Qui hunc *Senem Patricium* à magno nostro nesciverunt distinguere; in tempore mortis ejus designando, ex hujusmodi libris errandi videntur accepisse occasionem. ut [q] Giraldus Cambrensis, qui *anno ab Incarnatione Domini* CCCCLVIII. *obijsse* illum scribit; & Ninius, qui *à morte Patricij usq; ad obitum S. Brigidæ* LX. *annos* dinumerat. In anno enim DXVIII. cum Sigeberto Gemblacensi & Waverleiensium Annalium collectore, excessu Brigidæ posito; eundem ipsum hic calculus Patricianæ mortis exhibiturus est annum. quanquam in uno Ninij exemplari, pro LX. positi hîc XL. reperiantur: quot etiam annis Patricio Brigidam fuisse superstitem, in Anglicanâ Legendæ aureæ editione invenimus.

[q] Girald. Topograph. Hibern. distinct. 3. cap. 17.

Extat Patricij Testamentum, vetustissimis Hibernicis versibus expressum: in quo, inter Patricium & Brigidam sermone distributo, Patricius * annis post se *triginta* Brigidam Hiberniæ benedicturam præmonendo vaticinatur. Quò respiciens auctor vetus, qui libris duobus Acta Brigidæ descripsit, extremum vitæ illius actum hunc in modum nobis edisserit. *Iter faciens, benedicebat Hiberniam ex omni parte: sicut præcepit ei S. Patricius Episcopus moriens & dicens;* Per triginta annos, beata Brigida, post mortem meam benedic Hiberniam. *Et adveniens sanctissima in aquilonalem plagam Hiberniæ (videlicet, in provinciâ Ultorum) Brigida, illicò doloribus correpta est. Et post breve spatium temporis, inter multitudinem sanctorum, ætatis suæ anno* LXXX. *anno verò* XXX. *post obitum S. Pa-*

* Triacha blia-dhan gancheo brigid bennaigh erin tarmeis.

 tricij

tricij archiepiscopi, regnante in Themoriâ regnum Hiberniæ Murchertach filio Earc (cui successit in regno Tuathal Melgarb) primo autem anno regni Iustiniani Imperatoris, sedente in sede Apostolicâ Papâ Hormisda, anno quoq; ab Incarnatione Domini DXLVIII. *visitantibus eum angelis Dei, felicissimè obijt.* In quo tamen pro *Iustiniani* reponendum esse *Iustini* nomen, & pro anno DXLVIII. jam dictum illum DXVIII. esse substituendum, præter alia, Murchertaci Regis & Hormisdæ Pontificis synchronismus arguit: à quo anno subducti XXX. annum Patricij emortualem, ex hujus quidem scriptoris sententiâ, CCCCLXXXVIII. numerandum relinquerent.

Marianus Scotus, ad annum CCCCXCI. Patricij mortem referens, convenienter huic hypothesi, post annos XXX. excessum Brigidæ in anno DXXI. collocat. Henricus Marleburgensis, *anno gratiæ* CCCCXCIII. *obijsse S. Patricium*, & S. Brigidam *supervixisse eum* XXX. *annis*, in Chronico suo scribens; ad annum DXXIII. eâ ratione sacræ Virginis promovet obitum. Sequente verò anno bissextili (& secundùm alios libros, anno post bissextilem altero) in Ultonienſibus Annalibus annotata est *Quies sanctæ Brigidæ, anno* LXX. *ætatis suæ*: & in proximo bissextili (qui nobis annus est DXXVIII) *Dormitatio Brigidæ, secundùm librum monachorum.* Ibidemq; juxta alios quidem anno CCCCLIII. juxta alios verò CCCCLVII. *Nativitas sanctæ Brigidæ* facta fuisse significatur. In Dublinienſibus tamen & Rossensibus Annalibus, ut & in vetusto libro Chromelliæ & Iohannis Clinni Chronico, anno CCCCXXXIX. Brigida nata fuisse dicitur: unde ad annum DXVIII. vitâ illius productâ, LXXIX; ad annum verò DXXIII. ætatis ipsius LXXXIIII. numerandi fuissent anni. *Anno gratiæ* CCCCLXVIII. *natam fuisse sanctam Brigidam in Hiberniâ apud* * *Faghirt*, Henricus Marleburgensis affirmat; qui annus à DXXIII. (quo juxta illius rationes mortem illa obierit) subductus, ætatem Brigidæ LV. tantùm annorum relinquit.

* Vid. supra cap. 15. pag. 627. & 706.

Sed

Sed longè major est auctorum in ætate B. Patricij definienda discrepantia. Nam [x] Staniurſti nostri rationes XCVII. illi annos attribuunt, Annales Buelliani CIX. Guilielmus Malmesburiensis, cum monachis Glastonienſibus, CXI. Ninius, Tirechanus, Operis tripartiti auctor, [y] Giraldus, [z] Vincentius, [a] Antoninus, vetus liber Chromelliæ, [b] Officium Patricij, unà cum Ultonienſibus & Dublinienſibus Annalibus atq; Actis Patricij linguâ Hibernicâ conscriptis, CXX. Marianus, Sigebertus, Wendoverius, Vitæ Patricij scriptor Cottonianus, & alij superiùs commemorati, CXXII. Iocelinus, CXXIII. Iohannes Tinmuthensis, CXXX. Angloſaxonicum Exonienſis Ecclesiæ Martyrologium, CXXXI. Probus, CXXXII. ut * veterem de Ecclesiasticorum Officiorum origine libellum scriptum taceam; in quo Patricius *centum quinquaginta & tres* annos vixisse traditur. Annos CXX. illum exegisse, communior & magis recepta est sententia: ad quam ætatem [y] *Britannia* senes pervenire solitos, auctor est Asclepiades; & in quâ Patricium nostrum, antiquissimi rerum ipsius scriptores, Ninius & Tirechanus parem fuisse *Mosi* observârunt. de quo notum est illud Trebellij Pollionis, in Claudio. *Doctissimi Mathematicorum centum & viginti annos hominì ad vivendum datos judicant, neq; amplius cuiquam jactitant esse concessum. etiam illud addentes, Mosem solum, Dei (ut Iudæorum libri loquuntur) familiarem, CXXV. annos vixisse: qui quum quereretur quòd juvenis interiret, responsum ei ab incerto ferunt numine, neminem plus esse victurum.* Cujus fabellæ vanitatem sacrarum literarum veritas satis redarguit; quæ & [z] Mosem CXX. tantùm annos vixisse docent, & [a] Ioiadam Sacerdotem, longè post Mosem, ad CXXX. ætatis annum pervenisse.

[x] Rich. Staniurst. Vit. Patricij lib. 2. pag. 74.
[y] Girald. Topograph. distinct. 3 cap. 17.
[z] Vincent. Speculhistorial. lib. 20 cap. 134.
[a] Antonin. chronic. tit. 11. cap. 18. §. 2.
[b] Offic. Patric. edit. Parisiens. 6.
* de quo supra, cap. 11. pag. 343.
[y] ἐν Βρεττανίᾳ πρεσβύτας γηράσκειν. in fine Operis de Philosophorum placitis, Plutarcho & Galeno attributi.
[z] Deuteron. 34. 7.
[a] 2. Paralipom. 24. 15.

Qui Ninio notas adjecit, non in ætate solùm integrâ, sed in tripartitâ etiam ejusdem distributione, Mosi Patricium æquare nititur. Quum enim Patricij tempora ita proposuisset Ninius; *Quindecim annis in capti vitate, in vi-*

* al. *à Matheo sancto Episcopus* § al *annos vel annis*

*gesimo quinto anno * ab Amatheo sancto Episcopo subrogatur, octoginta quinq; § annorum in Hibernià prædicavit:* Scoliastes ille subjicit. *Hic, ut mihi videtur, contradicit sibimet ipsi: sed aliter audivimus & scripta reperimus. Quadragenarius erat quando de captivitate exivit, & per* XL. *annos didicit & Deo servivit, &* XL. *prædicavit. In his tribus quadragenarijs maximè Patricius æquatur Moysi. Nam sicut Moyses fuit* XL. *annis in domo Pharaonis velut in captivitate, &* XL. *in exilio in terrâ Madian, &* XL. *in prædicatione & in ductâ populi: ita Patricius **** XL. *in exilio inter Gallos, &* XL. *prædicando & miracula faciendo atq; resistendo Loigere regi & Magis ejus (sicut Moyses Pharaoni & ejus Magis) viriliter & indefessè Deo servivit. Nam bene potest fieri, illum fuisse in captivitate per quindecim annos, & quadragenarium egressum fuisse. Sed hîc attende. Moyses quadragenarius fuit quando de Ægypto exivit in fugam, & ad Ægyptum propter populos Dei missus rediit post* XL. *annos: & ipse Patricius quadragenarius erat quando de Hibernià in fugam exivit, & post* XL. *annos missus ad populum Dei excipiendum de manu Diaboli ad Hiberniam rediit. Et uterq; per* XL. *annos in * stadio prædicationis manserunt, & simili fine & jejunio non dissimili.* Nam & Patricium dixerat paulo antè Ninius (ut & post eum complures [b] alij) XL. *diebus totidemq; noctibus in cacumine collis Eli jejunavisse, id est, Cruacha-eli.* Editissimum & notissimum Connaciæ id promontorium est, Occidentali imminens Oceano; quod *Cruachan-Ailge* (vel *Oeghli*) olim, hodie *Cruach-Phadruig*, hoc est, *Cumulus Patricij* appellatur.

* al. *Studio*

[b] Jocelin. cap. 171. Vincent. Specul. histo. rial. lib. 20. cap. 23. Matth. Florileg. ad ann. 491 Offic. Patricij edit. Paris. lect. 6.

Verùm communiori & veriori retentâ Chronologiâ, quæ *sexagenarium* non *octogenarium* Patricium in Hiberniam advenisse statuit; in *quatuor tricenarios* potiùs quàm in *tres quadragenarios* Patricianæ ætatis annos visum est distinguere. ita ut primam τριακάδα in primâ illius profectione Romanâ sub ipsa Pontificatûs Innocentij I. initia, secundam in secundâ sub ipsum Pontificatus Cœlestini I. exitum, tertiam in tertiâ Hilari Pontificis primo anno factâ, quartam denique in Patricij ex hâc vitâ discessu

discessu terminemus: atq; ad primam servitutes illius & apud parentes ac avunculum Martinum commorationem, ad secundam * literarum studia excercitiaq; spiritualiia in partibus Romanis & Gallicanis & Tyrrheni maris insulis decursa, ad tertiam Hibernicæ gentis conversionem, ad quartam Ecclesiæ jam constitutæ gubernationem & pia contemplativæ vitæ otia referamus. Quorum duorum posteriorum tricenariorum, uti ætatis etiam integræ in Testamento illo (de quo diximus) Patricij nomine composito, mentionem hanc factam invenio. * XXX. annis legit Tirechan.

Tricha bliadhun dainsa fen, isin trabull Conglaine
istrica bliadhun aile, acc tairtil na herinn uile
Sc. xx. bliadan ni gó, orom genissa gan ail hic fad
mo saoġail cin loco gur anaoroci anoco sin fail.

Ter denis annis versatus in æde Saballi,
Ter denis alijs peragravi lætus Iernam:
Centum & vicenos annos vivendo peregi;
Præsentem ad noctem hanc seclum producitur istud.

Mosis verò & Patricij collationem Ninius (eumq; ad annum CCCCXCI. secutus Matthæus Florilegus) sic instituit. *Quatuor modis æquantur Moyses & Patricius.* I. *Angelo sibi colloquente in rubo igneo.* II. *In monte quadraginta diebus & quadraginta noctibus jejunavit.* III. *Similes fuerunt ætate* CXX. *annorum.* IIII. * *Sepulcrum illius non invenitur; sed in occulto humatus est, nemine sciente.* Similiter & Tirechanus: *In quatuor rebus similis fuit Moysi Patricius.* I. *Angelum de rubo audivit.* II. *Quadraginta diebus & quadraginta noctibus jejunavit.* III. *Annos* CXX. *peregit in vitâ præsenti* IIII. *Ubi sunt ossa ejus nemo novit.* quod tamen postremum ita quodammodo corrigit. *Colomb-cille, Spiritu sancto instigante, ostendit sepulturam Patricij in Ecclesiâ juxta mare: ubi est conductio martyrum, id est, ossium Columb-cille de Britanniâ & conductio omnium Sanctorum in die judicij.* Cum quo mutilo & obscurro loco conferri poterit & alter ille in

* Idem de sepulcro illius habet etiam Vincentius in Speculo Historiali, lib. 20. cap. 23.

in Vitâ Brigidæ. [c] *In arce Leath-laidhi sepultus est sanctus pater Patricius, & beata Brigida, & reliquiæ beatissimi abbatis Columbæ post multos annos collata in uno sepulchro.*

[c] Vit. Brigid. MS. lib. 2. cap. 20.

Non alia autem est *arx* illa *Leath-laidhi* vel, ut postea appellatur, *Leath-glaysse*, quàm urbs *Dunensis*, ad Hibernicum mare posita: in quâ [d] *requiescere corpora sanctorum Patricij & Columbæ confessorum, & S. Brigidæ virginis*, Giraldus Cambrensis, Rogerus Hovedenus, Ranulphus Cestrensis, Iohannes Brampton & Henricus Marleburgensis confirmant. [e] *Apud Ultoniam in civitate Dunensi ipsorum trium corpora sunt recondita: quod de S. Brigidâ verum est, sed de S. Columbâ multum dubitatur*; ait in Chronico suo Thomas Cæsæus. quanquam hîc etiam de Brigidâ & Patricio, non minor quàm de Columbâ, moveatur ab alijs controversia. De B. *Columbæ* sepulturâ, in [e] XV.° Capite dictum est: ejusq; reliquias non hîc primùm conditas, sed *post multos annes collatas* fuisse, jam audivimus. S. *Brigidam* Kildariæ, in suo monasterio, sepultam [f] Cogitosus in ejus Vitâ innuit: sed nuper ille citatus Vitæ ejusdem scriptor apud Dunenses humatam fuisse, hisce verbis indicat. [g] *Sepulta est cum gloriâ & honore in uno sepulcro cum beatissimo archiepiscopo Patricio, secundùm voluntatem eorum, in civitate positâ in regione Ultorum prope mare, nomine Dun-leath-glaysse: quæ priscis temporibus Arascealltair filij Cuitheachair, comitis regis Ultorum Conchubhair filij Neassa, vocabatur.* Alia enim [h] Brigida fuisse videtur illa, cujus corpus Scoti non ita pridem [i] *in canonicorum Collegio Abrenethi rectè se colere putaverunt.*

[d] Rog. Hoveden. Annal. ad ann. 1177.

[e] Supr. pag. 708. 709.

[f] Tom. 5. Antiqu. lect. Henr. Canisij, pag. 639.

[g] Vit. Brigid. MS. lib. 2. cap. 77.

[h] Vid. supr. cap. 15. pag. 713.

[i] Io. Lesæ. de reb. gest. Scotor. lib. 4. *in regr* XLVII. Hect. Boëth. Scotor. histor. lib. 9. fol. 158. b.

Ipsum quoq; *Patricium* Armachiæ *mortuum requiescere*, Bernardum in Vitâ Malachiæ affirmantem [k] audivimus: cum quo & vitæ Patricij scriptor ineditus consentit, quem ex Bibliothecâ Cottonianâ exscribendum curavimus. At aliud refert, in II.° de vitâ illius libro, Probus: qui tamen in * *Sabul* objisse illum scribens, locum sepulturæ clarè non exprimit, sed hoc in eo factum miraculum commemorat. *In novissimis temporibus cùm*

[k] Suprà, pag. 859. ubi & locum *Neubrigensis* considera.

[*] Vid. ibid pag. 846. 847. 872.

§ *Ecclesia*

§ *Ecclesia super corpus ejus ædificaretur, homines humum fodientes ignem de sepulchro ejus exurgere viderunt: quo timore perterriti fodere desierunt, ac recedentes ab hâc intentione, majori veneratione memoriam ejus celebrare cœperunt.* Iocelinus in [l] *cœnobio Saballino* vitam eum terminaviſſe, & in vicinâ [m] *urbe Dunensi* ſepultum fuiſſe aſſerit: ſed de miraculis ibi peractis nihil dum ſibi conſtitiſſe ita ſignificat. *Quantis vel quibus miraculis sacrosancta ossa illius pullulaverint de loco suo, scriptum non invenimus: quia fortassis à negligentibus calamo mandata non sunt, vel quoniam sub Paganis principantibus pluries in Hiberniâ hujusmodi scripta incendio deleta sunt.*

§ 5. *Patricij in Dunò*: cujus in Chronico Maniæ, ad annum 1098, fit mentio.

[l] Iocelin. cap. 189.

[m] *Id.* cap. 187. & 196.

Verùm eodem tempore quo librum ſuum Iocelinus edidit, divinitùs hoc in loco patefacta fuiſſe illius oſſa, ab alijs traditum invenimus. Opus enim illud, quod priùs [n] *Malachiæ Dunensis præsulis & Iohannis de Courci Ulidiæ principis* ſuaſione fuerat aggreſſus, accidente demùm *Thomæ Armachani archiepiscopi* cohortatione, perfecit ille atq; abſolvit. Anno autem MCLXXXV. Amlavo O Muredo defuncto Thomam hunc (Tomaltach O Connor Hibernis dictum) in archiepiſcopatu Armachano ſucceſſiſſe, ex Annalibus Hibernicis; eodemq; anno, quo ſcilicèt (*Comes Iohannes primò in Hiberniam venit*, Patricij, Brigidæ & Columbæ in civitate Dunenſi inventa fuiſſe corpora, ex Giraldo Cambrenſi, Ranulpho Ceſtrenſi, Iohanne Brampton & Henrico Marleburgenſi didicimus. Quæ inventio cùm ſub exitum illius anni (divulgata jam Iocelini illo opere, tam illuſtris & præſentis rei, atq; ad inſtitutum quàm maximè appoſitæ, mentionem aliàs haudquaquàm præterituri) contigiſſe videatur; ſequentis initio ad Urbanum III. Pontificem à Malachiâ Dunenſi & Iohanne Curcio Romam miſſa legatio, & à Nuncio Pontificio V°. Idus Iunij, die S. Columbæ memoriæ ſacro, reliquiarum illarum ſolennis facta fuerit tranſlatio. Eam verò hiſtoriam ex ejuſdem Tranſlationis Officio Eccleſiaſtico, Pariſijs anno MDCXX. excuſo, ſi placet, accipe.

[n] Suprà, pag. 816.

Glorioſorum Hiberniæ patronorum, Patricij Archiepiſcopi, Hiberniæ Primatis & Apoſtoli, atq; ſancti Columbæ Abbatis, & ſanctæ Virginis Brigidæ, tranſlationem dignis laudibus recenſentes, pia mentis celebremus affectu. Fertur enim quòd tempore conqueſtus Hiberniæ per Anglicos fuit quidam Malachias, vir magni meriti, & ſanctæ vitæ ac converſationis, Dunenſis Epiſcopus, ubi corpora prædictorum tunc ſepulta fuerunt. Epiſcopus iſte ſedulò orationibus inſiſtens, Deum quaſi quotidiè deprecatus eſt, ut oſtendere ſibi dignaretur, ubi tam pretioſus theſaurus reliquiarum, videlicèt dictorum Sanctorum, abſconditus eſſet, & ut ſuo tempore manifeſtaretur. Et cùm nocte quâdam inſtantiſſimè in Eccleſiâ Dunenſi ſic oraret, vidit quaſi radium Solis per Eccleſiam, & uſque ad locum ſepulturæ dictorum Sanctorum corporum perluſtrantem.

De viſione prædictâ Epiſcopus multum exultans, intenſiùs orabat ne radius ille diſcederet, quouſque reliquias abſconditas inveniret. Et tunc inde exurgens, adeptiſque neceſſarijs, terram irradiatam adijt; ibique effodit, donec oſſa trium corporum prædictorum inveniret. Et ſuper quæ radius ille irradiabat, illa in tabulis ſeparatim inſcrebat, & illa ſic tabulata ibidem ſub terrâ reponebat. In illo tempore præſidebat in Ultoniâ miles magnæ probitatis Iohannes de Courci conqueſtor illius patriæ, qui multum Deo & ejus ſervitio deditus fuit: cui dictus Malachias per ſingula viſionem & facta ſua narravit. Ex cujus aſſenſu, & magno adjutorio miſſa fuit Romam ſummo Pontifici devota ſupplicatio pro tranſlatione dictarum ſanctarum Reliquiarum habendâ.

Ipſe verò Papa ſupplicationi prædictæ aures inclinans, Iohannem titulo S. Stephani in Cœlio monte Preſbyterum Cardinalem & Apoſtolicæ ſedis Legatum in Hiberniam miſit. Qui in Eccleſiâ S. Patricij in Duno, quinto Idus Iunij, debitis reverentijs & ſervitijs premiſſis, tranſtulit prænominatas reliquias ex loco ubi ſepultæ, & per Malachiam repoſitæ fuerunt, uſque in honorabilem locum in Eccleſiâ ibidem ad hoc præparandum. Tempore verò tranſlationis earum in dictâ

Eccleſiâ

*Ecclesiâ præsidebant cum dicto legato quindecim Episcopi cum Abbatibus, Præpositis, Decanis, Archidiaconibus, Prioribus, aliisque viris orthodoxis quamplurimis. Statuentes diem translationis dictorum Sanctorum ab universis Christi fidelibus, per Hiberniam constitutis, * quarto Idus Iunij per singulos annos celebrari; & transferentes festum S. Columba in crastinum Octavarum reliquiarum istarum.*

Currite languentes, Duno piscina movetur:
Corpora vel mentes ægrotas ipsa medetur.

* lege, *quinto.* ex præcedentib. & Stanihurstio, lib. 2. de Vitâ Patricij, pag. 76.

In hâc autem narratione nomen Pontificij Nuncij necessariò est corrigendum: quum eo tempore ° *tituli S. Stephani in Cœlio Monte Presbyterum Cardinalem*, non *Iohannem* sed *Vivianum*, sive *Vibianum Thomasium*, fuisse constet; illum ipsum videlicèt, qui ante decennium in Scotiâ & Hiberniâ legati munus priùs obierat. de quo, Melrosensis Annales cœnobij: *Anno* MCLXXVI. *Vivianus tituli sancti Stephani in Cœlio Monte presbyter Cardinalis, Apostolicæ sedis legatus, Scotiam intravit, conculcans & comminuens obvia quaque, expeditus capere nec impeditus rapere.* & ? Guilielmus Neubrigensis similiter; de generali Præsulum Hiberniæ Synodo Dublinij ab eo coactâ (quam, Guilielmi mente minùs rectè perceptâ, ad annum MCLXXXIII. perperàm ? Baronius retulit) verba faciens: *Auro Hibernico, quod multum sitierat, minùs onustus in Scotiam remeavit.*

° Chronic. Romanor. Pontific. & Cardinal. Onuphrij Panuinij excus. Venet. ann. 1557. (edit. Iacobi Stradæ, pag. 126. & 136. Mich. Tramezini, pag. 119.) Alphonsi Ciaconij, edit. Romæ, ann. 1630. (col. 577. & 603.)

? Neubrigens. rer. Anglic. lib. 3. cap. 9.

? Baron. ann. 1183. §. 8.

Duni verò inventa esse Patricij, Brigidæ & Columbæ corpora *quasi in spelunca triplici, Patricius in medio jacente, aliis duobus hinc inde*, testatur, qui tunc in Hiberniâ agebat, ? Giraldus Cambrensis. Unde vulgati illi versus:

Hi tres in Duno tumulo tumulantur in uno;
Brigida, Patricius, atq; Columba pius.

? Girald. Topograph. Hibern. distinct. 3. cap. 18.

vel ut habet codex Giraldi qui typis est excusus (nam à tribus, quibus usus fui, manuscriptis versus isti aberant:) *In burgo Duno*, &c. Ranulphus Cestrensis in ? Polychronico, ex Giraldi Topographiâ ista referens, ait *in harum tumbâ istos versus fuisse inscriptos.* adversus quem sic insurgit

? Polychronic. lib. 5. cap. 4.

surgit Glastonienſis quidam poëtaſter:

De hoc Patricio, Columbâ, Brigidâ,
Delirat plurimùm Cheſter in Chronicâ;
Scribens in Duno quòd horum corpora
Sunt uno tumulo.

[a] *Vid. ſupr. cap. 6. pag. 110. & cap. 17. pag. 878.*

Corpus enim Patricij penès ſe eſſe [a] Glaſtonienſes contendunt monachi &, ne hîc quicquam Dunenſibus cedere videantur, divinis etiam oſtentis comprobant; quæ genus hoc hominum habere ſibi ſolebat obſequentiſſima. cujus generis, in libro de antiquitate Glaſtonienſis Eccleſiæ, annotata reperiuntur iſta.

Sepulturam, Angelo demonſtrante flammâque ingenti de eodem loco cunctis videntibus qui aderant erumpente, in vetuſtâ Eccleſiâ à dextris altaris promeruit. Requievit autem in vetuſtâ Eccleſiâ à dextro latere altaris per multorum annorum curricula (videlicèt DCCX. *annos) uſq; ad combuſtionem ejuſdem Eccleſiæ. Corpus verò ſuum in pyramide ſaxeâ fuit collocatum juxta altare verſùs Auſtrum: quam, pro veneratione ejuſdem Sancti, auro & argento poſtea nobiliter veſtivit Domeſticorum diligentia. Cùm autem longè poſt obitum B. Patricij frequens quæſtio verteretur, utrùm ibi monachus & Abbas fuerit: omnem ſcrupulum abſolvit viſio cujuſdam fratris, qui poſt obitum beati viri nutante memoriâ utrùm ibi monachus & Abbas fuerit, cùm de hoc frequens verteretur quæſtio, tali confirmatus eſt oraculo. Reſolutus enim in ſoporem, vi'us eſt audire quendam legentem, poſt multa ejus miracula, hæc verba.* HIC IGITUR METROPOLITANI PALLII DECORATUS EST SANCTITATE; POSTMODUM VERO HIC MONACHUS ET ABBAS FACTUS EST. *Adjecit etiam, ut non integrè credenti literis aureis quod dixerat ſcriptum oſtenderet.*

Neq; illud hîc prætereundum; eodem ferè tempore & *Duni* in Hiberniâ, & *Glaſtoniæ* in Angliâ, effoſſas perhiberi Patricij noſtri reliquias. Combuſto enim Glaſtoni-

[a] *Ibid. cap. 6. pag. 118. & 120. & cap. 13. pag. 471.*

enſi cœnobio [a] anno MCLXXXIIII. proximo videlicèt ante corpus illius apud Dunenſes patefactum anno; *in vetuſtâ*

vetustâ Ecclesiâ effossum esse corpus S. Patricij, à dextris altaris, & in scrinio collocatum. Ita enim in dicto annotatum legimus libello: sicut etiam in monasterij ejusdem noviter restaurati, Reliquiarum Indiculo. *In feretro S. Patricij Hiberniensium Apostoli, & primi Abbatis hujus loci, continentur reliquiæ ejusdem plenè in parte boreali ejusdem feretri.* & apud Iohannem Tinmuthensem, in Vitâ Patricij: *Secundùm opinionem modernorum, S. Patricius & S. Benignus discipulus suus jacent in uno scrinio ex australi parte summi altaris in Glastoniâ.* Nec Normannorum solùm sed Anglosaxonum quoq; temporibus sacrosanctam apud Glastonienses *B. Patricij* fuisse memoriam, [x] *Baldredi, Inæ,* & [y] *Ealdredi* ostendunt Chartæ, in VI°. Capite à nobis productæ; ejusdemq; apud illos conservatas fuisse exuvias, vetustus Sanctorum in Angliâ sepultorum Catalogus, Saxonicâ linguâ exaratus, ita significat. ꝥonne resteth ſcē Aidanus 7 ſcē Patricius on glæſtingabyrig, 7 fela oþra ſcā. quod Gotcelinus Bertinianus Latinè sic expressit. *Beatus Aidanus, sanctusq; Patricius, & alij plures cum eis, requiescunt in loco qui dicitur Glastingabyrig.* [x] Ibid. pag. 111. [y] ibid. pag. 115.

Quò referendum & Osberni Cantuariensis de *Patricio*, in Vitâ Dunstani, testimonium. *Olim evangelizando regnum Dei* Glestoniam *perveniens, vitâ, doctrinâ, signis mirabilibus multipliciter claruisse, & post omnia hæc ibidem in Domino quievisse narratur.* & Guilielmi Malmesburiensis illud, de eâdem Glestoniâ in libro II. de gestis Pontificum Anglorum hunc in modum scribentis. *Iacet ibi Patricius, si credere dignum, natione Britto, beati Germani Autissiodorensis discipulus, quem à Papâ Celestino ordinatum episcopum Hiberniensibus misit apostolum. Qui cùm multis annis in conversione illius gentis, suo agente labore, Dei gratiâ cooperante, non nihil promovisset tandem anxiosæ peregrinationis tædio simul & vicino senio admonitus, patriam redeundum ratus, ibi diem clausit.* Ita Guilielmus: cautè illud addens; *si credere dignum.* Neq; enim nobis dubium est, erravisse hîc Glastonienses;

 sive

sive loci, sive personæ, sive utriusq; simul homonymiâ deceptos. Habetur in publicâ Cantabrigiensis Academiæ bibliothecâ Vita Patricij nostri, ab Hiberno quodam conscripta: in quâ, cùm resurrectio illius futura diceretur in *Dun-lege-glaisse*, interpolator quidam Anglus explicationis gratiâ addidit; *quod nos dicimus in nostrâ linguâ Glestingabyri.* Glastoniam eo nomine intelligens; de quâ ad calcem Vitæ Gildæ Albanij, à Caradoco Lancarvanensi descriptæ, istam adjectam legimus Appendicem. § *Ynis-gutrin nominata fuit antiquitùs Glastonia, & adhuc nominatur à Britannis indigenis. Ynis in Britannico sermone, Insula Latinè; Gutrin verò, Vitrea dicitur. Post adventum Angligenarum, & expulsis Britannis (sc. Walensibus,)* *revocata est Glasti-beri, ex ordine primi vocabuli. Scilicèt, Glas Anglicè, Vitrum Latinè; Beria, Civitas nominatur: inde Glasti-beria, i. Vitrea Civitas.*

§ Confer. locum Giraldi, suprà cap. 14. pag. 523.

* i. iterùm vocata

Verùm ut Glas Anglis *vitrum*, ita Hibernis *catenam* significat. Unde *à catenis confractis* [z] Iocelinus *Dunum* nomen sortitum fuisse scribit *Dun-da-leath-glas*; quo *Collem binorum mediorum catena* denotat. Ita in antiquo Provinciali Romano Episcopatum [a] *Dunensem aliàs Dundalethglas* appellatum videmus: ibidemq; sepultum fuisse B. Patricium ex Operis tripartiti auctore [b] jam audivimus. Quò etiam spectat, quod in duobus antiquis Actorum S. Brigidæ scriptoribus, de eodem legimus: *Sepultus est in arce Ladglaisse, vel Leathglaysse; & ibi usq; ad diem judicij corpus ejus permanebit.* & in Testamento, ipsius Patricij nomine edito: Dun imbia meseirgi araith celtair mic duach. *Dunum, ubi erit mea resurrectio, in colle Celtaris filij Duach.* Ut non sine causâ Iohannes Tinmuthensis, licèt *secundùm opinionem modernorum* (ut ille loquitur) *in Glastoniâ*, juxta propriam tamen sententiâ *in civitate Dunensi* sepultum illum fuisse pronunciaverit.

[z] Iocelin. cap. 38.

[a] Camden. Hibern. pag. 835.

[b] Suprà, pag. 873.

Ad personæ ὁμωνυμίαν quod attinet: in Patricij nostri familiâ non *juniorem* solùm fuisse Patricium constat, ipsi superstitem, in [c] *Glascoenensi* vel *Glastonensi* Ecclesiâ sepultum, sed etiam [d] *seniorem*, ante ipsum vitâ functum; cujus,

[c] Ibid. pag. 817. & 824.

[d] Ibid. pag. 875.

cujus, in domesticorum ipsius Catalogo vetustissimis versibus Hibernicis exarato, hoc reperitur elogium.

Seanpaoꞃaic ꞅoćla ꞅlogach, ceano aꞅꞃuichj ꞅenoꞃach.

Senex Patricius mitis, comites aggregans, caput sapientum Seniorum ejus.

Ejus obitum in Annalibus Connaciensibus ita consignatum invenimus. *Anno* CCCCLIIII. *dormitatio sancti Senis Patricij Episcopi Glosoniensis Ecclesiæ.* quod de *Glastoniensi* Ecclesiâ ut accipiamus, verba illa antiquissimi Vitæ Dunstani *scriptoris suadere videantur. *Hibernensium peregrini prædictum locum Glestoniæ, sicut & cæteræ fidelium turbæ, magno colebant affectu; & maximè ob beati* PATRICII SENIORIS *honorem, qui faustus ibidem in Domino quievisse narratur.*

* de quo suprà, cap. 6. pag. 107.

Tres *Patricios* hoc carmine nuper ille citatus Glastoniensium poëtaster nobis enumerat:

Sunt hujus nominis, tene certissimè,
Tres Sancti Præsules: primus Hiberniæ
Archiepiscopus; alter Averniæ,
Quâ natus fuerat ternus Hiberniæ.
Archiepiscopus primus Hiberniæ,
Is primus posteà Abbas Glastoniæ,
Natus Britanniâ præclaro genere:
Ut sua Vita declarat optimè.

quod ab [c] interpolatore libelli Guilielmi Malmesburiensis de Antiquitate Glastoniensis Ecclesiæ ille desumpsit: in quo similiter legimus. *Sciendum quòd tres hujus nominis sunt Sancti; quorum quisque Episcopus & Confessor extitit. Unus Avernis, alter in Hiberniâ; & ille de quo nunc agitur* (Hiberniæ sc. archiepiscopus) *in Glastoniâ requiescens. Iste Patricius Hiberniæ requiescens, in Hiberniâ extitit natus: qui ibidem pontificavit circa annum Domini* DCCCL. *qui etiam ibidem sepultus, translatus est tempore regis Henrici II. filii Matildis Imperatricis, cum sanctis Columkillâ & Brigidâ;*

[c] MS. in Bibliothecâ Cottonianâ.

Brigidâ; ut testatur Giraldus Cambrensis in Topographiâ Hiberniæ.

[f] Ranulph. Polychronic. lib. 5. cap. 4.

[f] Ranulphus Cestrensis in Polychronico, eumque in Ioranalensi Historiâ secutus Iohannes Brampton, magni nostri Patricij reliquias (Giraldi menti magis convenienter) eo tempore translatas tradit: alterum autem illum, qui circa annum Domini DCCCL. floruisse dicitur, non Episcopum sed Abbatem fuisse dicit; *de quo meminit Martyrologium, quòd quum populum rebellem reperit, de Hiberniâ recessit, & apud Glastingense monasterium ipso die S. Bartholomæi Apostoli extremum diem clausit*, atque ad hunc *secundum* Patricium, Abbatem non Episcopum, potiùs quàm ad alterum illum, Purgatorij Patriciani originem referri [g] scribit. Cui ita se opponit [h] libelli de Glastonienſis Ecclesiæ antiquitate interpolator alius. *Sciendum quòd Ranulphus Cestrensis in nostro Patricio plurimùm exorbitare non ignoratur: quippe qui sibi ipsi in suâ descriptione contrariatur. Scribit namque in suâ Polychronicâ, libro quinto, Patricium Hibernienſem Apostolum inter cætera signorum suorum opera Purgatorium quoddam ad terrorem incredulorum ibidem instituisse. Et tamen libro septimo asserit illud Purgatorium non fuisse Patricij Hibernienſium Apostoli, sed cujusdam Patricij Abbatis, quem libro quinto dicit floruisse circa annum Domini* DCCCL. *& quia Hibernicos convertere non potuit, de Hiberniâ redisse, & Glastoniæ in Angliâ obisse: cùm satis evidenter constat, Hibernicos fuisse conversos per S. Patricium à Cœlestino Papâ missum anno Domini* CCCCXXV°. *Si ergo per priorem Patricium fuerunt Hibernienſes conversi: per quæ Chronica vèl historias reperietur eos à fide postmodùm discessisse, quos Patricius secundus convertere dicitur nequivisse? Et si sic erat quòd nequivit: quis, rogo, eos ad fidem in quâ nunc sunt legitur postmodùm convertisse? Certè, pronè in Chronicis referiri poterit, nullus.*

[g] Id. ibid. & lib. 1. cap. 35. & lib 7. cap. 20.

[h] MS. in Bibliothec. Colleg. S. Trinitat. Cantabrig.

In indiculo reliquiarum Glastonienſis cœnobij, Henrici III. Anglorum regis temporibus edito, *S. Patricij Hibernienſium Apostoli*, & primi (ut ibi appellatur) Abbatis

Abbatis illius loci, *dies recolitur* VIII. *Kalend. Septembris*: ad quem in Romano Martyrologio & *S. Bartholomæi Apostoli* & *S. Patriciæ virginis* anniversaria refertur festivitas. Die verò præcedente, qui *Bartholomæo* vulgò adscribitur, & in Usuardi & in Romano Martyrologio *S. Patricij Abbatis* signatus habetur Natalis, sed *Hivernis*, non Glastoniæ, celebratus. In utroq; etiam illo Martyrologio, die XVI. Martij *Arvernis depositio Sancti Patricij Episcopi* commemorari dicitur: quo eodem die in Officio Canonicorum Lateranensium, à Pio V. approbato, *S. Patricij Hiberniæ Apostoli* honoratur memoria. Die autem proximè sequente, quem suo Patricio Hiberni tribuunt, *Nolæ S. Patricij ejusdem urbis Episcopi* agi natalitia, ex Nolanæ Ecclesiæ Tabulis refert in generali suo Sanctorum Catalogo Philippus Ferrarius. Idemq; Kalendis Novembribus *in territorio Hivernensi S. Patricij martyris*, eodem videlicèt die quo Romanum Martyrologium *Arvernis S. Austremonij primi ejusdem civitatis Episcopi*, Natalem peragi significat. Austremonius autem ille sive Stremonius (ut [i] Gregorius Turonensis cum appellat) * *Hiverniæ* primùm, deinde *Arvernis* sedisse perhibetur: post quem in *Hivernensium* Episcoporum Catalogo *Patricij* antiquissima extat memoria; quem tamen *à nonnullis cum Hiberniæ Episcopo inter Macrobios annumerato confundi*, Claudius Robertus monuit.

Quæ verò de Patricij feruntur *Purgatorio*, non modò Ranulphus Cestrensis, Henricus Knighton, & Iohannes Brampton, sed etiam [k] Matthæus Parisiensis, [l] Vincentius Bellovacensis & [m] Antoninus Florentinus, ex eo mutuati sunt libello, quem de *Oëni* cujusdam militis Hibernici in Patricianum Purgatorium ingressu, ex Gilleberti Ludensis monachi relatione, in lucem edidit Henricus, Cisterciensis ordinis in Saltereyensi apud Huntingdonienses monasterio cœnobita: in quo rei gestæ tempus ita explicat. *Contigit his temporibus nostris, diebus scilicèt regis Stephani, militem quendam nomine Owen (de*

[i] Gregor. Turon. histor. Francor lib. 1. cap. 28. & 39.
* Vid. Ioan. Chenu & Claudij Roberti Episcoporum Nivernensium & claramontanorum Catalog.
[k] Matth. Paris. in histor. ann. 1153.
[l] Vincent. Specul. historial. lib. 29 cap. 24.
[m] Anton. Chronic. tit. 11. cap. 18 §. 2.

quo præsens est narratio) ad Episcopum, in cujus episcopatu præsens est Purgatorium, confessionis gratiâ venire. deinde reditu ipsius exposito, tùm ex Purgatorio illo tùm ex peregrinatione Hierosolymitanâ; *Regem*, inquit, *Dominum suum, cui priùs familiaris extiterat (utpote virum industrium & prudentem) adijt, quatenùs ejusmodi quem ipse consuleret sibi religionis habitum susciperet. Eodem autem tempore piæ memoriæ Gervasius abbas cœnobij Ludensis, qui à præfato Rege locum ad construendum monasterium impetraverat, monachum suum Gillebertum de Ludâ cum quibusdam alijs (qui scilicèt Gillebertus posteà fuit abbas de* § *Basingewere) ad eundem Regem in Hiberniam misit; ut & locum susciperet, & monasterium fundaret.* Ubi quum non alium quàm Hibernicum Regem describi constet; Matthæum Parisiensem falli perspicuum est qui, Henrici loco minùs attentè considerato, [n] *Oënum* illum, *multis annis sub rege Stephano militantem, licentiâ à Rege impetratâ, profectum esse in Hiberniam ad natale solum, ut parentes visitaret*; posteaq; *Gervasium Ludensis cœnobij Abbatem, Rege Anglorum Stephano donante*, (qui quod ibi donaret nihil omninò habebat) *locum ad Abbatiam construendam in Hiberniâ obtinuisse*, inconsultè tradidit.

§ in Flintensi Comitatu.

[n] Matth. Paris. edit. Londin. ann. 1571. pag. 115. 116. 122. Florileg Sanctor. Hiberniæ, edit. Paris. ann. 1624. pag. 99. & 107.

Hujus autem pseudonymi Purgatorij (in lacu *Dairge* apud Donnegallenses positi) originem ad *magnum S. Patricium, qui à primo est secundus*, Henricus refert: quem etiam ibi, in loco *Reglis* dicto (quam [o] *Regiam* Ptolemæi *alteram* [p] Camdenus fuisse existimat) *Ecclesiam construxisse, & beati patris Augustini Canonicos vitam Apostolicam sectantes in eâ constituisse* asserit. Non hîc quæstionem illam tractandam nobis proponimus, utrùm istiusmodi aliquos *Augustiniani* instituti Canonicos ætas ea hisce in partibus viderit; multoq; minùs ridiculam illam à [q] Dempstero motam alteram, *in Scotiâ hoc an in Angliâ exstructum* Canonicis Regularibus à Patricio fuerit Monasterium: illud potiùs inquirendum, quam ob causam Patricium nostrum *à primo fuisse secundum* Henricus dixerit.

[o] Ἐτέρα Ῥηγία vel Ῥηγία. Ptolem. Geograph. lib. 2. cap. 2.

[p] Camden. Hibern. pag. 771.

[q] Dempster. Histor. Ecclesiastic. lib. 15. num. 1001. pag. 526.

dixerit. Neq; enim eo nomine *minorem* (quem [r] Ranulphus appellat) sed *magnum* illum designat, qui Hibernos ad Christi fidem convertit: quod ab alio aliquo circa annum Domini DCCCL. præstitum nemo existimabit, qui Hiberniam eo tempore & religionis & bonarum literarum laude præ alijs Europæ regnis floruisse consideraverit. Quamobrem, omisso Ranulphi, Henrici Knightoni & Iohannis Bramptoni de *Purgatorio Patricij secundi, Abbatis non Episcopi*, commento; quæ nostra hâc de re fuerit sententia simpliciter explicabimus.

[r] Polychronic. lib. 5. cap 4.

Sigebertus, non ignobilis suo tempore Chronographus, in vulgato Prosperi Chronico, à Celestino Papâ ad Scotos in Christum credentes Palladium PRIMUM missum fuisse Episcopum inveniens; totius Hiberniæ primatem & metropolitanum ordinatum illum fuisse (uti & [s] nos) intellexerat: indeq; de Patricio, qui ipsi in eo successit munere, ita scripserat. [t] *Sanctus Patricius secundus Hiberniæ Archiepiscopus anno ætatis suæ* CXXII. *in Christo quievit*. Hoc, ut videtur, legens Henricus, & primum Hiberniæ archiepiscopum Patricium fuisse existimans, prioris alicujus Patricij respectu *secundum* cum dictum fuisse censuit. Nam Tirechanum ab eo visum non crediderim; qui *Palladium* alio nomine *Patricium* nuncupatum tradidit. *Palladius*, inquit, *Episcopus primò mittitur, qui Patricius alio nomine appellabatur: qui martyrium passus est apud Scotos, ut tradunt sancti antiqui. Deinde Patricius secundus ab angelo Dei Victor nomine & à Celestino Papâ mittitur: cui Hibernia tota credidit.* Unde etiam fortasse factum, ut quod alij Annales Anglosaxonici ad annum CCCCXXX. de *Palladio*, id Petroburgensium Annalium collector de *Patricio* hunc in modum extulerit. Her wæs Patricius asend fram Celestine thæ papan to boon anne Scottũ fulluht. *Hic missus est Patricius à Celestino Papâ prædicaturus Scotorum populo*. Atq; hæc de *Patricio*, & *Patricijs* etiam, dicta sufficiant.

[s] Supr. cap. 16. pag. 800.

[t] Sigebert. in Chronico à Miræo edit. eumq; secuti Matthæus Florilegus & Annalium Waverleiensium scriptor. ad ann. 491.

In illâ Glastoniensis ecclesiæ reliquiarum Notitiâ, inter Sanctos quorum *corpora super sepulchrum D. Iohannis de Cantiâ abbatis in opere lapideo honorificè collocata sunt, in parte aquilonari magni altaris*, recensentur etiam *Sancta Brigida* & *Sancta Columkilla*, vel potiùs *Sanctus Columkilla de Hiberniâ*; ut in brevi Catalogo *Sanctorum in Ecclesiâ Glastoniensi requiescentium*, magnæ Glastoniensium Tabulæ inserto, nominatus reperitur. De utriusq; adventu & excessu ita scribit anonymus quidam Glastoniensium Chronographus. *Anno ab Incarnatione* CCCCLXXXVIII. *S. Brigida venit Glastoniam: quæ in insulâ juxta Glastoniam, quæ Parva Hibernia & in Anglorum linguâ* * Bryde-hay *nominatur, multo tempore usq; ad senilem ætatem mansit. Sed utrùm ibi obierit, vel inde repatriavit, pro certo non habemus. Anno ab Incarnatione* DIIII. *S. Columkylla venit Glastoniam. Quidam autem confirmant hunc Sanctum cursum præsentis vitæ ibidem consummâsse.* Quod enim in libro de Glastoniensis Ecclesiæ antiquitate (unde præcedentia desumpsit) subjungitur, ille supprimendum putavit. *Sed utrùm sic, aut inde repatriaverit, non definio.* vel, ut in magnâ Glastoniensium Tabulâ habetur. *Utrùm ibi requiescit, vel inde repatriavit, pro certo non habemus.* in quâ etiam de S. Brigidâ similiter legitur. *Ibi B. Brigida virgo diu perendinavit: sed utrùm ibi requiescit, vel repatriavit, scriptum non invenimus.*

* Bride-eye. i. Brigida insula.

u Giraldus Cambrensis (eumq; secutus Iohannes Brampton, & Henricus Marleburgensis) de horum translatione agens, *contemporaneos Patricio S. Columbam & S. Brigidam* fuisse affirmat. A quo non immeritò hîc dissentit libelli de Glastoniensis Ecclesiæ antiquitate interpolator; hâc de re ita scribens. *Quamvis sanctus Columkilla (qui etiam secundùm quosdam * Columbanus dictus est) & sancta Brigida cum hoc Patricio translati fuerunt; non tamen contemporanei fuerunt. Nam S. Brigida circa finem S. Patricij majoris (de quo superiùs actum est) floruit. supervixit enim eum, ut scribit Gildas, sexaginta annis; venitq; Glastoniam anno Domini quadringentesimo octogesimo circiter octavo. Sanctus*

u Girald. Topograph. distinct. 3. cap. 18.

* Vid. supr. cap. 15. pag 687. 688.

verò

*verò Columkilla natus fuit quatuor annis ante obitum S. Brigidæ; succedenteq; ætate venit ipse Glastoniam anno Domini quingentesimo circitèr quarto. Hi namq; ob venerandas sui patroni Patricij reliquias, cum nonnullis Hiberniæ nobilibus, locum Glastoniæ frequentârunt. Hæc verò sancta Brigida in quâdam insulâ juxta Glastoniam, ubi erat § Oratorium in honore S. Mariæ Magdalenæ consecratum, * Bekery sive Parvâ Hiberniâ dictâ, aliquantulam moram per nonnullos annos traxit. Et relictis ibidem quibusdam suis insignibus, petâ, monili, nolâ, & textrilibus armis (quæ pro ejus sanctitatis memoriâ ibi ostenduntur & adorantur) Hiberniam redijt: ibiq; non multo pòst in Domino quievit, sepultaq; est in urbe Dunensi.*

§ Adhuc ibi exstare sacellum quidam annotavit, *prope roborarium de Wirall.*

* Vid. supr. cap. 6. pag. 113. & 115.

Qui falso *Gildæ* hîc citatur nomine, *Ninius est*: qui à *morte Patricij usq; ad obitum S. Brigidæ* LX. *annos*, & à *nativitate S. Columkillæ usq; ad obitum S. Brigidæ* IIII. *annos* dinumerat. quum nostra Chronologia dimidiata intervalla hæc exhibeat: inter Patricij quidem & Brigidæ mortem, non LX. (ut cum Ninio etiam [x] Ranulphus Cestrensis & [y] Iohannes Brampton prodiderunt) sed XXX. inter Columkillæ ortum & Brigidæ obitum, *duorum* tantùm annorum non *quatuor*. [z] Anno enim ætatis XLII. in Britanniam hinc enavigavisse B. Columbam ex Adamnano didicimus, & XXXIIII. annos ibidem complevisse: licèt LXXVII. vitæ annos [a] Beda illi attribuat. Ab anno DXCVII. quo illum obijsse putamus, subducti anni LXXVI. natali illius assignandum annum DXXI. relinquunt; biennio mortem Brigidæ antevertentem, quam (cum doctissimo [b] Vossio) ad annum DXXIII. referendam docuimus. Quod non Giraldum solum refellit, qui Patricio Columbam fecit σύγχρονον, sed etiam Glastoniensis simul & Wintoniensis monasterij Annalium convellit fidem; qui ut anno CCCCLXXXVIII. Brigidam, ita anno DIIII. Columbam Glastoniam venisse tradunt, ipsis XVII. priùs quàm ille natus fuerat annis.

[x] Polychronici lib. 5. cap. 4.

[y] Histor. Ioralanens. ad ann. Dom. 1185.

[z] Vid. supr. cap. 15. pag. 693. 694.

[a] Bed. Histor. Ecclesiast. lib. 3. cap. 4.

[b] Voss. de Historicis Latinis lib. 3. in Cogitoso.

S. Columbam, discrimen quod capiti suo à *Dermitio*

rege imminebat declinantem, Hiberniam reliquisse, in
[c] XV°. capite leviter significavimus. Id anonymus Vitæ
ipsius scriptor ex *Adamnano* fusiùs explicat: quod, quoniam in edito Adamnani Opere (ut & alia etiam ex eodem in Iohannis Fordoni citata Scotichronico) desideratur, ut à Stephano Vito humanissimè communicatum accepimus, Lectori hîc integrum proponendum censuimus. *Causa* igitur *Peregrinationis S. Columbæ in Insulis Maris, secundùm Adampnanum qui compilavit ejus Vitam, talis est. Cùm enim Dermitius filius Kerbayll regnaret in Hiberniâ totâ, & communium negotiorum atq; causarum determinatio ad judicium Regis devolveretur; accidit ut S. Columba ad præsentiam Regis pro quodam Libero repetendo accessisset. Cumq; Rex Dermitius iniquè in causâ Liberi judicaret, commotus vir Dei pro iniquitate sententiæ, illicò coram omnibus adstantibus surrexit ac dixit: Scito, Rex inique, quia amodò faciem meam in tuâ Provinciâ non videbis, donec Deus Iudex justus Regnum tuum superbum imminuerit. & addidit: Sicut enim Me hodiè coram Senioribus tuis iniquo judicio despexisti, sic Te Deus æternus in conspectu inimicorum tuorum despiciet in die belli. Cumq; hæc diceret, equum ascendens flagello percussit; & statim sanguis in copiâ emanavit. Quod videns Senatus astantium, valdè miratus tanquam de re insolitâ, Regi dixerunt, ut voluntatem Sancti compleret, ac per omnia ei obediret; ne regnum ejus à Domino Deo dissiparetur.*

[c] Supr. pag. 694.

Sed rex furore repletus indignationis, noluit intelligere ut bene ageret; sed vindictam de genere S. Columbæ capere volens, juravit, ut Plebem ejus tanquam proprium Mancipium sibi subjungeret. Cumq; Rex juramentum suum opere vellet complere, collecto grandi exercitu in curribus, & equitibus, & pedestribus, plusquam 2300 prope fines Terræ eorum pervenit, ut eos penitùs extirparet. Cumq; plebs [*] *Conalleorum adventum Regis cum exercitu audiret, collectâ multitudine circitèr 3000. affuerunt; virilitèr pro suâ patriâ pugnare cupientes. Quibus in tanto periculo positis, atq; in Deo solo spem habentibus, consurgens S. Columba diluculo noctis, in spiritu virtutis Dei,*

[*] Vid. supr. cap. 15. pag. 689. 705. 706.

Dei, confortando eos ait: Si ego aliquando contra inimicos meos commissem, nunc in nomine Dei Altissimi contra eos surrexissem. & vox ejus sic terribilis facta est in auribus suorum commilitonum, ut & omnes de somno excitaret. & addidit, dicens: Sicut enim Dominus cum Moyse contra Ægyptios in Mari rubro fuit, sic hodiè pro vobis pugnabit in bello. Nihil ergo timeatis, quia nihil passuri estis. Scitote enim quòd Dominus valdè iratus est super castra superbi Regis hujus: & si unus vestrûm tantùm contra illos fiducialiter in nomine Domini confligere surrexeris, solus eos in fugam per Dei virtutem converteret. Constantes ergo estote, quia nullus vestrûm hodiè in acie cadet.

Tunc pauci Milites hæc verba audientes, & tanquàm Dei Altissimi testimonium credentes, constanti animo in hostes eâdem horâ licet improvidos irruerunt. Sancti enim verbum omnem metum ac pavorem mortis de cordibus eorum abstulit. Tunc Angelus Domini in formâ Viri maximi, veste militari indutus, in castris Regis Dermitij terribilis apparuit, inter cujus femora hostes cœlum videbant. Qui scuto & gladio accinctus, paratus ad prælium, paucos milites fiducialiter antecedebat. In hujus viri conspectu terribilis, corda multitudinis adversæ partis viribus defecerunt; & facti sunt omnes quasi fœminæ imbecilles: & antequàm arma in hostes converterent, semetipsos præ nimio impetu curuum & equitum propriis armis occidebant. Sicut enim Dominus currus & equites Pharaonis dejecit in Mare, & filios Israel illæsos permisit transire: sic parvum hunc humilem (cœtum) inter hostes custodivit, ut nullus ex eo in bello caderet; & Obsides inimicorum haberet. Cumq; victores læti post trophæum, ad Virum Dei redissent, Vir Dei prophetiâ voce ad puerum suum Scandalanum ait: Dies ista, Fili mi, longam peregrinationem à cognatis carnalibus in terrâ alienâ mihi præparavit. Sed ne dixeris, donec res ipsa ostendat.

Post hæc S. Columba ad S. Finnianum episcopum accessit, ut ab eo pœnitentiam condignam causâ prædicti belli acciperet. Angelus verò Domini comitator ejus apparuit: qui præ nimio

splendore

*splendore obtutibus humanis non videbatur, nisi tantùm à sancto viro Finniano, qui Find-barrus nominatur. Cumq; à Viro Dei pœnitentiam condignam S. Columba quæreret, respondit: Oportet, ut quot belli instigatione ad infernum dejecti sunt, tot per exemplum tuum ad cœlum vehantur. Cui S. Columba gaudens dixit: Judicium rectum judicâsti de me. In illo verò tempore, quo hæc fiebant, Seniores Hiberniæ miserunt per nuncios fideles epistolam ad S. Gildam de gente Saxonum, ut charitatem mutuam nutrirent. Cumq; literas per ordinem legeret, & epistolam à S. Columbâ scriptam in manibus teneret, statim illam osculatus est dicens: Homo qui scripsit hanc, Spiritu Sancto plenus est. & ait nuntio de Nunciis: Ut dixisti ita est; sed tamen à * Synodo Hiberniæ reprehenditur, eo quòd cognatos suos in periculo mortis constitutos belligerare jusserit. Tunc S. Guildas reprehensionem hanc de S. Columbâ audiens, respondit: O quàm stultum est genus vestrum, nihil prudenter intelligens!* &c.

* Vid. Adamnan. Vit. Columbæ, lib 3. cap. 3. edit. Canisij.

Hoc prælium, quod poëticâ magis quàm historicâ fide habetur hîc descriptum, est *Culedreibnense* illud, quod altero ante relictam à Columbâ Hiberniam anno, id est, DLXI. gestum fuisse, ex Adamnano [d] declaravimus: in quo *tria milia cecidisse*, & *Diarmitij filij Cearbhailli* exercitum *per orationes Columcilla* devictum fuisse, Annales nostri confirmant. Ut sequente anno DLXII. legatio hæc Seniorum Hiberniæ ad Gildam, non *Saxonum* (ut per incuriam huic excidit Biographo) sed *Britonum* Doctorem, missa fuisse videatur, Quo quidem tempore, extra majoris Britanniæ terminos egisse Gildam dicendum est, si & nostra admittatur hypothesis, [e] quâ anno DLXIIII. edidisse eum quam habemus de Britanniæ excidio Epistolam opinati sumus, & illa Floriacensis libri altera; quæ eum [f] *à fratribus rogatum religiosis, qui ad eum è Britannijs venerant, post decem annos ex quo inde recesserat*, Epistolam illam scripsisse statuit. Nempè Constantinum Damnoniæ tyrannum ita in eâ affatus est Gildas. *Agè jam quasi præsentem arguo, quem adhuc superesse non nescio.* Inde

[d] Supr. cap. 15. pag. 694.

[e] Supr. cap. 13. pag. 477.

[f] Ibid. pag. 444.

extra

extra Britanniam cum fuisse, quum ista scriberet, collegit auctor ille. *Siluisse* præterea te Gildas in Prologo suo dixerat, *cum immenso cordis dolore, spatio bilustri temporis vel eo amplius præterevntis*; posteaq; vel *cognatuum rationibus vel fratrum religiosis precibus coactum, persolvisse debitum multo tempore antè exactum.* Ex hoc *bilustri* spatio, quo de opusculo hoc scribendo ille deliberaverat, per *decem annos* à Britanniâ illum abfuisse concluſit idem: rectè secúsne, alij viderint.

Duplicem quoq; legationem ex Hiberniâ ad Gildam eodem ferè tempore missam [g] auctor ille memorat. Unam à *B. Brigidâ, qua ipso tempore insignis erat in Hibernensi manens insulâ, & monasterio virginum præerat Abbatissa, virgo præclara*: cui ab eo nolam, à se fusam, donatam fuisse ait; illam fortasse ipsam, quam in Sommersettensium *Parvâ Hiberniâ* à Brigidâ relictam, Glastonienſium antiquitatum libellus indicat. Alteram ab *Ammerico* Hiberniæ Rege: cujus ita ille meminit. *Eo tempore regnabat Ammericus Rex per totam Hiberniam, qui & ipse misit ad B. Gildam, rogans ut ad se veniret; promittens se ipsius doctrinis in omnibus obedisturum, si veniens Ecclesiasticum ordinem in suo regno restauraret: quia penè catholicam fidem in ipsâ Insulâ omnes reliquerant. Cum hæc itaq; audisset Gildas Christi miles beatissimus, munitus armis cœlestibus, petivit Hiberniam, Christum prædicaturus.*

[g] Vit Gildæ, ex Floriacensi Bibliothecâ edit. cap. 9. & 10.

Iuxta nostras rationes, in fine capitis XIII. expositas, Gildas Epistolaris libelli auctor natus fuerit triennio ante mortem Brigidæ: & ex Annalium Hibernicorum fide, anno demùm æræ nostræ DLXVI. hoc est, post Brigidæ excessum XLIIII°. regnare cœperit *Ainmirens Setnai filius*, Actorum S. Colmani Elo concinnatori *Anmirech*, huic Vitæ Gildæ scriptori *Ammericus* appellatus. Quibus positis, neq; ad idem tempus ambas hasce historias referre possumus, neq; ad eandem etiam personam: sed Brigidæ quidem virginis ad *Gildam Albanium*, Ainmirei verò regis legationem ad *Gildam Badonicum* spectare

[b] Baron. notat. in Martyrolog. Roman. Septemb. 14. c.
[i] Supr. cap. 13. pag. 442. 444.

ctare dicamus, necesse est; quos (ut [b] à Gregorio Nazianzeno duos Cyprianos) à Biographo hoc confundi, jam [i] anteà monuimus. Illud verò constat, posteriorem hanc legationem ad extrema posterioris Gildæ tempora esse referendam: quum ex Ultonienſibus Annalibus, & anno DLXIX. *Ainmirum* regem occisum fuisse intelligamus, & anno proximè sequente hunc ipsum (ut illi eum appellant) obijsse *Gillam*. Sed quid ab hoc sive *Gildâ* sive *Gillâ* in Hiberniâ præstitum fuisse auctor ille narret, audire fuerit operæ precium.

Inventus (ait is de Gildâ) *à quibusdam nobilibus viris quondam sibi notis, Regi Ammerico est præsentatus. Quem cum vidisset, multis precibus eum rogabat, plurimáque offerens dona postulabat, ut apud se maneret, & (sicut ei prius mandaverat) Ecclesiasticum restauraret ordinem in regione eâdem. Quia penitùs Catholicam fidem, à maximo usque ad minimum, omnes amiserant. Tunc sanctus Gildas munitus clypeo fortitudinis & galeâ salutis, omnes fines Hibernensium circuivit, & Ecclesias restauravit, clerum universum in fide catholicâ ut sanctam Trinitatem colerent instruxit, populos graviter morsibus Hæreticorum sauciatos curavit, frandes hæreticas cum auctoribus suis ab eis longè repulit. Iamjámque pullulante in gremio sanctæ matris Ecclesiæ segete multitudinis credentium, & avulsis Hæreticorum spinis, terra diu sterilis fœcundata rore cœlestis gratiæ, gratiores profert fructus ad agnitionem supernæ vocationis. Fide namq; crescente catholicâ, Regio gavisa est tantum se promeruisse patronum. Multa deinceps vir beatus Monasteria construxit in eâdem insulâ, non paucos in eis nobilium filios enutriens, & normâ regularis disciplinæ informans. Et ut plures Domino offerre posset alumnos, jam factus Monachus, collegit Monachos secum, tàm ex nobilibus quàm ex pauperibus & orphanis: necnòn & captivos tyrannicâ servitute Paganorum irretitos misericoditer liberavit: utque pastor bonus, talenta sibi à Domino credita fideliter duplicata ipsi ovans reportare curavit. Omnem deniq; regionem Hibernensium & Anglorum, necnòn & exterarum nationum,*

suo

suo instruxit exemplo & erudivit sermone: quarum gentes & nationes actus & virtutes ejus, usq; in hodiernum diem, honorificè venerantur ubique.

Verùm eâdem vanitate Hibernenses ad fidem reduxisse Gildam iste scribit, quâ *omnem regionem Anglorum suo erudivisse sermone.* Tantùm enim abest, ut Gildæ operâ Hibernienses ad fidem fuerint conversi; ut Hiberniensium potiùs industriâ ipse Gildas in fide & divinarum literarum scientiâ pleniùs institutus fuisse videatur. Neque enim aliò locum illum rectiùs accommodari posse arbitror, qui in Vitæ Gildæ VI°. capite anteà præcesserat. *S. Gildas, cùm per aliquos annos in doctrinâ B. Hilduti commoratus fuisset, & tam secularibus prout res suppetebat quàm divinis scripturis ab eo optimè quicquid sibi à divinâ bonitate creditum fuerat edoctus esset, valedicens pio Magistro venerandisq; condiscipulis* IREN *perrexit; ut & aliorum Doctorum sententias, in Philosophicis atq; Divinis literis, investigator curiosus exquireret. Igitur cum plurimorum Doctorum Scholas peragrâsset, & tanquam apis prudentissima diversorum florum succos collegisset, in alveario matris Ecclesiæ recondidit: ut in tempore opportuno melliflua Euangelij verba in populos ad superna gaudia revocandos effunderet, & ut servus bonus talentum sibi creditum suo Domino cum lucro repertaret.*

Nam ut Hibernia à [k] Diodoro Siculo olim *Iris*, & Hiberni posterioribus quoq; temporibus [l] *Iri* & *Irenses* dicti: ita Gildæ ætate celebres in Hibernià fuerunt Scholæ; Armachana, in quâ Gildam seniorem *studium rexisse* [m] audivimus, *Clonardensis* cui S. Finianus præfuit, & *Rossensis*, ubi S. Brendanum artes liberales prælegisse in suis rerum Hibernicarum Collectaneis refert D. Hammerus. Est autem hæc sedes Episcopalis, in Provinciali Romano *Ros-nilithir*, in archivis Regijs *Ros-hilary*, hodieq; à Carbræâ regione (ad oram maritimam Corcagiensis Comitatus positâ) *Ros-carbre* appellata: in quâ habetur Ecclesia S. *Fachnani* nomine insignita, quem ut virum

[k] Diodor. lib. 5. pag. 309. edit. Hanov. Græco-latin.
[l] Suprà, cap. 16. pag. 734.
[m] Ibid. cap. 17. pag. 839.

ſapientem & probum ſcriptor Vitæ S. Mocoemogi celebrat, & habitaviſſe notat *in auſtrali Hiberniæ parte juxta mare, in ſuo monaſterio quod ipſe fundavit*, ubi *crevit civitas, in quâ ſemper manſit magnum Studium ſcholarium, quæ dicitur Roſſ-ailithry.*

Fuit & *Clonarda* Epiſcopatus Midenſis ſedes antiqua: cujus in Finiani Officio Hymnus olim cani ſolitus ita meminit.

Nativus de Lageniâ
Qui ſprevit nomen regium,
Hic ſumpſit infra mœnia
Legendi privilegium.
Trium virorum millium
Sorte fit doctor humilis:
Verbi his fudit fluvium,
Ut fons emanans rivulis:
En hîc rexit in litteris
Via vicinus regia:
Hîc ſe jungebat ſuperis,
Hîc transfertur egregiè.

De eâdem Scholâ Clonardenſi in Vitâ S. Moluæ ſive Lugidi ita legimus. *Venit ad ſanctam Scholam S. Finiani in ſuâ civitate Cluain-haiaird, quæ eſt in confinio Laginenſium & nepotum Neil: in quâ Scholâ multitudo Sanctorum Hiberniæ divinitatem apud S. Finianum ſcrutabantur.* & in Vitâ S. Ruadani, monaſterij Lothrani in regione Muſcraianâ conditoris. *Petrexit ad ſanctum Finianum virum ſapientiſſimum, qui habitabat in ſuâ civitate Cluain ihairaird, quæ eſt in confinio Laginenſium & regionis Midi: manſitq; ibi B. Ruadanus apud prædictum S. Finianum, legens diverſas ſcripturas & multùm proficiens in eis.* & in ipſius Finiani Actis. *In loco qui Cluanairaird dicitur, velut Sol in medio cœli, S. Finianus radios virtutum & ſalutaris doctrinæ atq; miraculorum, illuſtrando mundum emiſit. Fama enim bonorum operum ejus ex diverſis terræ partibus viros illuſtres partim ad Scripturam ſacram addiſcendam, partim ad Eccleſiaſticam*

ſiaſticam inſtitutionem percipiendam, quaſi ad quoddam totius Sapientiæ ſacrarium, attraxit: quorum nomina ſunt. Duo Kierani (Kieranus filius artificis qui mac ɪtæɪɪ *dicitur, & Kieranus Saigre) Columba Kille & Columba filius Crimthaind, duo Brandani (Brandanus filius Findloga, & Brandanus Birra qui Propheta in Scholis illis & Sanctorum Hiberniensium habebatur) & Laſerianus filius Nathfraith, & Sinell filius Maënaci, & Cainecus filius nepotis Daland, & Ruadan Lothra, & Nannyd Lamdere, & Mugenoc Killicumuli; & Epiſcopus Sennach.*

De Kierano filio artificis (qui primo hîc nominatus eſt loco) accipiendum eſt illud, quod in Midenſis Eccleſiæ habetur tabulis. *Dominium de Clonard, cum ſuis villulis ſibi annexis, dedit ſanctus Keranus ſancto Finiano doctori ſuo & ſuis ſucceſſoribus.* quem μινυνθάδιον extitiſſe ſcriptor Vitæ illius indicat, *anno ætatis* XXXIII. (quem noſtræ æræ Dominicæ DXLIX. fuiſſe, ex Annalibus Ultonienſibus intelligimus) *quum uno tantùm anno vixiſſet in civitate ſuâ Cluan mic nois;* quæ *Clonenſis* Epiſcopatus ſedes, Midenſi hodie habetur unita. Sed quod junior ille uſurpare non potuit,

Γηράσκω αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος,

id Kieranus alter Saigrius habuit dicere; ſi ut jam propoſito diſcipulorum Finiani Catalogo, ita veræ etiam rationi eſſet conſentaneum, quod in illius refertur Vitâ. *Iſte S. Kiaranus valde erat humilis in omnibus: qui multùm diligebat divinam Scripturam audire & diſcere uſq; ad decrepitam ætatem. Fertur enim de eo, quòd ipſe cum cæteris Sanctis Hiberniæ ſui temporis ad virum ſanctum ſapientiſſimumq; Finianum abbatem monaſterij Cluana-haiaird exivit in ſuâ ſenectute; & * in divinis ſancta ſchola ejus legebat. Inde verò beatiſſimus Kiaranus alumnus ſancti Finiani, ſicut alij Sancti Hiberniæ, dicitur. Cùm enim ipſe ſenex ſapiens & bene doctus ac Pontifex eſſet; dignatus tamen eſt diſcere ſub genu alterius, propter humilitatem ſuam & amorem ſapientiæ.* Verùm, quum anno CCCLII. natum fuiſſe Kieranum ex hoc ipſo

* *divina in*

[n] Supr. cap. 16. pag. 788.

Biographo [n] docuerimus; ad hanc ætatem vitam eum produxisse, existimare non possumus.

Ex alijs Finiani auditoribus hîc commemoratis, Brendanus Findlogæ filius • *multa monasteria & cellas per diversas regiones Hiberniæ fundavit; in quibus tria millia monachorum, ut perhibetur à senioribus, sub illo erant:* Columba verò, à multitudine *cellarum* à se constitutarum *Kille* cognomentum adeptus, [p] *centum cœnobiorum extitit fundator.* quorum præcipua *Dearmachanum* & *Hyense* fuisse declaravimus: *ex quo utroq; perplurima exinde monasteria per discipulos ejus & in Britanniâ & in Hiberniâ propagata* fuisse testatur [q] Beda. De antiquis verò hisce cœnobijs Iohannes Rossus Warwicensis jampridem monuit; *Magistros & scholares, qui ad fidem Christi conversi sunt, docuisse in monasterijs locisq; devotis, secundum formam Studiorum antiquorum:* cum divinis videlicèt studijs humaniorem etiam literaturam conjunxisse; ut & [r] Trithemius indicat, & codex ille MS. confirmat, qui in Wigornienſis Ecclesiæ Bibliothecâ adhuc conservatur, continens *Comentum* (ut libri habet inscriptio) *Dunchat Pontificis Hibernensis, quod contulit suis discipulis in monasterio S. Remigij Douns, super astrologiâ Martiani Capellæ Varronis.* Ejusmodi in Hiberniâ, hisce de quibus nunc agimus temporibus, præter *Brendanica* & *Columbiensia*, duo celeberrimi nominis floruerunt cœnobia: *Benchorense* S. Comgalli, & *Rathenense* S. Carthagi.

• Vita Brendani MS. de quo vid. supr. pag. 532. 533. 868.

[p] Iocelin. Vit. Patricij, cap. 89. Vid. supr. pag. 687.

[q] Bed. Histor. Ecclesiast. lib. 3. cap. 4. Vid. supr. pag. 690. 691. 700. 701.

[r] Io. Trithem. Chronic. Hirsaugiens. ad ann. Dom. 850. & lib. de illustribus viris Ord. Benedicti, cap. 6. Vid. Christoph. Brower. Antiquitat. Fuldens. lib. 1. cap. 9. 10. 11.

Rathenin locum hunc hodie nominant, in Occidentali Midia ad VIII. milliarium à Dearmachano Columbæ monasterio situm; non procul à *Land elo* cœnobio, quod in Fercallià constructerat *Colmanus* abbas, cognomentum *Elo* inde adeptus. De eo, in Vitâ Carthagi (cujus penès me duo sunt MSS. exemplaria) ista tradita invenio, *Civitas Rathen posita est in medio Hiberniæ, in regione Midi, in plebe sc. Fearcall. In ipso loco maximum monasterium ædificatum est à S. Carthago: in quo ipse per* XL. *annos vixit, & in quo* DCCCLXVII. *monachi simul sub eo fuerunt;*

fuerunt; multis ad eum *à diversis provinciis Hiberniæ & Britanniæ* confluentibus. Ab alio Vitæ ejusdem scriptore, *exceptis parvulis & servientibus, sanctorum monachorum numerus* DCCCXLVII. fuisse proditur, *labore manuum suarum victum sibi ac pauperibus acquirentium*. Alius, ijsdem exceptis, DCCCXLIV. tantùm numerat: monasterium illud *situm* fuisse addens *in aquilonali parte Hiberniæ, in finibus Midiæ, in plebe Fercel, in loco qui dicitur Rathen*. Sed multo celebrius fuit illud alterum [f] *Benchorense* cœnobium, in regione quæ ab *arduo* situ Ardes, & * eodem sensu Latinè *Altitudo Ulterorum* dicitur, constitutum: de quo in Vitâ Comgalli legimus. *Constituit magnum monasterium quod vocatur Beanchor, in regione quæ dicitur Altitudo Ulterorum, juxta mare Orientale*. & paulo pòst. *In diversis monasteriis & cellis tria millia monachorum sub curâ sancti patris Comgalli fuerunt: sed major & nominatior cæteris prædictum monasterium Beanchor est; ubi clara civitas in honore sancti Comgalli ædificata est*.

[f] Vid. suprà, pag. 132. 441. 869.
* ut *Alti-macha* & *Ard-macha*, suprà, pag. 854.

Monasterium hoc à piratis olim destructum, nongentis simul monachis unâ die occisis, à Malachiâ fuisse reædificatum, docet in ejus Vitâ Bernardus: de *antiquâ* illius *gloriâ*, inter alia, hæc adjiciens. *Nempè nobilissimum extiterat antè sub primo patre Congello multa millia monachorum generans, multorum monasteriorum caput. Locus verè sanctus fœcundusq; sanctorum, copiosissimè fructificans Deo; ita ut unus ex filijs sanctæ illius congregationis, nomine Luanus, centum solus monasteriorum fundator extitisse feratur. Quod idcircò dixerim, ut ex hoc uno conjiciat lector, quàm ingens fuerit reliqua multitudo*. Nec modò *Hiberniam Scotiamq; repleverunt genimina ejus: sed in exteras etiam regiones, quasi inundatione factâ, illa se sanctorum examina effuderunt. è quibus ad has nostras Gallicanas partes sanctus Columbanus ascendens, Luxoviense construxit monasterium, factus ibi in gentem magnam. Aiunt tam magnum fuisse, ut succedentibus sibi vicissim choris continuarentur solemnia divinorum; ita ut ne momentum quidem diei ac noctis vacaret à laudibus*.

Hæc

Hæc Bernardus: & illum in Annalibus (ad annum Christi MCXXXIX) excipiens Thomas Cæsæus. Hoc *olim destructum à piratis, qui ferè omnes ecclesias & libros totius Hiberniæ destruxerunt & combusserunt, Malachias readificavit. Ferunt namq; nongentos monachos simul unâ die à piratis in eodem occisos. Sed non est putandum, ut quidam æstimant, propter aliqualem similitudinem nominum & rerum gestarum, hoc esse quod Beda dicit in secundo libro de gestis Anglorum, & Henricus Lincolniensis archidiaconus de conversione gentis Anglorum. Nam illi monachi erant de monasterio Bangorensi in Britanniâ, isti de monasterio Benchorensi in Hiberniâ: illi interfecti à rege Ethelredo Northumbrorum juxta Luxeburiam, isti in monasterio suo à piratis in Ultoniâ; illi mille ducenti, isti nongenti.*

Etsi verò ex his quæ dicta sunt satis liqueat, à scriptore Vitæ Gildæ sine judicio & modo fuisse illud pronunciatum; illius temporibus, Hibernos *penitùs catholicam fidem, à maximo usq; ad minimum, omnes amisisse*; ita non difficulter admitti posse arbitramur, à primævo & fidei & sanctitatis à Patricio illis tradito exemplo nonnihil eos defecisse: ut licèt non universalis & ὁλικὴ, particularis tamen & μερικὴ in nostris partibus religionis Eclipsis observari potuerit. Doctissimum enim *Finianum* nostrum è Britaniâ, in quâ *tribus constructis Ecclesijs triginta ipse annis commoratus est*, reversum esse in Hiberniam, *ad fidem post B. Patricij obitum neglectam restauranda*m, in Ecclesiastico ipsius Officio notatum invenimus: hoc etiam Hymno appositio.

Adest dies lætitiæ;
Cleri plaudant cum jubilo:
Resilsit Sol justitiæ,
Qui prius erat sub nubilo.
Gratuletur Hibernia,
Freta doctore cœlitùs;
Quo cleri contubernia
Reformantur divinitùs.

Errorù

Erroris iter devium,
Quo sine fine curritur,
Per hujus magisterium
A nobis intercluditur.

A priorum verò perfectione tantum abfuisse successores hosce, quantum à *Sole* splendore *Lunam*, antiquus Sanctorum Hiberniæ Catalogus significat: quem, quia summâ cum brevitate Sanctorum nostrorum seriem ab anno CCCCXXXIII. ad DCLXIIII. continuatam exhibet Synopsim, è tenebris in quibus hactenùs delituit eruere & aliquantulùm illustrare placuit.

Incipit Catalogus Sanctorum Hiberniæ, secundùm diversa tempora.

„ PRIMUS ordo catholicorum Sanctorum erat „ in tempore *Patricij*. Et tunc erant Episcopi „ omnes clari & sancti & Spiritu sancto pleni „ CCCL. numero, Ecclesiarum fundatores. „ Unum caput *Christum*, & unum ducem *Patri-* „ *cium* habebant: unam Missam, unam celebratio- „ nem, unam tonsuram (ab aure usque ad aurem) „ sufferebant. Unum Pascha, XIV. Lunâ post „ æquinoctium vernale, celebrabant: & quod ex- „ communicatum esset ab unâ Ecclesiâ omnes ex- „ communicabant. Mulierum administrationem & „ consortia non respuebant: [a] quia super petram „ Christum fundati, ventum tentationis non time- „ bant. Hic ordo Sanctorum per *quaterna* duravit „ regna, hoc est, pro tempore *Laogarij*, & *Aila* „ *Muilt*, & *Lugaida* filio *Laogarij*, & *Tuathail*. Hi „ omnes

[a] *nec laicos nec fœminas de Ecclesiis repellebant.*

hus cooperti, latitabant à facie impiorum, qui eos totâ die quasi oves occisionis mortificabant. Ex quâ re accidit, ut varij ritus contra Ecclesiastica institutu in Hibernia inducerentur; & à Prelatis sanctæ Ecclesiæ, divinæ legis ignaris, contra formam ejusdem nova sacramenta conficerentur. Lucem verò ex Aquilonali parte exorientem &, licèt diutino conflictu, tenebras exterminantem Hibernigenæ S. Celestinum Machinensem archipræsulem totiusq; Hiberniæ Primatem asserunt, qui S. Patricij vestigia diligentiori studio secutus fuit; seu S. Malachiam, qui prius in Dunensi ecclesiâ postmodùm in Ardmachanâ metropoli præfuit, & Hiberniam ad Christianæ legis statum reduxit. E contrà Anglici lucem illam arbitrantur ascribendam suo adventui; eo quòd tunc Ecclesia videbatur suo judicio in meliorem statum provehi, religio plantari ac propagari, atq; sacramenta Ecclesiastica & Christianæ legis instituta ritu competentiori observari. Ego verò suuem contentiosum inter eos nec porto nec dirimo; sed hujus rei discussionem atq; definitionem divino judicio relinquendam censeo.* Ita Iocelinus.

* *Ceallach* sive *Killach* Ardmachanum archiepiscopi alij *Celestinum*, Bernardo in Vitâ Malachiæ *Celsum* appellatum.

In tribus istis Sanctorum ordinibus, præcipuam in Liturgiâ Ecclesiasticâ, Regulis monasticis, Tonsurâ, observatione Paschali & mulierum contubernio, ab auctore Catalogi vides observatam fuisse discrepantiam. Et Missæ quidem sive publicæ Liturgiæ unum & eundem ritum initio à Patricio huc introductum, & à discipulis ipsius observatum ille notat. Ejus originem à B. Marco Euangelistâ arcessit libelli de Officiorum Ecclesiasticorum primâ institutione * vetus auctor; atq; eundem ritum, à Germano & Lupo acceptum, Hibernis communicavisse Patricium; indeq; Comgallum, per discipulum suum Columbanum, ad transmarina cœnobia propagavisse significat. Quum enim dixisset (quod ipsius tamen fide dictum esto) *B. Hieronymum adfirmâsse, ipsum cursum, qui dicitur præsente tempore Scotorum, B. Marcum decantavisse*; Patricium, à Lupo & Germano *archiepiscopum in Scottys ac Britannys* positum, *ipsum cursum ibidem decantavisse*

* Vid. supr. pag. 343. & 840.

visse affirmat: de subsecutâ successione istâ subjiciens; quæ ut depravatissimè erant scripta repræsentare voluimus, crassiorum errorum emendatione ad margimem appositâ.

Patricius *ipsum cursum ibidem decantavit: & post ipsum, beatus Wandilocus senex & beatus* [f] *Gomogillus; qui habuerunt in eorum monasterio monachos circiter tria milia. Inde beatus Wandilocus in prædicationis ministerium à beato Gomogillo missus est, & beatus Columbanus partibus Galliarum* [g] *destinati sunt Luxogilum monasterium: & ibidem ipsum cursum decantaverunt. Et inde postea peterebat* [h] *formam sanctitatis eorum per universum orbem terrarum: & multa cœnobia, ex eorum doctrinâ, tam virorum quàm puellarum sunt congregata. Et posteà inde, sumpsit exordium sub beato Columbano, quod antè beatus Marcus Euangelista decantavit. Et si* [i] *nos non credidis: inquirite in Vitâ beati Columbani & beati Eustasii Abbatis, (plenius invenietis) & dicta beati* [k] *Attblati Abbatis Ebovensis.*

[f] Comgallus

[g] destinatus est Luxovium

[h] fama

[i] nobis

[k] Atthala abbatis Bovionsis.

Gomogillum illum, sive Comgallum potiùs, Columbani (Luxovienſis & Bovienſis cœnobij conditorem) ad ſecundum Sanctorum ordinem Catalogi auctor refert: in quo, ut & in tertio, *diverſas Miſſas*, ſive diſſimiles Liturgiæ formulas, in Hiberniâ receptas fuiſſe idem indicat. Quam varietatem ſubſequentibus ſeculis auctam potiùs quàm imminutam fuiſſe, illud [l] *Gilleberti*, Lumnicenſis Epiſcopi & Romani Pontificis apud Hibernos (ſub undecimi ſeculi exitum) legati, in libelli de *Uſu Eccleſiaſtico* ad Epiſcopos & presbyteros Hiberniæ Proœmio, demonſtrat. [m] *Rogatu, necnon & precepto multorum ex vobis (chariſſimi) Canonicalem conſuetudinem in dicendis Horis & peragendo totius Eccleſiaſtici Ordinis officio ſcribere conſtitui; non præſumptivè, ſed veſtræ cupiens parere piſſimæ juſſioni: ut diverſi & ſchiſmatici illi Ordines, quibus Hibernia penè tota delùſa eſt, uni Catholico & Romano cedant Officio. Quid enim magis indecens aut ſchiſmaticum dici poterit; quàm doctiſſimum unius Ordinis in alterius Eccleſiâ idiotam & laicum fieri?*

[l] de quo ſuprà, pag. 870.

[m] Epiſtol. Hibernic. Sylloge, num. 30. pag. 77.

[h] Baron. notat. in Martyrolog. Roman. Septemb. 14. c. [i] Supr. cap. 13. pag. 442. 444.

ctare dicamus, necesse est; quos (ut [h] à Gregorio Nazianzeno duos Cyprianos) à Biographo hoc confundi, jam [i] anteà monuimus. Illud verò constat, posteriorem hanc legationem ad extrema posterioris Gildæ tempora esse referendam: quum ex Ultonienſibus Annalibus, & anno DLXIX. *Ainmirum* regem occiſum fuiſſe intelligamus, & anno proximè ſequente hunc ipſum (ut illi eum appellant) obijſſe *Gillam*. Sed quid ab hoc ſive *Gildâ* ſive *Gillâ* in Hiberniâ præſtitum fuiſſe auctor ille narret, audire fuerit operæ precium.

Inventus (ait is de Gildâ) *à quibuſdam nobilibus viris quondam ſibi notis, Regi Ammerico eſt præſentatus. Quem cum vidiſſet, multis precibus eum rogabat, pluriméque offerens dona poſtulabat, ut apud ſe maneret, & (ſicut ei prius mandaverat) Eccleſiaſticum reſtauraret ordinem in regione eâdem. Quia penitùs Catholicam fidem, à maximo uſque ad minimum, omnes amiſerant. Tunc ſanctus Gildas munitus clypeo fortitudinis & galeâ ſalutis, omnes fines Hibernenſium circuivit, & Eccleſias reſtauravit, clerum univerſum in fide catholicâ ut ſanctam Trinitatem colerent inſtruxit, populos graviter morſibus Hereticorum ſauciatos curavit, frondes hæreticas cum auctoribus ſuis ab eis longè repulit. Iamjámque pullulante in gremio ſanctæ matris Eccleſiæ ſegete multitudinis credentium, & avulſis Hereticorum ſpinis, terra diu ſterilis fœcundata rore cœleſtis gratiæ, gratiores profert fructus ad agnitionem ſuperna vocationis. Fide namq; creſcente catholicâ, Regio gaviſa eſt tantum ſe promeruiſſe patronum. Multa deinceps vir beatus Monaſteria conſtruxit in eâdem inſulâ, non paucos in eis nobilium filios enutriens, & normâ regularis diſcipline informans. Et ut plures Domino offerre poſſet alumnos, jam factus Monachus, collegit Monachos ſecum, tàm ex nobilibus quàm ex pauperibus & orphanis: necnòn & captivos tyrannicâ ſervitute Paganorum irretitos miſericoditer liberavit: utque paſtor bonus, talenta ſibi à Domino credita fideliter duplicata ipſi ovans reportare curavit. Omnem deniq; regionem Hibernenſium & Anglorum, necnòn & exterarum nationum,*

ſuo

suo instruxit exemplo & erudivit sermone: quarum gentes & nationes actus & virtutes ejus, usq; in hodiernum diem, honorificè venerantur ubique.

Verùm eâdem vanitate Hibernenses ad fidem reduxisse Gildam iste scribit, quâ *omnem regionem Anglorum suo erudivisse sermone.* Tantùm enim abest, ut Gildæ operâ Hibernienses ad fidem fuerint conversi; ut Hibernienſium potiùs industriâ ipse Gildas in fide & divinarum literarum scientiâ pleniùs institutus fuisse videatur. Neque enim aliò locum illum rectiùs accommodari posse arbitror, qui in Vitæ Gildæ VI°. capite anteà præcesserat. *S. Gildas, cùm per aliquos annos in doctrinâ B. Hilduti commoratus fuisset, & tam secularibus prout res suppetebat quàm divinis scripturis ab eo optimè quicquid sibi à divinâ bonitate creditum fuerat edoctus esset, valedicens pio Magistro venerandisq; condiscipulis* IREN *perrexit; ut & aliorum Doctorum sententias, in Philosophicis atq; Divinis literis, investigator curiosus exquireret. Igitur cum plurimorum Doctorum Scholas peragrâsset, & tanquam apis prudentissima diversorum florum succos collegisset, in alveario matris Ecclesiæ recondidit: ut in tempore opportuno melliflua Evangelij verba in populos ad superna gaudia revocandos effunderet, & ut servus bonus talentum sibi creditum suo Domino cum lucro repertaret.*

Nam ut Hibernia à [k] Diodoro Siculo olim *Iris*, & Hiberni posterioribus quoq; temporibus [l] *Iri* & *Irenses* dicti: ita Gildæ ætate celebres in Hiberniâ fuerunt Scholæ; Armachana, in quâ Gildam seniorem *studium rexisse* [m] audivimus, *Clonardensis* cui S. Finianus præfuit, & *Rossensis*, ubi S. Brendanum artes liberales prælegisse in suis rerum Hibernicarum Collectaneis refert D. Hanmerus. Est autem hæc sedes Episcopalis, in Provinciali Romano *Ros-nilithir*, in archivis Regijs *Ros-hilary*, hodieq; à Carbræâ regione (ad oram maritimam Corcagiensis Comitatus positâ) *Ros-carbre* appellata: in quâ habetur Ecclesia S. *Fachnani* nomine insignita, quem ut virum

[k] Diodor. lib. 5. pag. 309. edit. Hanov. Græco-latin.
[l] Suprà, cap. 16. pag. 734.
[m] Ibid. cap. 17. pag. 8, 9.

sapientem & probum scriptor Vitæ S. Mocoemogi celebrat, & habitaviſſe notat *in auſtrali Hiberniæ parte juxta mare, in ſuo monaſterio quod ipſe fundavit*; ubi *crevit civitas, in quâ ſemper manſit magnum Studium ſcholarium, quæ dicitur Roſſ-ailithry.*

Fuit & *Clonarda* Epiſcopatus Midenſis ſedes antiqua: cujus in Finiani Officio Hymnus olim cani ſolitus ita meminit.

Nativus de Lugeniâ
Qui ſprevit nomen regium,
Hîc ſumpſit infra mœnia
Legendi privilegium.
Trium virorum millium
Sorte fit doctor humilis:
Verbi his fudit fluvium,
Ut fons emanans rivulis:
En hîc texit in literis.
Via vicinus regiæ:
Hîc ſe jungebat ſuperis,
Hîc transfertur egregiè.

De eâdem Scholâ Clonardenſi in Vitâ S. Moluæ ſive Lugidi ita legimus. *Venit ad ſanctum Scholam S. Finiani in ſuâ civitate Cluain-haiard, quæ eſt in confinio Laginenſium & nepotum Neil: in quâ Scholâ multitudo Sanctorum Hiberniæ divinitatem apud S. Finianum ſcrutabantur.* & in Vitâ S. Ruadani, monaſterij Lothrani in regione Muſcraianâ conditoris. *Petrexit ad ſanctum Finianum virum ſapientiſſimum, qui habitabat in ſuâ civitate Cluain iharaird, quæ eſt in confinio Laginenſium & regionis Midi: manſitq; ibi B. Ruadanus apud prædictum S. Finianum, legens diverſas ſcripturas & multùm proficiens in eis.* & in ipſius Finiani Actis. *In loco qui Cluanaraird dicitur, velut Sol in medio cœli, S. Finianus radios virtutum & ſalutaris doctrinæ atq; miraculorum, illuſtrando mundum emiſit. Fama enim bonorum operum ejus ex diverſis terræ partibus viros illuſtres partim ad Scripturam ſacram addiſcendam, partim ad Eccleſiaſticam*

siasticam institutionem percipiendam, quasi ad quoddam totius Sapientiæ sacrarium, attraxit: quorum nomina sunt. Duo Kierani (Kieranus filius artificis qui mac ιταιη *dicitur, & Kieranus Saigre) Columba Kille & Columba filius Crimthaind, duo Brandani (Brandanus filius Findloga, & Brandanus Birra qui Propheta in Scholis illis & Sanctorum Hiberniensium habebatur) & Laserianus filius Nathfraith, & Sinell filius Maënaci, & Cainecus filius nepotis Daland, & Ruadan Lothra, & Nannyd Lamdere, & Mugenoc Killicumuli, & Episcopus Sennach.*

De Kierano filio artificis (qui primo hîc nominatus est loco) accipiendum est illud, quod in Midensis Ecclesiæ habetur tabulis. *Dominium de Clonard, cum suis villulis sibi annexis, dedit sanctus Keranus sancto Finiano doctori suo & suis successoribus.* quem μινυνθάδιον extitisse scriptor Vitæ illius indicat, *anno ætatis* XXXIII. (quem nostræ æræ Dominicæ DXLIX. fuisse, ex Annalibus Ultoniensibus intelligimus) *quum uno tantùm anno vixisset in civitate suâ Cluan mic nois;* quæ *Clonensis* Episcoparus sedes, Midensi hodie habetur unita. Sed quod junior ille usurpare non potuit,

Γηράσκω αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος,

id Kieranus alter Saigrius habuit dicere; si ut jam proposito discipulorum Finiani Catalogo, ita veræ etiam rationi esset consentaneum, quod in illius refertur Vitâ. *Iste S. Kiaranus valde erat humilis in omnibus: qui multùm diligebat divinam Scripturam audire & discere usq́, ad decrepitam ætatem. Fertur enim de eo, quòd ipse cum cæteris Sanctis Hiberniæ sui temporis ad virum sanctum sapientissimumq́, Finianum abbatem monasterij Cluana-haiaird exivit in suâ senectute; & * in divinis sancta schola ejus legebat. Inde verò beatissimus Kiaranus alumnus sancti Finiani, sicut alij Sancti Hiberniæ, dicitur. Cùm enim ipse senex sapiens & bene doctus ac Pontifex esset; dignatus tamen est discere sub genu alterius, propter humilitatem suam & amorem sapientiæ.* Verùm, quum anno CCCLII. natum fuisse Kieranum ex hoc ipso

* divina in

[a] Supr. cap. 16. pag. 788.

Biographo [n] docuerimus; ad hanc ætatem vitam eum produxisse, existimare non possumus.

Ex alijs Finiani auditoribus hîc commemoratis, Brendanus Findlogæ filius [o] *multa monasteria & cellas per diversas regiones Hiberniæ fundavit; in quibus tria millia monachorum, ut perhibetur à senioribus, sub illo erant:* Columba verò, à multitudine *cellarum* à se constitutarum *Kille* cognomentum adeptus, [p] *centum cœnobiorum extitit fundator.* quorum præcipua *Dearmachanum* & *Hyense* fuisse declaravimus: *ex quo utroq; perplurima exinde monasteria per discipulos ejus & in Britanniâ & in Hiberniâ propagata* fuisse testatur [q] Beda. De antiquis verò hisce cœnobijs Iohannes Rossus Warwicensis jampridem monuit, *Magistros & scholares, qui ad fidem Christi conversi sunt, docuisse in monasterijs locisq; devotis, secundùm formam Studiorum antiquorum:* cum divinis videlicèt studijs humaniorem etiam literaturam conjunxisse; ut & [r] Trithemius indicat, & codex ille MS. confirmat, qui in Wigornienſis Ecclesiæ Bibliothecâ adhuc conservatur, continens *Comentum* (ut libri habet inscriptio) *Dunchat Pontificis Hibernienſis, quod contulit suis discipulis in monasterio S. Remigij Douns, super astrologiâ Martiani Capellæ Varronis.* Ejusmodi in Hiberniâ, hisce de quibus nunc agimus temporibus, præter *Brendanica* & *Columbienſia*, duo celeberrimi nominis floruerunt cœnobia: *Benchorense* S. Comgalli, & *Rathenense* S. Carthagi.

[o] Vita Brendani MS. de quo vid. supr. pag. 532. 533. 868.

[p] Iocelin. Vit. Patricij, cap. 89. Vid. supr. pag. 687.

[q] Bed. Histor. Ecclesiast. lib. 3. cap. 4. Vid. supr. pag. 690. 691. 700. 701.

[r] Io. Trithem. Chronic. Hirsaugiens. ad ann. Dom. 850. & lib. 1. de illustribus viris Ord. Benedicti, cap. 6. Vid. Christoph. Brower. Antiquitat. Fuldens. lib. 1. cap. 9. 10. 11.

Rathenin locum hunc hodie nominant, in Occidentali Midia ad VIII. milliarium à Dearmachano Columbæ monasterio situm; non procul à *Land elo* cœnobio, quod in Fercallîâ construxerat *Colmanus* abbas, cognomentum *Elo* inde adeptus. De eo, in Vitâ Carthagi (cujus penès me duo sunt MSS. exemplaria) ista tradita invenio, *Civitas Rathen posita est in medio Hiberniæ, in regione Midi, in plebe sc. Fearcall. In ipso loco maximum monasterium edificatum est à S. Carthago: in quo ipse per* XL. *annos vixit, & in quo* DCCCLXVII. *monachi simul sub eo fuerunt;*

fuerunt; multis ad eum *à diversis provinciis Hiberniæ & Britanniæ* confluentibus. Ab alio Vitæ ejusdem scriptore, *exceptis parvulis & servientibus, sanctorum monachorum numerus* DCCCXLVII. fuisse proditur, *labore manuum suarum victum sibi ac pauperibus acquirentium*. Alius, ijsdem exceptis, DCCCXLIV. tantùm numerat: monasterium illud *situm* fuisse addens *in aquilonali parte Hiberniæ, in finibus Midiæ, in plebe Fercel, in loco qui dicitur Rathen*. Sed multo celebrius fuit illud alterum [f] *Benchorense* cœnobium, in regione quæ ab *ardno* situ Ardes, & * eodem sensu Latinè *Altitudo Ultorum* dicitur, constitutum: de quo in Vitâ Comgalli legimus. *Constituit magnum monasterium quod vocatur Beanchor, in regione quæ dicitur Altitudo Ultorum, juxta mare Orientale*. & paulo pòst. *In diversis monasteriis & cellis tria millia monachorum sub curâ sancti patris Comgalli fuerunt: sed major & nominatior cæteris prædictum monasterium Beanchor est; ubi clara civitas in honore sancti Comgalli ædificata est*.

[f] Vid. suprà, pag. 132. 441. 869.

* ut *Alti-macha* & *Ard-macha*, suprà, pag. 854.

Monasterium hoc à piratis olim destructum, nongentis simul monachis unâ die occisis, à Malachiâ fuisse reædificatum, docet in ejus Vitâ Bernardus: de *antiquâ* illius *gloriâ*, inter alia, hæc adjiciens. *Nempè nobilissimum extiterat antè sub primo patre Congello multa millia monachorum generans, multorum monasteriorum caput. Locus verè sanctus fœcundusq; sanctorum, copiosissimè fructificans Deo; ita ut unus ex filijs sanctæ illius congregationis, nomine Luanus, centum solus monasteriorum fundator extitisse feratur. Quod idcircò dixerim, ut ex hoc uno conjiciat lector, quàm ingens fuerit reliqua multitudo*. Nec modò *Hiberniam Scotiamq; replevêrunt genimina ejus: sed in exteras etiam regiones, quasi inundatione factâ, illa se sanctorum examina effuderunt. è quibus ad has nostras Gallicanas partes sanctus Columbanus ascendens, Luxoviense construxit monasterium, factus ibi in gentem magnam. Aiunt tam magnum fuisse, ut succedentibus sibi vicissim choris continuarentur solemnia divinorum; ita ut ne momentum quidem dici ac noctis vacaret à laudibus*.

Hæc

Hæc Bernardus: & illum in Annalibus (ad annum Christi MCXXXIX) excipiens Thomas Cæsæus. Hoc *olim destructum à piratis, qui ferè omnes ecclesias & libros totius Hiberniæ destruxerunt & combusserunt, Malachias reædificavit. Ferunt namq; nongentos monachos simul unâ die à piratis in eodem occisos. Sed non est putandum, ut quidam æstimant, propter aliqualem similitudinem nominum & rerum gestarum, hoc esse quod Beda dicit in secundo libro de gestis Anglorum, & Henricus Lincolniensis archidiaconus de conversione gentis Anglorum. Nam illi monachi erant de monasterio Bangorensi in Britanniâ, isti de monasterio Benghorensi in Hiberniâ: illi interfecti à rege Ethelredo Northumbrorum juxta Luxeshiriam, isti in monasterio suo à piratis in Ultoniâ; illi mille ducenti, isti nongenti.*

Etsi verò ex his quæ dicta sunt satis liqueat, à scriptore Vitæ Gildæ sine judicio & modo fuisse illud pronunciatum; illius temporibus, Hibernos *penitùs catholicam fidem, à maximo usq; ad minimum, omnes amisisse*; ita non difficulter admitti posse arbitramur, à primævo & fidei & sanctitatis à Patricio illis tradito exemplo nonnihil eos defecisse: ut licèt non universalis & ὁλικὴ, particularis tamen & μερικὴ in nostris partibus religionis Eclipsis observari potuerit. Doctissimum enim *Finianum* nostrum è Britaniâ, in quâ *tribus constructis Ecclesijs triginta ipse annis commoratus est*, reversum esse in Hiberniam, *ad fidem post B. Patricij obitum neglectam restaurandam*, in Ecclesiastico ipsius Officio notatum invenimus; hoc etiam Hymno appositio.

Adest dies lætitiæ;
Cleri plaudant cum jubilo:
Refulsit Sol justitiæ,
Qui priùs erat sub nubilo.
Gratuletur Hibernia,
Freta doctore cœlitùs;
Quo cleri contubernia
Reformantur divinitùs.

Errat

Erroris iter devium,
Quo sine fine curritur,
Per hujus magisterium
A nobis intercluditur.

A priorum verò perfectione tantum abfuisse successores hosce, quantum à *Solis* splendore *Lunam*, antiquus Sanctorum Hiberniæ Catalogus significat: quem, quia summâ cum brevitate Sanctorum nostrorum seriem ab anno CCCCXXXIII. ad DCLXIIII. continuatam exhibet Synopsim, è tenebris in quibus hactenùs delituit eruere & aliquantulùm illustrare placuit.

Incipit Catalogus Sanctorum Hiberniæ, secundùm diversa tempora.

„ PRIMUS ordo catholicorum Sanctorum erat „ in tempore *Patricij*. Et tunc erant Episcopi „ omnes clari & sancti & Spiritu sancto pleni „ CCCL. numero, Ecclesiarum fundatores. „ Unum caput *Christum*, & unum ducem *Patri-* „ *cium* habebant: unam Missam, unam celebratio- „ nem, unam tonsuram (ab aure usque ad aurem) „ sufferebant. Unum Pascha, XIV. Lunâ post „ æquinoctium vernale, celebrabant: & quod ex- „ communicatum esset ab unâ Ecclesiâ omnes ex- „ communicabant. Mulierum administrationem & „ consortia non respuebant: [a] quia super petram „ Christum fundati, ventum tentationis non time- „ bant. Hic ordo Sanctorum per *quaterna* duravit „ regna, hoc est, pro tempore *Laogarij*, & *Aila* „ *Muris*, & *Lugada* filio *Laogarij*, & *Tuathail*. Hi „ omnes

[a] *nec laicos nec fœminas de Ecclesijs repellebant.*

„ omnes Episcopi de Romanis, & Francis, & Britonibus, & Scotis exorti sunt.

„ SECUNDUS ordo catholicorum Presbyterorum. In hoc enim ordine pauci erant Episcopi, & multi Presbyteri, numero CCC. Unum caput Dominum nostrum habebant, diversas Missas celebrabant & diversas Regulas, unum Pascha quartadecimâ Lunâ, unam tonsuram ab aure ad aurem: abnegabant mulierum administrationem, separantes eas à Monasterijs. Hic ordo per *quaterna* adhuc regna duravit, hoc est, ab extremis *Tuathail*, & per totum *Diarmata* Regis regnum, & duorum *Muredaig* nepotum, & *Ædo* filij *Ainmerech*. A *Davide* & [a] *Gillâ* & à *Doco* Britonibus Missam acceperunt: quorum nomina hæc sunt. Duo *Finiani*, duo *Brendani*, *Iairlaithea Tuama*, *Comgallus*, [x] *Coemgenus*, [y] *Ciaranus*, *Columba*, *Cainecus*, [z] *Eogenius mac Laisreus*, *Lugeus*, *Ludeus*, *Moditeus*, *Cormacus*, *Colmanus*, *Nesanus*, *Laisreanus*, *Barrindeus*, *Coemanus*, *Cemanus*, *Conanus*, [*Endeus*, *Ædeus*, *Byrchinus*,] & alij multi.

[a] al. S. *Gildâ*

[x] al. *Caymginus*
[y] al. *Queranus*
[z] al. *Laysreus*

„ TERTIUS ordo Sanctorum erat talis. Erant Presbyteri sancti, & pauci Episcopi, numero centum: qui in locis desertis habitabant, & oleribus & aquâ & eleemosynis [fidelium] vivebant, [a] propria devitabant, & diversas Regulas & Missas habebant, & diversam tonsuram, (alij enim habebant coronam, alij cæsariem) & diversam solemnitatem Paschalem. alij enim Resurrectionem XIIII. Lunâ [b] vel XVI. cum duris intentionibus celebrabant. Hi per *quaterna* regna

[a] al. *omnia terrena contemnebant, & omnem susurrationem & detractionem penitùs evitabant.*

[b] al. *alij* XIII. *celebrabant.*

„gna vixerunt, hoc est, *Æda Allain* (qui tribus „annis, pro cogitatione malâ, tantùm regnavit) „& *Domnail*, & filiorum *Mailcobi* & *Æda Slaine* „permixta tempora; & usq; ad mortalitatem il- „lam magnam perduraverunt. Hæc sunt nomina „eorum. *Petranus* episcopus, *Ultanus* episcopus, „*Colmanus* episcopus, *Murgeus* episcopus, *Ædanus* „episcopus, [c] *Lomanus* episcopus, *Senachus* epi- „scopus. Hi sunt Episcopi, & alij plures. Hi verò „Presbyteri: *Fechinus* presbyter, *Airendanus*, „*Failanus*, *Comanus*, *Commianus*, *Colmanus*, *Erna-* „*nus*, *Cronanus*, & alij plurimi presbyteri.

[c] al. *Lomprianus*

„Primus ordo *Sanctissimus*, Secundus ordo „*Sanctior*, Tertius *Sanctus*. Primus sicut *Sol* ardes- „cit, Secundus sicut *Luna*, Tertius sicut *Stellæ*.

IN duorum, quæ hîc secutus sum, altero & recentiori exemplari paulo prolixior hîc habebatur ἀνακεφαλαίωσις. *Nota quòd primus ordo erat Sanctissimus, secundus Sanctus sanctorum, tertius Sanctus. Primus sicut Sol in fervore claritatis calescit, secundus sicut Luna pallescit, tertius sicut Aurora splendescit. Hos tres ordines B. Patricius superno oraculo edoctus intellexit; cùm in visione illâ propheticâ vidit totam Hiberniam flammâ ignis repletam, deinde montes tantùm ardere, posteà lucernas ardere in vallibus conspexit.* quæ visio a [d] Iocelino pleniùs habetur proposita; lucis, quæ post extremas istas tenebras à Patricio conspecta fuisse dicitur, duplici hâc (secundùm Hibernicorum & Anglicorum sensum) subjectâ interpretatione.

[d] Iocelin. *Vit.* Patric. cap. 175.

Tempus tenebrarum Hibernici illud autumant, quo priùs § *Gurmundus ac posteà Turgisus, Norwagenses principes pagani, in Hiberniâ debellatâ regnabant. In illis enim diebus Sancti in cavernis & spelunc*[illegible], *quasi carbones cineri-*

§ *Vid. supr. cap.* 14. *pag.* 571. & *cap.* 17 *pag.* 816 [illegible]

hus cooperti, latitabant à facie impiorum, qui eos totâ die quasi oves occisionis mactificabant. Ex quâ re accidit, ut varij ritus contra Ecclesiastica institutâ in Hibernia inducerentur; & à Prælatis sanctæ Ecclesiæ, divinæ legis ignaris, contra formam ejusdem nova sacramenta conficerentur. Lucem verò ex Aquilonali parte exorientem &, licèt diutino conflictu, tenebras exterminantem Hibernigenæ S. Celestinum Machinensem archipræsulem totiusq; Hiberniæ Primatem asserunt, qui S. Patricij vestigia diligentiori studio secutus fuit; seu S. Malachiam, qui prius in Dunensi ecclesiâ postmodùm in Ardmachanâ metropoli præfuit, & Hiberniam ad Christianæ legis statum reduxit. Econtrà Anglici lucem illam arbitrantur ascribendam suo adventui; eo quòd tunc Ecclesia videbatur suo judicio in meliorem statum provehi, religio plantari ac propagari, atq; sacramenta Ecclesiastica & Christianæ legis instituta ritu competentiori observari. Ego verò funem contentiosum inter eos nec porro nec dirimo; sed hujus rei discussionem atq; definitionem divino judicio relinquendam censeo.* Ita Iocelinus.

* Ceallach sive Xellach Ardmachanum archiepisc. alijs Celestinum, Bernardo in Vitâ Malachiæ Celsum appellatum.

In tribus istis Sanctorum ordinibus, præcipuam in Liturgiâ Ecclesiasticâ, Regulis monasticis, Tonsurâ, observatione Paschali & mulierum contubernio, ab auctore Catalogi vides observatam fuisse discrepantiam. Et Missæ quidem sive publicæ Liturgiæ unum & eundem ritum initio à Patricio huc introductum, & à discipulis ipsius observatum ille notat. Ejus originem à B. Marco Euangelistâ arcessit libelli de Officiorum Ecclesiasticorum primâ institutione < vetus auctor; atq; eundem ritum, à Germano & Lupo acceptum, Hibernis communicavisse Patricium; indeq; Comgallum, per discipulum suum Columbanum, ad transmarina cœnobia propagavisse significat. Quum enim dixisset (quod ipsius tamen fide dictum esto) *B. Hieronymum affirmâsse, ipsum cursum, qui dicitur præsente tempore Scotorum, B. Marcum decantavisse*; Patricium, à Lupo & Germano *archiepiscopum in Scottis ac Britannijs* positum, *ipsum cursum ibidem decantavisse*

< Vid. supr. pag. 343. & 840.

visse affirmat: de subsecutâ successione istâ subjiciens; quæ ut depravatissimè erant scripta repræsentare voluimus, crassiorum errorum emendatione ad marginem appositâ.

Patricius *ipsum cursum ibidem decantavit: & post ipsum, beatus Wandilocus senex & beatus* [f] *Gomogillus; qui habuerunt in eorum monasterio monachos circiter tria milia. Inde beatus Wandilocus in prædicationis ministerium à beato Gomogillo missus est, & beatus Columbanus partibus Galliarum* [g] *destinati sunt Luxogilum monasterium: & ibidem ipsum cursum decantaverunt. Et inde postea peterebuit* [h] *formam sanctitatis eorum per universum orbem terrarum: & multa cœnobia, ex eorum doctrinâ, tam virorum quàm puellarum sunt congregata. Et posteà inde sumpsit exordium sub beato Columbano, quod antè beatus Marcus Euangelista decantavit. Et si* [i] *nos non credidis: inquirite in Vitâ beati Columbani & beati Eustasii Abbatis, (pleniùs invenietis) & dicta beati* [k] *Atthlati Abbatis Ebovensis.*

[f] Comgallus

[g] destinatus est Luxovium

[h] fama

[i] nobis

[k] Atthala abbatis Bovienſis.

Gomogillum illum, sive Comgallum potiùs, Columbani (Luxovien sis & Bovien sis cœnobij conditorem) ad secundum Sanctorum ordinem Catalogi auctor refert: in quo, ut & in tertio, *diversas Missas*, sive dissimiles Liturgiæ formulas, in Hiberniâ receptas fuisse idem indicat. Quam varietatem subsequentibus seculis auctam potiùs quàm imminutam fuisse, illud [l] *Gilleberti*, Lumnicensis Episcopi & Romani Pontificis apud Hibernos, (sub undecimi seculi exitum) legati, in libelli de *Usu Ecclesiastico* ad Episcopos & presbyteros Hiberniæ Proœmio, demonstrat. [m] *Rogatu, necnon & præcepto multorum ex vobis (charissimi) Canonicalem consuetudinem in dicendis Horis & penagendo totius Ecclesiastici Ordinis officio scribere constitui; non præsumptivè, sed vestrâ cupiens parere pijssimæ jussioni: ut diversi & schismatici illi Ordines, quibus Hibernia penè tota delusa est, uni Catholico & Romano cedant Officio. Quid enim magis indecens aut schismaticum dici poteris; quàm doctissimum unius Ordinis in alterius Ecclesiâ idiotam & laicum fieri?*

[l] de quo supra, pag. 870.

[m] Epistol. Hibernic. Syllogen, num. 30. pag. 77.

A Comgallo vel Congello illo, de quo jam diximus, *monachismus Ægyptius à Pelagio* (hæresiarchâ) *introductus, sub specie religionis in Britanniâ radices, vires & incrementa largissima cepit, ad alias Europæ provincias planè transmittens*: si [a] Iohannem Balæum audire libeat, qui hunc anno Christi DXXX. (quò, juxta [b] nostrorum Annalium fidem, vixdum ex pueris ille excesserat) *Bannocherense Christianorum philosophorum collegium in monachorum sub* [c] *Apostolici ordinis titulo cœnobium permutavisse* asserit; [d] Britannicam suam Bangoriam ab Hibernicâ nostrâ nesciens distinguere. Per Patricium quoq; nostrum *religionem Monachorum in Glastoniâ sumpsisse exordium, vltam ducentium monachorum more Ægyptiorum*, ex Glastonienſium commentarijs [e] audivimus. Unde, in libello de cœnobij illius antiquitate Guilielmus Malmesburienſis, de novâ Benedicti regulâ post Augustini adventum huc introductâ mentionem faciens; *His*, inquit, *temporibus in monasterio Glastonienſi cœpit primò eadem Regula exerceri, quod priùs fuerat more cœnobiorum Ægypti.* quomodo & [f] Rudburnus ait, Faganum & Dwianum anno CLXIX. Wintonienſem Ecclesiam *monachis repleviſſe Deo devotè famulantibus, ac professis secundùm Regulam à S. Marco Euangeliſtâ traditam*: de quâ ſcribit [g] Cassianus. *Cùm in primordijs fidei pauci quidem, ſed probatiſſimi, Monachorum nomine cenſerentur; ſicut à beatæ memoriæ Euangeliſtâ Marco (qui primus Alexandrinæ urbi Pontifex præfuit) normam ſuſcepêre viuendi, non ſolùm illa magnifica retinebant, quæ primitùs Eccleſiæ vel credentium turbis in* [h] *Actibus Apoſtolorum legimus celebrâſſe, verumetiam his multo ſublimiora tumulaverant.*

[a] Balæ. Scriptor. Britann. Centur. 1. cap. 53.
[b] Suprà, pag. 869.
[c] Vid. ſupr. cap. 6. pag 134.
[d] Ibid. pag. 132.
[e] Ibid. pag. 110.
[f] Ibid. pag. 122.
[g] Io. Caſſian. de Inſtitut. cœnobior. lib. 2. cap. 5.
[h] Act. 4. 32, 33, 34. 35.

Gabriel Pennottus, [i] & ab Apoſtolico illo exemplari & ab Ægyptiorum inſtitutis Clericorum ſuorum Canonicorum originem repetens, [k] eum ordinem & Patricium in Hibernia, & poſt illum [l] Hibernos in Angliâ & Belgio propagaviſſe primitùs exiſtimat. Sive autem antiqui illi noſtri Regulares fuerint Clerici, ſive

[i] Pennot. Hiſtor. Clericor. Canonic. lib. 2. cap. 4. §. 5. & lib. 3. cap. 49. §. 1.
[k] Id. lib. 2. cap. 34.
[l] Id. lib. 3. cap. 49. §. 2.

alterius alicujus generis Monachi; veriſſimum eſſe illud conſtat, quod in ſuperiore legimus Catalogo, *diverſas* eos habuiſſe *Regulas*. In eorum enim Codicum antiquiore, è quo deſcriptus iſte eſt Catalogus, quatuor ſequebantur *Regulæ*, Hibernico ſermone antiquiſſimo exaratæ & noſtris temporibus penè ignorabili. I. *Columbakilli*: ad quam [a] omnia *Columbienſium* monaſteria tam in Hiberniâ & Albaniâ quàm in ipſâ Angliâ fuiſſe conformata, par eſt credere. [b] Ex horum enim collegio primi Lindisfarnenſes Epiſcopi, *Aidanus*, *Finanus* & *Colmanus*, prodeuntes, monaſticum hoc vivendi inſtitutum in Northumbriæ regnum introduxerunt: quibus ſuccedens poſteà *Wilfridus* Anglus, [c] primum ſe ibi *S. Benedicti Regulam à monachis obſervari juſſiſſe* jactitat. Ut maximopere fallatur Iohannes Trithemius (& eum, cum alijs, hic ſecutus Arnoldus Wion in Ligno ſuo Vitæ) qui *Columbienſes* noſtros cœnobitas in *Benedictinorum* numero reponendos eſſe judicavit. II. *Comgalli Beanchorenſis*: in cujus [d] *monaſterio & cellis tria millia monachorum fuiſſe perhibentur*. uti nuper etiam monuimus. III. *Mochuttai*; qui *Carthagus* ille eſt, celeberrimi Rathenienſis cœnobij Abbas, & Liſmorienſis Eccleſiæ antiſtes primus: unde & Liſmoria ab ipſo *Liſmôr Mochuda*, & ipſe à Rathenià *Carthagh Raithen* accepit cognomentum. *Carthagus* enim (ut in Vitâ illius habetur) *vulgo vocatur Mochutu: & iſta duo nomina unam perſonam ſignificant*. IIII. *Albei Imelacenſis* [e] archiepiſcopi: de quo & in hoc & in præcedente Capite plura diximus.

[a] *Vid. ſupr. cap. 15. pag. 697. 700. 701.*

[b] Bed. hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 3. cap. 4. 5. 26.

[c] Guil. Malmeſburienſis lib. 3. de geſt. Pontific. Anglor.

[d] Vita S. Mocoemogi, MS.

[e] *Supr. pag. 866. 867.*

Ex his, Albeus ad *primum* pertinet Sanctorum ordinem (in quo etiam ipſius *S. Patricij Regula* [f] Iocelinus meminit) tres alij ad *ſecundum*, uti & Brendanus Findlogæ filius: de cujus Regulâ, in Vitâ ipſius legimus. *Scripſit S. Brendanus Regulam ab Angelo, ſecundùm quam ordinavit vitam ſuam: & illa uſq; hodie manet apud ſucceſſores S. Brendani.* Quibus & duos Comgalli diſcipulos addere poſſumus: Lugidum, qui & Moluæ nomen obtinuit,

[f] Iocelin. *Vit. Patricii*, cap. 165. 167. & 174.

obtinuit, & Columbanum, de quo diximus, Luxoviensis & Bobiensis monasterij conditorem. Prioris illius *Regulam* scriptor Vitæ ipsius à Gregorio I. Romano Pontifice ita laudatam fuisse memorat. *Sanctus abbas Daganus pergens Romam, duxit secum Regulam quam sanctus Molua ordinavit & dictavit monachis suis. Et legens sanctus Gregorius Papa illam Regulam, dixit coram omnibus: Ille sanctus, cujus est hæc Regula, circumsepsit sepem circa familiam suam usq; ad cœlum. Et mandavit sanctus Gregorius Papa suam orationem & benedictionem sancto Molua: & de hoc sanctus Molua gaudens, gratias egit Deo.*

S. Columbani *Regula* in omnium manibus extat, in lucem sæpiùs edita; à Melchiore Goldasto primùm in Paræneticis Veteribus, deinde à Thomâ Messinghamo in Florilegio Sanctorum Hiberniæ, Iohanne Tomco in Columbâ sacrâ, & Carolo Stengelio in Coronâ suâ lucidâ. ubi & veteris cujusdam Benedictini in Regulam hanc breve hoc appositum legitur prooemium. *Incipit Præfatio Regulæ Cœnobialis Patrum de Hiberniâ subsequentis. Equidem sanctus Pater Benedictus in hanc Regulam qualitate ordinis pœnitentiæ modos constituit. Sed unde, de quibusdam causis intimavit, dicens: Si quis hoc aut illud perpetraverit, disciplinæ regulari subjaceat. Ipsius quippe disciplinæ mensuram in arbitrium Abbatis judicandum permisit: quia dum qualitatis morum vel pœnitentiarum innumerabilis est diversitas, potuit ei fieri in arbitrium onerosa prolixitas. Etenim ipse, per humilitatem spiritus, præcedentium Patrum disciplinæ auctoritatem recipit: quia (ut fertur) omnium Sanctorum spiritu plenus fuit. Igitur de eâdem emendatione disciplinæ quibusdam verbis instituta subter inserta nectuntur.* Ex quâ Præfatione [g] Clemens Reynerus, licèt (ut ipse quoq; agnoscit) *subobscurâ, & scriptoris incuriâ in aliquibus vocabulis depravatâ,* cum alijs aliquot non magni momenti testimonijs collatâ, *omnes monachos qui de scholâ fuere S. Columbani, Regulæ S. Benedicti, sese subdidisse* contendit: quod ipsum etiam, præter Trithemium & illius sequaces [h] Constantinus

[g] Reyner de antiquitate Benedictinor. in Angliâ, tractat. 1. sect. 1. §. 20.

[h] Vid. Martini Farsensis abbatis Scholia in Vitam S. Atagni, edit. August. Vindelic. ann. 1627.

tinus Caietanus asserit; quàm rectè, jam non disputo.

De diversâ *tonsurâ* ratione (ut ad eam jam accedamus) Naitanum Pictorum Regem [i] Abbas Ceolfridus jam olim admonuit, quòd *neq; Apostoli omnes uno eodemq; sum modo tonsi, neq; nunc Ecclesia Catholica, sicut unâ fide, spe, & charitate in Deum consentit, ita etiam unâ atq; indissimili totum per orbem tonsurâ sibi formâ congruit.* Omnibus tamen anteponendam ille censuit, *quam in capite suo gestavisse* Petrum credidit, utpote à consuetudine Romanorum (qui ad Petrum omnium suarum traditionum originem referebant) ad Anglosaxones suos traductam: quamq; ijs *qui vel monachi votum vel gradum clericatus habebant* ferendam esse judicavit, ad *formam coronæ quam in passione suâ spineam portavit in capite* Servator noster effictam & figuratam. Ejusq; suasionibus gentem Pictorum ita commotam fuisse refert [k] Beda, ut *attonderentur omnes in coronam Ministri altaris ac Monachi; quasi novo se discipulatui beatissimi Apostolorum principis Petri subdidissent.*

[i] Bed lib. 5. hist. cap. 22.

[k] Ibid. in fine capitis.

Ubi notandum, apud Romanos olim eandem fuisse tonsuram & Clericorum & Monachorum: quum hodie non modò tonsura in rasuram sit conversa, sed diversi etiam generis Monachi & Clerici gerere soleant coronam. Monachi enim, totâ supra aures capitis parte abrasâ, inferiorem ad modum coronæ (puræ tamen & illibatæ non, ut olim, spineæ) intonsam relinquunt; Clerici verò brevi tantùm in vertice utuntur orbe: quem morem, ut ab hæreticis in Hispaniam introductum, ita olim condemnaverat [l] Toletanus Canon. *Omnes clerici vel lectores, sicut Levitæ & Sacerdotes, detonso superiùs capite toto, inferiùs solam circuli coronam relinquant: non sicut hucusq; in Galliciæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis (ut laici) comis in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispaniâ hucusq; hæreticorum fuit. Unde oportet, ut pro amputando ab Ecclesijs scandalo hoc signum dedecoris auferatur, & sit una tonsura vel habitus, sicut totius*

[l] Concil. Toletan. IIII. can. 40.

Hispaniæ est usus. Qui autem hoc non custodierit, fidei catholicæ reus erit.

Ut Romanorum verò à *Petro*, ita ab eâ diversæ Orientalium tonsuræ originem à *Paulo* Beda repetit; de Theodoro, Tharsi in Ciliciâ nato, scribens. [m] *Subdiaconus ordinatus, quatuor expectavit menses, donec illi coma cresceret, quo in coronam tonderi posset. Habuerat enim tonsuram, more Orientalium, Sancti Pauli Apostoli.* Τὸ δὲ κείρεσθαι τὴν κάραν ὁλοτελῶς, κατὰ μίμησιν τοῦ ἁγίου Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοθέου, καὶ Παύλου τοῦ ἀποστόλου, καὶ τῶν λοιπῶν. *Radi toto capite, ad imitationem fit sancti Iacobi Dei fratris, & Pauli Apostoli, & reliquorum:* inquit Germanus Constantinopolitanus archiepiscopus, in rerum Ecclesiasticarum theoriâ. ubi & [n] *duplicem coronam, circumpositam capiti Sacerdotis, ex capillorum significatione, imaginem referre venerandi capitis Apostoli Petri* scribit: quum *simplicis* suæ coronæ usum eidem Petro, ut primo auctori, Latini acceptum referant.

[m] Bed lib. 4. histor. cap. 1.

[n] Ὁ ἐν τῇ κεφαλῇ τοῦ ἱερέως περικείμενος διπλοῦς στέφανος ἐκ τῆς τῶν τριχῶν σημειώσεως, εἰκονίζει τὴν τοῦ ἀποστόλου Πέτρου τιμίαν κάραν. German. CP.

Ita Gregorius Turonensis, lib. I. de gloriâ Martyrum, cap. XXVIII. *Petrus Apostolus, ad humilitatem docendam, caput desuper tonderi instituit.* Stephanus presbyter, qui & Æddius, in Vitâ S. Wilfridi, cap. 6. *Servus Dei Vilfridus desiderio concupiscens tonsuræ Petri Apostoli formulam,* * *in modum coronæ spineæ caput Christi cingentis, à sancto Dalfino archiepiscopo Lugdunensi libenter suscepit.* Beda, in Vitâ S. Cuthberti Episcopi (ut ab [o] Amalario Fortunato est citatus; nam in libro edito locum non invenio:) *Postquàm servitutis Christi jugum, tonsuræque Petri formam in modum coronæ spineæ caput Christi cingentis, Domino adjuvante, susceperat.* Egbertus Eboracensis archiepiscopus, in Iure Sacerdotali: *Petrus Apostolus clericali tonsurâ primò usus est, gestans in capite imaginem coronæ spineæ Christi.* & Alcuinus, in libro de divinis Officijs: *Fertur B. Petrus primus hujusmodi tonsuram sibi fecisse ad similitudinem spineæ coronæ Domini.*

* coronæ hujus icon in margine MS. Cottoniani est apposita.

[o] Amalar. Ecclesiast. Offic. lib. 4. cap. 39.

Quas verò ob causas ritus iste à Petro fuerit introductus,

ductus, exponit Aldhelmus, in epistolâ ad Geruntium Britannorum Cornubiensium regem. *Nos, secundùm sacrosanctam Scripturæ auctoritatem, de tonsurâ nostrâ veritatis testimonium perhibentes, diversus ob causas Petrum Apostolum hunc ritum sumpsisse asserimus. Primùm, ut formam & similitudinem Christi in capite gestaret, dum pro redemptione nostrâ Crucis patibulum subiturus à nefandâ Iudæorum gente acutis spinarum aculeis crudeliter coronaretur. Deinde, ut Sacerdotes veteris & novi Testamenti in tonsurâ & habitu discernerentur. Postremò, ut idem Apostolus suiq; successores & sequipedæ ridiculosum gannaturæ ludibrium in populo Romano parcarent: quia & eorum Barones & hostes exercitu superatos sub coronâ vendere solebant.* Quibus & causas consimiles, ex vetere libro Canonum titulorum LXVI. (in Bibliothecâ Cottonianâ reperto) adjicere liceat. *Romani dicunt*, quòd *Petrus primus clericus tonsurando usus est, gestans in capite imaginem coronæ spineæ Christi:* idq; *quinque* de *causis*. I. *Ut adsimilaret Christi coronam.* II. *Ut Clerici à laicis in tonsurâ & habitu & operibus discernerentur.* III. *Ut Sacerdotes veteris Testamenti reprobarent, in illo loco ubi columba super caput Christi descendit.* IIII. *Ut derisionis gannituram in regno Romano propter Dominum sustinerent.* V. *Ut à Simone Mago Christianos discerneret, in cujus capite cæsaries ab aure ad aurem tonsa anteriore parte; cùm antèà Magi in fronte cirrum habebant.*

Diversum enim ab hoc Britonum, Pictorum & Hibernorum ritum, quo anteriore tantùm capitis parte tondebantur Clerici (rotundâ quidem tonsurâ, sed imperfecto orbe ab aure ad aurem circumducto) ut in odium & contemptionem adducerent, originem illius alij quidem ad Simonem Magum, alij ad subulcum quendam Lægarij regis (cujus tempore Hibernis Euangelium annunciare cœpit B. Patricius) referendam censuerunt. Ita enim Aldhelmus, in illâ ad Britannorum Cornubiensium Regem & Sacerdotes epistolâ, θέσιν suam satis confidenter

fidenter δεφυλάτιων. *Rumor, Ecclesiæ fidei contrarius, longè lateq; percrebuit, quòd sint in provinciâ vestrâ quidam sacerdotes & clerici, tonsuram S. Petri Apostolorum principis pertinaciter refutantes: seq; tali excusationis apologiâ pertinaciter defendentes vivunt, quòd auctorum & præcessorum suorum tonsuram imitentur, quos divinâ illustratos gratiâ fuisse grandiloquis assertionibus contestantur. qui si à nobis solicitè sciscitentur, quis primus auctor rasuræ hujus & tonsuræ extiterit; omninò aut veritatem ignorando, aut falsitatem dissimulando obmutescunt. Nos autem, secundùm plurimorum opinionem, Simonem magicæ artis inventorem hujus tonsuræ principem fuisse comperimus.*

Similiter & Ceolfridus, in alterâ illâ ad Pictorum Regem epistolâ. *Tonsuram eam, quam Magum ferunt habuisse Simonem, quis (rogo) fidelium non statim cum ipsâ magiâ primò detestetur & meritò exsufflet? quæ aspectu, in frontis quidem superficie coronæ videtur speciem præferre; sed ubi ad cervicem considerando perveneris, decurtatam eam quam te videre putabas invenies coronam.* & vetustus ille Cottonianus Canonum Codex. *Romani dicunt tonsuram à Simone Mago sumpsisse initium, cujus tonsura de aure ad aurem tantùm contingebat; pro * excellentia ipsâ Magorum tonsurâ, quâ sola frons anterior tegi solebat. Auctorem autem hujus tonsuræ in Hiberniâ subulcum Regis Loigeri filij Nil extitisse, Patricij sermo testatur: ex quo Hibernenses penè omnes hanc tonsuram sumpserunt.* Patricium certè ritum, cui ipse assueverat, Romanum huc introduxisse, Synodi ab ipso (unâ cum Auxilio & Issernino Episcopis) habitæ Canon, in hoc etiam Codice commemoratus, satis ostendit; quo excommunicandus declaratur Clericus, *si non more Romano capilli ejus tonsi sint.* Ut si in primo Sanctorum nostrorum ordine (quod utrumq; superioris Catalogi habet exemplar) *una tonsura* fuerit observata; non *ab aure usq; ad aurem* (quod in posteriori apographo omninò non est inventum) sed circumductâ potiùs universo capiti coronâ expressam eam fuisse, existimandum omninò videatur.

* Excellendâ

Verùm

Verum hîc liberè profitetur Abbas Ceolfridus, [p] quòd *tonsura discrimen non nocet quibus pura in Deum fides & charitas in proximum sincera est: maximè cùm nunquam Patribus Catholicis, sicut de Paschæ vel fidei diversitate conflictus, ita etiam de tonsuræ differentiâ legatur aliqua fuisse controversia.* quod ipsum etiam (& eâdem penè loquendi formulâ) de Paschalis temporis antiquitùs apud nos observati dissonantiâ Petrus Abbas Cluniacensis prudenter monuit: ad Bernardum Claræ-vallensem de hujusmodi rituum ἀσυμφωνίᾳ ita scribens. [q] *Frustrà rem patentem multiplicibus testimonijs vel exemplis cingeremus: maximè cùm nec apud antiquos ipsius Paschalis temporis dissonantia, nec apud modernos ipsius sacrificij Christiani inter Græcos & Latinos tota varietas, charitatem ledere vel schisma aliquod unitatis gignere potuerit. Testes sunt precedentis rei Patres sancti, & eorum quos Ecclesiæ reliquerunt approbatæ libri; quòd alio tempore Orions alio Occidens, alio in eâdem Britannia insulâ Anglis alio Scotis (Christiani scilicèt antiquiores) Paschæ Domini celebrabant. Testes sumus & nos temporis nostri, qui Romanam Ecclesiam & totam Latinam linguam offerre Deo salutare sacrificium azymi panis videmus; cùm Græca Ecclesia, & maxima Orientis pars, ac Barbara sed Christianæ gentes, sacrificare de fermentato dicantur. Cùm hoc ita sit, nec antiqui nec moderni propter tam celebres & famosas usuum dissonantias à charitate mutuâ descivernnt: quia nihil quod fidem vel charitatem laderet in his omnibus invenerunt.*

[p] Bed. hist. lib. 3. cap. 25.

[q] Petr. Cluniac. lib. 4. epist. 17. (tom. 12. Bibliothec. Patr. part. 2. pag. 95. edit. Colon.) al. lib. 5. epist. 16.

Ut autem Lunaticæ hujus controversiæ, quæ nostros tantopere exercuit, origo rectiùs intelligatur: notandum est, aliam Cyclorum Paschalium rationem Romæ fuisse observatam quum in Hiberniam venit Patricius; aliam quum Alexandrinorum Cyclum decemnovennalem, à Dionysio Exiguo explicatũ, Romani Pontifices demùm admiserunt. Prioribus enim illis temporibus Romæ LXXXIIII. annorum receptam fuisse Periodum, ab anno æræ Christianæ CCCLXXXII. dinumeratam, ex * Paschasini Lilybetani ad Leonem I. epistolâ, cum Prosperi

* *Vid. supr. fin. cap. 9. pag. 259.*

Aquitanici (qui eidem Leoni fuit ab epistolis) integriore Chronico collatâ, intelligimus. Ita enim de Paschate anni CCCCXLIIII. (non CCCCLV. ut, harum rerum imperitissimus, credidit Baronius) scripsit Paschasinus. *Cùm* ROMANA SUPPUTATIO *quæ in Cyclo concluditur, cujus ipse de quo agitur erit annus* § LXIII. *(quia cœpit Consulatu Antonij & Syagrij) nobis dubietatem afferret; eo quòd septimo Kalendarum Aprilium dies Dominica & Luna vigesima prima incurreret, & iterùm nono Kalendarum Martarum die (ut rei veritas habet) Dominica dies & Luna decimanona obveniret: in hoc ambiguo fluctuantes, ad Hebræorum, hoc est, legalem Supputationem nos convertimus; quæ cùm à Romanis ignoratur, facilè errorem incurrunt.* Ad eundem verò *Antonij & Syagrij* Consulatum, anno CCCLXXXII. peractum, annotavit Prosper; [r] *Finis Cycli quarti, & exordium quinti:* quum suo loco de *primo* admonuisset. [s] *Incipit Cyclus Paschalis, qui annis constat* LXXXIIII. *& post annos* LXXXIIII. *ad eandem legem revertitur.*

§ ita habent duo antiquissimi, quibus hîc usus sum, MSS. non LXIIII. ut in hâc inter Leoninas editâ legitur Epistolâ.

[r] Histor. Francor. scriptor. ab Andr. du Chesne edit. tom. 1. pag. 101.

[s] Ægid. Bucher. Commentar. in Victorij Canon. Paschal. cap. 6. pag. 136.

Ex hoc Cyclo ætate Lunæ numeratâ, à XVI. ad XXII. lunationem Latini Dominicas suas Paschales observabant; non ut posteà, recepto Cyclo Alexandrino, à XV. ad XXI. Inde Innocentius I. in epistolâ ad Aurelium Carthaginiensem, de anni CCCCXIIII. Paschate verba faciens. [t] *Cùm ante diem undecimum Kalendarum Aprilium penè Luna decimasexta colligatur (nam quippiam minus est) itemq; cùm in ante diem quartum Kalendarum earundem veniat vigesima tertia; existimavi undecimo Kalendarum memoratarum die festa Paschalia celebranda: quoniam in vigesimâ tertiâ Lunâ nullum Pascha unquam, ante hoc Pascha, factum esse cognoscimus.* & Victorius Aquitanus, in Canonis sui Paschalis Prologo, de primi Mensis agens terminis. [u] *Latini à III. Nonas Martij usq; in* IIII. *Nonas Aprilis, diebus scilicet* XXIX. *observandum maximè censuerunt; ut quotcunq; eorum die Luna fuerit nata, efficiat primi*

[t] Epistol. Decretal. tom. 1. part. 2. pag. 62. edit. Rom. ann. 1591.

[u] Dionys. Petav. de doctrinâ tempor. tom. 2. pag. 886. Ægid. Bucher. pag. 4. Bed. de Tempor. ratione, cap. 49.

primi Mensis initium. Cujus Luna decimaquarta si Feriâ sextâ provenerit, sequens Dominica, id est, Luna XVI. *festivitati Paschali sine ambiguo deputetur. Sin autem die Sabbati Plenilunium esse contigerit, & consequenti Dominico Lunam* XV. *reperiri; eâdem hebdomade transmissâ, in alterum diem Dominicum, id est, Lunam* XXII. *transferri debere Pascha dixerunt. Nec minus ejusdem Dominicæ Resurrectionis p ragendo mysterio destinârunt quàm* XVI. *nec amplius quam* XXII. *Lunam aliquando recipiunt: eligentes potiùs in Lunam* XXII. *diem festi Paschalis extendi, quàm Dominicam Passionem ante Lunam* XIIII. *ullatenùs inchoari.*

Ex tribus Cyclis Solaribus conflata est ista LXXXIIII. annorum Periodus; diebus constans 30681. lunationibus 1039. per quas dierum ille numerus divisus, mensis Synodici modulum exhibet dierum 29. horarum 12. primorum minutorum 42. secundorum 16. quum rationes Calippicæ, ab Alexandrinis & Dionysio Exiguo receptæ, prima minuta 44. secunda 25. vel 26. requirant; Astronomicus verò Syzygiæ mediæ calculus scrupulos primos 44. secundos 3. postulet. Ita lunationes 1039. Astronomicæ, dies 30682. horas paulo minùs 7. Calippicæ, præter dictum dierum numerum, horas paulo plus 13. continerent: & quod his est consequens, LXXXIIII. annorum integer quisque Cyclus cœlestia quidem σελήνια die 1. & horis fere 7. Calippica verò & Alexandrina die 1. & horis paulo ampliùs 13. anteverteret. Indeq; *bidui* illa inter Latinorum & Alexandrinorum rationes orta est differentia; de quâ in Cyclorum suorum Prolego Cyrillus. × *Lunam, quam illi* III. *vel* XVI. *vel* XXIII. *imp opriè nuncupant; hanc S. Theophilus* I. *vel* XIIII. *vel* XXI. *cœlo demonstrante, confirmant.* Unde & hoc (ut posteà appellat) biduum Lunæ superfluum, argumento ab ipsis sensibus deducto, ita rejicit. *Quales ergo est cæcitas mentis, vel dementia, ut cùm videri non possit trigesima, videatur adhuc deficiens, & dicatur prima, nonnunquàm etiam & secunda?*

× Petav. doctrin. tempor. tom. 2. pag. 883 Bucher. pag. 483. 484.

* mentiuntur, *secunda? ac sic per omnem ordinem * mentiuntur. Sicut enim pro trigesimâ secundam, & pro primâ tertiam vocant; sic pro decimaquartâ decimam sextam, & pro vigesimâ primâ dicere compelluntur vigesimam tertiam.*

At primum hujus *Romanæ supputationis* (ut Paschasinus eam appellat) conditorem tantâ vel cœcitate vel dementiâ laboraviſſe nemo facilè crediderit, ut in ipsâ primâ Periodi suæ constitutione aliud Tabulis suis inscriberet, quàm quod cœlestia sui seculi φαινόμενα omnium oculis ingerebant. De quo quum jure dubitare non possimus: non in Cycli quem *Quintum* Prosper nuncupat (quo decurrente, *bidui* illa notata à Cyrillo est ἀναμετρία) sed in *Quarti* potiùs exordio, quod in annum æræ nostræ CCXCVIII. incidit, primæ suæ Periodi caput illum collocaviſſe, pariter dicamus neceſſe est. Quòd enim ad epochæ Christianæ, quam proximè ab eo fieri poterat, initia Cyclos istos Prosper extenderit; usitatâ Chronologis περολήψει id ab eo factum est, quam *magisterium redeundi retrò* Hebræi vocant: quâ eâdem usum licentiâ scriptorem etiam antiquiorem, qui anno Christi CCCLIIII. (currente Cyclo illo, quem *quartum* Prosper, nos *primum* numeravimus) Fastos Consulares edidit, ab ipso usq; *Regifugio* Romanæ hujus LXXXIIII. annorum Periodi ἀκφοφορίαν deduxiſſe observavimus.

In horum Fastorum initio, primorum Consulum tempora hisce characteribus fuiſſe insignita, notavit † Cuspinianus; *quos neq; se intelligere potuiſſe, neq; hactenùs qui intellexiſſet reperiſſe*, profitetur.

† Cuspinian. Commentar. in Cassiodor. ad annum U. C. 248.

Bruto & Collatino.	*Lu.*	XXIX.
Publicolâ II. *& Tricipitino.*	*Mar.*	X.
Publicolâ III. *& Pulvillo.*	*Mer.*	XXI.
*RVFFO ET AQVILINO.	*Io.*	II.
Valerio & Tuberto.	*Sat.*	XIII.
Publicolâ IV. *& Tricipitino.*	*Sol.*	XXIV.
Tuberto II. *& Lanato.*	*Ven.*	V.

* Annus biſſextilis, rubro colore in MS°. notatus.

Primi Consulatus characteres ad annum Periodi Iuli-

anæ

anæ 4206. nos ducunt; in quem Olympias LXVIII^a. incurrit: quam in primorum Consulum anno actam fuisse, & Polybij Megalopolitani & Dionysij Halicarnassæi est sententia; licèt illius rationes ab Urbe conditâ CCXLIIII. hujus, CCXLV. numerandum esse hunc annum postulent.

Primus primi hujus anni character Kalendarum Ianuariarum feriam designat hebdomadicam: quam *Lunæ*, id est, *secundam* fuisse significat; *G* literâ Dominicali anni 4206. id ipsum attestante: quod in sequentium etiam annorum initijs animadvertere liceat, si in postremo manifestum liberarij mendum correxeris, & *Lun.* pro *Ven.* substitueris. Character alter ætatem Lunæ in ijsdem Kalendis, juxta Romanum LXXXIIII. annorum Cyclum, indicat: quæ in 36°. (cujusmodi hic fuit) Periodi illius anno XXXIX. dierum fuerit. Similiter in anno Periodi Iulianæ 4918. æræ Christianæ 205. (à quo posterior horum Fastorum pars initium ducit quam, magno Ægidij Bucherij beneficio, jam habemus editam) *Antonio* II. & *Getâ* Coss. *Mar.* id est, dies *Martis* sive feria tertia, & XXII. ætas videlicèt Lunæ in Kalendis Ianuarijs anni 76. hujus Periodi annotata cernitur. Ubi etiam ad annum Christi 214. (à quo Prosper *tertium* suum Cyclum dinumerat) *Sat.* I. atq; illâ LXXXIIII. annorum Periodo demùm evolutâ, ad annum Christi 298. (de quo diximus) iterùm *Sat.* I. apponi, (intermedijs Kalendarum Ianuariarum ferijs & lunationibus ad eandem legem recurrentibus) eâq; ratione principium cujusq; Cycli à die *Saturni*, sive feriâ septimanæ ultimâ, & lunatione *primâ* (exhaustis in præcedente Periodo epactis omnibus) deduci, operæ pretium fuerit animadvertere.

Iam verò Britonum & Pictorum & Hibernorum Cyclus Paschalis, in hoc quidem cum *Romanâ supputatione* congruebat, quòd LXXXIIII. is esset annorum: in hoc verò discrepabat, quòd non à XVI. Lunâ ad XXII. sed à XIIII. ad XX. Paschales Dominicas numeraret. Sic enim

de *Britonibus* Beda: [a] *Non enim Paschæ diem Dominicum suo tempore, sed à decima quartâ usq; ad vicesimam Lunam observabant. Quæ computatio octoginta quatuor annorum circulo continetur.* & de *Pictis*, Alexandrinam Enneadecaëterida (quæ à XV. Lunâ ad XXI. Dominicas Paschales celebrandas indicabat) posteà recipientibus. [a] *Statim jussu publico mittebantur ad transcribendum, discendum, observandum per universas Pictorum provincias circuli Paschæ decennovenales; obliteratis per omnia erroneis octoginta & quatuor annorum circulis.* Contra *Hibernos* quoq; Anatolij auctoritate (ut ex eodem [b] Bedâ liquet) numerationem suam à XIIII. ad XX. Lunam defendentes, ejusdem testimonium urget [c] Cummianus; *ad veram Paschæ rationem nunquam pervenire eos, qui Cyclum* LXXXIIII. *annorum observant.* Cujus quidem Cycli *auctorem, locum, tempus incertum haberi* idem addit: diversumq; ab eo fuisse, *quem sanctus Patricius Papa noster tulit & fecit; in quo Luna à* XIIII. *usq; in* XXII. *regulariter, & Æquinoctium à* XII. *Kalend. April. observatur.*

[a] Bed. hist. lib. 2. cap. 2. init.

[a] Id. lib. 5. cap. 22. fin.

[b] Id lib. 3. cap 25.

[c] Epistol. Hibernicar. Syllog. num. 14. pag. 32.

Verum catalogi Sanctorum nostrorum, quem explicandum suscepimus, concinnator ut *secundi* ita etiam & *primi* ordinis Sanctos qui Ducem secuti sunt Patricium, *unum Paschæ* celebravisse significat; à XIIII. scilicèt Lunâ post Æquinoctium vernale dinumeratum. Unum autem illud Pascha à *secundo* ordine observatum, idem ipsum cum eo fuisse quod Britonibus fuerat in usu, illustre S. Columbæ nostri apud [d] Bedam exemplum docet: ut alium Cyclum ab hoc diversum vel à Patricio excogitatum vel hucinvectum fuisse, nullo modo fiat verisimile. Britonum verò illum Canonem Paschalem à *Sulpitio Severo* acceptum fuisse, *qui* LXXXIIII. *annorum cursum descripsit*, ex Aldhelmi ad Geruntium Britannicum regem Epistolâ jam [e] antè notavimus. Unde Cycli illius & *auctorem* habemus Severum (Patricij nostri sub S. Martini magisterio conditcipulum) & *locum*, Galliam; *tempus* quoq; annum circiter CCCCX. quo * Urbs ab

[d] Bed. lib. 3. cap. 25.

[e] Supr. cap. 11. pag. 321.

* Vid. supr. init. cap. 9. pag. 216. 217.

Alarico

Alarico capta est. Nam & eo tempore Sulpitius Severus claruit, & ille à [f] Bucherio nuper editus *Paschalis centum annorum Laterculus* primùm est conscriptus: in quo, licèt à librarijs pessimè accepto, hujus Paschalis LXXXIIII. annorum Cycli (veteri Latinorum illi multùm disparis) non obscurà mihi visus sum deprehendisse vestigia.

[f] Ægid. Bucher. in Victorij Canon. Paschal. Commentar. ca. 14. pag. 258. & 259.

Paschalis controversiæ in Synodo *Pharensi* (in Eboracensium * Septentrionalium litore locus ille situs est; olim *Strenæschalch* id est, ut Beda interpretatur, *Sinus phari*, hodie *Whitby* vel *White-baye*, hoc est *Albus sinus*, nominatus) anno DCLXIIII. agitatæ statum à Stephano Æddio presbytero, in Vitâ Wilfridi, ita legimus propositum. *Utrum more Bryttonum & Scottorum omnisq́; Aquilonalis partis* (Britanniæ) *à* XIIII. *Lunâ, Dominicâ die veniente, usq́; ad* XXII. *Pascha agendum; an melius sit, ratione Sedis Apostolicæ, à* XV. *Lunâ usq́;* XXI. *Paschalem Dominicam celebrandam?* ubi in priore membro pro XXII. reponi debere XX. & res ipsa loquitur, & Wilfridi verba in hâc Synodo contra Colmanum Scotum prolata (uti à [g] Bedâ, cum eodem Stephano ætate conjuncto, literis habentur prodita) extra omnem ponunt controversiam. *Petrus à quinta decimâ Lunâ usq́; ad vicesimam primam diem Pascha Dominicum celebrabat: quod vos non facitis, qui à decimaquartâ usq́; ad vicesimam Lunam diem Dominicum Paschæ observatis, ita ut tertiadecimâ Lunâ ad vesperam sæpiùs Pascha incipiatis; cujus neq́; Lex ullam fecit mentionem, neq́; auctor ac dator Euangelij Dominus in eâ, sed in quartadecimâ Lunâ vel vetus Pascha manducavit ad vesperam, vel novi Testamenti sacramenta in commemorationem suæ passionis Ecclesiæ celebranda tradidit: itemq́; Lunam vicesimam primam, quam Lex maximè celebrandam commendavit, à celebratione vestri Paschæ funditùs eliminatis.*

* Northriding. Streoneshalch, quod Hwiteby appellatur: inquit Turgotus in Dunelmensi chronico.

[g] Bed. histor. lib. 3 cap. 25. Vid. eund. lib. 2. ca. 2. & 4. item lib. 3. cap. 3. 17. & 28. ubi in Bedâ quoq; pro XXI. ex MSS. Luna XX. est reponenda.

De traditione à Petro repetitâ similiter etiàm (apud eundem [h] Bedam) [illegible]

[h] Ibid. lib. 5. [illegible]

posteà Ceolfridus. *Decrevit Apostolica traditio, quæ per Marcum Evangelistam & interpretem ipsius Alexandriæ confirmata est, ut adveniente primo mense, adveniente in eo vesperâ diei quartædecimæ, expectetur etiam dies Dominica à quintadecimâ usq; ad vicesimam primam diem ejusdem mensis. In quacumq; enim harum inventa fuerit, meritò in eâ Pascha celebrabitur: quia nimirùm hæc ad numerum pertinet illarum septem dierum, quibus azyma celebrari jubetur.* A quo discrepantem calculum, ex alterâ quidem parte Britonum, Pictorum & Scotorum, qui à XIIII. Lunâ ad XX. ex alterâ verò Gallorum qui Victorii Canonem secuti à XVI. ad XXII. Dominicas suas Paschales deducebant, ita deinde rejicit.

Cujus observantiæ catholicâ ratione patefactâ, patet è contrario error irrationabilis eorum, qui præfixes in lege terminos nullâ cogente necessitate vel anticipare vel transcendere præsumunt. Namq; sine ratione necessitatis alicujus anticipant illi tempus in lege præscriptum, qui Dominicum Paschæ diem à quartadecimâ mensis primi usque ad vicesimam putant Lunam esse servandum. Cùm enim à vesperâ diei tertiædecimæ vigilias sanctæ noctis celebrare incipiunt; claret quòd illum in exordio sui Paschæ diem statuunt, cujus nullam omninò mentionem in decreto legis inveniunt. Et cùm vicesimâ primâ die mensis Pascha dominicum celebrare refugiunt; patet profectò quòd illam per omnia diem à suæ solennitate secernunt, quam lex major præ cæteris festivitate memorabilem sepenumerò commendat. Sicq; diem Paschæ ordine perverso, & aliquando in secundâ hebdomadâ totam compleant, & nunquàm in hebdomada tertiæ die septimo ponant.

Rursumq; qui à sextadecimâ diæ mensis sæpè dicti usq; ad vicesimam secundam Paschæ celebrandum magis autumant, non minore utiquè errore (quamvis altero latere) à recto veritatis tramite divertunt, & veluti naufragia Scylla fugientes in Charybdis voraginem submergendi decidunt. Nam cùm à Lunâ decimasextâ primi mensis oriente, id est, à vesperâ diei quintædecimæ Paschæ incipiendum doceant; nimirùm con-

stat

stat quòd quartamdecimam diem mensis ejusdem, quam Lex primitùs & præcipuè commendat, à suâ prorsùs solennitate secludunt: sta ut quintadecima, in quâ populus Dei ab Ægyptiacâ servitute redemptus est, & in quâ Dominus suo mundum sanguine à peccatorum tenebris liberavit, in quâ etiam sepultus, spem nobis post mortem beatæ quietis tribuit, vix vesperam tangant. Idemq; pœnam erroris sui in semetipsis recipientes, cùm in vicesimâ secundâ die mensis Paschæ diem statuunt dominicum, legitimos utiquè terminos Paschæ apertâ transgressione violant: utpote qui ab illius diei vesperâ Paschæ incipiunt, in quâ hoc Lex consummari & perfici debere decrevit; illam in Paschæ diem assignent primam, cujus in Lege mentio nulla usquàm reperitur, id est, quartæ primam septimanæ.

Nempe & hîc boni hi viri, quod Romæ suo tempore videbant observatum, ad Apostolicam traditionem & Petri institutionem referendum fuisse non dubitabant: quum Alexandrinorum illum Paschalem calculum (non modò post Marci, sed etiam post Dionysii Alexandrini episcopi tempora, in ipsam Alexandrinam Ecclesiam introductum) *sexto* demùm post Christum seculo primùm à Romanis receptum fuisse constet. Eorum enim majores à XVI. Lunâ ad XXII. Paschæ suum celebrâsse, id est, ut Ceolfridus rei ignarus judicat, *in Charybdin voraginem submergendos decidisse*, jam ostendimus: quippe qui ante Lunam XIIII. non modò cum Alexandrinis πάσχα ἀνασάσιμον, sive diem Dominicæ Resurrectionis, sed ne σαυρώσιμον quidem πάσχα, sive salutiferæ Passionis diem (in quo præcipuam Plenilunii rationem habendam fuisse existimabant) celebrandum putarent; de sequentibus azymorum diebus in Mosaicâ lege præscriptis, ut ad homines Christianos nihil omninò attinentibus, ne cogitandum quidem fuisse rati. Quum autem Sulpitius Severus *bidui* illam inter Cycli Alexandrini & Romani neomenias observavisset discrepantiam; vidisseque Romanis *decimamsextam* Lunam numeratam

quæ Alexandrinis, cœlo etiam demonstrante (uti ex Cyrillo retulimus) erat tantùm *decimaquarta:* hunc Romani calculi errorem ita emendandum censuit; ut non jam ampliùs a XVI. ad XXII. sed à XIIII. Lunâ ad XX. ex antiquo illo annorum 84. laterculo Dominicæ Paschales excerperentur. quod etiam à Britonibus, Pictis & Hibernis (ejusdemmodi noviluniorum anticipationem in Cyclis subsequentibus subinde crescentem minùs advertentibus) deinceps observatum fuisse invenimus.

Seculo deinde post Christum *septimo* (quo tertius Sanctorum nostrorum Ordo floruit) Honorius I. Romanus Pontifex, de Paschalis observationis ritu quàm de fidei ratione à Monothelitis violatâ magis solicitus; dum *flammam hæretici dogmatis non, ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit sed negligendo confovit* (ut de eo [i] in Epistolâ ad Episcopos Hispaniæ conqueritur Leo II. successor ipsius:) ad Scotos sive Hibernos nostros missis literis eos exhortatus est, [k] *ne paucitatem suam in extremis terræ finibus constitutam sapientiorem antiquis sive modernis quæ per orbem erant Christi Ecclesiis æstimarent; néve contra Paschales computos & decreta synodalium totius orbis Pontificum aliud Pascha celebrarent.* quæ quidem monita irrita non fuisse, partim ex [l] *Bedâ* colligo, qui *gentes Scotorum, quæ in australibus Hiberniæ insulæ partibus morabantur, ad admonitionem Apostolicæ sedis antistitis Pascha canonico ritu observare didicisse* narrat; partim ex *Cummiano*, qui eo ipso tempore vixit, & in epistolâ ad *Segienum* sive *Segenium* [m] Hyensis cœnobij abbatem de Alexandrinorum magno XXVIII. Enneadecaëteridum sive DXXXII. annorum Cyclo (quo expleto, ut inquit [n] Geolfridus, *omnia quæ ad Solis & Lunæ, mensis & septimanæ consequentiam spectant, eodem quo priùs ordine recurrunt*) in Hiberniâ primùm admisso ita scripsit. [o] *Ego primo anno, quo Cyclus* DXXXII. [illegible]

[i] Tom. 2. Decretal. epistolar. edit Romæ ann. 1591. pag. 654.
[k] Bed. histor. lib. 2. ca. 19.
[l] Bed. lib. 3. hist. ca. 3. & 26.
[m] Ibid. pa. 702.
[n] ap. Bed. lib. 5. hist. cap. 22. Vid. lib. 2. de mirabilib. S. Scripturæ, cap. 4. tomo 3. Oper. Augustin.
[o] Epistol. Hibernicar. Syllog. num. [illegible]

nec laudare, nec vituperare ausus. *Anno* deinde *emenso, successores nostrorum patrum priorum, Ailbei Episcopi, Querani Colonienſis, Brendini, Neſſani, Lugidi* ſe conſuluiſſe; eoſq; *in campo Leue* congregatos, *ut Paſcha cum universali Eccleſiâ in futuro anno celebrarent*, edixiſſe ait.

Ut autem Sancti omnes hîc nominati, primo excepto, *ſecundi* fuerunt ordinis, ita eorum ſucceſſores, qui in Lenienſi iſtâ Synodo convenerunt, fuerunt *tertii*; & quidem ex *auſtralibus Hiberniæ partibus* (quod cum Bedæ narratione convenit) omnes congregati. Qui enim *Colonienſis* hîc ſcriptus eſt, *Cloneuſis* dici debuerat. Ea enim *Querani* ſive *Kerani* (idem enim nomen eſt: uti *Cyreny* in [p] Evangelio & *Quirini* in [q] Romanâ hiſtoriâ, *Kiliani* noſtri in * novâ & *Quilliani* in vetere Sigeberti Chronici editione) quem à noſtris *filium artificii* cognominatum fuiſſe [r] notavimus, ſedes fuit; vulgò *Cluan-mic-nois* vel *Clon-mac-noſh*, in [s] vetere Provinciali Romano *Dunckeranenſis* (quæ vox *Collem Kerani* denotat) appellata: in quâ, hoc ipſum Paſchale diſſidium S. Columbam longè antè prædixiſſe, docet in ejus Vitâ [t] Adamnanus. Cùm enim illum *in Cl nenſi S. Cerani cœnobio* ſubſiſtentem de puero quodam qui aderat prophetaviſſe dixiſſet; ſubjicit. *Hic erat Ereneus, poſteà per omnes Scotiæ Eccleſias famoſus & valdè notiſſimus. Qui hæc omnia ſuprascripta verba Segeneo Abbati* (ad quem Cummiani ſcripta eſt Epiſtola) *de ſe prophetata enarraverat; meo deceſſore* [u] *Failbeo intentiùs audiente, qui & ipſe cum Segeneo præſens inerat: cujus relatione, & ego ipſe cognovi hæc eadem quæ narravi. Sed & multa alia iiſdem diebus, quibus in Cloneuſi cœnobio Sanctus hoſpitabatur, revelante Spiritu ſancto prophetavit: hoc eſt, de illâ quæ poſt dies multos ob diverſitatem Paſchalis feſti orta eſt*

[p] Luc. 2. 2.
[q] Sueton. in Tiber. cap. 49. Tacit. Annal. lib. 3.
* Sigebert. ann. 694.
Kiliani Wirtzburgenſis Epiſcopi diſcipulus Arnual in Gallià, Adamanus Abbas, Aidhelmus & Wilfrid Epiſcopi, clarent in Angliâ. Unde Dempſterus non ſolùm *Arnvalum*, ſed etiam *Adamanum* & *Adelmum*, ineptè Kiliani facit diſcipulos. (Hiſtor. Eccleſiaſtic. Scotor. lib. 1. num 3. 6. & 19)
[r] Suprà, p 909.
[s] Notitiæ Epiſcopatuum ab Aub. Miræo edit. Antuerp. an. 1613. l. b. 1. pag. 80. Nam quod idem lib 4. pag. 219. *Cluanenſem* & *Dunckeranenſem* Epiſcopatum d ſtinguit, & priorem *Kilcom* poſtenorem *Dondalek* interpretatur; homini rerum noſtrarum ignaro venia concedenda eſt.
[t] Adamnan. Vit. Columb. lib. 1. cap. 3.
[u] Vid. ſupr. cap. 15. pa. 702.

inter

inter Scotiæ Ecclesias discordiâ, & de quibusdam Angelicis frequentationibus sibi manifestatis. Hæc Adamnanus.

Locus in quo habita est jam dicta Synodus, *Campus Lenia* sive *Legh-leniæ* fuit, aliis *Campus albus* dictus; ad ripam fluvij, quem Ptolemæus *Birgum* nos *Barrow* vocamus, non procul à monte *Margeo* positus. Præses Imelacensis fuit archiepiscopus, S. *Albei* successor: primarij antagonistæ, Molaissi qui & Lasreanus Kiarelli filius, *Legh-lenienſis* cœnobij Abbas; & Munnu monasterij item à se *Teach-munnu* nomen sortiti Abbas, *in australi plagâ Laginensium quæ dicitur Chenselach.* in cujus Vitâ, quæ ad hanc spectant Synodum, ista memoriæ prodita invenimus. *Quodam tempore erat magnum Concilium populorum Hiberniæ in Campo albo: inter quos erat contentio circa ordinem Paschæ. Lasreanus enim abbas monasterij Leighlenne, cui suberant mille quingenti monachi, novum ordinem defendebat, qui nuper de Româ venit: alij verò veterem defendebant. Sanctus autem Munnu ad hoc Concilium statim non pervenit; & omnes expectabant eum: ipse jam veterem defendebat ordinem.*

Tunc Subne filius Donnaill dux regionis Huamairche dixit: Quare tam longo tempore illum expectatis leprosum? Cui abbas Lasreanus ait. O Dux, ne dicas tale verbum de sancto Munnu; quia quamvis absens corpore, est spiritu tamen præsens: & certè quod tu dicis hic ubi ipse sit jam audit; & vindicabit in te Deus injuriam famuli sui. Illo jam die ante vesperam S. Munnu venit ad Concilium: & convenerunt Sancti in obviam ejus. Cumq; S. Lasreanus & S. Munnu salutâssent se invicem; affuit etiam prædictus Dux Subne, postulans benedictionem à sancto Munnu. Cui vir Dei ait: Cur postulas benedictionem ab homine leproso? Verè tibi dico quia, quando de me malè locutus es, Christus in dexterâ Patris sui erubuit: jam verum Christi membrum sum, & ipse caput meum est; & quicquid nocet membro, inde dolet caput. Ideò, antequàm mensis iste compleatur, occident te consanguinei tui & decollabunt te; & caput tuum projicietur

[x] *Vid. cap. 14. pag. 572.*

[y] *Vid. cap. 17. pag. 867.*

*projiciatur in flumen Berew, & * intrà non apparebit: & sic * ubrà,*
completum est. Nam in ipso mense filius fratris sui juxta
rivulum Blathach occidit illum: & caput ejus projectum
est in flumen, juxta vaticinium viri Dei.

Postea S. Munnu Lasreano abbati coram omnibus popu-
lis dixit: Nunc tempus est ut hoc Concilium finiatur, ut
unusquisq; ad suum locum recedat. Contendentes de ordine
Paschæ, dixit S. Munnu, breviter disputemus: sed in no-
mine Domini agamus judicium. Tres optiones dantur tibi,
Lasreane. Duo libri in ignem mittentur, liber Veteris ordi-
nis & Novi; ut videamus quis eorum de igne liberabitur.
Vel duo monachi, unus meus alter tuus, in unam domum re-
cludantur, & domus comburatur: & videbimus, quis ex eis
evadat intactus igne. Aut eamus ad sepulcrum mortui jus-
ti monachi, & resuscitemus eum; & indicet nobis, quo or-
dine debemus hoc anno Pascha celebrare. Cui S. Lasreanus
ait. Non ibimus in judicium tecum: quoniam scimus quòd,
pro magnitudine laboris tui & sanctitatis, si diceres ut mons
Marge commutaretur in locum Campi albi, & Campus al-
bus in locum montis Marge; hoc propter te Deus statim fa-
ceret. Erant enim illi tunc in Campo albo, cui imminet mons
Marge. Postea consentientes populi cum Sanctis, ad sua re-
versi sunt.

Annus ille æræ Christianæ DCXXX. fuisse videtur; quo Hiberni Cyclum LXXXIIII. annorum secuti Paschalem Dominicam Kalendis Aprilibus, integrâ ante tempus in Alexandrinâ Enneadecaëteride (à Romanis jam receptâ) præstitutum septimanâ, observabant: quum anno proximè insequente totarum quatuor hebdomadum inter utrumque calculum intercederet differentia; illis XXI. Aprilis, Romanis verò XXIIII. Martij die Pascha suum celebrantibus. quò illam Cummiani narrationem spectare minimè dubitamus. *Misi-*
mus, quos novimus sapientes & humiles esse, velut natos ad
matrem: & prosperum iter in voluntate Dei habentes, &
ad Romanam urbem aliqui ex eis venientes, tertio anno ad

nos usque pervenerunt. & sic omnia viderunt, sicut audierunt: sed & valdè certiora, utpote visa quàm audita, invenerunt. Et in uno hospitio cum Græco & Hebræo, Scythâ & Ægyptiaco, in Ecclesiâ S. Petri simul in Paschа (in quo mense integro disjuncti fuimus) fuerunt: & ante sanctа sic testati sunt nobis, dicentes; Per totum orbem terrarum hoc Paschа, ut scimus, celebratur. eodemq; referri posse existimamus, quod in Lasreani Vitâ legimus: ipsum, extremis vitæ suæ temporibus *cum sanctis quinquaginta viris*, Romam concessisse; Romanumq; Pontificem & *eum Præsulem consecravisse, & revertenti* * *Legationis in Hiberniâ officium commisisse.* Anno autem DCXXXIX. Molissam sive Lasreanum hunc vivere desijsse, ex Annalibus nostris intelligimus.

* Vid. supr. pag. 870.

Audiamus jam Bedam, de hâc inter nostros agitatâ controversiâ in Chronico suo ista breviter annotantem: *Eo tempore exortum apud Scotos in observatione Paschæ errorem Quartadecimanorum Honorius Papa per Epistolam redarguit. Sed & Iohannes, qui successori ejus Severino successit, cùm adhuc esset electus in Pontificatum, pro eodem Paschа eis simul & pro Pelagianâ hæresi, quæ apud eos revivisceba, scripsit.* Ex quo obiter corrigendus venit, tùm Marianus Scotus; apud quem error *quatuordecim annorum*, pro *Quartadecimanorum* magno errore legitur: tùm Hermannus Contractus, vel Sangallensis potiùs monachus qui vulgatum ipsius Chronicon interpolavit, in quo ad annum DCXXX. *hæresis de Paschа & Pelagiana Britanniam turbaviss* dicitur; pro *Scotiâ* vel Hiberniâ nostrâ perperàm positâ *Britanniâ*. Mortuus autem est Severinus IIIIo. Nonas Augusti, anno (non, ut significavit Baronius, DCXXXIX. sed) DCXL. & ante anni illius exitum à *Iohanne* nuper electo Pontifice, & reliquis Cleri Romani viris primariis, ad *Tomianum* (Armachanum eo tempore archiepiscopum) *Segenum* (quem Hyensem illum Abbatem fuisse sentimus, cui Cummiani de Paschali hâc quæstione dicatus est Commentariolus) & alios

alios Hiberniæ Doctores missæ sunt literæ: quibus ita eos sunt affati. *Reperimus quosdam provinciæ vestræ, contra orthodoxam fidem, novam ex veteri hæresim renovare conantes; Pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, nebulosâ caligine refutantes, & quartadecimâ Lunâ cum Hebræis celebrare nitentes.* Contra quos pluribus deinde astruebant, *Dominicum Paschæ diem à quintadecimâ Lunâ usq; ad vicesimam primam Lunam (quod in Nicenâ Synodo probatum est) oportere inquiri.* Refert hæc Beda, Ecclesiasticæ suæ Historiæ libro II. cap. XIX. ex prioribus illis Epistolæ verbis colligens, *& nuperrimè temporibus illis hanc apud eos hæresim exortam; & non totam eorum gentem, sed quosdam in eis hâc fuisse implicitos.*

Et verum quidem est, non universos Scotos, sed Boreales tantùm, eo tempore Paschalem Romanorum calculum admittere noluisse: qui enim in Australibus Hiberniæ partibus morabantur, ad Honorij Papæ admonitionem (ut * dictum est) jam illum receperant. Sed illud quoq; considerandum fuerat, non minùs recentem apud ipsos Romanos fuisse consuetudinem à XV. Lunâ ad XXI. Pascha celebrandi, quàm apud Scotos, à XIIII. ad XX. A XVI. enim Lunâ, ut ostendimus, usq; ad XXII. Romani Pascha suum anteà observabant: Nicænæ Synodi limites (si quidem ejusmodi aliqui ab eâ præscripti fuerint) non minùs in eo prætergressi, quàm eos posteà antegressi sunt Scoti. Quin & minorem multo cum Hebræis syncretismum foviisse Scotos, quum in XIIII. fortè primi Lunaris mensis diem eorum Pascha incidisset, quàm Romanos XV. ejusdem mensis die suum Pascha celebrantes, æqui rerum æstimatores judicabunt. Die enim XV. Festum agebatur Azymorum, summa Iudæorum festivitas: quum XIIII. diei postremum tantùm trihorium sacrum haberetur. Et epulantibus quidem Iudæis, Scoti Pascha σωρέσιμον jejunantes observabant: Romani verò die XV. Pascha ἀνασάσιμον

* Sup. pag. 914.

non minore cum lætitiâ quàm Iudæi Festum suum Azymorum transigebant.

[a] Vid. Hieronym. suprà, cap. 8. pag. 209.

Et tamen Scotorum ritum hunc non modò *hæresim*, sed etiam [a] *novam ex veteri hæresim*, Romanis appellare libuit: non *novam* quidem simpliciter, (ut Bedæ visum) sed respectu ad veteres *Quartadecimanos* habito; quorum sententiam à Scotis renovatam fuisse, falsis quorundam rumoribus decepti, suspicabantur. Colmanus quidem Scotus, in [b] Pharensi Colloquio anno DCLXIIII. habito, celebrandi Paschatis rationem quam à B. Columbâ & majoribus suis acceperat eandem ipsam fuisse putabat quam, Iohannis Apostoli exemplum secuti, Asiani olim observaverant. *Pascha*, inquit, *hoc quod agere soleo à majoribus meis accepi, qui me huc Episcopum miserunt; quod omnes patres nostri, viri Deo dilecti, eodem modo celebâsse noscuntur. Quod ne cui contemnendum & reprobandum esse videatur; ipsum est quod beatus Iohannes Euangelista, discipulus specialiter Domino dilectus, cum omnibus quibus præerat Ecclesiis celebrâsse legitur.* quomodo etiam de *Quartadecimanis* scripserat olim [c] Socrates. Τεσσαρεσκαιδεκατῖται φασὶν ὑπὸ Ἰωάννου τοῦ ἀποστόλου τὴν παράδοσιν τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης παραδεδόσθαι αὐτοῖς. *Quartadecimani sibi dicunt à Iohanne Apostolo traditam esse Lunæ decimaquartæ observationem.* Verùm quam longè opinione Colmanus noster falleretur, Wilfridus demonstravit; contra regerendo. *Iohannes, ad legis Mosaicæ decreta tempus Paschale custodiens, nil de primâ sabbati curabat: quod vos non facitis, qui non nisi primâ sabbati Pascha celebratis.* Ipseq; posteà Beda, re meliùs pensitatâ, eorum opinionem ut falsam redarguit, qui Scotorum & Quartadecimanorum sententiam eandem fuisse senserunt.

[b] Beda lib. 3. Histor. cap. 25.

[c] Socrat. histor. Ecclesiastic lib. 5. cap. 22.

[b] Bed. lib. 3. cap. 4.

Paschæ enim diem *non semper*, inquit [b] ille, *in Lunâ quartadecimâ cum Iudæis, ut quidam rebantur, sed in die quidem Dominicâ, alibi tamen quàm decebat hebdomadâ, cele-*

celebrabant. Sciebant enim, ut Christiani, resurrectionem Dominicam, quæ primâ Sabbati facta est, primâ Sabbati semper esse celebrandam: sed, ut barbari & rustici, quando eadem prima Sabbati (quæ nunc Dominica dies cognominatur) veniret, minimè didicerant. & [c] alibi, de Aidano nostro verba faciens: *In celebratione sui Paschæ non aliud corde tenebat, venerabatur & prædicabat, quàm quod nos; id est, redemptionem generis humani per passionem, resurrectionem, ascensionem in cœlos mediatoris Dei & hominum, hominis Iesu Christi. Unde & hanc non, ut quidam falsò opinantur, quartadecimâ Lunâ in qualibet feriâ cum Iudæis, sed die Dominicâ semper agebat à Lunâ quartadecimâ usq; ad vicesimam: propter fidem videlicet Dominicæ resurrectionis, quàm unâ Sabbati factam, propter spem nostræ resurrectionis quam eâdem unâ Sabbati (quæ nunc Dominica dies dicitur) veracitèr futuram cum sanctâ Ecclesiâ credebat.*

[c] Id. ibid. c. 17.

Sed neque illos omnes, qui Lunâ decimaquartâ, in quemcumque hebdomadæ diem illa incidisset, Pascha celebrabant, in eâdem cum *Blasto* hæresi fuisse existimandum est: de quo Tertullianus. [d] *Latenter Iudaismum vult introducere. Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundùm legem Moysis, decimaquartâ mensis. Quis autem nesciat, quoniam Euangelica gratia evacuatur, si ad legem Christum redigit?* Aliud enim est, antiquatas Iudæorum cæremonias ut divino jure adhuc necessariò observandas nobis obtrudere: aliud, more à Christianis suis majoribus recep o, Lunâ decimaquartâ jejunando Dominicæ passionis memoriam recolere. Alioqui enim & Asianis, [e] & Cilicibus, & Syris, & Mesopotamianis omnibus infamis illa hæreticæ pravitatis macula esset inurenda: qui, Victore Romano Episcopo nequicquam reclamante, id ipsum factitabant; nec nisi communis concordiæ causâ, ut ab instituto πατροπαραδότῳ recederent, à Nicænis Patribus persuaderi sibi patiebantur. Unde de Antiochenis suis Iohannes

[d] Tertull. libro de Præscript. cap. 46.

[e] Athanasius libro de Synodis.

Chrysostomus, in oratione adversùs eos habitâ *qui primo* (sive antiquo illo) *Pascha jejunabant.* Καὶ ἡμεῖς οὕτως ἐνηστεύομεν πρότερον, ἀλλ᾽ ὅμως προετιμήσαμεν τὴν συμφωνίαν τῆς τῶν χρόνων παρατηρήσεως. *Et nos priùs sic jejunabamus: sed tamen concordiam observationi temporum prætulimus.* De rei tamen summâ ibidem admonet, Deum quidem [f] *virgines, quòd oleum in lampadibus non haberent, à thalamo sponsi exclusisse; alium,* [g] *quòd nuptialem vestem non habens esset ingressus, sed sordidis vestimentis indutus, fornicatione & impuritate coopertus:* [*] *quòd autem hoc vel illo mense Pascha non fecerit, neminem unquàm punitum fuisse aut in judicium vocatum.* Sed super hâc re nimis.

Primi ordinis Sanctos, qui ducem habebant Patricium, *mulierum administrationem & consortia non respuisse,* tradit [h] Catalogi auctor: *quia super petram Christum fundati, ventum tentationis non timebant.* Ipsum tamen S. Patricium sanxisse refert [i] Iocelinus, *ut à mulieribus viri sequestrarentur, & utriq; sexui ædificia & oratoria distincta construerentur:* ne *nomen Dei per eos inter gentes, quibus illud prædicabant, blasphemaretur; nec infirmis scandali occasio ulla in casu tali, vel detrahendi materia tribueretur.* extatq; adhuc in Patricij, Auxilij & Issernini Synodo Canon ejusmodi. *Monachus & Virgo, unus abhinc & alia ab aliunde, in uno hospitio non commaneant: nec in uno curru à villâ in villam discurrant; nec assiduè invicem confabulationem exerceant.* Neque aliam Senano, [k] qui in Iniscattensi episcopatu Patricio successisse dicitur, mentem fuisse legimus; quum ad illum invisendum sacra virgo Kynrecha accessisset.

[l] *Cui Præsul: Quid feminis*
Commune est cum monachis?
Nec te, nec ullam aliam
Admittemus in Insulam.
Tunc illa ad Episcopum:
Si meum credis spiritum

[f] Matth. 25. 10, 11.
[g] Matth. 22. 12, 13.
[*] Ὅτι δὲ τὸ δεῖνα μηνὶ, καὶ τῷ δεῖνι, οὐκ ἐποίησε τὸ Πάσχα, οὐδεὶς ἐκολάσθη ποτὲ οὐδὲ ἐνεκλήθη. Chrysost. tom. 6. pag. 382. edit. Savil. Vid. Petr. Cluniac. suprà, pag. 925. & P. Halloix Notat. in cap. 11. Vitæ S. Irenæi.
[h] Supr. p. 913.
[i] Iocelin. Vit. Patric. ca. 102.
[k] Supr. pa. 873. 874.
[l] Vit. Senani MS. cap. 18.

Posse

Posse Christum suscipere;
Quid me repellis corpore?
Credo, inquit, hoc optimè:
Sed nulli unquàm fœminæ
Huc ingressum concedimus;
Esto, salvet te Dominus.
Redi iterùm ad seculum,
Ne sis nobis in scandalum:
Etsi es casta pectore,
Sexum habes in corpore.

De Lismorensi civitate, in S. * Carthagi Vitâ, ista scripta invenimus. *Egregia & sancta civitas est Less-mor: cujus dimidium est asylum, in quo nulla mulier audet intrare, sed plenum est cellis & monasteriis sanctis; & multitudo virorum sanctorum semper illic manet. Viri enim religiosi ex omni parte Hiberniæ, & non solùm, sed ex Angliâ & Britanniâ confluunt ad eam, volentes ibi migrare ad Christum. Et est ipsa civitas posita super ripam australem fluminis quondam dicti Nem, modò autem Aban-mor, id est, Amnis magnus, in plagâ regionis Nandesi.* De Clonfertensi etiam Ophaliensium cœnobio, in Vitâ Lugidi sive Moluæ Abbatis, habentur ista. *Constituit S. Molua ut nulla mulier ibi semper intraret: & ab illo die usq; hodie nulla mulier in illud monasterium audet intrare. Magnaq; multitudo monachorum hinc & inde venit ad illum locum: & recipiebat eos benignè pius pater Molua. Et in ipso loco clara civitas quæ vocatur Cluain-ferta-molua, id est, Latibulum mirabile S. Molua (eo quòd ipse in suâ vitâ multa miracula in eâ fecit, & adhuc gratiâ Dei per eum patrantur) in honore S. Molua crevit: & ipsa est in confinio Laginensium & Mumeniensium, inter regiones Osraigi & Hele &* Laiges.* De S. Fechini quoque molendino & Ecclesiâ in Midiâ Occidentali, apud Giraldum Cambrensem leguntur ista. [m] *In Mediâ apud Foveram est molendinum, quod S. Phechinus in latere cujusdam saxi miraculosè nimis manibus suis exculpsit. Hoc, sicut & Ecclesiam Sancti istius, mulieres non intrant. Nec in minori*

* de quo suprà, pag. 910, & 919.

* *Lasiæ*, in Reginæ comitatu. Vid. supr. pag. 818.

[m] Girald. Topograph. Hibern. distinct. 2. cap. 52.

minori reverentiâ molendinum istud ab indigenis, quàm una Ecclesiarum Sancti ejusdem haberi solet. Similiter & S. Fiacrij monasterium atque sacellum, in Meldensi territorio positum, nullam fœminam ingredi, Actorum ipsius scriptores confirmant. De quo [a] Eremitæ cujusdam extat hoc distichon:

[a] Rob. Gaguin. de gest. Francor. lib. 3.

Fœmina quæ lasit blasphemo murmure Sanctum,
Fecit quòd Sancti non intrat fœmina templum.

Et [b] *Sequentia* de S. Fiacrio ita cantitans:

[b] Offic. S. Fiacrij, pag. 108. edit. Paris. ann. 1620.

Orat ne loci intret limina
Immunis ulla fœmina.
Hæc est causa cur fœmina
Arcentur ejus limine.

Est autem hic ipse Fiacrius, quem Eugenij III. Scotorum Albanensium regis filium facit [p] Hector Boëthius: quum tamen Hiberniam patriam illum habuisse ex Vitâ ejus constet, tùm eâ quam ex Trajectensi codice [q] Iacobus Mosander curavit evulgandam, tùm eâ quæ Breviario Burdegalensi habetur inserta, nec non & illâ quam Iohannes Tinmuthensis in Sanctilogio suo edidit. in quo, Pharoni Meldorum Episcopo (cujus & [r] Beda meminit) de patriâ ipsum percontanti respondisse memoratur. *Hibernia, Scotorum insula, mihi meisq; genitoribus originem dedit.* Quò facit & illud, in Sequentiæ jam citatæ exordio:

[p] Suprà, ca. 15. pag. 711.

[q] Tom. 7. Sur. Augusti 30.

[r] Bed. histor. lib. 4 cap. 1.

Lucerna nova speculâ
Illustratur Hibernia:
Coruscat Meldis insula
Tantæ lucis præsentiâ.
Illa misit Fiacrium,
Hæc missum habet radium:
Habent commune gaudium;
Hæc patrem, illa filium.
Ad vitam solitariam
Suspirans, exit patriam:
Faronem Meldis reperit,
Cui suum votum aperit.

Qui

Qui Cuthberti nostri Acta, *de Historiis Hibernensium excepta*, circa annum MCLX. edidit, scribit illum [s] *ad devitanda mala suspicionis opprobria semper suis fœminarum interdixisse contubernia vel frequentata consortia:* [t] indeq; *provenisse, quòd suam Ecclesiam fœminas intrare non permiserit. quod hactenùs*, inquit, *in patriâ Pictorum arctiùs observatur, ubicunq; ipsius honori Ecclesia dedicatur.* Atq; hujus instituti duas auctor iste causas commemorat: illâ tamen prætermissâ, quam ante eum Turgotus assignavit unicam; sic in Dunelmensium Episcoporum historiâ rem totam referens. *Ante paucos sanè sui Episcopatus annos monasterium in Coldingham per culpam incuriæ flammis absumptum est: quod tamen à malitiâ inhabitantium in eo contigisse, omnes qui novêre facilimè potuerunt advertere. Erant siquidem in eodem loco, diversis tamen separatæ mansionibus, monachorum sanctimonialiumq; congregationes: qui paulatim à regularis disciplinæ statu defluentes, inhonestâ invicem familiaritate decipiendi occasionem inimico præbuerant.* Recitatis deinde ex [u] Bedâ cœnobii illius sordibus, & incendio posteà subsecuto, Turgotus subjicit.

Nec multo pòst vir Domini Cuthbertus * *Episcopali sublimatus cathedrâ, ne sui vel præsentes vel futuri quandoq; tali exemplo Dei super se iram provocarent, omne ab eis fœminarum separavit consortium: ne indiscreta illarum societas servis Dei aliquod sui propositi periculum, & ex eorum ruinâ inimico generaret gaudium. Omnibus ergo & viris & fœminis consentientibus, omne suis & in præsenti & pòst futuris temporibus muliebre interdixit consortium; earumq; ab Ecclesiæ suæ ingressu penitùs amovit introitum. Unde in insulâ sedis Episcopalis ejus factâ Ecclesiâ quæ linguâ indigenarum* Grene-cyric, *id est, Viridis Ecclesia appellatur (eo quòd in campi virentis planitie sita sit) jussit ut illò Missas & verbum Dei audituræ mulieres convenirent; nec propiùs Ecclesiæ, in quâ ipse cum monachis conversabatur, unquàm accederent. Quæ consuetudo usq; hodie diligenter*

[s] Vit Cuthberti MS lib. 2. ca. 6.

[t] Ibid. cap. 4.

[u] Bed. histor. lib. 4. cap. 25.

* anno DCLXXXV.

genter observatur: in tantum, ut nisi metus hostilis vel concrematio loci compellat, nec in cœmiteria quidem ipsarum Ecclesiarum ubi ad tempus corpus ejus requieverat mulieribus introire liceat. Hæc Turgotus Prior Dunelmensis.

Explicatis jam illis, in quibus tres Sanctorum Hiberniæ ordines vel consensisse dicuntur vel discordâsse: ad tempora eorum venio; quæ per Hibernicorum Monarcharum successiones habentur descripta. Et in recentiore quidem hujus Catalogi exemplari primus Ordo *à tempore Leodegarij filij Neyl qui regnavit* XXXVII. *annis, & Aylelli cognomento Molt qui* XXX. *annis regnavit, & Lugdech qui* VII. *annis regnavit; usq; ad tempora extrema Tuathall Meyl Garb duravisse* dicitur. Secundus *ab extremis Tuathall Mayl Gairb temporibus, per* XXX. *annos quibus Dermitius Mac Kairvaill regnavit, & pro tempore quo duo nepotes Murcadayth qui* VII. *annis regnaverunt, & pro tempore quo Æd Mac Aynmerech qui* XXX. *annis regnavit.* Tertius, *pro tempore Æda Allain qui* III. *annis tantùm regnavit, & pro tempore Domphalli qui* XXX. *annis regnavit, & per tempora filiorum Maylcoba & pro tempore Æda Slain.* vel potiùs, *filiorum Mailcobi & Æda Slaine:* uti superiùs locus hic à nobis est correctus. Ubi observandum, in meliore & antiquiore Catalogi hujus codice istorum Regum nulli, uno *Ædâ Allain* excepto, annorum quibus dominati sunt numerum esse assignatum: neque cum qui hîc est appositus cum accuratiore nostrorum scriptorum Chronographiâ satis congruere. Quod ut planiùs percipiatur, & trium horum Ordinum tempora rectiùs distinguantur; veriorem Regiæ hujus successionis descriptionem, ex Ultonienſibus nostris Annalibus, visum est hîc subjicere.

Anno

Anno Christi	I.	
CCCCXXXIII.	I. [x] *Laogarius* filius *Neyll*; regnavit post adventum S. Patricij annis 30.	[x] de quo suprà, pag. 849. 850.
CCCCLXIII.	II. [*] *Aslell Molt*, filius *Nathi*; ann. 20.	[*] *Oillill Molt rex Hiberniæ in bello magno in regione Midi occisus est.* Lib. 3. Vit S. Patricij, MS.
CCCCLXXXIII.	III. *Lugaidus* vel *Lugdach*, *Læogarij* filius; ann. 25.	
DVIII.	Interregnum, ann. 5.	
DXIII.	IIII. [y] *Muircheartach*, *Ercæ* filius; ann. 21.	[y] Supr. pa. 884.
DXXXIIII.	V. § *Tuathal Mal-garb*; ann. 10.	§ *Tuatali* regis, & successoris ipsius, meminit Iohannes Tinmuthensis in *Vitâ* S. Finani.
	II.	
DXLIIII.	VI. [z] *Dermitius* I. *Cervailli* filius; ann. 21.	[z] Supr. pag. 694. & 902.
DLXV.	VII. *Fergusius* & *Donaldus* I. *Muircheartachi* filij, *Ercæ* nepotes; ann. 1.	[a] Supr. pag. 905, 906.
DLXVI.	VIII. [a] *Ainmireus*, filius *Setnai*; ann. 3.	§ *Brandubh* occidis regem Hiberniæ *Edum filium Ainmireach*, & maximam cædem nobilium virorum totius Hiberniæ cum eo fecit. *Vit.* S. Edani sive Moedhog.
DLXIX.	IX. *Boethanus* & *Eochanus*; ann. 3.	
DLXXII.	X. § *Æda* I. sive *Hugo*, *Ainmirei* filius; ann. 26.	
	III.	
DXCVIII.	XI. [*] *Æda* II. sive *Hugo Slane*, & *Colmanus*, filij *Dermitij* I. ann. 6.	[*] *Ædh Slane*, *rex magnus Temoriæ*. Vit. S. Edi episc.
DCIIII.	XII. *Æda* III. qui & *Hugo Vairidnach* sive *Allain*, filius *Donaldi*; ann. 8.	§ *Domnaill nepos Amureg*, Adamnano, in *Vit.* Columb. lib. 3. ca. 5. *Vid.* suprà, pag. 712.
DCXII.	XIII. *Malcobus*, *Ædæ* III. filius; ann. 3.	
DCXV.	XIIII. *Suibneus*, *Mendi* filius; ann. 13.	
DCXXVIII.	XV. § *Donaldus* II. *Ædæ* I. filius; ann. 14.	
DCXLII.	XVI. *Conallus* & *Cellachus*, filij *Malcobi*; ann. 16.	
DCLVIII.	XVII. *Dermitius* II. & *Blathmac*, filij *Ædæ* II. ann. 7.	

Hos enim anno DCLXV. *in mortalitate magnâ* (cum

quâ Sanctorum iste Catalogus terminatur) vitâ decessisse, ex ijsdem Ultonienſibus Annalibus intelligimus: in quibus etiam ad annum præcedentem hæc annotata invenimus. *Tenebræ in Kalendis Maij in nonâ horâ: & in eâdem æstate cœlum ardere visum est. Mortalitas in Hiberniam pervenit in Kalendis Augusti.* quæ cum illis Bedæ conferenda, libro III. Histor. Ecclesiastic. cap. XXVII. *Anno Dominicæ Incarnationis* DCLXIIII. *facta est Eclipsis Solis die tertio mensis Maij, horâ circitèr decimâ diei. Quo etiam anno subita pestilentia lues, depopulatis priùs australibus Britanniæ plagis, Nord-humbrorum quoq; provinciam corripiens, atq; acerbâ clade diutiùs longè latèq; desæviens, magnam hominum multitudinem stravit. Hæc autem plaga Hiberniam quoq; insulam pari clade premebat.* Ubi in die Eclipseos, quæ *mortalitatem* hanc antecesſit, designando Bedam fuisse deceptum atque ipsis Kalendis Maijs, ut nostri habent Annales, tenebras illas contigisse, calculus demonstrat Astronomicus. Ne ipsum enim textum Bedæ depravatum hîc esse existimemus, & pro die III. diem I. mensis Maij in eo esse reponendum (quod [b] Dionysius Petavius, diligentissimus Chronologus innuit:) explicatio illa nobis persuadet, quæ in fine libri de Temporibus legitur. *Eclipsis Solis facta est Inductione septimâ, quinto Nonas Maias.* & in ejusdem Chronico: *Facta est Eclipsis Solis, quem nostra ætas meminit, quasi decimâ horâ diei,* V. *Nonas Maias.*

[b] Petav. de doctrinâ Tempor. lib. 8. pag. 855.

Maximum nimirùm illud Solare deliquium (utpote Digiterum Eclipticorum per è duodecim) & sævissimâ peste subsecutâ maximè memorabile, complures eorum quibuscum Beda est versatus non poterant non meminisse. A quibus cùm accepisset, initio Maij mensis illud factum, & non nisi novilunij tempore accidere potuisse cognovisset; neomeniæ diem ex Cycli decennovenalis Dionysiani abaco indagandum esse censuit: ex quo, quum aureum anni illius numerum XIX. die Maij IIIo. primam Lunam indicare deprehenderet, non alio quàm

illo

illo Solis illam defectionem contigisse concluſit. Nondum enim satis perspectum fuerat, quàm esset fallax Cyclica illa neomenias eruendi ratio: cujus errorem suo tempore per ipsa phænomena toti orbi parefactum fuisse Marianus Scotus declaravit; de anno MLXXXII. quo idem ipse XIX. Cycli annus decurrebat, ita scribens. *Prima Paschalis Luna* IIII°. *Non. Aprilis toti orbi apparuit; quum* II. *Non. Aprilis esse deberet.* ad quem scilicèt aureus numerus XIX. in vulgatis Kalendariis cornebatur appositus. Ipsis verò *novem* ante natum Bedam annis contpectam esse illam (de quâ diximus) Eclipsim, ex Ecclesiasticæ ejus Historiæ fine colligimus; ubi anno Dominicæ Incarnationis DCCXXXI. ætatis suæ *quinquagesimum nonum* se egisse significat. Ut maximopere hìc fallatur [c] Gerhardus Mercator: qui Eclipsim hanc à Bedâ visam, & tertio illo die Maij observatam fuisse sibi persuasit; & posito hoc quasi fundamento constituendæ novæ suæ Astronomiæ, *necesse esse* ait, *latitudinis medium motum ab anno Domini* CXXXV. *vel* CCCXLVIII. *ad hunc* DCLXIV. *gradibus plus minùs* 50. *tardiorem fuisse quàm calculus Ptolemæi habet, & mediæ distantiæ motum* 9. *circitèr diebus celeriorem.*

[c] Mercat. in Demonstrat. temporum methodo, cap. 3.

His verò, in Astronomorum gratiam, quasi per transennam strictim consideratis; ad Catalogum nostrum redeo: cui ut magna illa mortalitas finem, ita regnum *Laogarij* (filij *Nelli* magni, * *Naigiallach* à nostris dicti) & sub eo S. *Patricij* ad nos adventus præbet initium. *In quinto Loigere regis anno exorsum esse Patricium prædicare fidem Dei*, scribit Ninius. Anno ejusdem *quarto* in Hiberniam eum venisse tradunt [d] alij. quæ inter se facilè conciliari poterunt, si dicamus sub exitum anni CCCCXXXII. Patricium adijsse Hiberniam, anno Regis illius *quarto* definente; & Euangelium ibidem annunciare cœpisse, *quinto* ejusdem ineunte. Huic verò Lægario interminatum esse B. Patricium, quòd doctrinæ suæ vehementer restitisset, ex ejus progenie nul-

* de quo suprà, cap. 15. pa. 587.

[d] Vid. supr. fin. cap. 16 & pa. 815.

lum Regem posteà futurum; referunt Probus, Iocelinus, (cap. 49.) Iohannes Tinmuthensis, Operis tripartiti auctor & alij, qui Latinè res Patricij sunt persecuti. Sed qui vetere linguâ Hibernicâ Acta ejus descripsit, fidelis Reginæ interventu, infantem quem ipsa tùm prægnans alvo continebat à maledictione hâc exceptum fuisse narrat. Fuit autem ille *Lugaidus*, tertio loco in Regum serie commemoratus: quo totius Hiberniæ regnum obtinente, beatam Deo animam reddidit ipse Patricius, non (ut [c] Iocelinus voluit) *Forcherno* vel *Forthkerro*; cujus nominis omninò nullus in universâ Monarcharum Hibernicorum serie conspicitur.

[c] Supr. pa. 880.

Sub B. Patricio *Episcopi clari & sancti & Spiritu sancto pleni*, CCCL. *numero*, *Ecclesiarum fundatores*, primum Sanctorum ordinem in nostro Catalogo constituunt. Totidem verò Episcopos ab ipso Patricio ordinatos fuisse, Iocelinus indicat. *Trecentos*, [f] inquit, *Episcopos & quinquaginta manu suâ consecravit: septingentas Ecclesias fundavit; quinque milia Clericorum ad sacerdotalem gradum & officium promovit.* Episcoporum numerum paulo majorem, Presbyterorum verò ut & Ecclesiarum longè minorem Ninius nobis exhibet; ita de Patricio scribens. *Ecclesias fundavit* CCCLXV. *ordinavit Episcopos eodem numero* CCCLXV. *& eo amplius, in quibus spiritus Dei erat: Presbyteros autem usq; ad tria milia ordinavit.* Similiter & [g] Antoninus: *Ecclesias* CCCLXV. *& totidem Episcopos ordinavit; Presbyterorum tria milia consecravit.* Quæ eadem etiam habet & [h] Vincentius; nisi quod pro CCCLXV. denarij notâ transpositâ, CCCXLV. legantur: qui itidem Episcoporum à Patricio ordinatorum numerus apud Rogerum Wendoverium & Matthæum Florilegum in anni 491. historiâ cernitur.

[f] Iocelin. Vit. Patric. ca. 185.

[g] Anton. Chronic. tit. 11. cap. 18. §. 2.

[h] Vincent. Specul. Historial. lib. 20. cap. 23.

Ex his à Tirechano nominantur, *Benignus*, *Bronus*, *Sachellus*, *Cethiacus*, *Carthacus*, *Cartenus*, *Connanus*, *Fintanus*, *Siggeus*, *Cetennus*, *Sencaticus*, *Olcanus*, *Iborus*, *Ordius*,

dius, Naziarius, Miserneus, Senachus, Secundinus, Gosachus, Camulacus, Auxilius, Victoricus, Bressialus, Feccus, Menathus, Cennannus, Nazarus, Melus, Maceleus, Mactaleus, Culeneus, Asacus, Bitheus, Falertus, Seseneus, Muirethchiser, Temoreris (qui fundavit Ecclesiam sanctam Cairce, quam tenuit familia Clonoaviss) Daigreus, Iustianus mac Hy, Daimene, Oltcanus, Domnallus, & alij quamplurimi. De horum aliquibus in superioribus facta est à nobis mentio; & de [i] *Olcano* speciatim, Ecclesiæ *Derkanensis* (quæ in Routano Antrimmensium territorio (*Clon-derkán* nomen adhuc retinet) Episcopo: cujus à [k] Iocelino honorificam hanc mentionem factam invenimus. *Grandiusculus effectus, discendi aviditate Gallias adijt; ibiq́ diutiùs degens, multæ literaturæ scientiam adeptus repatriavit. Repatriatus scholas rexit; innumeros discipulos, quorum plures Episcopi sancti fuerunt, erudiendo in literaturæ copiam provexit. Ipse verò Doctor egregius Episcopalem gradum ascendit: in sanctitate multâ vitam terminans, miraculis etiam multis claruit.*

[i] Supr. cap. 15. pag. 610.
[k] Iocelin. cap. 86.

Operam verò à B. Patricio hic positam ita illi secundam evenisse, ab eodem [l] Iocelino est notatum; *ut Hibernia speciali nomine* * *Insula Sanctorum ubiq́ terrarum jure nominaretur.* de quâ & auctor Anonymus, qui de Ecclesiæ *Consecrati Petri* (vulgò Weich S. Peter, extra muros Ratisbonenses) fundatione scripsit: *Populus,* inquit, *bonæ indolis tantâ perfectione vitæ subitò pollere cœpit, quòd numerum excedebat Sanctorum multitudo: qui per centenas & millenas turbas celebrans Synodos solennes, operabatur virtutes incredibiles cunctis seculis; quicquid postulabat in virtute nominis Christi debere se accipere nullatenùs dubitans. Verè illic probatum est, quòd omnia possibilia sunt credenti. Miracula Sanctorum Hibernensium absq́ diffidentia vel subsannatione solus naturalis Hibernicus credere potest: cujus nativa simplicitas illam in Sanctis simplicitatem redolet, quæ in impetrando hominibus difficilia totius diffidentiæ à se scrupulum elongavit. Indicibile namq́ est,*

[l] Id. cap. 174.
* Vid. supr. cap. 16. pag. 735.
Marc. 9. 23.

est, quantâ familiaritatis audaciâ consueverit orans ille populus cum Domino fabulari. Affatur ut domesticum, Regem perennis gloriæ: nescit cultorum verborum phaleras contexere simplicitas versutijs non exculta.

Addit idem, indicta Sanctis à B. Patricio duo fuisse Concilia; in quorum posteriore, *omnes populi qui adhuc infideles remanserant baptizati sunt, & à Sanctis omnibus benedicta erat & consecrata:* solutóque conventu, *triginta milia probatorum virorum in sanctitate & justitiâ coram Deo & hominibus simul iter arripuisse de Hiberniâ.* Nam (si nugatorem hunc audire libeat) *in secundâ Synodo Patricij, major pars multitudinis Sanctorum eorundem, cum benedictione & licentiâ S. Patricij, reliquerunt patriam, nepotes, caros, parentes, res & reditus, civitates & castra & cætera quæ possidebant; & secuti sunt Christum, accensi divino amore, in pellibus caprinis, in voluntariâ paupertate: voventes Deo pia vota, se nunquàm reversuros, priùsquàm limina Sanctorum Apostolorum calcarent, & loca quibus Christus fuit angustiatus (stillans proprium corporis sanguinem pro ipsorum salute) in Europâ, Asiâ vel Africâ. Et ita beata multitudo Sanctorum transivit prospero navigio pericula ponti: & diviserunt se in tres turmas, ad tres partes mundi; ad Africam, ad Asiam, ad Europam.* Hæc, inter alia puerilia figmenta, de primi Ordinis Sanctis nostris commiscitur scriptor iste nugacissimus.

Secundi ordinis Sanctos *ritum celebrandi Missam accepisse à sanctis viris de Britanniâ, sc. à sancto David & sancto Gildâ & à sancto Doco,* in Catalogo nostro legimus. *Doccum* quendam *Episcopum, sanctum Britonum Abbatem,* anno CCCCLXXIIII. quievisse, in Ultonienſibus traditum habetur Annalibus. Sed illo posterior fuit is, de quo hìc agitur, *Dœus*: ille nimirùm, cujus in Vitâ S. Cainnici Abbatis hæc facta reperitur mentio. *Cùm S. Cainnicus crevisset, & perfectus esset sensu; voluit scientiam discere, & religiosæ vitæ vacare. Perrexit ad mare, transnavigavitq́, ad Britanniam ad virum religiosum & sapientem*

sapientem nomine Docum. Legit verò apud illum sedulò, & bonos mores didicit. & in ejusdem Sancti Officio: [m] *Britanniam petijt, & apud venerabilem Abbatem nomine Docum * liberali scientiæ sanctæq; religioni se tradens, cum eo in docibilitate atq; obedientiâ aliquot annis permansit.* Similiter & *Gildas*, non ille Albanius, sed eo junior Badonicus est hic intelligendus: quem in Hiberniâ *Ecclesiasticum restauravisse ordinem*, ex aliorum etiam sententiâ [n] superiùs indicavimus. Quâ verò consuetudine & familiaritate Hiberni nostri cum S. *Davide* conjuncti fuerint; in ejus Vitâ Giraldus Cambrensis ita indicat. *Mos erat illis diebus Hibernien sibus, Romam peregrè proficiscendo, Apostolorum limina præ locis omnibus magis frequenter devoto labore visitare. Inter quos abbas Barrocus* (S. Barrus alijs dictus) de *Corcagiæ finibus ab eâdem peregrinatione Menevi mus q; reversus, ibidem venti & navigij tempora præstolabatur. In consuetudine nimirùm viri boni de Hiberniâ & authentici habebant, quòd peregrè profecti, vel in eundo vel redeundo, beati D. v d alloquijs frui (quoniam oleum effusum erat nomen ejus) votivo desiderio esse parent.*

[m] Offic. S. Kanici, lect. 5. edit. Parisian. 1610.
* MS. *literali*
[n] Supr. pa. 906.
Cantic. 1. 2.

Sed & ex discipulis illius aliquos ad nostros concessisse legimus: in quibus, *Ædanus* sive *Maidocus*, primus Fernensis Ecclesiæ antistes, de quo in tertio Sanctorum ordine dicendum erit; & *Mandabnaucus*, de quo Giraldus lepidam hanc narrat fabulam. *Cùm post annos plurimos circa Patrem & obedientiæ regulis instructus fuisset & vitæ meritis illustratus; quum Hibernicam Insulam de Patris licentiâ petere jam parâsset, mare ingressum cuncta apum examina quæ Meneviæ vel in ejusdem confinio fuerant ipsum usq; in navem ipsam sunt secuta. Ipse enim inter fratres huic specialiter operi indulgebat, quòd alvearia ad enutriendos apum fœtus per examina disponebat. Quo viso, nolens fratres possessionis suæ damno fraudare, ad terram redijt; Patremq; David revisitavit, apibus ad sedes suas undequaque reversis. Ad navem autem secundò reversus, apes eum undique sequentes denuò conspexit: iterumq; ad ter-*

ram revertentem, sicut primò sic & secundo, sunt secutæ. Patrem autem & fratres jam tertiò repetens, quoniam suis eos de utilitatibus nullatenùs sponte fraudare sed ipsos potius indemnes esse volebat; tandem pijs fratrum orationibus & Patris benedictione Deo commendatus, transfretandi licentiam unâ cum apibus communiter accepit. Ex quo factum est ut apes, quæ nunquàm anteà in Hiberniâ (ut fertur) visæ fuerant, ab eo quo tam miraculosè per ipsum transvectæ sunt tempore ibidem abundare, in Menevia verò ab illâ semper horâ deficere consueverint. quanquam alij (ut idem alibi Giraldus refert) *S. Dominicum Offoriensem apes in Hiberniam detulisse* asserant: à quo & nobile constructum fuisse memoratur monasterium, ad radices *montis altissimi, qui illi imminet mari quod Hiberniam interfluit atq; Britanniam*; quique olim *Salanga*, posteà *Mons Dominici* appellatus, Ptolemæi tempore (ut quidem Scholiastes ipsius Villanovanus annotat) Ἱερῶν sive *Sacri* Promontorij nomen obtinuit.

[o] Girald. Topograph. Hibern. distinct. 1. cap. 5.
[p] Id. ibid. distinct. 3. cap. 2.

Inter Sanctos secundi ordinis duo *Finiani* in nostro Catalogo primum locum occupant: quorum unius die Februarij XXIII°. alterius die Septembris X°. celebratur memoria. Estque illorum alter doctissimus ille, de quo [q] suprà egimus, Clunardensis ecclesiæ Episcopus; Adamnano [r] sanctus *Finnio, Findbarrus* & *Vinnianus* dictus: alter *Pontifex Finanu, qui Wallico nomine Winninus* appellatus est. Ut enim *Fin* Hibernis, ita *Gwin* & *Win* Cambrobritannis *Album* denotat. Hic in patriâ suâ Hiberniâ à *Colmanno* antistite primùm institutus, à *Coelano* [*] *Noendrumensi* abbate *Nennioni* sedis quæ *Magnum* vocabatur *Monasterium* Episcopo in Britanniâ sacris disciplinis pleniùs erudiendus posteà commendatus, Romam demùm perrexit: ubi *annis septem studiosus indagator permanens, ad sacerdotij gradum ascendit.* Refert hæc in illius Vitâ Iohannes Tinmuthensis, & ex eo Capgravius: ubi etiam tempore *Tuathali* regis & successoris ipsius *Diarmitij* moruisse illum significat.

[q] Supr. pa. 908. 909. 912.
[r] Adamnan. *Vit.* Columbæ, lib. 3. cap. 4. edit. H. Canis.
[s] Id. lib. 2. ca. 1. *Vid.* suprà, pag. 904.
[*] an *Edrumensi*, ut apud Iocelin. in *Vit.* Patric. cap. 37.

ficat. Unde liquet, inter primos secundi hujus ordinis Sanctos esse numerandum: fallique omninò [z] Balæum, quum *Finanum* hunc cum *Finano* qui Aidano anno DCLI. defuncto in Episcopatu Lindisfarnensi successit; ejusq; magistrum *Nennionem* cum *Nenni* vel *Ninia* Britonum illo, toties à nobis citato, Chronographo (quem anno non, ut ille voluit, DCXX. sed DCCCLVIII. claruisse constat) temeritate quádam confundit atque permiscet.

[z] Io. Balæ. Centur. 1 cap. 74. & Centur. 14. cap. 19.

Duos *Finianos* excipiunt duo Brendani (Brenainn Hiberni vocant) Clunardensis Finiani [a] discipuli: alter, *Luaignei* filius, *illius monasterij fundator quod Scoticè* BIRRA *nuncupatur* (ut habet in Vitâ Columbæ [x] Adamnanus) in ipso Hiberniæ [y] meditullio positi; quem anno DLXIIII. quidam, anno DLXXI. alij mortem obijsse referunt: [z] alter, [*] *Findlogæ* filius, de cujus septennali navigatione prodigiosæ feruntur fabulæ. *Sanctum senem Gildam virum sapientissimum, in Britanniâ habitantem*, hunc invisisse, ejusque civitate relictâ, in aliâ Britanniæ regione monasterium nomine *Ailech* & in aliâ (*Heth* dictâ) Ecclesiam condidisse, atque in Hiberniâ demùm XVII. Kalend. Iunij, expletis ætatis suæ annis XCIII. in sororis suæ *Brigæ* monasterio *Enach-duin* dicto (*qui locus in Provinciâ est Connachtorum in plebe Huabruin*; sedes, nisi fallor, Episcopalis, quæ hodie Tuamensi archiepiscopatui unita cernitur) spiritum emisisse, & in civitate suâ *Cluain-feartâ* (quæ & ipsa sedes Episcopalis est, Tuamensi antistiti subdita; Iohanni Tinmuthensi, eumque secuto Capgravio & [a] Balæo, *Cluenarcha* perperàm appellata) sepultum fuisse, ineditus Vitæ ipsius scriptor indicat. In Tuamensi verò metropoli *Iarlathi* filij *Logæ*, qui proximè in Catalogo sequitur, adhuc celebris est memoria: cum quo, senectute jam confecto, Brendanum adhuc juvenem versatum idem memorat Biographus; de sede quoque Pontificis ista subjiciens. *In ipso jam loco, in*

[a] Suprà, pag. 909.

[x] Adamnan. lib. 3. cap. 3.

[y] Supr. pag. 453.

[z] De quo suprà, pag 532. 533. 868. 907. 910. 919.

[*] *Albi-legum* Annales Inisfallenses appellant. *Find* enim vel *Fin* Hibernis *Albus* denotat. Vid. supr. pag 825. 863. 954.

[a] Io. Balæ. Centur. 14. cap. 78.

honore sanctissimi senis Iaslathi Episcopi, clara civitas aedificata est, quæ dicitur Tuaym Daghualan, in Provinciâ Connachtorum.

[b] Suprà, pag. 132. 440. 441. 869. 911. 912. 917 918. 919.

De S. *Comgallo* Beanchorensi Abbate, in [b] præcedentibus sæpiùs à nobis dictum est. Ab eo [c] *Cell-Comgall* ad Dublinienſem spectans archiepiscopum, nomen olim accepit, quam hodiè Saynkill appellamus. *Septimo anno postquàm monasterium Beanchor fundatum est, sanctus pater Comgallus in Britanniam navigavit, volens quosdam Sanctos ibi visitare & ibi manere ad tempus; & constituit ibi monasterium in quâdam villâ in* [*] *regione Heth:* ait Vitæ scriptor; de monachis ibidem à *Pictonum* quorundam piratarum incursione ab ipso vindicatis narrationem posteà adjiciens. Circa annum verò DLV. vel DLIX. Beanchorensis Ecclesiæ fundationem, & DCI. Comgalli obitum contigisse, ex nostris edocemur Annalibus. Qui hunc sequitur *Coemgenus* is est, qui vulgò à nostratibus, ut & à [d] Giraldo Cambrensi, S. *Keivinus* appellatur. Nomen illud Latinè *Pulchrum genus* sonare, Vitæ scriptor annotat: qui & magnum monasterium à Coemgeno fundatum narrat in inferiori parte vallis, quæ *quondam Scoticè vocabatur Gleand-da, modò autem Gleand-da-loch, id est, Vallis duorum stagnorum.* Et *in ipso loco* (inquit) *clara & religiosa civitas in honore S. Coemgeni crevit, quæ nomine prædictæ vallis in quâ ipsa est Gleandaloch vocatur: ipsaq; civitas est in oriente Laginensium, in regione quæ dicitur Fortuatha.* Antiqua hæc Episcopalis sedes Dublinienſi metropoli posterioribus temporibus est annexa. Annis CXX. vitæ exactis, III. Nonas Iunij, circa annum DCXVIII. vel DCXXII. ad Christum Coemgenus migravisse dicitur. Huic proximus *Ciaranus*, junior ille est, [e] *filius artificis*: de quo in dictâ Coemgeni Vitâ legimus. *S. Coemgenus ad visitandum S. Kiaranum abbatem, qui instituit suam civitatem in Clnain mac nois (quæ est in occidentali plagâ regionis Misi, super ripam fluminis Syuna, contra provinciam*

[c] Bulla Alexandri III. ad Laurent. in nostrâ Hibernicarum Epistolarum Sylloge, num. 48.

[*] in quâ *Brendanum* etiam Ecclesiam construxisse, jam dictum est.

[d] Girald. Topograph. Hibern. distinct. 2. cap. 38. Vide etiam Vitam Laurentij Dublin. archiepisc. apud Surium, Novemb. 14.

[e] Vid. supr. pag. 909 & 935. & Iocelin. in Vit. Patricij, fin. cap. 113.

ciam Conachtorum) *perrexit: sed S. Kiaranus antequàm S. Coemgenus ad se perveniſſet tertio die de hoc ſeculo ad Chriſtum migravit.* Sedem autem illam *Gluain-mac-nois* & inſulam *Inis-Aingean* dictam, unâ cum centum Eccleſijs ſive Cellis in *Miliâ* & *Breaghmnid*, à *Dermitio *Cervaill* filio Hiberniæ Rege dono illum accepiſſe, liber Navanenſis confirmat: ubi & eundem cum Chriſto Servatore annorum numerum, XXXIII. ſcilicèt, vivendo exegiſſe traditur.

* de quo ſupr. pag. 894. 902. 904. 947.

De S. *Columbâ*, tùm in [f]XV°. tùm in hoc ipſo [g] XVII°. Capite, pluribus à nobis actum eſt. *Caineci* Abbatis (qui & *Cainnichus* & *Canicus*, ac nobis vulgò S. *Kenny* dicitur) aliquoties [h] Adamnanus in Vitâ ejuſdem *Columbæ* meminit: ubi & monaſterium ipſius Latinè [i] *Campulum Bovis* appellatum aſſerit. Hibernicè *Achadh-bho* civitas S. Cainici in Vitâ ipſius nuncupatur, & *Ager Boum* exponitur: quæ & Oſſorienſis antiſtitis ſedes Epiſcopalis aliquando fuiſſe dicitur. Ita enim in Oſſorienſium Epiſcoporum Catalogo annotatum invenimus. *Anno Domini* MCII. *obijt reverendus pater Felix Odullane epiſcopus Oſſorienſis; cujus Eccleſia cathedralis tunc erat apud Aghboo in ſuperiori Oſſoriâ.* Hodie *Kil-kennie* ſedes illa poſita & defixa eſt: quod nomen *Cellam* ſive *Fanum Cainici* denotat. Malè enim in utroque Miræi Provinciali, tum [k] vetere tum [l] novo, *Kilkennienſis & Oſſorienſis* ut diverſi Epiſcopatus proponuntur. Anno DXXVII. S. Cainicum in lucem editum, DXCIX. diem ſuum obijſſe; ex noſtris didicimus Annalibus. Quâ ratione LXXII. tantùm annos vixiſſet ille: quum *octogeſimo quarto ætatis ſuæ anno felicem animam tradidiſſe Deo*, in incerto quodam Vitæ ipſius ſcriptore invenerim. In alio ejuſdem Vitæ ſcriptore, cum Cainico & Comgallo ætate conjunctus *Eugenius epiſcopus de Ardrathâ* fuiſſe legitur: ille ipſe videlicèt *Eugenius*, qui Epiſcopatum *Ardſrathanum* (cujus [m] ſedes ad urbem S. Columbæ * *Derenſem* poſtmodùm eſt tranſlata).

[f] Supr. pag. 687. 688. &c.
[g] Supr. pag. 902. 902, &c. 910. 919.
[h] Adamnan. lib. 1. cap. 4 (ubi, pro *Chamneche*, ex MSS. *Cainichus* eſt reponendus) & lib. 3. cap. 21.
[i] Id. lib. 3. cap. 12.
[k] Notit. Epiſcopatuum ab Aub. Miræo edita Antuerp. ann. 1613. lib. 1. pag. 80.
[l] Ibid. lib. 4. pag. 220.
[m] Suprà, pag. 856.
* Dertre Columbille; quam anno DXLVI. fundatam fuiſſe, Ultonienſes docent Annales.

translata) condidisse dicitur. Videndum igitur, num hic *Eogenius Mac-laisreus* fuerit, qui proximè in Catalogo sequitur; an *Eoganus* ille, cujus hæc in Vitâ Coemgeni facta habetur mentio. *Parentes S. Coemgeni tradiderunt eum sanctis senioribus Eogano, Lochano & Æneæ (sive Eunæ;) ut in cellâ eorum Christo nutriretur: & apud illos Sanctos beatus Coemgenus sedulò legebat.*

De *Lugeo* etiam & *Ludeo* quærendum, an non alter *Lugidus* ille fuerit, de quo [n] diximus, Abbas Clonfeartensis; alter *Lugaidus*, quem S. Columbæ *legatum* [o] Adamnanus fuisse memorat. Hunc [p] Dempsterus S. *Lugadium* nominat; & monasterij in insulâ *Raclinâ* à se conditi Abbatem fuisse asserit. Ea insula Plinio *Ricnea* dicta est, *Ricina* Ptolemæo, *Rechrea* [q] Adamnano, *Raclinda* Buchanano, *Rachra* Iohanni Lesæo, *Rachryne* Iohanni Fordono in Scotichronico. Quò etiam referendum quod in Vitâ Comgalli legimus. *Cùm S. Comgallus cellulam voluisset ædificare in insulâ nomine Reachraind; venerunt triginta milites, & tenentes manum ejus eum inde expulerunt.* & in Annalibus Ultonienſibus, ad annum DCXXXIIII. vel DCXXXV. *Ecclesia Rechran fundata est.* in quibus etiam ad annum DCCXCIIII. (qui nobis DCCXCV. est) combustio & vastatio *Rechrain* per Gentes refertur: *Danis* Gentium nomine hic intellectis, qui circa hæc tempora (ut à Caradoco Lancarvanensi in Chronico suo Cambrico est notatum) *maximam Hiberniæ partem populati, Rechreyn quoq; vastaverunt.* Hibernici enim nostri Antiquarij insulam hanc *Ro-chrinne* nominant; & ab *arborum (quibus olim abundâsse putabatur) multitudine ita dictam interpretantur.

[n] Suprà, pag. 919. 920. 935. & 943.
[o] Adamnan. *Vit.* Columb. lib. 2. cap. 25. *Vid.* etiam lib. 1. cap. 13. & lib. 2. ca. 5.
[p] Dempst. Histor. Eccles. Scotor. lib. 11. num. 793.
[q] Adamnan. lib. 2. cap. 27.

*chpann

Medocij Sancti Hibernici Vita extat: & *Idibus Februarij in Hiberniâ Sancti Modonoc Confessoris* memoriam celebrari, in Killenensi Martyrologio invenio. Sed an horum alteruter, aut etiam neuter, *Moditeus* ille fuerit in nostro Catalogo nominatus, ignorare me fateor.

Cormacum

Cormacum inter *Monasteriorum sanctos fundatores* numerat [r] Adamnanus: & Eremum ter ab eo frustrà quæsitam in Oceano commemorat. *De Cormaco*, [s] inquit, *viro utique sancto, qui tribus non minùs vicibus Eremum in Oceano laboriosè quæsivit, nec tamen invenit, S. Columba ita prophetizans ait. Hodie iterùm Cormacus desertum cupiens reperire, enavigare incipit ab illâ regione, quæ ultra Modam fluvium sita est, & * Cirros dicitur: nec tamen etiam hâc vice, quod quærit, inveniet.* Et [t] alibi, de secundâ illâ navigatione verba faciens. *Iisdem diebus S. Columba cùm ultra § Dorsum moraretur Britanniæ, Brudeo regi præsenti Orcadum Regulum commendavit, dicens. Aliqui ex nostris nuper emigraverunt, desertum in pelago intransmeabili invenire optantes: qui si fortè post longos circuitus Orcadas devenerint insulas, huic Regulo cujus obsides in manu tuâ sunt diligenter commenda; ne aliquid adversi intra terminos ejus contra eos fiat. Hoc verò Sanctus ita dicebat: quia in spiritu præcognovit, quòd post aliquot menses idem Cormacus esset ad Orcadas venturus. Quod ita postea evenit: & propter supradictam sancti viri commendationem de morte in Orcadibus liberatus est vicinâ.*

[r] Id. lib. 3. cap. 21.
[s] Id. lib. 2. cap. 6.
* an *Carrick* juxta Slanum fluvium, qui Ptolemæo *Modona* dicitur, in Comitatu Wexfordiensi?
[t] Id. lib. 2. cap. 28.
§ *Drum-Albin.* Vid. supr. pag. 733.

De tertiâ quoque illius navigatione ista adjicit. [u] *Dum idem Cormacus tertiâ in Oceano mari fatigaretur vice, usq; ad mortem periclitari cœpit. Nam cùm navis ejus à terris per quatuordecim æstivi temporis dies totidemq; noctes plenis velis, Austro flante vento, ad septentrionalem plagam cœli directo excurreret cursu; ejusmodi navigatio ultra humani excursus modum & irremeabilis videbatur. Unde contigit, ut post decimam ejusdem quarti & decimi horam diei quidam penè insustentabiles undique & valdè formidabiles consurgerent terrores. Quædam quippe in id temporis invisa mare obtegentes occurrerant tetræ & infestissimæ bestiolæ, quæ horribili impetu carinam & latera puppimq; & proram ita fortiter feriebant percussurâ, ut pellicium tectum navis putarentur penetrare posse; quæ (ut hi, qui inerant ibidem, postea narrârunt) propè magnitudine ranarum,*

[u] Id. ibid. cap. 29.

narum, aculeis permolestæ, non tamen volatiles sed natatiles erant: sed & remorum infestabant palmulas. Quibus visis, inter cætera monstra quæ non hujus est temporis enarrare, Cormacus cum nautis comitibus valdè turbati & pertimescentes, Deum, qui est in angustijs pius & opportunus auxiliator, illachrymati precantur. &c.

Colmani hoc tempore fuere plures: quorum unus
x Vita S. Rudani. y Vita S. Mocoemogi.
x Episcopus Darane filius, habitabat y in suo monasterio quod Scoticè dicitur Dair-mor, id est, Nemus magnum, & est positum in confinio Mumeniensium & Laginensium; sed positum tamen est in regione Mumeniensium, scilicit in regione Eile. Fuit & Colmanus Dub-culinn sive Duib-chuilind dictus, & ejus æqualis Colmanus Elo vel Ela, vulgo Colman-alli nuncupatus: ex cujus Vitâ hæc, si placet, accipe. Venit ipse ad civitatem Connere in provinciâ Ulterum, in quâ jacet beatissimus Episcopus Macnisi; & habitavit sanctus Colmanus in illâ civitate multis diebus, & plurimas virtutes ibi fecit: & ipse est secundus patronus ejusdem civitatis. Et benedicens populo illius civitatis, venit inde ad patriam suam, id est, ad regionem Midi; & invenit ibi congregationem, in quâ Edus filius Anmirech & Edus Flan dux nepotum Neill & sanctus Columba chille & sanctus Kanicus abbas & alij plures erant: & ipsi cum gaudio honorem sancto Colmano dederunt. Et ait S. Columba illis: Date agrum bonum sancto Colmano fratri nostro, ut monasterium suis monachis in eo constituat. Illi dixerunt: Ubicunque voluerit in finibus Neill eligat. Tunc Edus Flan Dux Midi ait: Est in Australi nostræ regionis plagâ in plebe Fergall saltus magnus, si ei placeret. Sanctus Colmanus dixit: Quomodo vocatur ille saltus? Dux respondit: Fidh-elo vocatur. Beatus Colmanus dixit: Illic resurrectio mea erit, & amodo ab illo loco nominabor. Ab illo jam die additur nomini ejus semper Elo; & vocatur ab omnibus Colmanus Elo. Postea S. Colmanus Elo dans benedictionem illis, & accipiens libertatem illius loci ab ipsis potentibus coram multis testibus, pervexit ad illum saltum; & instituit

ibi

ibi magnum & clarum monasterium, in loco irriguo aquis & speciosis agris, in medio sylvæ: & vocatur illud monasterium Land-elo; in quo jacet beatissimus Colmanus, sicut ipse prædixit. Hodie *Lin-alli* [z] locus ille vocatur in Comitatu Regio, quatuor milliarium spatio à Dearmachano Columbæ cœnobio dissitus: ubi *inter chorum sanctorum virorum* (ut in fine Vitæ illius additur) *sanctissimus senex Colmanus sexto Kalendas Novembris feliciter ad Christum emisit spiritum*; anno Salutis, ut ex Cuanacho Chronographo Hibernico Ultonienses Annales referunt, DCX°.

[z] *Vid. supr. pag 910.*

Nessani, ex Cummiani ad Segenium epistolâ, in [a] superioribus facta est mentio. *Insulæ* quoque *filiorum quondam Nessani*, in [b] Bullâ Laurentio Dublinienſi archiepiscopo concessâ, Alexander III. meminit: quam *Oculum Hiberniæ dici, vulgariter Inis-Lands-eyan, ubi Sanctus ille insistebat crebris orationibus, jejuniis & vigiliis*, Iohannes Alanus Dublinienſis Præsul annotat. qui & hujus *librum quatuor* Euangeliorum fuisse significat, ab incolis *Ker-kwre* inde dictum; quem hodie the Garland of Youth corruptè vocitant: licèt argenteæ linguæ illi annexæ S. *Talmani* nomen insculptum ego observaverim. Addit verò Alanus, librum illum *haberi hodie inibi in magno pretio, ac veneratione non modicâ; ita ut vix justus audeat jurare super ipsum, propter Dei vindictam ostensam hominibus perjuris in illum.* Mitto quod in Vitâ S. Albei Imelacensis scriptum habetur; ipsum atque *egregium & sanctissimum diaconum Nessanum* simul *locutos fuisse de mysteriis Dei & quæstionibus quas Nessanus quærebat sibi solvi*: ad *Laisreanum* pergo, Hibernicè *Mcilasse* dictum, non illum [c] *Kiarelli*, sed alterum [d] *Nadfraichi* filium; quem antiquissimus Hymnus, juxta alphabeti ordinem in laudem ipsius compositus, *Macculasium* nominat.

[a] *Supr. pa 935.*

[b] *Epistolar. Hibernicar. Sylloge, num. 48.*

[c] *Suprà, pag. 916. & 938.*

[d] *Supr. pa. 909.*

Lucerna erat in totâ
Macculasius Hiberniâ,
Nadfraich & sanctus filius.

De eo in Vitâ S. Ædani ita legimus. *Beatissimus Lasreanus* (Iohanni Tinmuthensi & Capgravio, in ejusdem Ædani sive Aidani Vitâ, *Molassius* dictus) *ad aquilonalem partem Hiberniæ exivit, & construxit clarissimum monasterium in stagno Herne, nomine* *Daimh-inis, quod sonat Latinè, Bovis Insula.* & in Vitâ S. Ædi: *Regebat plures monachos in insulâ positâ in stagno Erne; quam Scoti nominant Daimh-inis, id est, Bovium Insulam.* In Annalibus Ultonienſibus, ad annum DLXIII. (qui nobis DLXIIII. est) *Mors Laisre de Daim-inis*, atque iterùm ad annum DLXX. *Quies Molaisse Daim-inis*, consignata reperitur.

* Vid. supr. pag. 856.

Barrindeum scriptor Vitæ S. Carthagi Abbatem fuisse docet monasterij *Druim-cuillin, quod est in confinio Mumoniensium & Laginensium & nepotum Neill, sed tamen est in terrâ nepotum Neill, in terrâ quæ dicitur Fearceall*, in quâ est etiam civitas * Raythen. *Cuemanus* fuit *pater sanctus monasterij Endeuin*, sive *Enach-truim*, quod *est in monte Bladinâ, in regione Laginensium:* § discipulus S. *Columbi* filij *Criaimthain.* (qui *ortus de provinciâ Laginensium, jacet in suâ civitate quæ dicitur Tir-daglas in terrâ Mumoniæ juxta fluvium Sinna*) condiscipulus B. *Mocumini* (qui *est cum S. Columbo magistro suo in civitate Tir-daglas*) & B. *Fintani* Abbatis monasterij § *Cluain-ednach* (quod vertitur Latinè, *Latibulum hederosum*) atque h B. *Colmani Elo* magister. Bathenum i qui, S. Columbæ in Hyensium regimine succedens, anno DXCVIII. mortem obijt, k *Comixum*, etiam dictum fuisse, in Capite XV. significavimus; & *Comainum Brece*, anno DXXIX. natum, anno DCXV. quievisse, ex Ultonienſibus Annalibus didicimus: qui an aliquid commune cum *Cemano* & *Conano* habuerint, viderint alij.

* Supr. pag. 910. 911.

e *Vit. S. Fintani.*

f *Vit. S. Mocoemog.*

g *Vit. S. Fintani.*

§ *Clon-enach*, in Læsiâ. *Vid.* suprà, cap. 13. pag. 441.

h *Vit. Colmani Elo.*

i Supr. cap. 15. pag. 701.

k Ibid. pag. 694. 695.

Eudeus deinde sequitur, sive l *Enna* ille fuerit, *Aranicæ* Abbas insulæ (*Endeum* enim Hiberni nostri Enna ajunt vocant:) cujus & Vita seorsim descripta extat, & in Brendani etiam Legendâ hujusmodi fit commemoratio. Brendanus, *transactis quadraginta diebus, commen-*

l *Vid. supr. pag. 867. 868.*

commendatisq; omnibus Præposito monasterij, qui fuit posteà successor in eodem loco, profectus est contra Occidentalem plagam, cum quatuordecim fratribus, ad insulam cujusdam sancti patris nomine Endei; ibiq; demoratus est, tribus diebus & tribus noctibus. Post hæc, acceptâ benedictione sancti patris monachorumq; omnium qui cum eo erant, profectus est in ultimam partem regionis suæ ubi demorabantur parentes ejus. Neque alius est *Ædeus*, quàm *Ædus* filius *Bricci*: qui (ut in Vitâ ejus habetur) adolescens cum S. *Ilando* episcopo in monasterio suo mansit, *literas & scripturas assiduè apud eum discens*, ipseque posteà apud Momonienses in regione *Muscray-tire* monasterium fundavit *Enachmidbrenin* vocatum; deinde in *Midiâ* patriâ suâ Episcopus ordinatus, quarto Idus Novembris ad Christum demùm migravit, *Columba Chille* in Hiâ insulâ adhuc superstite. Qui superest *Byrchinus*, sanctus fortasse *Berchanus* ille fuerit, quem sensu oculorum privatum, sed spiritu prophetico præditum fuisse, in ipsius æqualis Coemgeni Actis legimus. Atque hæc sunt, quæ de secundi ordinis Sanctis speciatim dicenda habuimus.

* *Petranum* episcopum *Luscanum*, qui primus in tertio occurrit ordine, anno Christi DCXVI. ab hâc vitâ migravisse, ex Ultonienſibus liquet Annalibus: in quibus etiam ad annum DCLVI. (qui nobis DCLVII. est) & ad annum DCLXII. *secundùm alium librum*, obitus *Ultani mac u Conchobhair*, è Conchuburnensium scilicèt stirpe geniti, annotatus cernitur. Ex eâdem enim *Conchuburnensium* sive *Connorecorum* familiâ & *Brocsecham* filiam *Dallbronaigi*, matrem S. *Brigidæ*, & *Ultanum Ardbrecanensem* prodijsse, docet Scholiastes Hibernici Hymni in laudem Brigidæ compositi; quem alij à *Columba-cille* tempore Ædæ regis filij Ainmirechi, alij ab *Ultano Ardbrecanensi* tempore duorum filiorum Ædæ Slane conscriptum arbitrantur. Unde colligimus eundem hunc episcopum [m] *Ultanum* ratione quidem originis *Concuburnensem* fuisse dictum, *Ardbrecanensem*

* *Vid. suprà, pag. 528.*

[m] *Vid. supr. pag. 818.*

canensem verò respectu ad sedem habito, quod hodiernum Midensis Præsulis est domicilium.

[n] Bed. histor. Eccles. lib. 3. cap. 26. Vid. supr. pag. 931. & 940.

Colmanus [n] post conflictum cum Wilfrido in conventu Pharensi anno DCLXIIII. relicto Lindisfarnensi Episcopatu, cui per triennium præfuerat, in patriam reversus, [o] *tulit secum omnes quos in Lindisfarnensi insulâ congregaverat Scotos; sed & de gente Anglorum viros circiter triginta: qui utriq; monachicæ conversationis erant studijs imbuti.* Atque his primùm quidem in [*] *Inisbofinde*, id est, *insula Vitulæ albæ*, in Occidentali sitâ Oceano, communem construxit monasterium; deinde Scotis ibi relictis, in illo Hiberniæ loco, *qui lingua Scotorum Mageo nominatur*, aliud Anglis posuit cœnobium. *Quod videlicèt monasterium*, inquit Beda, *usq; hodie ab Anglis tenetur incolis: ipsum namque est quod nunc grande de modico effectum Inuigeo consuetè vocatur.* Est autem *Mageo* (ita enim Provinciale Romanum appellat, quam nos *Maio* vulgò dicimus) sedes Episcopalis in proximo continente collocata, & Tuamensi archiepiscopatui hodie annexa; quum anno MDLIX. *Eugenius Mac. Brehoan* postremus *Maigonensis* dictus fuerit Episcopus. Quo in loco, uti Bedæ ætate grande Anglorum fuisse monasterium audivimus; ita etiam S. Cormaci & Adamnani tempore *centum Saxonicorum Sanctorum* fuisse habitaculum, libri Ballimotensis collector confirmat. In Annalibus Ultonienſibus, ad annum DCLIII. (sive æræ nostræ vulgaris DCLIIII.) refertur mors alterius *Colmani Episcopi, filij Cuidel dubh*; ad annum DCLIX. obitus *Colmani Glindelochensis*: ad annum DCLXVII. *Navigatio Columbani Episcopi cum reliquijs Sanctorum ad insulam Vaccæ albæ, in quâ fundavit Ecclesiam*; & ad annum DCLXXV. ejusdem *Columbani Episcopi insulæ Vaccæ albæ* pausa, sive vitæ terminus. ubi *Columbani* nomine *Colmanum* Lindisfarnensem Episcopum designari non est dubium: quem & *domum abeuntem assumpsisse secum partem ossium reverentissimi patris Aidani* [p] Beda quoq; commemorat.

[o] Bed. lib. 3. cap. 26.

Qui

Qui hic *Murgeus* Episcopus, in Hibernicorum Sanctorum Genealogijs *Muirgen i Liban* vocatur: & qui hic *Ædanus* episcopus, ab Hibernis *Moedhog* & *Maedoc*, à [q] Giraldo Cambrensi *Maidocus* dicitur. In Iohannis Tinmuthensis Sanctilogio (indeq; in Legendâ Iohannis Capgravij) Acta illius habentur ita terminata. *Sanctus iste in Vitâ sancti David Aidanus vocatur, in Vitâ verò suâ Aidus dicitur: & apud Meneviam in Ecclesiâ sancti David appellatur Moedok, quod est Hibernicum; & ibidem in magnâ veneratione festum ejus recolitur.* Fuerat enim is, ut [r] diximus, Davidis Menevensis discipulus: in cujus Vitâ Giraldus ita de illo meminit. *Sanctus Aidanus, qui & Hibernicè Maidocus dicitur, virtutibus insignis & divinis affatim eruditus disciplinis, liceatiâ primùm à patre (*Davide*) deinde fratribus acceptâ, cum omnium benedictione Hiberniam petijt. Ubi cùm aliquandiu signis & virtutibus claruisset, demùm apud Fernas nobile monasterium construxit: in quo, ad formam & regulam quam apud Meneviam à pio patre didicerat, collectis in unum fratribus, Domino deservire devovit.* & Vitæ S. Lugidi sive Moluæ scriptor anonymus. *Beatissimus archiepiscopus Laginensium Moedhog, qui & Ædanus dicitur, voluit ire trans mare in Britanniam ad S. David magistrum suum Episcopum; ut interrogaret eum, quem in Hiberniâ haberet patrem confessionis suæ.* [s] Brandubhus enim Laginiensium rex, post cæsum à se anno DXCVIII. in Duinbolgano prælio Ædum I. Ainmirei filium regem Hiberniæ, non solùm sedem Fernensem S. Ædano contulisse, sed etiam eandem totius Lageniæ metropolim constituisse dicitur. Quæ ut illo tempore ab urbe *Slebhtiensi* ad *Fernensem*, ita posteà à Fernensi ad *Kildariensem* indeque ad *Dubliniensem* demùm civitatem translata fuisse videatur. Unde CLVI. ferè ante conditum Dublinienſem archiepiscopatum annis, [t] Epistolæ ad Anselmum à Waterfordiensibus transmissæ, unâ cum *Samuele Dublinien sium Episcopo*, *Ferdomnachus*

[q] Girald. Topograph. Hibern. distinct. 2. cap. 47.

[r] Suprà, pag. 953.

[s] Vid. supr. pag. 864.

[t] Epistolar. Hibernicar. Syllog. num. 34.

LAGINIENSIUM *Episcopus* subscripsisse reperitur: quem Kildariensem fuisse antistitem Annales nostri testantur; in quibus ad annum MCI. annotatum legitur. *Ferdomnach Episcopus Cilledara in pace quievit.* In *Ainmirei* verò principatum S. Ædani pueritia incidit; in nepotis ipsius Donaldi II. (Ædi I. filij) summa ejus senectus: sub quo, anno Dom. DCXXXII. illum decessisse, ex Buellianis Annalibus observavimus.

A *Lomano* appellationem accepit *Port-Loman*, Nugentiorum in Occidentali Midiâ opidum; in quo Sancti illius adhuc colitur memoria. Fuerunt autem illius nominis, præter ᵘ *Lomanum* sive *Lumanum* primum Trimmensis Ecclesiæ in Orientali Midiâ Episcopum, magni nostri Patricij nepotem, duo apud nos maximè celebres: quorum alter *Loman Lachagili*, alter *Loman Lachavair* dictus est. Postremus tertij hujus ordinis Episcopus *Senachus*, sedi Armachanæ ab anno DXCVIII. ad DCX. præfuit. Primus presbyterorum ejusdem ordinis *Fechinus*, Armachani archiepiscopi in agro Louthiano manerio (ut vocant) non ignobili *Tearmuin-fechin*, id est, *Asyli Fechiniani* nomen dedit. Eum vulgò Feichin Fabair *Fechinum Fovera* vel *Fouria* appellant: ab habitationis ˣ loco, quem Latinè *Favoriam*, Hibernicè Balle-leabair, quasi ʸ *Kiriath-sepher* aut *Urbem librorum* dixeris, appellatum invenio. In Ultoniensibus Annalibus, ad annum DCLXIIII. (nostræ æræ DCLXV.) quo maxima illa * pestilentia & vastitas Hiberniam pervasit, *Dormitatio Feichini Favair & Ailerani sapientis* consignata legitur. illius nimirùm *Ailerani* sive *Helerani sapientis*, cujus ᶻ superiùs facta est mentio: & cujus ingenij unicum, atque illud perexiguum, monimentum adhuc habemus reliquum; Sedulij junioris Collectaneo in Matthæum insertum, atque ita prænotatum. *Incipit Typicus ac Tropologicus Genealogiæ Christi intellectus; quem Sanctus Aileranus Scotorum sapientissimus exposuit.* An verò *Airendanus* ille, qui

ᵘ Supr. pa. 824. 848 853. 854.

ˣ Vid. supr. fin. pag. 943.

ʸ Iosu. 15. 15. Iudic. 1. 11.

* *Fechine Fobhair quievit in Christo: & cæteri multi in eâ nocte dormierunt de mortalitate.* Annales Inisfallens.

ᶻ Supr. pag. 818.

qui proximè in Catalogo sequitur, *Aileranus* hic est? an sanctus *Airedus* potiùs? quem S. Aidani, de quo diximus, Fernensis antistitis æqualem fuisse, docet in hujus Vitâ Iohannes Tinmuthensis; & in loco qui dicitur *Aird-sinnaidh* habitavisse, ex alio ejusdem Aidani sive Ædani Actorum descriptore, cum eo comparato, intelligimus.

Failanum eundem cum S. *Foillano Fossensi* fuisse existimarem, quem anno DCLIII. *martyrizatum* Sigebertini Chronici interpolatur retulit: si non ille *Episcopus* fuisse diceretur, & Failanus inter *Presbyteros* in nostro Catalogo recenseretur. Erat autem Foillanus *Philtani* (ut eum [a] interpolator ille appellat) Reguli Hibernici filius, *Fursei* & *Ultani* frater: cui *Fursæum* [b] monasterij à se *constructi in castro quodam quod linguâ Anglorum Cnobberesburg, id est, Urbs Cnobberi vocatur* (Suffolciensium Burgh-castell illud est) curam commisisse legimus. de quo Beda: *Reliquit monasterij & animarum curam fratri suo Fullano, & presbyteris Gobbano & Diculfo.* & scriptor Vitæ Fursei, Bedâ antiquior: *Germano proprio Folnano* (sive *Fullano*, ut idem posteà nominat) *sancto admodùm viro, cum sanctis Gobbanâ & Tibullâ presbyteris, monasterij & animarum dereliquit curam.* Posteà verò [c] *Foillanus Romam ivit, petiturus à Martino Pontifice Episcopalem benedictionem ad infidelium conversionem:* quâ acceptâ, [d] *temporibus regis Francorum Sigiberti, cùm Grimoaldus esset Major domus regiæ & Erkenaldus quasi Patricius, post excessum fratris sui Fursei* in Galliam perrexit; ubi B. Gertrudis nobilissimæ Virginis sancto usus contubernio, ejus *dono* (ut habet [e] Sigebertus) *Fossense monasterium fundavit, ubi etiam martyrio coronatus quievit.* [f] Martyrio autem occubuit cum tribus discipulis in sylvâ *Carbonariâ*, loco *Ampalinis*: ubi constructa est abbatia S. *Foillani* Ordinis Præmonstratensis; quæ adjacet muris *Rhodiensis* opidi, in *paræciâ* (ut in Epistolâ CCLII. Bernardus loquitur) *episcopi*

[a] Sigebert. Chronic. ann. 593. Vid. Andr. Saussaij Martyrolog. Gallican. Ianuar. 16. pag. 43. Hertmann. Schedel. in Chronic. fol. 124. & Iohan. Tinmuthens. vel Capgravium, in Vitâ S. Foillani.

[b] Bed. histor. lib. 3. cap. 19.

[c] Io. Molan. Natal. Sanctor. Belgii, Octob. 31. & Andr. Saussai Martyrolog. Gallican. Octob. 30. pag. 794.

[d] Io. Tinmuthensis & Capgrav. in Vitâ Foillani.

[e] Sigebert. chronic. ann. 648.

[f] Molan. ut supra.

episcopi Cameracensis. Cæterùm sanctus martyr *quietem accepit in monasterio Scottorum quod Fossa vocatur:* ut verbis Eginhardi (in historiâ miraculorum Marcellini & Petri martyrum) Iohannes Molanus retulit. quibus & illa Iohannis Tinmuthensis, in Vitâ S. Foillani nos adjungimus: *Sepultum est corpus ejus cum maximo honore in monasterio quod frater ejus ædificavit super fluvium qui Beruenna dicitur, & ex exitu loci Fossas nuncupatur.*

Commani honorabilis Presbyteri, ut cœvi, [z] Adamnanus meminit: qui fortasse *Comanus* ille *Fernanus* fuerit, quem anno DCLXXVIII. obijsse Ultonienses Annales indicant. *Commianus* non alius esse videtur quàm *Cummianus*, [h] cujus de Paschali controversiâ ad Segenium Hyensem abbatem à nobis edita est epistola. Anno DCLXIIII. (qui nobis DCLXV. est) gravissimâ illâ peste per totam sæviente Hiberniam, duos Abbates Clonenses (*Cluana-mac-nois* vocant) sublatos fuisse, dicti Annales confirmant; *Colmanum Cass*, & *Cummenium*: quorum fortè alter *Cummianus*, alter qui hunc in Catalogo nostro proximè excipit *Colmanus* fuisse putari posset. quanquam de *Colmano* vix est ut quicquam certi statui possit: quum & B. *Colmanus* filius *Fiachra* S. Ædani Fernensis antistitis æqualis, & *Colmanus Stellain abbas Tiri-daglas*, qui anno DCXXXIIII. mortem obijt, & alij ejusdem nominis supra CCXXX. in Hibernicorum nostrorum Sanctorum matriculis delcripti reperiantur.

[z] Adamnan. Vit. Columbæ, lib. 3. cap. 23.

[h] Vid. supr. pag. 702, 934-937.

Qui reliqui sunt, *Ernanus* & *Cronanus* presbyteri, *Cromanus* * *Ernianus*, presbyteri fuisse videntur, quibus à Romano Clero, anno DCXL. sede Pontificiâ post Severini mortem vacante, inscripta habetur [i] Epistola. [k] Adamnanus *Erenei* meminit vel (ut alia legunt exemplaria) *Ernenei, per omnes Scotiæ* sive *Hiberniæ* (quod ipsum & alij hic habent codices) *Ecclesias famosi, & valdè notissimi.* Et cùm Hibernis, ut & Anglis, Iepen *ferrum* denoter, & Iepnan nomen inde deductum quasi *Ferreolum;*

* *Hermannus* vocant edita Bedæ exemplaria (lib. 2, cap. 19.) contra veterum MSS. fidem.

[i] Epist. Hibernic. Syllog. num. 9.

[k] Adamnan. Vit. Columbæ, lib. 1. cap. 3. Vid. suprà, pag. 935.

lum; hunc eundem esse Stephanus Vitus existimat, de quo alibi [1] Adamnanus ita meminit. *Christi miles valdè senex, cui nomen etiam potest dici Feolus, inter alierum S. Columba monachorum reliquias, & ipse sanctus Monachus, in Dorso Thomæ sepultus cum Sanctis resurrectionem expectat.* Fuit & *Cronanus* filius *Silni*, quem anno DCLXV. mortem obijsse notant Annales: & *Cronanus* abbas *Odrani* filius; de quo in Vitâ ipsius legimus. *S. Cronanus ad orientalem Mumeniæ plagam, in propriâ suâ patriâ id est Ele, venit; & stetit juxta grunnam Lurgan contra terram Ofraigi, quæ Occidentalis Laginensium plaga est. Cellam itaq; prope stagnum Cree (in quo est insula modica, in quâ est monasterium monachorum semper religiosissimorum) ædificavit; quæ Cella Sean-ros nominatur.* A quo postea loco, ut deserto & avio, ad regalem viam habitationem transferens, *magnum monasterium ædificavit: & ibi crevit clara civitas, quæ vocatur Ros-cree; in quâ post multa miracula sanctus senex Cronanus in Christo requievit.* Ea in Tipperariensi Comitatu sita (non procul à regionis *Ele* sive *Eliæ Carolinæ* confinijs) anno MCCLXXXI. Edmundo Butler Comiti Carickiano, Iacobi primi Comitis Ormondiæ parenti, à Rege Edvardo II. est donata: fuitque olim sedes Episcopalis, licèt hodie Laonensi Episcopatui habeatur annexa.

[1] Id. lib. 3. ca. 3.

S. *Lugido* sive *Molua*, qui Gregorio I. Romanum Pontificatum administrante obijt, superstites fuisse in Vitâ ejus memorantur, *Cronanus* hic *in insulâ Cre tunc habitans*, S. *Scellanus* ipsius Lugidi discipulus (cui inter alios illa Romani Cleri, de quâ diximus, inscripta etiam fuisse videtur Epistola) & *vir sanctus & sapiens nomine Manchenus.* A Richardo Armachano archiepiscopo scripta esse dicitur Vita *Sancti Manchani, septem Ecclesiarum patroni, Canonici Regularis D. Augustini, qui exemplo suæ sanctitatis multos ex variis Hiberniæ partibus ad Christi fidem convertit.* ubi *per ipsum primò ædificatum* esse traditur *Monasterium Canonicorum regularium de*

∴ in Letrimensi Comitatu.

∴ *Mohill apud Monterolii; cui dotatæ, donatæ, dedicatæ sunt multæ & variæ glebæ, terra, fendi, vasallæ, decimæ, primitiæ, reditus, fructus, proventus, oblationes, &c. quæ omnia & singula cum consensu Cleri & populi rata & confirmata sunt, & in omni tempore & ætate, ab anno sexcentesimo octavo (quo floruit S. Manchanus) Prioribus monasterij de Mohill sponte, liberè, & piè conferantur & donantur.* In Ultoniensibus etiam Annalibus ad annum DCLI. (qui nostræ æræ DCLII. est) *Manchen'*, & aliorum simul Hiberniæ sapientum, ita consignatus habetur exitus. *Obitus* * *Segeni abbatis Ie, id est, filij Fiachnæ; & quies Aidh'ogo mac Camain abbatis Cluana-mac-nois: & dormitatio Mancheni abbatis Mens-drochit.* Unde lucem accipit locus ille librorum de Mirabilibus sacræ Scripturæ authoris, de undecimo DXXXII. annorum Cyclo magno hunc in modum scribentis. ‖ *Undecimus, à Consulatu Paterni & Torquati ad nostra usq; tempora decurrens, extremo anno Hiberniensium moriente Manichæo inter cæteros sapientes peragitur. Et duodecimus nunc § tertium annum agens, ad futurorum scientiam se præstans, à nobis qualem finem sit habiturus ignoratur.*

* Vid. supr. pag. 701.

‖ Lib. 2. de Mirabilib. Scripturæ, cap. 4. tomo 3. Oper. Augustini.

§ Ann. Christ. 655 quo author scripsit.

Manichæi nomen ab infami illo hæresiarchâ notissimum fuit, qui *Paracletum* se fingens, eâ appellatione id ipsum exprimi voluit. Apud Hebræos enim נחם *Menachem* sive *Manahem* non aliud quàm *Consolatorem* sonat: cujus nominis † Regem Israëliticum à ° Sulpicio Severo *Manem* etiam, ut istum alterum, contracto vocabulo nuncupatum observare liceat. A voce illâ vulgatissimâ in *Manchenum* nostrum *Manichæi* vel *Manicheni* potiùs derivatum est nomen. Eundem enim esse hominem, cujus obitus in nostris Annalibus & Opere de Mirabilibus Scripturæ designatur, & loci & temporis convenientia contensusque dubitare nos non sinit. Cyclos suos scriptor ille ab Orbis conditi deducens exordio, in annorum Mundi supputatione (cum ‡ Victorio Aquitano in Paschali suo Canone, & Romanâ Ecclesiâ

† 4. Regum, 15. 14, 17.

° Sulp. Sever. sacr. Histor. lib. 1.

‡ Vid. supr. pag. 403.

Ecclesiâ in suo [q] Martyrologio) Eusebij Cæsarienſis rationes est secutus: quæ ad Christi Nativitatem in anno Cæsaris Augusti XLII°. positam 5199. ad initium vulgaris nostræ epochæ annos 5200. dinumerant. Undecim DXXXII. annorum Cycli annos 5852. conficiunt: unde deducti 5200. annum æræ Christianæ 652. relinquunt, Cycli undecimi extremum; quo inter cæteros *Hibernienſium* sapientes author hic *Manichæum*, Ultonienſium Annalium concinnator *Mancheum*, mortem obijsse significat.

[q] Martyrologe Roman. & Usuard. Decemb. 25.

Ad *tertium* etiam hunc ordinem referendus est S. *Carthagus*, de quo [r] diximus, qui & *Mochudæus* (primus *Rathenienſis* cœnobij Abbas, & Lismorensis civitatis Episcopus) cum duodecim suis in Rathenienſi monasterio discipulis. quorum primus fuit *Mochue filius Nuellani*: qui *primus monachus in monasterio Rathen factus*, posteà cellam *in proximo civitatis Rathen* obtinuit, *in loco qui dicitur Cluain-dachran*. tùm *Mochoemog filius Vairt*; *tres filij Nascaind, Gobbanus, Sraphanus & Lasreanus*: *Melua Lugair, Mochoemog filius Cuait, Aidanus*; qui habuit *cellam in regione nepotum Torna, prope montem Luachra*. Item *Fiachna*: qui *cellam prope Coningnibh* tenuit; sed apud Aidanum sodalem suum in fine nepotum Torna conditus, cellæ ipsius suum nomen reliquit. Nam, ut à Biographo est notatum, *ille locus Scoticè Cell-fiachna nominatur*; *qui priùs Cella Aidani Redaire vocabatur*. Neque prætermittendi *Mochoemog episcopus & Findlugus*, S. Carthagi in eâdem scholâ Rathenienſi; neque *Fachtna filius Monghich*, *Mocholmog filius Gillem*, *Mocholmog Cainnich*, *Fachtnanus*, *Fergus*, *Conaire*, *Silennus*, *Segenus*, *Trienus*, & *Liber episcopus*, S. [s] Barri (qui & *Locanus* & *Barrocus* &, communi cum [t] Finiano Clunardensi nomine, *Find-barrus* dictus est) in Corcagienſi Ecclesiâ, discipuli.

[r] Supr. pag. 910. 911. 919. & 943.

[s] Supr. pa. 951.

[t] Supr. pag. 904. & 954.

Ad eundem etiam *tertium* Sanctorum ordinem pertinent, S. *Camminus* de *Iniſh-kealtair*, quem circa an-

num DCLIII. mortuum esse Annales Inisfallenses; & S. *Cumminus Fada* sive Longus, quem anno DXCII. natum & DCLXII. defunctum Ultonienses nos docent Annales. *Insula Keltra* (ut eam [a] Marianus Scotus appellat) in lacu *Dergid* posita est, in quem ad XVI^um. ab urbe Limiricense milliarium Sinens fluvius illabitur: ubi & ædes sacra cernitur, quæ *Templi Cumminii* nomen adhuc retinet. Habebatur Psalterium, cujus unicum tantùm quaternionem mihi videre contigit, obelis & asteriscis diligentissimè distinctum: collatione cum veritate Hebraicâ in superiore parte cujusque paginæ positâ, & brevibus scholijs ad exteriorem marginem adjectis. Atque illud S. *Cumminii* manu fuisse descriptum, communi traditione ferebatur. *Cumminus* verò *Fada* sive *Fota*, filius fuit *Fiachna* regis *Lar-muman*, id est, [x] *Occidentalis Momoniæ*: atque Hymni illius author fuisse dicitur, cujus initium; *Celebra Juda festa Christi gaudia.* Eum Scholiastes compositum notat tempore *Domnalli* filij *Ædæ* filij *Ainmerech*; hoc est, *Donaldi* II. qui in [y] nostro Regum Indiculo XV. locum obtinet.

[a] in Florentij Wigornienſis Chronico; ad annum 1043. secundùm Dionys.

[x] Vid. Camden. pag. 737. in *Desmoniâ*,

[y] Supr. pag. 947.

Verùm Sanctorum Hiberniæ, non dicam Acta describere, sed vel ipsa nomina numerando percensere, magnæ res esset studij multæque operæ: ideoque hanc lampadem alijs, quibus ista curæ esse intelligimus, lubentes tradimus. Interim dum nos, persoluto hoc quod patriæ & civibus nostris, deberi à nobis existimabamus officio, de Hebræorum, Græcorum, Romanorum, aliarumque gentium temporibus antiquioribus digerendis cogitationem suscipimus; à D. Iacobo Waræo Dublinienſi, Equite aurato & Regij apud nos ærarij Rationali dignissimo, Hiberniæ nostræ Annales, unà cum patriorum Scriptorum Catalogo (è quibus eorum quæ hâc in parte desiderantur non exiguum peti poterit supplementum) benevolus Lector expectabit.

FINIS.

AD

BRITANNICARVM ANTIQVITATVM COLLECTANEA

Appendix gemina:

Altera

ADDITIONES & EMENDATIONES;

Altera

Chronologicum Rerum Indicem complectens.

ANNO DOMINI

CIↃ IↃC XXXIX.

IACOBVS ARMACHANVS BENIGNO LECTORI SALUTEM.

QVod non efficit hora, plerunq; præstat mora: in eo præsertim scriptionis genere, quæ tota lectionis est & observationis, indeq; cum ipso tempore adaugescit. Dum igitur prælum alijs distineretur operis, nostra Britannicarum Antiquitatum Collectanea iterum relegendi facultas data est: ubi errata, non Typographica solùm (quæ, me absente, præter modum accreverant) sed mea ipsius quoq; non pauca emendandi cõmodam occasionem nactus, reipsâ ostendere volui, quantopere probatum mihi fuerit nobilissimi Philosophi præclarum illud

oraculum; * δεῖν ἐπὶ σωτηρίᾳ δ' ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν. *Sed & aliarum obſervationum, quę intereà in mentem venerant, tanta facta eſt acceßio; ut ex trinâ illâ relectione redundans fructus tertiæ cujuſdam editionis vicem ſupplere poſſe videretur.*

* *oportere, veritatis tuendæ cauſâ, vel noſtra ipſorum dicta evertere.* Ariſtot. Ethic. Nicomach. lib. 1. cap. 4.

Indicem præterea Chronologicum adjecimus locupletißimum: ut quæ in toto opere paßim disjecta jacent, explicatis ordinibus temporum, uno in conſpectu omnia ponerentur. Unde nec ijs ſolùm quę verè contigerunt, ſed etiam quę vulgò circa ea tempora accidiſſe credebantur, locum hîc dedimus: certum, ubi res dabat, annum apponentes; ubi vero id fieri non poterat, ad proximam quamque annorum decadem ſingula indefinitè referentes. Iſta, Lector, neſcire te noluimus.

Vale.

Addenda quædam, & emendanda.

PAg. 14. in margine, lin. ult. post § 5. *adde.* Vide Petrum de Natalibus, lib. 6. cap. 124. Melchiorem Inchofer, de veritate Epistolæ B. Mariæ ad Messanenses, cap. 13. & Franciſc. Bosquet. Eccleſ. Gallican. Hiſtoriar. lib. 1. § 3.

Pag. 15. lin. 12. post [*extremum*] adde. In Pseudo-Dextri quoque Chronico, ad annum Christi XLVIII. similiter legimus. *Hieroſolymitani Iudæi vehementes inſenſi B. Lazaro, Magdalenæ, Marthæ, Marcellæ, Maximino, Ioſepho ab Arimathiâ nobili Decurioni, & alijs plurimis; navi ſine remigio veliſq; ac ſine gubernatore, eos imponunt & exulare mandant: qui per vaſtum mare diviniùs delati, ad Maſſilienſem portum incolumes appellunt.* & in fragmento Helecæ attributo. Fama eſt, *Magdalenam Lazari ſororem, cum Lazaro, Maximo atq; S. Chelidonio, Marcellâ, Ioſepho ab Arimathiâ, veniſſe in Galliam Aquitanicam, ibiq; prædicâſſe Domini Ieſu ſanctum Euangelium: ut docent luculenter Gallorum hiſtoriæ, & eſt traditio ubiq; ſatis recepta illius regionis.*

Quod autem &c.

Pag. 18. lin. 2. post [accedentem.] ſequentia ita ſunt reponenda. [a] Partem enim pretioſiſſimi ſanguinis Servatoris noſtri repoſitum hîc fuiſſe fingit; ſive in Cruce effuſi, ſive ex ſuprema Chriſti cœnâ reſervati: de quâ Stephanus Forcatulus. [β] *Britanni ſacræ illius cœnæ pignus ac teſtimonium ſecum attuliſſe Ioſephum commemorant: nempe catinum ſanctiſſimis convivijs appoſitum, diutiſſimè in magnâ cæremoniâ, tanquam pignus quoddam ſecuritatis Britannicæ; non aliter atq; Trojanum Palladium.* Hæc ille: de auctâ etiam a Ioſepho vetere magiâ Britannicâ effictum non minùs à ratione quàm à religione remotum poſteà adjiciens. [γ] *Auxit prodigioſos ritus Ioſephus*

[a] Hiſtor. Anglic. Arthuri, à Malorio edit. lib. 11. cap. ult.

[β] Forcatul. de Gallorum impetio & philoſoph. à, lib. 7. pag. 989.

[γ] Id. ibid. pag. 1002. Vid. Iacob. Valdeſium, de Dignitate Hiſpaniæ, cap. 16. §. 13.

phus Arimathæus, advena Britanniæ plausibilis; qui de Solomonis fonte artem hauserat. Fuit namq; hic sapiens Rex imbutus divinitùs secretiore sapientiâ: * *incantationes composuit, quibus morbi pellerentur, & dæmones fugarentur, non rediturî.*

* Ex Iosepho, lib. 8. Antiquit. Iudaic. cap. 2.

De duodecim discipulis à B. Philippo in Britanniam missis, Malmesburiensis quidam monachus in Eulogij sui libro 2°. hunc in modum meminit. *Anno Incarnationis Domini* LXIII. *& assumptionis beatæ virginis Mariæ* XV. *duodecim discipuli venerunt in Britanniam majorem, missi à beato Philippo apostolo ad verbum Dei ibidem prædicandum: quorum primus fuit Ioseph ab Arimathiâ, qui Iesum Christum sepelivit. Quibus rex Arviragus, licèt paganus, ne ulteriùs laborarent, duodecim hidas terræ eis contulit in insulâ Avalloniæ, quæ nunc dicitur Glastoniâ. In quo loco Ecclesiam in honore beatæ Virginis per admonitionem S. Michaëlis archangeli, de virgultis muros facientes, construxerunt.* In Chronico quoque Glastonienſi anno &c. *ut pag.* 18. *lin.* 7. (deletis intermedijs.)

Pag. 22. lin. 4. post [Foxus noster] *adde.* Sed neque ille ejusmodi librum unquàm vidit: neq; Nicolao Sandero ulla fides adhibenda, Gildæ hic authoritatem tam confidenter in libro primo de Schismate ita venditanti. *Glastonia locus est in occidentali Angliæ parte, qui tam traditione perpetuâ quàm antiquissimorum scriptorum authoritate, is esse creditur, quem Iosephus ab Arimathiâ, qui Christum sepelivit, Iudæorum persecutionibus Iudeâ ejectus, sub Nerone Imperatore in Britanniam cum multis socijs delatus, ab Arvirago Britannorum obtinuit, in quo sacellum Deo cœli conderet; anno Christi quinquagesimo. Ita enim Gildas Britannus, scriptor Christianus qui propter excellentem eruditionem Sapiens cognominatur; ante mille ferè & centum annos memoriæ prodidit; & omnes deinde Anglorum annales confirmant.*

Iohannes Capgravius, in vitâ Iosephi, his alium etiam testem addit *Melkinum* quem *ante Merlinum* fuisse ait, &c.

Pag.

Ibid.lin.17. *fassula*] lege *fascula*.

Pag.24.lin.24. * Nicodemi] adde in margine. * sive *Gestis Pilati*: apud Gregor. Turonens. histor. Francor. lib.1.cap.20.

Pag.25.lin.32. post [hodie] *adde hanc parenthesim.* (si §. Thomam Dempsterum exceperis.)

§ Dempster. Apparat. ad histor. Scotor. lib.1. cap.7. (pag. 27.) ex Petro de Natalibus, lib.4.Catalogi, ca.2. Vid. Melch. Inchofer, de veritate Epistolæ B. Mariæ ad Messanenses, cap. 13. (pag.71.72.)

Pag. 29. lin. penult. post [*numerus.*] adde. De ijsdem Enlogij author, libro 2°. *Ibidem diu commorantes (multisq; de dicto regno ad locum confluentibus per eosdem ad Christum conversis) tandem in pace quieverunt. Ioseph verò ab Arimathiâ ibidem sepultus est juxta dictum Ecclesiam* [B. Mariæ] *cum duabus phialis plenis de sudore Christi sanguineo, quas secum de terrâ sanctâ detulerat.* Quis verò inde &c.

Pag. 31.lin.7. post [confundunt.] adde. *Principes Apostolici senatus Petrum & Paulum ex Româ unum misisse, qui Lucium Regem Britanniæ convertens, faceret regalem sacerdotem*, affirmat * Sigismundus Meisterlinus Augustanus. Nec desunt, &c.

* Sigismund. Chronic. Augustan. Ecclesiastic. cap. 3. (tom.3. scriptor. rer. Germanicar. à Io. Pistorio edit. pag.592.)

Ibid. lin. 29. post [&c.] *adde.* Deniq; °.° Dempsterus die III. *Decembris* (quo Curiæ apud Rhætos illum quievisse suprà est dictum *in Scotiâ baptizationem Lucij regis per Timotheum S. Pauli discipulum, cum Emerità sorore*, ex Constantini Felicis Ephemeridibus factam esse notat.

°.° Dempster. in Menolog. Scotic. Decemb. 3. & Histor. Ecclesiastic. Scotor. lib.5. num.482.

Pag.34.lin.7. * Ponticus Virunnius,] adde in margine * Initio libri 5. in primâ editione, quæ prodijt Augustæ Vindelic. anno 1534. nam in posterioribus editionibus, pro anno 156. malè repositus habetur 158.

Pag.37.lin.19. & ante eum Ninius.] *adde*, in cujus apographo, ad Dunelmensium monachorum Bibliothecam quondam spectante, hujusmodi etiam habetur veteris librarij annotatio. *Ex quo Brittones primùm fidem Christi, tradente Papâ Evaristo, regnante rege Lucio susceperunt*; HOC *anno gratiæ* MCLXVI. 1002. *anni transacti sunt.* Nam in eo codice, & duobus alijs quæ consului Ninij exemplaribus, *Post* CLXIIII. *annos post adventum*

tum Christi Lucius baptismum suscepisse legitur: licèt in alio CXLIIII. & duobus antiquissimis Cottonianis CLXVII. annos exaratos invenerim.

CLXV. Thomas Rudburnus, &c.

Pag. 38. lin. 31. *lege.* author Annalium MSS. ad annum 1364. & Iohannes de Garlandiâ, in Poëmate de triumphis Ecclesiæ, lib. 4.

CXCIX. Monachus Malmesburiensis anonymus, libro 2. Eulogij.

Pag. 50. lin. 17. post [incolebant.] *adde.* Thomas Dempsterus § *Elvanum* quidem *Avallonium* cognominat, sed *Scotum* tamen fuisse sibi persuadet: imò & *primum fuisse qui ad res Scoticas illustrandas accesserit*, ejusque *fidem Veremundum & alios vetustissimos Annalium Scoticorum authores impensiùs extulisse*, atque scripsisse illum *veteri linguâ Scoticâ, hoc est* (ut ipse quoq; agnoscit) *Hibernicâ, Historiam Scotiæ* libro uno, & *Descriptionem Scotiæ* libro altero; mirâ quidlibet fingendi assumptâ sibi licentiâ, affirmare non erubescit. Iohannes Caius Doctores istos *Cantabrigienses* fuisse conjicit, &c.

§ Dempster. Histor Eccles. Scot. lib. 5. num. 490.

Pag. 53. lin. 11. post [Demochares.] *adde.* De eodem *Marcello*, ex Chronicis Tungrensium, similia refert Nussienfis monachus in Magno Chronico Belgico à Iohanne Pistorio edito. *Iste Prædecavit ultra mare: & obtinuit ut Lucius Rex Britanniæ mandârit Eleutherio Papæ, quòd cum gente suâ vellet baptizari. Ex eo tempore proventus Ecclesiarum Tungrensium putatur provenisse ex Angliâ.* In Treverensium, &c.

Pag. 54. lin. penult. post [comperimus] *lege.* Britannicâ nomenclaturâ *Dwywan* sive *Duvianus* appellandum censemus; quomodo & Wintonienfem quendam Episcopum Arthuri Regis temporibus nuncupatum fuisse, « Britannica refert Historia. Quod enim Iohannes Stowæus in Anglicis suis Annalibus mihi persuaserat, apud Somersettenses in Decanatu de Dunstor Ecclesiam parochialem adhuc manere S. *Decuviani* nomine insignitam:

« Galfrid. Monemuth. lib. 9. cap. 15.

signitam: re diligentiùs exquisitâ, falsum esse comperi; atque à S. *Decumano* Britanno (cujus apud Iohannem Tinmuthensem & Capgravium Vita extat) & ædem illam, & ad quem ea spectat * viculum, communem appellationem accepisse. Nec quod audiviisse se scribit ß Nicolaus Harpsfeldius, in Cambriâ quoque extare Templum Fugacij & Damiani memoriæ dicatum, majorem fidem mereri arbitror.

* S. Decombes.

ß Harpsfeld. Histor. Eccles. siast. Anglicani lib. 1. cap. 3.

Res ab his &c. (ut pag. 55. lin. 4. *deletis intermedijs.*)

Pag. 56. lin. 15. post [*dederunt*] adde. Iohannes de Garlandiâ, libro 4. de Triumphis Ecclesiæ:

Lucius accivit Rex ad baptisma Britannos
Primitùs, & patrios fecit abire Deos.
Regis Eleutherij festinat epistola Papæ,
Ut legatus ei dogmata sacra ferat.
Anno centeno nonagenoq; beati
Partus, templa Dei per sua regna novat.

Prænominatos etiam antistites *in Cathedralibus Ecclesijs monachos cœlesti conversatione præditos introduxisse*, ex Giraldo Cornubiensi de gestis Britonum libro I. capitulo VIII. refert Wintonienſis Ecclesiæ historiola. Iohannes Castorius, &c.

Ibid. lin. 25. post [*dicuntur*] adde. *De Londinensi sede metropolitica, & ejus translatione ad Cantuarienſem. De Eboracensi, & Pallio inde translato ad Dolensem in Britanniâ Armoricâ. De Legionensi, & ejus translatione ad sedem Menevensem ac Landavensem. De tomo*, &c.

Pag. 60. lin. 9. post [appellata] adde. *Harlechiam* etiam Merviniæ urbem, ad mare Hibernicum positam, *Caer Colun* olim fuisse dictam, Camdenus in *Merioneth-shire* affirmat.

Pag. 61. lin. 26. quod nomen ab Ethelwerdo] Ista, cum tribus lineis sequentibus, delenda sunt. Locus enim Ethelwerdi ad Gloceſtrensium Cantabrigiam spectat; de quâ infrà, pag. 338.

Pag. 62. lin. 2. post [*Guenneſi,*] omissâ sequente parenthesi,

rentheſi, *ſubjunge.* ædificatam eſſe, confirmat Ninius: hâc à vetere Scholiaſtâ explicatione additâ. *Guaſmuric juxta* * *Lugubalium ibi ædificavit: urbem ſcilicet, quæ Anglicè Palmecaſter dicitur.*

* *Carleolum. Vid. ſupr. num. III. & Camden. in Cumberland. pag. 632.*

XIII. *Cair Ceint*, &c. (ut lin. 14. *deletis omnibus intermedijs.*)

Ibid. lin. 18. poſt [appellata.] *adde.* quam à *Conſtantio* rege fundatam, Roſſus Warwicenſis; *olim Romanorum ſuperbam mœnibus* fuiſſe, affirmant * alij.

* *Vid. Camden. in Worceſterſhire. pa. 434.*

Ibid. lin. ult. poſt [*Warwicum* eſt] inferatur hæc parentheſis (de quo Warwicenſis Roſſus: *S. Dubricius ſedem habuit Epiſcopalem ubi nunc Caſtrum Warwici ſitum eſt; Eccleſiamq; in honorem B. Mariæ condidit, quæ uſq; dies noſtros apparuit.*)

Pag. 64. lin. 21. poſt vocem [*Lincolnia.*] adde. de quâ Galfridus Monemuthenſis: *Cair Lind-coit in Lindiſienſi provinciâ inter duo flumina ſuper montem locata, alio nomine Lindicolinum nuncupatur.* Ita ille, libro 9. Hiſtoriæ Britannicæ, cap. 3. ubi Arthurum, cæſis ſex Saxonum millibus, eos inde uſq; ad *nemus Celidonis* inſecutum fuiſſe narrat. Unde *ſeptimum* illud prælium, quod contra Saxones Arthurum geſſiſſe *in ſylvâ Celidonio, id eſt,* * *Cathcoit Celedon* prodit Ninius, *juxta Lincolniam* factum fuiſſe, in Polychronici ſui libro 5. cap. 6. ſcribit Ranulphus: ne quis ad *ſylvam Caledoniam* in Albaniâ, quò Saxones nunquam penetrárunt, referendum illud fuiſſe exiſtimet.

* *Prælium ſylvæ Celedoniæ.*

Pro I. &c.

Pag. 68. lin. 4 poſt [authoribus:] ita locus eſt refingendus. licèt Guilielmus Caxtonus, & eum (uti ſolet) ſecutus Iohannes Major, ſublato poſt Conſtantinum filiorum ejus natu maximo, minores duos (Aurelium & Utherum) *à Londoniarum præſule Goſſelino* (ſic enim *Guitbelinum* nominant) ad parvæ Britanniæ regem miſſos fuiſſe ſignificent. Hunc ſecutum &c (ut lin. 8.)

Pag. 75. lin. 4 5. *deleantur illa parentheſi inclusa.* (diſcipuli S. Germani Antiſſiodorenſis.)

Pag.

Pag. 78. lin. 21. post [asserit.] adde. quemadmodum & * Caxtonus, ad sua tempora respiciens, *Regem duos tunc fecisse* scribit *Archiepiscopos; Cantuariæ unum, Eboraci alterum.* A reliquis verò, &c.

* Guil. Caxton. Chronic. Anglic. cap. 44.

Pag. 80. lin. penult. post [*Landavensi.*] adde. De eo, ex Lelando, [h] Balæus. *Contigit ut Dubricius, Landavensis protopræsul sedis, authoritate Synodi archiepiscopus urbis Legionum ad Iscæ fluenta anno Domini* DXII. *designaretur. Non diu caruit suo gubernatore Landavia. Nam Thetianus, ut eo munere dignus, à patribus continuò surrogatus est.* Addit [i] Galfridus, ab eodem &c.

[h] Io. Balæ, scriptor. Britann. Centur. 1. cap. 58.

[i] Histor. Britan. lib. 9. cap. 1.

Pag. 88. lin. 8. post [quatuor:] *addatur illa parenthesis.* (quibus à Radulpho Nigro & quintus additur, quem *Sancti Germani* nominat)

Pag. 91. lin. 34. post [Pictavienſi] *parenthesin hanc interjice.* (à quo & alterum ejusdem insulæ Hilary-point nomen accepit promontoriolum) episcopali gradu accepto &c.

Pag. 98. lin. 5. post [inveniatur.] *adde.* licèt in subscriptionibus ordinandis * senioris *Episcopi* potius quàm *Episcopatus* rationem haberi solitam non ignorem. Nam quod &c.

* Vid. Baron. ann. 465. §. 27.

Pag. 99. margin. lin. ult. post [divis. 2.] *adde.* Vid. Antonij Augustini Not. in Hadriani I. Canon. cap. 13. (tomo 3. Concilior. part. 1. sect 1. pag. 445. edit. Colon. ann. 1618.) & Davidis Blondelli Censuram epistolæ 1. Clementis. (à pag. 52. ad 55.)

Pag. 106. lin. 23. *lege.* Lucium regem insulam Avaloniæ Fagano & Duuiano Chartâ suâ confirmâsse, non minùs liberè quàm à Iosepho Arimathæensi & sanctis ejus comitibus possessa fuerat; * Iohannes Hardingus narrat. Eosdemq; *prædictum Oratorium* &c.

* Harding. Chronic. ca. 51.

Pag. 111. lin. 19. post [*fuisse,*] lege. & ipse § Beda, & in Annalium quibus &c.

§ Bed. lib. 2. histor. cap. 3.

Ibid. lin. 23. post [videatur:] *adde.* cujus in Vitâ

Bonifacij Moguntini archiepiscopi meminit Willibaldus. ille nimirùm &c.

Pag. 120. lin. antepenult. post [MCLXXVII.] *lege*, & * Ranulphi Cestrensis atque Iohannis Caij, in annum MCLXXX, translationem reliquiarum Arthuri conferentis.

* Ranulph. Polychronic. lib. 7. cap. 6.

Anno ab Incarnatione Domini MCXCI. *inventum est sarcophagum in insulâ* Avallan, *& in sarcophago ossa virilia, & tabulâ plumbea in quâ ita scriptum erat:* HIC IACET GLORIOSISSIMVS REX BRITTONUM ARTURUS. *quod & ego Simon oculis meis inspexi*; inquit hic, in Abbendonienſis cœnobij historiâ. Similiter etiam Matthæus uterque, &c. (ut pag. 121. lin. 1.)

Pag. 134. lin. ult. post [Chronicon] *istam adde parentheſim.* (Augustanum, ni fallor, *Sigismundi religiosi* illud est Chronicon, quod à Velsero acceptum, cum alijs rerum Germanicarum scriptoribus à Iohanne Pistorio postea est evulgatum:)

Pag. 148. inter lin. 1. & 2. *adde*: & Iohannes de Garlandiâ, libro 2. de Triumphis Ecclesiæ:

Bacchatur sanctos dum Maximianus in omnes,
Albanus martyr Amphibalusq; cadunt.

& Hymnus, die S. Albani memoriæ dicato cantari solitus; &c.

Ibid. lin. 12. post [ministris] *addantur illa.* erutâ; & anno DCCXCIII. ut videtur, Offâ regnante positâ: cujus anonymus quidam Albanensis monachus ita meminit. *In mausoleo, inter altare S. Oswini & altare S. Vulstani, sub tabulatu marmoreo & feretro antiquo picto (dum aptitudo fundamenti quæreretur, per strepitum gradientium ab insperato invento) reperta sunt hæc. Panni plumbei (ut vulgariter loquamur) in quibus corpus Martyris proximiùs ponebatur: & quadam lamina plumbea, monopedalis longitudine, & trium digitorum latitudine. In quâ, secundum consuetudinem antiquorum, inscriptum & stylo ferreo inscal-*

ptum

ptum fierat hoc. IN HOC MAVSOLEO INVENTVM EST VENERABILE CORPVS SANCTI ALBANI PROTHOMARTIRIS ANGLORVM. & in anni illius MCCLVII. historiâ, Matthæus Pariſ. &c.

Pag. 149. in margin. lin. 1. ad liter. [g.] *lege.* 8 Collect. Hiſtoriar. Sanctor. edit. Lovan. ann. 1485. fol. 88. col. 2. & 218. col. 2. Io. Molan. &c.

Pag. 159. inter lin. 25. & 26. *adde.*

Gallicum illud Matthæi cum Latino Guilielmi & Radulphi opere conjunctum habetur in codice MSo. Ecclesiæ S. Albani ab Henrico VI. Anglorum rege donato: in quo & duplex continebatur *Tractatus, de inventione ſeu tranſlatione S. Albani,* in feſto inventionis ejuſdem (*quæ facta fuit die S. Petri ad Vincula*) in Albanenſi cœnobio legi ſolitus. In eorum priore, de nobilitate & dignitate S. Albani recitabantur iſta. *Egregiæ dignitatis miraq́; ſanctitatis martyr Albanus, ut Paſſionis ipſius à quodam altioris ingenij & eloquentioris linguæ editus narrat libellus, ex ſtemmate inclytæ gentis venam ducens clari ſanguinis, ex parentibus proceſſit paganis, velut roſa ex ſpinis: & inter ſeculares dignitates conſtitutus, claris fulgurit virtutibus, ceu lilium candet in convallibus.* & poſteà, *Albanus nomen accepit à regione Albionenſi; cujus ipſe diu ſub Cæſare primatum tenuit.* Tractatus alter, priore longè prolixior, ſub medium duodecimi poſt Chriſtum ſeculi videtur editus, & *ad prandium conventus* legi conſuevit: in cujus exordio, eam cum alijs Albano laudem tribuit, quòd *primus in inſulâ Britanniæ pro Chriſti confeſſione proprium fuderit ſanguinem*; in progreſſu verò, hâc ad Verolamienſe municipium utitur apoſtrophe.

O Verolamium, civitatis antiquæ ruina, potiùs quàm ædificium! felicior hodie in cunctis nationibus prædicaris confracta, quàm in deliciosis ſupellectilibus extiteris integra: quæ quanto fueris integra, rupta doces. Avorum namq́; largientium tua ſuperbia eſt magnificata donarijs: ſed privata, ſecus quàm decebat, tui cognitione creatoris. Idolatra enim

effecta, & variis erroribus involuta, tuum de creatore infelix creatorem; & adorans, lapidi serviebas. Proinde beatior es in tuis & ditior rebus pauper & tenuis reliquis, quàm in pretiosis fueras lapidibus & lapidibus pretiosis. Hæc per sanctum tibi martyrem Albanum apud Deum gratia; hæc coram hominibus ipsè subest intervenience potentia. Quæ superbire olim consueveras in vasis iræ, nunc humiliaris coram Deo in vasis misericordiæ. Per beatum Albanum facta es scala pertingens usq; ad cœlum; & quæ quondam fueras vorago inferni, nunc facta es aditus & janua paradisi. Intedescendunt & ad te ascendunt cives angelici; & sursùm atq; deorsùm consortes fiunt & concives nostri. Per nomen Christi nomen ubiq; beati cognoscitur martyris Albani: cùm ejus sub quo victor occubuit nesciatur vocabulum in toto orbe tyranni.

Sed & ista, quæ desumpta dicuntur ex *libro quem Dominus Iohannes Mansel specialis Domini Regis clericus & consiliarius attulit de Hispaniâ*, eidem volumini leguntur interserta. *Obsesso Londonijs Gallo & occiso, Galebroc nomen accepit ab illo; torrens scilicèt Londoniam percurrens. Illo verò regnante, orta est persecutio immanis Christianorum sub Diocletiano Romanorum imperatore. Cujus consors & legatus Maximianus Herculeus, princeps militiæ illius tyranni, Ecclesias Britanniæ subvertit; Christianos proscribendo, & ad ritum gentilium flectendo. Albanum quoq; nobilem civem Verolamij civitatis, Magistrum militum totius Britanniæ, juxta ipsam civitatem occidit; sententiâ plectens capitali. Qui secundùm sanctiones civitatis, more nobilium sic est punitus (nam si esset plebeius, aliter fuerat puniendus: sed nobilium hoc judicium fuerat plectendorum) ubi nunc in ejusdem, tanquam Anglicæ nationis Protomartyris, nobile fundatur cœnobium veneratione. Passus est autem Martyr memoratus, Britanniam sanguine purpurans primitivo, anno gratiæ* CCLXXXVI. *pro eo quòd à quodam hospite suo Christiano conversus ad Christum, licèt diversis pœnis & diuturno carcere lacessitus, usq; ad mortem in fide perstitit Christianâ.*

Quibus,

Quibus, ad nobilitatem Albani ampliùs confirmandam, à Collectore adjiciuntur etiam ista. *Quòd B. Albanus civis Verolamij indigena fuerit & in ipsâ natus civitate, præclaris parentibus ibidem propagatus; minimè latet Vitam ejus sedulò recitantes. Non enim sustinuerunt parentes ejus, quòd judicandus pro suâ causâ compeditus ante tribunal responderet; nec ut judicatus aliam subiret sententiam quàm capitalem. Veruntamen ab atavis Romanis, sicut Britones à Bruto, remotè nimis originem traxit primitivam.* Nempè in Vitâ Albani à Guilielmo Latinè redditâ sic legimus. *Per parentes & genus ejus magnum & præclarum, quod erat in civitate, non minima perturbationis rabies & dissensionis exoritur. Injuriam namq; tanti ac talis viri aquanimiter ferre non poterant: ut videlicèt homo liber, ac si al. cujus furti auctor extitisset, coram Judice ferro staret oneratus.* ad quem locum ab Albanensi quodam anonymo hoc appositum est scholion. *Nota, quòd B. Albanus civis & indigena fuit, Verolami natus & genitus. Dicit enim quòd genus in civitate habuit: ab antiquis tamen * Romanis derivatum; sicut Walenses à Trojanis.* * Vid. supr. pag. 157.

In scripto verò illo à Guilielmo monacho Albanensi edito, Clericum quoque hospitio ab Albano &c. (ut lin. 26.)

Pag. 161. lin. 17. post [confirmat.] adde. Et pro Rosso faciunt, quæ in codice illo Albanensibus cœnobitis ab Henrico VI. donato reperimus. S. Albani *convives * novies viginti & nonaginta novem, secuti magistrum suum Amphibalum & stantes immutabiliter in fide Christi, in partibus Anglie occidentalibus, scilicèt apud Lichefeld, pro Christo trucidabantur. Lich enim Britonum vel Anglorum linguâ cadaver mortui nuncupatur.* Et iterùm. *Post S. Albani martyrium, de civitate Verolamij ipsum Amphibalum sequentes nongenti nonaginta apud Lichefeld pro Christo martyrium passi, ad cœlos migraverunt. Unde Liche-feld dicitur, quasi campus mortuorum corporum. Cives verò, qui ipsos trucidârunt, revertentes Amphibalum* * leg. nongenti.

reduxerunt: & ipsum non procul à Verolamio, excogitato mortis genere, peremerunt & cum ipso quamplures de concivibus atq; etiam parentibus suis. Et posteà in ipsâ Verolamij civitate multos pro Christo & Christi nomine, quod palàm confessi sunt, truculenter trucidabant.

Pag. 163. lin. 3. post [*Rector.*] adde.

In libro quem S. Albani monasterio Henricum VI. donavisse diximus, de S. *Amphibalo* leguntur etiam ista. *Si quis de titulis ejus plus voluerit investigare; adeat antiqua scripta Lichefeldensis & Bangorensis Ecclesiarum cathedralium. Ibi enim prædicans & baptizans, multa milia hominum sequentibus signis convertit ad Dominum. Ibidem insuper, videlicèt in Walliâ & ejus confinio, (famâ celebri referente) parentes affines & incolas, uberiùs Deo animas lucrifaciens, Domino Iesu Christo præsentavit, quorum plurimi martyrio coronati ad Dominum migraverunt: ubi etiam, secundùm credibiliorum & fide dignorum relationem, fuerat oriundus. Mater enim ejus, quæ filia fuit cujusdam Regis illius regionis, clàm ipsum conceptum & clanculò natum per aliquod tempus occultaverat: & posteà limina Apostolorum adijt oratura, duxitq; vel bajulavit secum puerum elegantem. Opinantur autem nonnulli ipsum natum fuisse Romæ: quod veritati constat repugnare. quia per Historiæ tenorem certificamur, quòd B. Albano familiare & diucurnum in conversione ejus continuabat colloquium; & in Britannicâ linguâ quasi doctor & prædicator docens discipulum, peritum & perfectum reddidit Christianum. Insuper in confinio Walliæ cives Verolamij Britones quamplures, necnon & Walenses, prædicando & manifestè docendo ad fidem convertit Christianam: quod non fecisset, si linguam juvenis non addidicisset. Veruntamen de partibus rediens Hierosolymitanis, quas cum matre (sicut prætactum est) gratiâ orationis adierat, obiter Romam veniens, ibidem aliquandiu moram continuavit; ut pleniùs in lege Domini & fide quam neophytus susceperat, de sapiente sapientior, de sancto sanctior, & de instructo instructior redderetur. Ibi-*

dem

dem namq; sacris ordinibus fuisse creditur insignitus. Deinde in priori habitu orientali & peregrinali, videlicèt caracallâ (id est, villosâ chlamyde) in tonsurâ & coronâ velut clericâ, cum palmâ & cruce & aliis Christianis signis, nudusq; pedes, ut se pro Christo ultrò plus afflingeret, repatriare maturavit. Et cùm per multa hostium, maris & viarum discrimina pertransisset: proponens & desiderans ut in nativis partibus reliquias generis sui visitaret, erudiret, & ad Christum converteret eruditos; Domino ducente Verolamium pervenit.

Verùm omnes omnium, &c.

Pag. 164. inter lin. 20. & 21. ponantur ista.

Iohannes Fletus, de Westmonasterienſi Ecclesiâ in templum idolorum tunc conversâ, ex vetere Chronico Anglo-saxonico ista refert. *Seviente per totum Britanniam gravissimâ Diocletiani Imperatoris persecutione, dejectum est inter cætera hoc ipsum Christianorum habitaculum; ac deinde, juxta morem vitamq; gentilium, in profanum * Apollinis templum sacrilegâ potestate commutatum: sicq; factum est, ut ubi priùs in suâ Deum colebatur Ecclesiâ, ibidem postea fierent idolorum sacrificia; & ablatâ memoriâ Christianorum fidelium, caput efficeretur immolationis Regum paganorum.* Cum quibus etiam conjungenda, quæ à Wintonienſibus monachis, &c. * Vid. supr. pag. 129.

Pag. 165. lin. 33. post [*capitalem.*] adde. Ita *ilicetum* vox illa denotaverit, vel etiam *ulmorum sylvam*; quemadmodum Holme Cultrain in Cumbriâ *Cœnobium de Ulmo* Latinè appellatum legitur. Posterioribus verò temporibus *Dirs Woldine*, &c.

Pag. 166. lin. antepenult. post [Capgravius:] *adde.* atque ante illos & utrumque etiam Matthæum, Albanenſes monachi, qui tùm de Vitâ Offæ tùm de translatione Albani commentarios ſcriptos reliquerunt: non proximo, quo &c.

Pag. 167. lin. 3. post [*annis.*] adde. Sed en integrum

Epilogiſmum, ab alio qui tum ſcripſit Albanenſis cœnobij monacho ita propoſitum.

Ab Incarnatione Domini uſq; ad paſſionem S. Albani, anni elapſi ſunt CCLXXXVI. *A paſſione autem S. Albani uſq; ad adventum S. Germani Autiſſiodorenſis epiſcopi in Britanniam, anni* CLXIII. *Qui ſimul juncti, faciunt annos* CCCCXLIX.

Ab adventu S. Germani uſq; ad tranſlationem S. Albani ſub illuſtri rege Offâ, anni CCCXLIIII. *Quæ jungas ſuperioribus, & ſiunt anni* DCCXCIII.

Ab hâc autem tranſlatione uſq; ad eam quæ facta eſt regnante Henrico rege primo ſub abbate Gaufrido, anni ſunt CCCXXXVI. *Qui annos ſimul collecti, annos faciunt* MCXXIX.

Ab hâc autem ultimâ tranſlatione uſq; ad inventionem manſilei dicti martyris ſub abbate Iohanne ſecundo in Octavis S. Stephani factam, ſunt anni CXXVII. *Qui junctis ſuperioribus, faciunt annos* MCCLVI. *Et cum intereſſent huic inventioni ultimæ Dominus epiſcopus Bangorenſis Richardus, & memoratus Dominus abbas Iohannes, & totus Conventus ſolemniter capis choralibus redimiti (magno pulſato claſſico & cereis accenſis quamplurimis) & fidelium multitudo copioſa; conceſſit idem Epiſcopus omnibus illam inventionem venerantibus veniam triginta dierum.*

Nunc autem, videlicet anno Domini MCCLVII. *elapſi ſunt à paſſione B. Albani* DCCCCLXX. *anni: ſolâ computatione initialiter à Circumciſione Domini, tanquam à capite anni, & non ab Annunciatione Dominicâ.*

* Major, de geſt. Scotor. lib. 1. cap. 14.

Guilielmus Caxtonus, & cum ſecutus * Iohannes Major, Albani martyrium ad annum Domini CCXXVI. refert; qui toris LVIII. annis initium imperij Diocletiani antevertit. In aliis Wintonienſis &c.

Ibid. lin. ult. poſt [Capgravius.] adde, *Anaſlium* alij nuncupant (ut Actorum Albini & Amphibali ſcriptor, in Hiſtoriarum Sanctorum collectione Lovanij

anno

anno 1485. editâ) sive *Aracle*; ut eum in Gallicano suo de S. Albano Poëmate Matthæus Parisiensis nominat. Hunc, postquàm S. Albanum proprijs manibus humavisset, discerpto priùs corpusculo & capite demùm cervicibus abscisso, vitam finivisse, Acta Albani à Guilielmo edita significant. Quod illius martyrium Robertus Dunstapulensis suis versibus sic expressit.

Improba dispłosæ convulsio dissipat artus;
Horribilis lethi forma, furoris opus.
Nec moritur sontum tot Sancti mortibus ira:
Sed metit, exitij meta, macheraque caput.
Fit de terreno cœlestis milite miles,
Dum fovet invictæ strenuitate fidem.
Albani callem virtutis odore secutus,
Fit bravio consors, sicut agone comes.

Quibus & Panegyristæ Albanensis adjiciantur ista. *Hinc est quòd signifer militiæ Christi suis proposuit sequacibus formam cœlestis exercitij: ita ut ille carnifex cruentus, qui lictoris fungebatur officio, conversus ad fidem Christianus gladio videretur abjecto. Qui pro beato martyre desideravit occumbere, vel cum ipso pariter de mundi sævitiâ triumphare. Hunc Deus ministrum beato martyri deputavit idoneum; qui eum cum trophæo, gaudentibus Angelis, comitaretur ad cœlum. Indignum namq; fuerat, ut solus graderetur & sine comite, qui æternâ coronandus radiabat claritate. Ut Romanum Levita Dei Laurentius præmisit ante se strenuum militem: ita sanctus martyr Albanus hunc habere collegam meruit & consortem. Cum hoste jam rabido luctatur in prælio, ut cum Albano Christi martyre glorietur de triumpho. Infertur militis cervicibus carnificis gladius, eumq; subsequitur ad superna celeriter proprio sanguine laureatus. Signum Apostolatus ejus ipse miles erit in Domino, qui primitias sacri martyrij Angligenæ nationis consecravit in regno. Ejus miles insignis, inhærens vestigijs invictissimi martyris; quàm felix & quàm præclara fulget victoria tua beatæ passionis! Feliciter renunciasti lictoris*

rio officio, feliciter ditatus es nomine Christiano. Qui in terrâ Ægypti salvavit Israëlitas per cruorem Paschalis agni, ipse te suo signavit charactere, & baptizari fecit in propriy sanguinis pretioso liquore. Confessio vocis & credulitas cordis tibi locum olei ministravit & chrismatis: dealbatus es candore sempiterni luminis, adunctus decore superne claritatis. Eum prosequeris cominatus ad palmam, quem sequi tua probitas non refugit ad pœnam. Illius es vestigia investigans ad præmia, qui decertator validus præcucurrit ad prælia.

In Romano Martyrologio novo, &c. (ut pag. 168. lin. 1.)

Pag. 168. lin. 29. ab initio illius sectionis, usq; ad vocem [*confessoris.*] in lineâ penultimâ, deleantur omnia: (*Leonorium* enim Britannum ad posteriora referendum esse tempora, in additionibus ad pag. 533. posteà docebimus:) & sectio ita inchoanda.

In Romano Martyrologio & alijs, &c.

Pag. 169. lin. 21. ita inchoanda hæc sectio.

Ab alijs B. *Augulus* vel *Augulius* (Ricemarchus *Agulinum* nominat) *sub Decio passus dicitur*: quemadmodum in suis Sanctorum Canonicorum Natalibus, ad diem VII. Februarij, Constantinus Ghinius annotat. Gilbertus Genebrardus, in Calendarij Romani Chronologiâ, ad eundem diem *Augurij* (sic enim appellat) *Episcopi Hiberniæ, anno* CCCLXI. *sub Valentiniano* (*Iulianum* volebat dicere) exceſſum collocat. * Thomas Dempsterus, de passionis tempore cum Genebrardo consentiens, de patriâ repugnat; & suæ, id est, recentiori *Scotiæ* antiquum Christi martyrem vendicat. Quod ne sine authore fecisse videretur; *Hunibertum Scotum, scriptorem antiquissimum, in suâ historiâ ejus in Scotiâ labores, prædicationem, & miracula extulisse* asserit: eâdem fingendi libidine, quâ ipsum Augurium sive Augulium *De fide plantandâ* librum unum, & *De fugâ persecutionis* alterum scripsisse subjicit. quum de sancto hoc martyre nihil aliud hodie habeatur cognitum, quàm quod à Petro Equilino hisce verbis est proditum. *Augulius episcopus* &c. (ut lin. 23.)

* Dempster. Histor. Ecclesiast. Scotor. lib. 1. num. 40.

Pag.

Pag. 170. lin. 2. ita etiam inchoanda sectio.

Atque hæc dira illa fuit à Diocletiano & Maximiano adversus Christiani nominis professores mota persecutio: de quâ, recentior Scotorum historicus, * Hector Boëthius. *Evagata est rabies illa, non modò ab Oriente in Occidentem, sed etiam per alterum orbem Britanniam: unde Christiana pietas truculentis & inhumanis adiuventis plagis concussa immani tortorum nefaniâ, ac persecutionis diuturnitate, sota fermè est ejecta; pijs viris ac religiosis persecutionum metu in eremos ac ferarum lustra concedentibus, ubi expertes injuriarum verè monasticam sanctissimamq; exegerunt vitam.* Et quidem in Britanniâ totam penè fidem Christianam hoc tempore extinctam fuisse; etiam in Antissiodorensi Chronologiâ Roberti monachi, Scotichronico Iohannis Fordoni, & Fasciculo temporum Werneri Laërij, legimus: quæ opinio ex unico Gildæ loco, non attentè satis considerato, accepta primùm fuisse videatur. Hîc enim, *ob immanitatem*, &c.

* Boëth. Scotor. histor. lib 6.

Pag. 172. lin. 25. post [*progressiones.*] adde. quod *egregium profectò* fuisse observat [b] Stephanus Forcatulus *de Britanniâ præconium; ex cujus velut sanctitatis veneranda rogo fax accensa fuerit, qua toti illuxerit Imperio.*

[b] Forcatul. de Gallorum imperio & philosoph. lib. 7.

Pag. 173. lin. 11. post [*fingitur.*] adde. *Peregrinatio Hierosolymitana & Romana, ut ab alijs ita etiam à Britannis, frequentata. Inde Origenis prava doctrina, atq; ex illâ enata nova Pelagiana & Celestiana hæresis, in Orbem diffusa. Pelagius Britannus, Celestius Scotus, uterq; Monachus fuit: Quando, & quo in loco, venenum hoc ab illis spargi cœptum est.*

Pag. 175. inter lin. 20. & 21. *adde.* & Iohannis de Garlandiâ, libro 4. de triumphis Ecclesiæ:

Romanus domitor Constantius orbis Hiberi,
Suscepit Britonum tradita regna sibi.
Regna Coël, natamq; suam concesserat illi
Quæ claro cleri dogmate clara fuit.
Hæc Constantinum peperit: pater hinc Eboraci
Decessit, nato dans ea regna suo.

Vi capiens Roviam, factus fuit ille monarcha
Mundi, quo Christi crevit in orbe fides.

Is enim *Britannicâ matre* &c.

Ibid. lin. 28. post [*comperta est.*] adde. Basileenses alteri, Constantinum illum Magnum (*qui primus Imperator Christianus*, ut illi inquiunt, *licentiam dedit per universum orbem Eccl-sias constituere; immensa ad hoc conferens bona*) *Petternæ natum in Eboracensi civitate*, adjiciunt: eo, ut videtur, nomine Collegium Vicariorum choro inservientium, *Bedæ* hodiè dictum, intelligentes. quod, uti etiam Ecclesia Christi nomine insignita (quæ, *Ecclesia S. Trinitatis in Curiâ Regis*, in antiquioribus Chartis nuncupatur) pars olim * palatij Imperatorij fuisse existimatur. Hic etiam in *Helenæ* memoriam ædes sacra est posita: sicut & Londini altera, ubi Constantinum quoque editum, in Urbis illius Descriptione, affirmat Guilielmus Stephanides. fortasse quòd Londinum ille, *rogatu* &c. (ut lin. penult.)

* *Vid. supr. fin. pag. 97. & 171. ex Eumenio.*

Pag. 178. lin. 21. post [presbyter.] *adde.* qui etiam de Constantio posteà subjicit. * *Filiam regis Britanniæ nomine Helenam, defuncto priùs patre ejus nomine Iohel, (leg. Coïl) accepit uxorem, de quâ genuit Constantinum. Quamvis alij asserant ipsum Constantinum fuisse spurium filium Helenæ puellæ tabernariæ, in finibus Persarum genitum, dum pater ejus Constantius pro colligendis tributis publicis legationis in Perside fungeretur.*

*Ibid. part. 10.

De *Trevericâ* verò Helenæ origine ne quis scrupulus deinceps animo cujusquam insideret, Treverenses caverunt monachi; præclaro hoc Silvestri I. Romani Pontificis nomine in vulgus edito diplomate.* *Sicut in gentilitate propriâ virtute, fortiter & nunc Trebir Primas super Gallos & Germanias prioratum: quem tibi præ omnibus harum gentium Episcopis in primitivis Christianæ religionis doctoribus; sc. per Eucharium, Valerium, & Maternum, ac per baculum capiti Ecclesiæ Petrus signavit habe-*

*Guilielmi Kyriandri Commentar. de August. Trevetor. part. 3. pag. 15, 16.

habendum; suam quodammodo minuens dignitatem, ut te participem faceret. Quem ego Sylvester, ejus servus successioneq́ indignus, per Patriarcham Antiochenum Agricium renovans confirmo, ad honorem patriæ Dominæ Helenæ Augustæ, metropolis ejusdem indigenæ: quam ipsa felix per Apostolum Matthiam Iudæâ translatum, cum tunicâ & clavo Domini, & dente Sancti Petri & capite Cornelij Papæ, cæterisq́ reliquijs ditavit specialiterq́ provexit. Hujus Privilegij conscij nocivi æmuli communione dirimantur, quoniam anathemate maculantur.

Ita g Otto Frisingensis. *Hanc*, inquit, *Helenam* &c. (ut lin. 23.)

Pag. 184. lin. 6. post [*Imperatoris.*] adde. Similiter & Hermolao æqualis historicus, cum Aumiano Marcellino ab Henrico Valesio viro eruditissimo nuper editus, *Constantinum natum in opido Naisi*, illudq; cum *opidum posteà magnificè ornavisse* scribit. Ubi & illud obiter notandum, Stephani ætate Thraciæ membrum habitam fuisse *Dardaniam*; quæ α Ptolemæo *Mysiæ superioris* pars fuit. Nam & *Naissum* & vicinam * *Scoporum* sive *Scuporum* urbem in Thraciâ Stephanus constituit, quas in § Dardaniâ Ptolemæus, in Bulgariâ β Cedrenus collocat. Et γ *Mysiam* verò & δ *Bulgariam* Thraciæ aliquando partem fuisse, etiam Constantinus Porphyrogenitus annotavit.

Verùm eâdem libertate criticâ, quâ &c. (ut lin. 7.)

Pag. 185. lin. 4. post [Chronico,] adde, § *Gaianum Naisitanum* inter *Catholicos Illyrici* numerat *sacerdotes*, atque * *Hunnorum Reges*, &c.

Pag. 192. lin. 20. post [Vergilius,] *adde*. Renerus Snoius Goudanus, Beatus, &c.

Ibid. lin. 23. post [Helenam] *adde*. Britannicam fuisse, Cornelius Aurelius Batavus, Iohannes Carion & Ioachimus Camerarius (in Nicephorianæ Chronologiæ explicatione; Britannici regis filiam, Martinus Polonus, Iohannes Veronensis &c.

α Ptolem. Geograph. lib. 3. cap. 9. Vid. & cod. Iustinian. lib. 11. tit. 6. [de Metallarijs.] leg. 4. [Cùm procuratores.]

* Σκόποι, πόλις Θρᾴκης. Stephan.

§ Dardaniæ *Scupum Metropolim* facit Marcellinus Comes in Chronico. (ad an. Dom. 518.)

β Georg. Cedren. Histor. compend. pag. 615.

γ Constantin. Themat. 3. li. 1. (pag. 19.)

δ In Thematis lib. 3 (pag. 80)

§ anno 516.

* anno 441.

Pag.

Pag. 193. lin. 4. post [*Treverensis.*] adde. Mitto quod Abingdonensis Chronici collector retulit, *Abingdoniæ* educatum fuisse Constantinum: eâdem vanitate, quâ alia de cœnobij sui Abingdonensis celebritate ante Anglorum adventum est commentus. * quòd monachi supra quingentos illi fuerant adscripti, qui per sylvas & loca deserta, quæ in vicinià fuere, manuum labore victitabant, ad cœnobium singulis Sabbatis & Dominicis convenientes: præter sexaginta, qui assiduè in ipso cœnobio versabantur.

* Nic. Harpsfeld. Histor. Ecclesiast. Anglican. Secul. 10. cap. 9.

Sed à patriâ &c.

Pag. 196. lin. 14. post [*persistisse.*] adde. Hæc Hilarius: de quo Venantius Fortunatus.

§ Fortunat. lib. 8. epigram. 1.

§ Eloquij currente rotâ penetravit ad Indos,
Ingeniumq́ potens ultima Thule colit;
Perfundens cunctas, vice Solis, lumine terras:
Cujus dona Saca, Persa, Britannus habet.

et iterum:

* Id. lib. 6. epigram. 7.

** Thrax, Italus, Scytha, Persa, Indus, Geta, Daca, Britannus,*
Hujus in eloquio spem bibit, arma capit.

Pag. 200. lin. 1. post [appellat] adde. edicto suo *centum milia plebanorum* ex Britanniâ insulâ evocavisse, & *triginta milia militum, qui ipsos (Episcopos jam ordinatos* pro *ipsis* * Matthæus Florilegus hic substituit) *intra patriam quâ mansuri erant ab hostili irruptione tuerentur*; sicq; Armoricam, &c. (ut lin. 2.)

* Flor. histor. ad ann. grat. 391.

Pag. 201. inter lin. 2. & 3. *adde.*

Cum quibus comparare liceat quos nostris temporibus Nicolaus Oudartus hâc de re composuit elegos.

Quâ potis imperium sibi firmet ut urbe tyrannus
Maximus, Armoricos milite complet agros.
Nec soboles desit, fera quæ succrescat ad arma;
Præbeat uxores terra Britanna jubet.
Ursula virgo igitur Dionethi filia Regis,
Quattuor & septem millia virginum agens;
Connaro ac sociis tamquam connubia portes,
Innumeris stratum puppibus æquor adit, *Vela-*

Velaq; dat ventis. sed, divertente procellâ,
Devia Germano classis adacta solo est.
Castum ubi ne violent Pictus, Hunnusq; pudorem,
Victima dux Christo tota cohorsq; cadit.

Hanc narrationem, ut vulgatam &c.

Pag. 202. lin. 16. post [*excludant.*] adde. Unde liquet quantum fidei * Guilielmo Lindano (quem Wilsonus ducem hîc videtur fuisse secutus) debeatur, qui [illegible] ipsum fidenter nobis venditat; *Templi aream nullum suscipere sepeliendum, immò pueros recens baptizato de nocte quasi evomentem in superficiem rejicere vivendos:* atq; *hujus rei miracula narrare incolas non rara, quæ non aliis temerè inveniantur.* Aliorum de Virginibus hîsce commenta in XV°. capite plenius enarrabimus: id tantùm ad extremum hîc monentes, à Matthæo Florilego & Radulpho de Baldoc Londinensi episcopo ad annum CCCXCII. (quadriennio post Maximi cædem integro) ab alijs quibusdam (in earum Legendâ, Sanctilogio Iohannis Tinmuthensis insertâ, commemoratis) ad CCCLXXXV. à Baronio in quarto Annalium tomo ad CCCLXXXIII. Virginum cladem referri. quanquam anno demùm CCCLXXXVI. Armoricum regnum Conano Meriadoco traditum, & expulsis indigenis a Britannici generis colonis occupatum fuisse scribat Iohannes Fordonus in Scotichronico.

* apud Baron. Notat. in Martyrolog. Roman. Octob. 21.

Frequens erat &c. (ut lin. 17.)

Pag. 207. lin. 20. post [vocabulum.] *adde.* ad quod vocis etymon alludens Iulianus, libro I°. posterioris adversus Augustinum operis, pro Celestianis & Pelagianis suis ita in orthodoxos Ecclesiæ filios invehitur. *Vos imperitis auribus de nominibus Catholicorum virorum, qui propter fidem Apostolicam quam tuemur nobiscum laborant, cietis inanem fragorem: ut qui timuissent Cœlestiani à vobis dici, amitterent cœlestis fidei dignitatem; & qui expavissent, ne à nobis Pelagiani dicerentur, in Manichæorum pelagus precipitarentur.* Hâc enim παρονομασίᾳ Pelagij

nomen à *Pelago* derivatum innuit; sicut & *Cœlestij* à *Cœlo*. quanquam sine diphthongo Κελέστιον & Κελεστιανὸς à Græcis semper scribi observaverim.

Natum in Britanniâ citeriore fuisse Pelagium, Polydorus &c. (ut lin. 21.)

Pag. 261. lin. 5. [* *Capitula*] adde in margine. *Edita sunt in Isidori Mercatoris Collectione, inter epistolas Leonis Papæ, num. 72. fol. 177. edit. Paris. ann. 1525. & ad calcem Commentar. Gabr. Vazquez in primam secundæ Thomæ; ex codice monasterij montis Cassini.

Ibid. lin. 16. post [tractatu edito explicavit.] *lege*. Liber ille (quem periisse existimaverat Baronius) apud Fesulanos in Bibliothecâ Canonicorum Regularium Abbatiæ S. Bartholomæi à D. Rothæo Hiberno primùm repertus, indeque à P. Lombardo item Hiberno extractus, M. Velseri & D. Hœschelij operâ Augustæ Vindelicorum in lucem posteà est productus, atq; etiam à Franc. Suarez ad finem sexti sui Prolegomeni de Gratiâ appositus. Is in Fesulano exemplari *De gestis Pelagij*, &c. (ut lin. 20. deletis intermedijs.)

Vid. Lucæ Waddingi Hiberni Præfat. ad lectorem, Francisci Assisiatis Opusculis à se editis præfix.

Pag. 288. lin. 9. post [extitisse,] *lege*. Eusebius in illâ ad Cyrillum * epistolâ nobis indicavit.

* Suprà, cap. 9. pag 159. Hæc Iuliani verba, nihil ferè aut admodum paululùm immutata, velut sua usurpavit qui, fictitio *Patricij Armacani*, assumpto nomine, *Martem Gallicum* nuper edidit; sub finem Præfationis libri 2. (pag. 201. ed. 1. ann. 1637.

Pag. 311. lin. 24. *horúmne intuitu, receptui canere debebimus, & contumelias nostras ulcisci silentio, ac de conscientia partu aliorum videre naufragia? Verùm contradicit huic odio, primò benignitas quam generi debemus humano; deinceps spes & fides, quam habemus in Deum* &c.

Pag. 314. margin. lin. ult. post [Cassiani.] *adde*. Gabr. Vazquez. in 1am. 2æ. Thomæ, disput. 91. cap. 9. & 11. fin. item disput. 199. cap. 3. Franc. Suarez, de Gratiâ Prolegomen. 5. cap. 5. §. 6. & Theophili Raynaudi Defens. Valeriani, cap. 3. §. 2. 4. 5. & cap. 4. §. 15. 16.

Pag. 317. lin. 32. *Primatem] *adde ad marginem*. *Vid. Christ. Broweri notas ad Venant. Fortunat. lib. 3. epigram. 11. (pag. 82.)

Pag. 323. lin. 14. post [quem,] *lege*. cum alijs quibusdam

dam veterum scriptorum Opusculis dogmaticis, Parisijs anno MDCXXX. à diligentissimo Sirmondo in lucem editum habemus. Ad alia verò illa &c.

Pag. 329. lin. 7. *adde.* Hincq; *natam* § Andreas Saussaius affirmat *S. Albini Britannici profusam longè lateq; per Gallias venerationem, quæ in antiquis nitet consignata fere omnium Ecclesiarum Episcopalium diptychis: potissimùm Bituricensis, Senonensis, Aurelianensis, Augustodunensis, Macloviensis, Constantiensis,* &c.

§ Martyrolog. Gallican. Iun. 22. (pag. 377.)

Cum Constantij verò narratione conferenda hic exhibemus, quæ Albanensis quidam habet monachus; qui sub medium duodecimi post Christum seculi de Translatione S. Albani tractatum edidit. *Ad* ejus *tumbam, cœlesti sanctitate perspicuam, præclarus Dei sacerdos Autissiodorensis Germanus eo in tempore adoraturus accessit; qui Pelagianam hæresim, cum suis auctoribus, in Verolamio civitate damnavit. Associato itaq; sibi beato Lupo Trecasinæ urbis Episcopo, sepulchrum gloriosi martyris diligenter aperuit; eiq; omnium sanctorum Apostolorum & diversorum Martyrum reliquias offerens, ibidemq; recondens, solemniter collocavit. De loco autem in quo idem agonista invictus sanguinem fundens occubuit, massam pulveris secum ad natale solum gestaturus collegit: in quâ, evoluto tam diuturno tempore, rubebat martyrium insignis athletæ; ad laudem ejus & gloriam, virtute Dei magnificâ, servato cruore. Ipsius igitur gloriosi militis Christi passio & mors pretiosa per sanctum Pontificem Germanum apud transmarinas nationes celebris in sanctâ refulsit Ecclesiâ.* et alius ejusdem loci cœnobita, qui anno MCCLVII. de mausoleo S. Albani tùm invento scripsit. Reperta est *quædam urna, quasi recenter à furno figuli extracta, quâdam testâ cooperta. In quâ continebantur quidam parvi asseres, quasi de uno vase pretioso propter vetustatem confracto & ferè putrefacto; & pulvis terrestris sive incineratus & aliquantulùm madidus, quasi sanguine nondum consumpto madefactus. Olla quoq; & testa & plumbei panni erant quasi*

tincti cruore, sed indurato. Quod historiæ quæ de inventione ejus sub S. Germano facta est concordat. Legitur enim quòd idem S. Germanus massam pulveris, ad natale solum eam secum portaturus, aperto ejus sepulchro collegit: in quo martyrium insignis athleta servato magnifico cruore apparebat post tot tempora diuturna. In ipsum igitur pulverem pretiosa caro martyris & sanguis (qui primitus in Angliâ fusus fuerat) resolvebantur.

Similiter & Thomas Walsinghamius, in S. Albani vestimento apud Elienses conservato, conspecta fuisse narrat &c. (ut lin. 10.)

Ibid. lin. 18. post [*memorati.*] adde. Ædis hujus Antissiodori à S. Germano positæ ita etiam meminit in Antissiodorensi suo Chronico Robertus monachus. *Fecit basilicam S. Albani martyris infra muros ipsius urbis, quam in honore ejusdem martyris dedicavit; reliquiasq; ipsius, quas secum à Britannijs detulerat, ibidem honorificè composuit.* & reliquiarum ab eodem in S. Albani tumulo apud Britannos relictarum Matthæus Florilegus; &c. (ut lin. 19.)

Pag. 330. in margine, *lege.* S. Sur. tom. 3. Vit. Sanctor. Iun. 22. collat. cum Collectione historiarum Sanctorum edit. Lovan. ann. 1485. fol. 88. col. 2. & 218. col. 2. 3.

Pag. 335. lin. 8. post [loquitur;] *adde.* ut & Galfridi hîc institisse vestigijs Iohannem de Garlandiâ, quum in libro 2. de triumphis Ecclesiæ ita eâ de re cecinit.

Gildas historicus miracula plurima scripsit,
Quæ tunc per Sanctos facta fuêre duos.

Pag. 337. lin. penult. post [recitavimus,] *adde.* Similiter & Iohannes de Garlandiâ, libro 4. de triumphis Ecclesiæ, post fidei Christianæ à Lucio introductæ mentionem factam:

Floruit ergo fides medio tunc tempore longo:
Sed Vortigerni tempore læsa fuit.

& libro 2. Germani & Lupi adventu commemorato:

Tunc

Tunc Vortigernum fax Pelagiana tyrannum
Infecit: facem terfit amœna fides.

Pag. 340 lin. 3. post [videtur,] *adde.* cujus in Davidis Menevensis Vitâ Giraldus Cambrensis meminit; ubi Aidani sive Maidoci Ferneńsis antistitis discipulum eum fuisse notat, aliâs *Scolanum, dictum, & postmodùm in Wintoniensi, ut perhibent, cathedrâ sublimatum.* Longè enim tempore posterior extitit Swithunus ille alter, quem anno demùm DCCCCXXXVII. &c.

Ibid. lin. 6. pro [Nam] *lege* [tametsi]

Pag. 342. post lin. ult. *adde.*

S. Briocus *patriâ Anglus* (Andream Saussaium in Martyrologio Gallicano, ad diem Aprilis ultimum, hîc loquentem audis) *è provinciâ Corticianâ, nobili editus stirpe, à sancto Germano Antissiodorensi, fidem ibi disseminante orthodoxam, in Galliam abductus ingq; pietatis disciplinis feliciter institutus, postquàm altè documenta salutis imbiberat, patrios ad lares rediit, parentes suos verâ fide infirmavit, quam circumquaque prædicans plurimùm propagavit. Hinc Dominici talenti ampliùs multiplicandi cupidus, concessit in Armoricam; Conanum Trecorensem Comitem finem suum irradiando superno Euangelicæ veritatis lumine, divino lavacro abluit: adunatisq; religiosæ vitæ cultoribus cœnobium constituxit, sedisq; Pontificalis illic crepundia conferente Conano fundamenta collocavit; ubi à Metropolitâ Turonensi suscepto Pontificalis ordinis honore, maximo virtutum splendore præfuit annis fermè triginta. Deinde Andegavum profectus, ob rei sacræ incrementa, ibidem puram exhalavit animam.* Hæc Saussaius de S. *Brioco* urbis Briocensis (vulgo S. *Brieu*) ab ejus nomine nuncupatæ in Britanniâ Armoricâ primo Episcopo: quem alij non *Britannum* (id enim Saussaius voluit, quum patriâ *Anglum* fuisse scripsit) sed *Hibernum*, è territorio * *Corcagiensi* oriundum; neque Germani *Antissiodorensis* sed Germani *Parisiensis*, in § Scholâ ipsius Episcopali, discipulum fuisse tradiderunt, quâ in re, quid fuerit causæ cur

* Camden. in *Hiberniâ* pag. 729. § Claud. Hemeræus, de Academiâ Parisiensi, cap. 1. pag. 5.

cur ab aliorum sententiâ is discesserit, in *Commentarijs* quos pollicetur *Apodicticis* ut ostendat expectamus.

In anonymo de Ecclesiasticorum &c. (ut initio pag. 343.)

Pag. 343. lin. 24. post [nusquàm legimus:] *adde.* & de Germano repugnat Constantius, qui illum ex Antissiodorensis civitatis Præfecto, Antissiodorensis ecclesiæ Presbyterum & mox Episcopum ordinatum fuisse confirmat. Unde * Gabriel Pennottus Germanum *nec ante Episcopatum, nec postea, vitam monasticam professum fuisse* concludit. Sub finem anni &c.

* Pennott. histor. Clericor. Canonicor. li. 2. cap. 35. §. 4.

Pag. 349. lin. 11. post [*asserit.*] adde. Et tamen Massilientibus egregium illud opus adeo non satisfecit, ut quindecim (quæ habemus) objectionum excerpta inde Capitula, ipso Augustino adhuc vivente, ad doctrinam illius infamandam divulgaverint. Quâ de re ad Monimum ita scribit * Fulgentius. *Non ignoras præterito tempore illi luculentissimo sancti Augustini operi, quod scripsit de Prædestinatione Sanctorum, à quibusdam Gallis objectum, quòd beatus Augustinus in assertione prædestinationis divinæ peccatores non ad solum prædestinatos diceret judicium, sed etiam ad peccatum: cujus dicta, quia ipse celeri præventus est obitu, Prosper vir eruditus & sanctus rectâ defendit fide & copioso sermone.*

* Fulgent. ad Monim. lib. 1. cap. 30.

Post novum etiam exortum hoc dogma repertus est alius; quem, nescio quid scripti polemici doctissimo seni minitantem, hisce elegis idem Prosper hoc tempore castigavit.

Pag. 350. inter lin. 24 & 25. *interponenda ista.*

Sed quæ de prostratâ Pelagianâ hæresi, & egregiâ hîc Ecclesiæ à B. Augustino navatâ operâ, in hâc leguntur epistolâ, quæ à nobis etiam diligentiùs attendantur sunt dignissima. *Has versutias, quibus se filij tenebrarum in similitudinem filiorum lucis transfigurare voluerunt, cùm & Orientalium Episcoporum judicia, & Apostolica sedis authoritas, & Africanorum Conciliorum vigilantia deprehenderit;*

prehenderit; beatissimus quoq; Augustinus, præcipua utiq; in hoc tempore portio Dominici sacerdotum, copiosè & pulchrè in multis voluminum disputationibus destruxit: utpotè inter multa Dei dona, quibus illum abundantissimè spiritus veritatis implevit, habens etiam hanc scientiæ & sapientiæ ex Dei charitate virtutem, ut non solùm istam adhuc in suis detruncationibus palpitantem, sed etiam multas priùs hæreses invicto verbi gladio debellaret. Cui inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorum coronas, ad illuminationem Ecclesiæ & ad gloriam Christi, quâ ipse illustratus est, perfulgenti quidam nostrorum (quod de ipsis multum dolendum est) occultis, sed non incognitis, suffurrationibus obloquuntur; &, prono sibi noxias aliquorum aures opportunasq; repererint, scripta ejus quibus error Pelagianorum impugnatur infamant. quos tamen *novos censores* noviſſe ait, *non solùm Romanam Africanamq; Ecclesiam, & per omnes Mundi partes universos promissionis filios cum doctrinâ hujus viri, sicut in totâ fide, ita in gratiæ confessione congruere: sed etiam in ipsis his locis, in quibus adversùs eum querimonia concitatur, esse propitio Deo plurimos, qui ad perceptionem Evangelicæ Apostolicæq; doctrinæ salubberrimis ejus disputationibus imbuuntur, & quotidiè in membris corporis Christi, in quantum ea ipse multiplicat, dilatantur.*

Neque hîc doctissimi &c.

Pag. 353. lin. 15. post [objic:] adde. *qui spiritu divino* (ut * Alphonsus Alvarez inquit) *potiùs quàm humanâ industriâ, & Pelagianorum & Semipelagianorum errorem penetravit, detexit, impugnavit, expugnavit.*

* Alvarez de auxiliis, lib 1. disput. 2. §. 2.

——— *quem Christi gratia cornu*
Uberiore rigans, nostro lumen dedit ævo,
Accensum vero de lumine, namq; illi,
Et vita, & requies, Deus est: omnisq; voluptas
Unus amor Christi est, unus Christi est honor illi.
Et dum nulla sibi tribuit bona, sit Deus illi
Omnia: & in sancto regnat sapientia templo.

quem-

quemadmodum de ipso, in libro de Ingratis, Prosper cecinit.

Catholicæ de gratiâ ab eò traditæ doctrinæ summam hanc omnibus commendat Fulgentius; apposito tanto Pontifice dignissimo Elogio. § *Omnes, qui vitæ desiderant fieri æternæ participes, oportet sanctorum Patrum divinitùs inspiratis informari & adhærere sententijs; qui gratia divina sic illuminati sunt dono, ut indubitanter asseverent in hominis voluntate nihil bonæ cogitationis oberiri, nisi quod beneficio gratiæ prævenientis infunditur, nihil in melius augeri, nisi quod subsequentis juvamine roboratur, nihil bene consummari, nisi quod eâdem operante, atq; opitulante perficitur. Hæc itaq; catholicorum Patrum Apostolicis institutionibus tradita permanet in Ecclesijs sine aliquâ dubitatione doctrina, quam Græci, Latiniq; Pontifices, sancti Spiritus insusione firmati, uno atq; indissonabili semper tenuere consensu. In quâ B. Augustinus, indutus virtute ex alto, abundantiùs illis omnibus laboravit: non autem ipse, sed gratia Dei eum illo.*

§ Fulgent. de veritat. Prædestinat. lib. 2.

1. Corinth. 15. 10.

Ipsius ministerio Dominus uberiorem hujus rei fidelibus suis institutionem præbuit. Quippe adhuc ipso in corpore constituto Pelagiana hæresis adversus gratiam Dei mortiferis ausibus rebellavit. Nec defuit in vitâ benignitas miserantis Dei, quæ militem suum spiritalis gratiæ armis tanto fortiùs præcingeret, quanto acriùs adversus eandem vasa iræ diabolus instigaret. Proinde memoratus Dei Pontifex turrim fortitudinis ipsam gratiam tenens, & exinde cuncta hostilium machinamenta telorum cœlestis juvaminis virtute confringens, non solùm ipse de hoste victoriam referens triumphavit; quin etiam posteris certandi & vincendi ordinem, si quando vitia pravitas recidivo ausu infandum caput erigere niteretur, ostendit. Sensum quippe Christi habens, tam gratiæ Dei, quàm humani arbitrij & officia discrevit & merita; semper divinis humana subjiciens, & veracitet docens, divinitùs homini, & gratuitò justificationis donum, & bonæ voluntatis exordium, & plenum tribui glorificationis effectum.

Hunc

Hunc legat omnis, qui salutem æternam adipisci desiderat: humiliter orans misericordia Dominum, ut eundem spiritum intelligentiæ legens accipiat, quem ille accepit ut scriberet, & eandem illuminationis gratiam adipiscatur ut discat, quam ille adeptus est ut doceret.

Hujus sanctissimi Pontificis obitum ad jam dictum annum, duorum Augustorum Consulatu insignitum, ita refert Prosper in Chronico. &c. (ut lin. 17.)

Pag. 374. lin. 22. post [*reducebat.*] adde. quomodo & Germanum anno Domini CCCCXLIX. *Arianam* simul & *Pelagianam* hæresim *prædicatione & miraculis extinxisse*, in Vitâ S. Albani affirmat Iohannes Tinmuthensis. Pelagianam certè &c.

Pag. 382. lin. 21. post [interpolator.] *adde.* Anno CCCCXLVIII. Robertus Antissiodorensis, anno proximè sequente Nussiensis monachus in magno Chronico Belgico, Germanum Britanniam iterùm invisisse significat. Matthæus Florilegus, &c.

Pag. 383. lin. 2. post [subjicit.] *adde.* Ut manifesti convincatur erroris * Hector Boëthius, qui tradit post annum demùm Domini quingentessimum, Uthero Pendracone regnum Britannicum administrante, S. Germanum in Britanniam secundò adventantem *obtinuisse apud Occam Saxonum regem in Angliâ, virum à Christi pietate alienum, motum tamen vitæ ipsius integritate, doctrinâ & miraculis, ut impunè inter Saxones Christi dogma prædicaret (capitali pœnâ indictâ in eos qui Germanum aut Severum vel levi afficerent injuriâ:)* Kentricum Saxonem, *immanem in Christi cultores hostem, quòd S. Germanum cum comitibus, dum Christi doctrinam pijs concionibus seminaret, multa æris intemperie noctem totam sub dio permanere coëgisset, à rusticâ turbâ multis injurijs postridie acceptum, agresti manu crudeliter esse interfectum:* Germanum deniq; & Severum victoriam illam * *Alleluiaticam* obtinuisse; quam ille cum Veremundo suo ad secundum hunc, quàm cum Constantio & Bedâ ad primum Germani

* Boëth. Scotor. histor. lib. 9.

* Supr. cap. 11. pag. 331.

mani in Britanniam adventum referre maluit.

Hujus verò posterioris, &c.

Ibid. lin. 18. post [Severum] *lege.* non solùm cum S. Germano & Lupo in Britanniam profectum fuisse (quod *ex Chronicis Pontificum Trevirensium* à Nussiensi quoq; monacho in magno Chronico Belgico est proditum) sed etiam, quod temporum ratio nullo modo patitur, anno salutis nostræ CCCCXX. (circa quem & Germani obitum non minùs falsò * Iacobus Ianuensis collocat) mortem obijsse, inconsultè pronunciaverunt, &c.

* Legend. Aur. cap. 102.

Pag. 385. lin. ult. in margine. *lege.* * Vid. Humfred. Lhuyd. fragment. Britannic. descript. fol. 20. 21. & Camden. in Radnorshire. pag. 479.

Pag. 386. lin. 5. post [*hodie.*] adde. Is verò Remneius fluvius esse putatur; quem Monemuthenses hodie à Morganensibus disterminare * diximus.

* Supr. cap. 5. pag. 79.

Pag. 388. lin. 19. post [*liberaretur.*] adde. de quo & Gottefridus Viterbiensis consulendus, in 18. parte sui Chronici. Cum Gildâ tamen faciunt etiam ª Beda, ß Paulus Diaconus, γ Lupus Servatus, Fabius Ethelwerdus, &c.

ª Bed. Histor. Eccles. lib. 1. cap. 14. & lib. 2. cap. 5. & in Epitome, ad ann. 449.

ß Paul. Diacon. addit. ad Eutrop. lib. 14.

γ Lupus in Vit. S. Wigberti, ca. 1.

Pag. 391. lin. 11. post [editi.] adde. Legum Edvardi Confessoris interpolator *Gutos* eos appellat; ita de eis scribens. * *Guti similiter cum veniunt suscipi debent & protegi in regno isto* Britanniæ *sicut conjurati fratres, sicut propinqui & proprij cives regni hujus. Exierunt enim quondam de nobili sanguine Anglorum, scilicèt de Engrâ civitate, & Angliti de sanguine illorum; & semper efficiuntur populus unus & gens una. Ita constituit optimus Ina rex Anglorum.* Fabius Ethelwerdus &c.

* Guil. Lambard. Αρχαιονομια, fol. 137.

Ibid. lin. 28. post [*effectum.*] adde. quanquam communi *Gothorum* nomine universas hasce Aquilonares gentes eo tempore à Græcis comprehensas fuisse, Iohannes Philoponus significet. Τότθους γὰρ, ait * ille, τὰς βορείας πάσας βαρβάρους προσαγορεύειν εἰώθασιν.

* Iohan. Grammatic. in Aristotel. Meteor. lib. 1. fol. 106. b.

Sequitur *Anglia vetus* &c.

Pag.

Pag. 392. lin. 32. post [borealem,] *adde.* Eginhardus in * Annalibus suis, ad annum Domini DCCCVIII. de *Godefrido Danorum rege* agens, his verbis designat. *Limitem regni sui, qui Saxoniam respicit, vallo munire constituit; eo modo, ut ab Orientali maris sinu, quem illi* Ostersalt *dicunt, usq; ad Occidentalem Oceanum totam Egidora fluminis aquilonarem ripam munimentum valli praetexeret.* &, in libello de Daniæ & septentrionalium gentium situ ac naturâ, Adamus Bremensis. *Daniam à nostris* &c. (ut lin. 34.)

* Histor. Francor. scriptor. ab Andreâ du Chesne edit. tom. 2. pag. 154. 155. collat. cum pag. 45. & 83.

Pag. 395. *Nordanhumbrorum* sedes ita distingue.

Nordanhumbris: qui [a] *ad Borealem Humbri fluminis plagam habitantes*, [β] distinguebantur in

- Deiros: in
  - Lancastriâ.
  - Eboracensi Comitatu.
  - Westmorlandiâ.
  - Cumbriæ parte australi, cis Derventionem fluvium.
- Bernicios: in
  - Cumbriæ parte boreali, cum Westmorlandiæ portione illi contiguâ.
  - Dunelmensi Episcopatu.
  - Northumbriâ.
  - Scotiæ parte australi; quæ ab oriente & occidente mari Germanico atque Hiberno, à meridie Solvaico æstuario & Tweda fluvio, à septentrione Freto Dunbritannico & Edenburgico circumscribitur. *Nordanhumbrorum* enim regnum ad freta ista duo extensum, eorumque altero *Scotorum*, altero *Pictorum* ditionem terminatam fuisse; ex [γ] Bedæ & aliorum historicorum certissimis testimonijs intelligimus.

[a] Bed. lib. 2. cap. 5. & 9.

[β] Id. lib. 3. cap. 1. & 14. & lib. 2. cap. 14.

[γ] Id. lib. 1. cap. 1. & 12. & lib. 4. cap. 26. Vid. Matthæum Florilegum, ad ann. 587. Ranulph. Cestrens. Polychronic. lib. 1. cap. 58. & Io. Majorem, de gest. Scotor. lib. 2. cap. 3.

In *Deira* & *Bernicia* terminis definiendis, scriptores non conveniunt. *Regnum Deirorum à fluvio Humbro usq; ad flumen Tyne extendebatur; regnum verò Bernicio-rum à flumine Tyne usq; ad mare Scoticum porrigebatur:* ait, ex Alphredo Beverlacensi, [δ] Ranulphus Cestrensis. &

[δ] Polychronic. lib. 1. cap. 51.

& post eum, Malmesburiensis monachus, in Eulogij sui libro 4°. *Regnum Deirorum*, inquit, *à fluvio Humbre usq; ad flumen Tyne se extendebat; regnum verò Berniciorum à flumine Tyne usq; ad mare Scoticum, ubi nunc est Villa sancti Iohannis, porrigebatur: totum enim intermedium ad regnum Berniciorum pertinebat.* Richardo autem Priori Hagustaldensi, in Operis de Ecclesiæ statu principio, *Deira ab Humbrâ incipiens ad Tesam fluvium terminabatur*: quam distinctionem & [a] Humfredus Lhuydus est secutus. Guilielmus Camdenus, [z] aliquando *Tinam*, [a] aliquando *Tesim* fluvium horum regnorum communem limitem constituit: & utramque sententiam Iohannes Timmuthensis, in regis Oswaldi Vitâ, ita conciliare nititur. *Regnum Deirorum à flumine Humbriæ usq; ad Tynam fluvium quondam se extendit: regnum verò Berniciorum à fluvio Tyne (an Tesæ potiùs?) usq; ad mare Scoticum, quod Scoticè Forth dicitur, porrigebatur. Quicquid enim inter Tynam & Tesam fluvios extitit, sola eremi vastitudo tunc temporis fuit: & iccircò nullius ditioni servivit; eo quòd sola indomitorum & silvestrium animalium spelunca & habitatio fuit.* quod ipsum etiam in Iohannis Fordoni Scotichronico similiter annotatum invenimus.

[a] Lhuyd. Fragment. Descript. Britann. fol. 24. [z] Camden, Britann. pag. 558. [a] Id. pag. 674.

In Bedâ quod huc faciat illud tantùm reperimus: [b] *Eatum, qui Berniciorum provinciam gubernabat, in Hagustaldensi sive Lindisfarnensi Ecclesiâ cathedram habuisse Episcopalem.* Ne igitur Ecclesiam, non Dunelmensem solùm (ad quam post Bedæ tempora Lindisfarnensis sedes est translata) sed ipsam etiam Hagustaldensem, cis Tinam fluvium positam, extra Berniciorum fines (intra quos non [c] Richardus solùm sed etiam [a] Beda eam collocat) transferre necesse habeamus: Tesis potiùs quàm Tinæ interpositu regna hæc disterminare maluimus. Eâque ratione, ut ad Orientalem Berniciæ partem Dunelmensem Episcopatum & Northumbriæ Comitatum hodiernum; ita ad Occidentalem totum illud Cumbrense regnum (cujus in XV°. capite occurret mentio) arbi-

[b] Bed. lib. 4. cap. 12. & 27.

[c] Richard. de statu Eccles. Hagustaldens. cap. 2. [a] Bed. lib. 3. cap. 2. & lib. 4. cap. 12.

arbitramur referendum, quod everſo Nordanhumbrorum Anglorum regno inter Deryentionem fluvium & fretum Dunbritannicum à Cambrobritannis eſt conſtitutum.

Indigenas Britanniæ, qui Avgli &c.

Pag. 396. lin. 11. poſt [fuiſſe ait.] adde. *Sicut Anglicana promit Hiſtoria, Saxones inferiores, qui vulgò dicuntur Friſones, cum innumerâ claſſe Britannicam expugnaverunt Inſulam: inquit* Iohannes de Bekâ, in ſuo Trajectenſium Epiſcoporum Chronico. & Guilielmus Heda, in ſuo: *Avgli & Saxones & Marcij, qui Britanniam occupaverunt, egreſſi fuerant ex Germaniâ inferiore.*

Suffridus Petrus &c.

Pag. 404. lin. 26. ita inchoanda ſectio.

Anglos *applicuiſſe in Britanniam anno ab Incarnatione Domini* CCCCXLV. *anno Theodoſij Imperatoris* XV. ſcribit Radulphus Niger in Chronico. In ipſum annum CCCCXLVI. quo tertium Conſulatum geſsit Aëtius, eorum adventum Sigebertus conjicit: cum quo & antiquior in Bibliothecâ Cottonianâ conſentit Chronographus, *annum Dominicæ Incarnationis* DCCLVII. cum *anno* CCCCVIII. *adventus Anglorum in Britanniam* componens. Turgotus in Dunelmenſis Eccleſiæ hiſtoriâ, *annum Dominicæ Incarnationis* DCXXXV. *annum adventus Anglorum in Britanniam* CLXXXVIII. eſſe affirmans; à Chriſto ad eorum adventum eâ ratione CCCCXLVII. annos dinumerat. Annos CCCCXLVIII. Iohannes de Garlandiâ, in libro 1°. de triumphis Eccleſiæ, ita conſtituit.

Sunt quadringenti, decieſq; quater, ſimul octo
Sunt anni, peperit ut pia Virgo Deum:
Fortes ad validos Angli venere Britannos;
Qui gladijs regnum ſuppoſuere ſibi.

Latino-Saxonici quoque Annales, quos &c. (ut lin. 28.)

Pag. 405. lin. 29. poſt [indicat.] *adde.* Ut multo rectiùs

ad annum CCCCLIIII. Iohannes Clinnus Kilkennienſis, & Annales Eccleſiæ S. Trinitatis apud Dublinienſes, eorum adventum retulerint; quàm * Hector Boëthius, qui poſt CCCCLXXXII. demùm annum, Congallo Scotis imperante, Hengiſtum & Orſum, *lectis cum decem armatorum millibus triginta triremibus roſtratiſq; navibus* (quum Beda *trium* tantùm longarum navium meminerit) in Britanniam tranſmiſiſſe aſſerit.

* Boëth. Scotor. hiſtor. lib. 8.

Genſericum Vandalorum, &c.

Pag. 408. lin. 4. poſt [tradit] *adde.* vel * Sigeberti Gemblacenſis etiam (qui expreſſè *filium Clodij* fuiſſe dicit) nos movet teſtimonium; &c.

* Sigebert. Chronic. ann. 448.

Pag. 412. lin. 17. poſt [Agathias,] adde. *Ludoricum* Remigius Remenſis in Teſtamento ſuo, *Chlothovechum*, in epiſtola, &c.

Ibid. lin. 21. poſt [*conſtituiſſe.*] adde. Childerici enim tempore *parvam rem Regum Regniq; Francorum* fuiſſe, à ſcriptore etiam * Vitæ Gildæ (ex Bibliothecâ Floriacenſi à Iohanne de Boſco editæ) eſt notatum. Quibus & Malmesburienſis noſtri &c.

* Vit. Gildæ. cap. 12.

Ibid. lin. 28. poſt [confirmaverat.] *adde.* Quamobrem, ut linguam Francicam *Teutiſcam* appellat « Nithardus, & *Teotiſcam* ß Frodoardus: ita & Anglo-ſaxonicam noſtram Gregorius Oſtienſis *Teutonicam* nominat; de Actis Concilij Meroforum ſub Offâ Rege habiti ad Hadrianum I. Pontificem (cujus in Anglia legatus fuerat) iſta referens. γ *In conſpectu Concilij clarâ voce ſingula Capitula perlecta ſunt; & tam Latinè quàm Teutonicè, quò omnes intelligere poſſent, diligentiâ relata ſunt.* Quo minùs mirum videri nobis debeat, quod à δ Bedâ proditum invenimus, Auguſtinum & ſocios, converſionis Anglorum opus aggreſſos, *accepiſſe, præcipiente Papâ Gregorio, de gente Francorum interpretes.*

« Nithard. Hiſtor. lib. 3.
ß Frodoard. Chronic. ad ann. 948.
γ Hiſtor. Eccleſiaſt. Magdeburgenſium; Centur. 8. cap. 9. col. 586.
δ Bed. Hiſtor. Eccleſiaſtic. lib. 1. cap. 25.

Anno verò gratiæ, &c.

Pag. 415. inter lin. 2. & 3. *interponantur iſta.*

Atque hinc Simon, in Abbendonienſium abbatum hiſtoriâ

historiâ, prima Abbendoniæ suæ repetit *initia*: quam alij ejusdem loci cœnobitæ [a] Constantinianis floruisse temporibus, & ante Anglorum adventum monachorum conventu celebrem fuisse tradiderunt. Quo figmento licèt non sit veri multùm similior ipsa hæc Simonis narratio: tamen ne quid hîc etiam curiosus Lector desideret, subjiciendam curavimus. *Eo tempore quo nequissimus Hengistus paganus apud Stun-hengest tot nobiles Consules & Barones, id est* CCCCLX. *seductorià calliditate peremit; filius cujusdam Consulis qui ibidem occubuit vix evasit, cui nomen erat Aben. Hic maximo timore percussus, ad quandam sylvam in australi parte Oxoniæ sitam pervenit: ibiq; cum feris, herbis & radicibus vitam duxit, multo tempore delituit. Cùm autem aquam non haberet unde biberet; oratione factà, dedit ei Deus fontem, qui usq; hodie ibidem cernitur. Cùm audîssent ergò homines provinciæ illius sanctitatem viri; confluebant ad eum, & ejus sermonibus multùm proficiebant. Tunc construxerunt ei habitaculum & capellam in honore sanctæ Mariæ. Non ferens ergo vir ille sanctissimus hominum frequentiam, latenter recessit, & in Hiberniam profectus est; ibiq; bene finit in Domino quievit. Mons verò ubi vir ille manebat, & quem relinquebat, ex nomine ejus Aben-dun vocatur. Hic est mons qui juxta Bawbe sita est, juxta Pinnesgrave.* Hucusque Simon.

[a] Supr. in additionib. ad pag. 193.

Anno verò CCCCLXI. Hengistum, audito obitu Vortimerij, *cum tribus millibus armatorum sibi sociatis in Britanniam advectum*, viros illos CCCCLX. jugulavisse, in Scotichronico legimus. [i] Galfridus Monemuthensis *trecenta millia armatorum* Hengistum sibi associavisse narrat: atque in conventu illo, Kalendis Maijs juxta Ambrij cœnobium, haud longè à Sarisburiâ, habito circiter CCCCLX. vel (ut alia habent exemplaria, quæ Iohannes Tinmuthensis quoque in Vitâ S. Dubricij est secutus) CCCCLXXX. *Barones & Consules* occisos; eorumque corpora à B. Eldado (Glocestrensium episcopo)

[i] Histor. Britannic. lib. 6. ca. 15. cum lib. 8. cap. 5. & 9.

in

in vicino cœmiterio, Christiano more, postmodum sepulta fuisse subjicit. Guilielmus Caxtonus, & ejus vestigijs insistens [a] Iohannes Major, cum *quindecim hominum millibus*, Britanniam ingressum esse Hengistum; & in monte illo juxta Sarisburiam MLXI. (vel MLX. ut habet Major (Britonum nobiles viros dolo Saxonas interemisse scribit. [y] Iohannes Hardingus. Hengistum cum *trecentis navigijs* in Britanniam appulsum, CCCC. nobiles Britannos proditione sustuliisse refert. *Trecentos* tantum, cum Ninio, numerat [d] Guilielmus Malmesburiensis. Neque plures *Britanniæ Principes ibi peremptos*, ex Leidensi &c. (ut lin. 9. *deletis intermedijs.*)

[a] Major, de gest. Scotor. lib. 2. cap. 3.

[y] Harding. Chronic. cap. 68.

[d] Malmesbur. de gest. Regum, lib. 1. cap. 1.

Pag. 422. lin. 1. post [*quieta.*] adde. Cujus coloniæ *Riovalum* ducem fuisse, Abbas * Florentius nobis indicavit; ita de illo scribens. *Principabatur in transmarinâ sive majori Britanniâ, quæ modò dicitur Anglia; & postmodùm, in copiosâ navium multitudine ac manu validâ, exteriorem sibi subjecit Britanniam.*

* Florent. in Vitâ S. Iudoci; apud Surium, Decemb. 13.

De tempore consentit & Eginhardus in Annalibus, quos &c. (ut lin. 2.)

Ibid. lin. 7. post [*occupavit.*] adde. quod, illius vestigijs insistens, Paderbornensis Poëta latiùs explicavit; in 2°. Carolini sui Operis libro de Armoricâ gente canens similiter.

Insula cujus erat fœcunda Britannia dudùm
Patria: namq; illic habitabat tempore multo.
Cumq; novas Angli sedes sibi quærere vellent,
Sax nesq; simul hanc invasere feroces;
Expulsi statim veteres cessêre coloni,
Maxima pars quorum fugiens mare transiit, atque
Gallia quâ fines habet extremos, ibi tandem
Fluctibus Oceani quæ proxima viderat arva
Detinuit: quibus in terris hùc usque morantur;
Indicium patriæ solo dans nomine priscæ.

* Histor. Francor. scriptor. ab Andr. du Chesne edit. Tom. 1. pa. 631.

Sic & author * fragmenti Historiæ Franciæ, &c. (ut lin. 8.)

Pag.

Pag. 423. lin. 25. 26. lege. *De Nazaleodo & Arthuro Britannorum regibus; perfecutione Saxonicâ, Gildæ Albanij & Cadoci Lancarvanenſis exitu. De Iltuto*, &c.

Pag. 441. lin. 12. poſt [*Cluain-Ædnech,*] adde *in plebe* * *Laiges, poſito in* &c.

* *Laſia*, in Reginæ Comitatu.

Ibid. lin. 17. poſt [tranſmeârunt.] *adde.* ſi tamen *Congallus* noſter idem fuerit cum *Congello* illo; quem Abbatem fuiſſe monaſterij, *quod Scoticè dicitur Cambas*, idem * Adamnanus alibi ſignificat. Nomen verò illius, &c.

* Id. lib. 1. cap. penult.

Pag. 450. lin. 19. poſt [*regnavit.*] adde. de quo & Beda, libro II. Hiſtoriæ, cap. V. *Oeric cognomento Oiſc; à quo Reges Cantuariorum ſolent Oiſcingas cognominare. Cujus pater Hengiſt; qui cum filio ſuo Oiſc invitatus à Vurtigerno, Britanniam primus intravit.*

Octam deinde &c.

Pag. 455. inter lin. 23, & 24. interjice.

His etiam adde, ſi libet, « Iohannis Garlandini de Aurelio & duobus ejus ſucceſſoribus nihilo magis limatum tetraſtichon.

« Ioh. de Garlandiâ, lib. 4. de triumphis Eccleſiæ.

Hengiſtus Saxon fidei corruptor, ab hoſte
Aurelio captus, decapitatus obit.
Uter & Arthurus, fidei duo mœnia ſacra,
Exemplum dederant & ſpeculare jubar.

Mortuo enim Aurelio ſucceſſit frater ejus Uther, *qui ſecundùm traditionem Hiſtoriæ Britannicæ, ſi fas ſit credere, ope Merlini vatis adduxit de Hibernià Choream Gigantum, quæ nunc in planis Sarum* Stanhenges *dicitur; Paſcentium quoq; filium Vortigerni & Gillomaurum regem Hiberniæ interfecit:* inquit in ß Polychronico ſuo Ranulphus Ceſtrenſis. de quo Paſcentio, Ninius: *Regnavit in duabus regionibus, id eſt* * *Buelt & § Guerthigirniaun, poſt mortem patris ſui, largiente Ambroſio; qui fuerat rex in omnes regiones Britanniæ.* de Gillomauro verò, ? alibi idem Ranulphus: *Hildericum Gilomaurus tyrannus, invaſor Hiberniæ Britanniæq; expugnator, regno expulit;*

ß Polychronic. lib. 5. cap. 4.
* in Brechnoch-ſhire.
§ in Radnor-ſhire.
? id. ſupr. pag. 62. & 316.
? Polychronic. lib. 4. cap. ult.

pulit; & post cum tribus annis in Africâ regnavit. ubi Gillomaurum ♪ Hiberniæ regem (quem junctis cum Picentio copijs Britanniam invadentem, eo quo Aurelius Ambrosius obijt tempore, ab Uthero prope Meneviam interfectum refert Historia Britannica) confundit cum Gilimere (filio Genzonis, filij Genserici) Vandalorum in Africâ rege; quem, Arthuro Utheri filio Britannis imperante, regno exuit Dux exercitus Iustiniani Belitarius. quod in tertio suo Consulatu, hoc est, anno Christi DXXXIII. factum, ipse Iustinianus, in Constitutione Pandectis (sub finem ejusdem anni editis) præfixâ, confirmat.

♪ Galfrid. Monemuth. lib. 6. cap. 14. 16. ubi in lib. impress *Gillomanius* perperam appellatur.

♫ Procop. de bello Vandalic. lib. 1.

ζ de quo suprà, ca. 12. pag. 405.

Dubricium episcopum &c.

Pag. 472. lin. 15. post [*factus.*] adde. quanquam à S. Germano presbyterum ordinatum fuisse affirmet scriptor Vitæ Samsonis, quam ex Floriacensis Bibliothecæ membranis Iohannes à Bosco in lucem emisit; hæc de eo memorans. * *Hilduetus discipulus sancti Germani erat, ipseq; Germanus ordinavit eum in suâ juventute ad gradum presbyteratus. Ille verò Hilduetus de totis scripturis Veteris ac Novi Testamenti, & in omni Philosophiæ genere, ac Metricæ & Rhetoricæ disciplinis doctus erat; Scripturæ universæ peritissimus, ac futurorum præscius.* Eundem etiam S. Germani fuisse discipulum, & in Vitâ Maglorij apud § Surium, & in Vincentij Speculo historiali, & in Landavensi Regesto legimus: licet id ægrè temporum ratio patiatur. sive cum illis *Antissiodorensem* Germanum, qui plus justo senior, sive cum * Andrea Sanssaio *Parisiensem*, qui ætate non paulo fuit junior, hîc accipere libeat.

* Vit. Samsonis, cap. 1.

§ Sur. Vit. Sanctor. tom. 5. Octob. 24.

* Martyrolog. Gallican. Ianuar. 19. pag. 83

ξ A Dubricio Landavensi episcopo &c. (ut lin. 19.)

ξ Iohan. Tinmuthens. in vitâ Dubricij.

Pag. 473. inter lin. 33. & 34. interjice.

Prius quàm Dubricio in Legionensi archiepiscopatu successor datus est David, *Menevia*, quæ *Vallis Rosina* olim nuncupabatur, insigne construxit ille monasterium; vel saltem, * à B. Patricio fundatum, restauravit. *David*, inquit

* Vid. supr. cap. 5. pag. 82.

inquit in illius Vitâ Iohannes Tinmuthensis, *constructo in Valle Rosinâ monasterio, talem cœnobialis propositi rigorem decrevit; ut monachorum quisque, quotidiano desudans operi, manuum laboro suam in commune transigeret vitam, dicens: Qui enim non laborat, ait Apostolus, non manducet.* 2. Thess. 3. 10. Indeque monachi illi, *divinis ex toto mancipati officiis, à populari frequentiâ in angulari quâdam solitudine super Hibernicum mare longè remoti, quatuor his curis, manuum scilicet labore, lectione, oratione, & pauperum refectione, vitam feliciter exegêre:* quemadmodum, in ejusdem Davidis Vitâ, refert Giraldus. His etiam adde, si libet, veterem illum de Menevienſis peregrinationis precio versiculum:

Roma dabit quantum, dat bis Menevia tantum.

quod planiùs illo explicabatur distîcho:

Meneviam si bis, & Romam si semel ibis;
Merces æqua tibi redditur hîc & ibi.

Dubricio adhuc superstite, anno Christi &c.

Pag. 532. lin. 26. post [archiepiscopatu] *lege.* reliquit successorem. Nam & *Archipræsul Dolensis* in i Lotharij & Ludovici diplomate nominatus reperitur Maglorius: licèt in Turonensis II. hisce temporibus (anno videlicèt DLXVII.) habiti Canone IX°. *Metropolitani* nomine non alium quàm Turonensem archiepiscopum designatum constet; ubi cautum est, *ne quis Britannum aut Romanum in Armorico, sine Metropolitani aut comprovincialium voluntate vel literis, Episcopum ordinare præsumat.*

Amonis & Umbrafelis sororem &c. (ut lin. 27.)

Pag. 533. lin. 8. post [Episcopus,] *adde.* ubi * *Rinetus* * *Rance* amnis mare influit: à quâ, duodecimo post Christum seculo, Iohannes de Craticulâ sedem Episcopalem in peninsulam duobus passuum millibus inde distantem (Insulam *Aaron* priùs dictam) transtulit; ubi nunc urbs *Macloviensis* sive *S. Malo*, ab hoc primo suo Præsule nomen sortita.

Is verò ubi Alethæ quadraginta sedisset &c. (ut lin. 9.)

Ibid. lin. 24. post [centenariam,] *lege.* triginta quidem annos α Sigebertus, triginta verò & tres Iohannes Tinmuthensis (ex quo suam Machuti Legendam mutuatus est Capgravius) & β Floriacensis bibliothecæ Biographus sive Bilius Armoricanus Diaconus is fuerit sive quis alius) attribuit. Videndumque, ex præcedentibus, an non ad hunc spectet, quod magistro ipsius Brendano ex Eusebio (vel Eusebiani potius Chronici continuatore Sigeberto) attribuit Iohannes de Garlandiâ, in libro VII°. Elegiarum suarum.

α Sigebert. Gemblac. in Vit. Macloviij, cap. 16. apud Surium, tom. 6. Novemb. 15.

β Vit. Machut. cap. 16.

Fractâ pace Deus irascitur: edocet illud
Prælustri sancto Scotia clara viro.
Brandanus Eusebio maledixit teste Britannos:
Iccircò flebant multa pericla pati.
Trans mare se misit, & eos prece solvit eorum;
Et peregrè licuit ire venire viro.
Frangentes igitur pacem maledictio franget;
Gratia nec fractos qua reparabit erit.

In Britanniâ sancti Leonorij episcopi & confessoris memoriam Kalendis Iulijs celebrari, in additionibus ad Usuardi Martyrologium Iohannes Molanus annotat. Pater illi nobilissimus Britannus fuisse dicitur nomine *Hoelos*, mater *Almapompe*, magister toties à nobis laudatus *Iltutus* sive *Heliutius*, *vir sapientissimus*. Postquàm *divinâ dispositione factus* esset *Episcopus, cum* LXXII. *discipulis & alijs servitio Fratrum deputatis, navim ascendit, & in Galliam transivit: ubi cum Fratribus suis sylvam complanavit. Illo autem tempore Childebertus Rex Francie imperabat simulq; Britannie transmarine.* Ita γ Vitæ Leonorij scriptor: qui in majori degens Britanniâ, *transmarina* nomine *Armoricam* intelligit, ut & *Childeberti* appellatione primi Christiani Francorum regis Clodovei Filium; à quo, & conjuge ipsius *Ultrogodi* (quam Gregorius δ Turonensis *Wltrogotham*, ε Venantius Fortunatus

γ Histor. Francor. scriptor. ab Andreâ du Chesne edit. Tom. 1. pa. 536.

δ Gregor. Histor. Francor. lib. 4. cap. 10. & lib. 5. ca. 43.

ε Fortunat. li. 6. epigram. 8.

natus *Ultrogothonem* vocat) & *Optimatibus Regni*, sanctum Antistitem honorificè exceptum fuisse narrat. Addit idem *Commorum* quendam eo tempore Ducatum Britanniæ Armoricæ occupavisse, excluso legitimo hærede *Iudualo*, Ducis Britanni *Rigualdi* filio. de quo in Vitâ huic æqualis Samsonis, Landavensi Registro insertâ, ita legimus. *His diebus comes Commorus externus omnibus Britannis præerat: qui Ionam Britannorum indigenam comitem occiderat, filiumq; ejus Indualum Regi Hildeberto & Reginæ in captivitate custodiendum tradiderat.* quomodo etiam *Indualum* filium *Ionæ* filij *Riadam*, in ejusdem Samsonis Vitâ ‖ quam Iohannes à Bosco in lucem dedit, appellatum invenimus.

‖ Vit. Samson. in Floriacensi Bibliothecâ, cap. 4.

Gildam Britonem floruisse Pelagio &c. (ut lin. 27.)

Pag. 539. lin. ult. post [Martini] adde. & Remigio Remensi episcopo in * Testamento suo & § Adamnano in vitâ Columbæ &c.

* Flodoard. Histor. Eccles. Remens. lib 1. cap. 18.

§ Adamnan. de S. Columb. lib. 1. cap. 3. & lib. 2. cap. 6. edit. H. Canisij.

Pag. 557. lin. 5. post [*habetq;*.] adde. De authoris verò religione & fide, Giraldus audiendus est, in priore Cambriæ suæ Descriptioni præfixâ Præfatione. *Præ aliis Britanniæ scriptoribus, solus mihi Gildas (quoties eundem materiæ cursus intulerit) imitabilis esse videtur: quia ea quæ vidit & ipse cognovit scripto commendans, excidiumq; gentis suæ declarans potiùs quàm describens, veracius magis historiam texuit quàm ornatam. Gildam itaq; Giraldus sequitur: quem utinam moribus & vitâ sequi posset; factus ejusdem, plus sapientiâ quàm eloquentiâ, plus animo quàm calamo, plus zelo quàm stylo, plus vitâ quàm verbis imitator.*

Aliarum Gildæ lucubrationum, &c.

Ibid. lin. 9. post [vidimus.] *lege.* Namut cum * aliis, quæ inter Plautinas &c.

* Vid. Casp. Barthij Adversar. lib. 4. cap. 17. & lib. 23. cap. 15.

Pag. 558. in margin. lin. 6. post [cap. 122.] *adde.* Caroli Sausseyi Annal. Eccles. Aurelian. lib. 4. cap. 7. Andreæ Sausseyi Martyrolog. Gallican. Mart. 12. pag. 152.

& Benedict. Gonon, de Vitis Patrum Occidentis, lib. 2. pag. 134. 135. ex Renato Benedicto.

Pag. 561. in margin. lin. ult. post [pag. 134.] *adde.* & Frodoardi Chronicon, ad ann. 919.

Pag. 564. inter lin. 21. & 22. *adde.*

Apud Sanctum Petrocum Confessorem Cornubienſium epiſcoporum ſedem aliquando fuiſſe, in libro II. de geſtis Pontificum Anglorum, docet Guilielmus Malmeſburienſis; addens, *locum eſſe apud aquilonales Britones ſupra mare, juxta flumen quod dicitur Hegelmithe.* Similiter & Rogerus Wendoverius: *Cornubienſes Pontifices apud Sanctum Petrocum juxta Walenſes aquilonales ſuper flumen Heilemuthe ſedes habuerunt.* Hæc ille: et qui eum ſequi ſolent, Matthæus uterque Pariſienſis et Weſtmonaſterienſis & Roffenſis hiſtoriæ collector; ad annum gratiæ DCCCCV. ubi in editis Hiſtoriarum Floribus ſedes illa Epiſcopalis fuiſſe dicitur *apud S. Patrocum de Bodwini* vel, ut locus eſt legendus, *apud S. Petrocum de Bodmini.* Bodmaniæ enim vel Bodminiæ in Cornubiâ conditum fuit olim corpus S. Petroci: quod inde furto ablatum, ad * S. Mevennij in Armoricâ Britanniâ monaſterium tranſlatum & Henrici II. Anglorum regis mandato reſtitutum fuiſſe, in anni MCLXXVII. hiſtoriâ Rogerus Hovedenus ita narrat. *Martinus Canonicus regularis Eccleſiæ de Bomine furtivè asportavit corpus S. Petroci, & fugiens ſecum detulit in Britanniam ad abbatiam ſancti Mevenni. Quo comperto, Rogerus Prior Eccleſiæ de Bomine cum ſaniore parte capituli ſui, adiit Regem Angliæ patrem, & adverſus eum effecit, quòd præcipiendo mandavit Abbati & conventui ſancti Mevenni, ut ſine dilatione redderent corpus beati Petroci Rogero Priori de Bomine: & niſi fecerint, præcepit tex Rollando de Dinant juſtitiario Britanniæ, ut corpus illud ſanctum violenter tolleret & prædicto Priori de Bomine traderet. Quo audito, Abbas & conventus ſancti Mevenni, Eccleſiæ ſuæ præcaventes indem-*

* S. Meiu

demnitati, & non audentes regiæ resistere voluntati, corpus illud reddiderunt sine aliqua diminutione Rogero Priori de Bomine; jurantes super sancta Euangelia, & super sanctorum reliquias, quòd ipsi idem corpus, & non alternatum cum omni integritate reddiderunt.

Pag. 570. lin. 23. *lege.* in Westmorlandiæ & Richmondiensis Comitatus confinijs) Scotis Albiensibus &c.

Ibid. lin. 31. post [est dissensio :] *adde.* α nonnullis eum cum Galfridi Monemuthensis β *Guanio*, quibusdam cum γ Guilielmi Malmesburiensis *Gudrumo* vel *Guthruno* (quingentorum plus minùs annorum spatio à se discretis) eundem esse opinantibus.

α Eulog. Historiar. lib. 5.
β Supr. cap. 8. pag. 200. 201.
γ Malmesbur. de gest. Reg. lib. 1. cap. 3. & lib. 2 cap. 4 qui Ingulpho, fol. 494. b. est *Rex Godroun, quem nos Gurmound vocamus.*

Pag. 574. in margin. lin. 9. post [ann. 794.] *adde*, ex antiquiore monacho Albanensi, qui Offæ Regis vitam descripsit. Vid. supr. cap. 7. &c.

Pag. 575. inter lin. 6. & 7. interjice.

Non igitur Ecclesiam B. Albani memoriæ dicatam, quam ad sua usque tempora superfuisse confirmat Beda, infidelium Saxonum temporibus *funditùs subversam* fuisse dicendum est; sed sepulchrum tantum illius, quod extra Ecclesiam fuerat positum, Saxonibus post receptam fidem Christianam usque ad Offæ tempora fuisse incognitum. de quo Albanensis ille monachus, qui sub medium duodecimi post Christum seculi de translatione S. Albani tractatum edidit: *Refrigescente charitate*, inquit, *refriguit in Anglorum regno beati Albani martyris devotio. Et quia catholicæ fidei fervens ardor tepuit, præclaram sancti viri memoriam infidelitas obscuravit. Latuitq; sub cespite martyrij sui testis Christi egregius per secula reconditus; adeò ut omnibus ejus notitia videretur penè subtracta, & impreciabilis margarita nesciretur occulta.* & postea de inventione corporis sub Offâ verba faciens. *Planitiem duntaxat sciebant ejus martyrij; sed locum ignorabant martyris sepulchri. Tandem, ut Deo placuit, terram aperiunt; urnam athletæ lapideam offendunt, in*

quâ

quâ thesaurum sacri reperiunt corporis ejus qui cum Christo jam regnat in cœlestibus castris. Cum quibus & illa alterius cœnobitæ Albanensis, qui de eâdem translatione reliquiarum S. Albani Lectiones concinnavit, sunt conferenda. *Aperientes terram, abditam in sarcophago * lapideo preciosam sacri corporis repererunt margaritam. Quam cum timore sancto & ingenti levantes gaudio, cum hymnis & laudum præconijs in sanctam contulerunt Basilicam honori beati Martyris ædificatam.* & ipsius quoque Westmonasterienſis Matthæi illa. *Thesaurum diu sub cespite absconditum Archiepiscopus cum suis episcopis de sepulchro levantes cum timore sancto, præcedente solemni processione in hymnis & laudum præconijs, transtulerunt in quandam Ecclesiam, olim extra urbem Verolamium in honorem sancti Protomartyris consecratam; ubi in locello, ex auro & argento simul & lapidibus preciosis fabrefacto, pia patris pignora reponuntur.*

* *Thecam lapideam* habet Matthæus Florilegus, ad ann. 794. (ut suprà, pag. 329.) *Tumbam lapideam*, Matthæus Parisiensis, ann. 1257.

Ab Offâ S. Albani ædificatam fuisse Basilicam, affirmat Guilielmus Malmesburiensis; ita de eo scribens. § *Reliquias B. Albani, ad illud tempus obscurè reconditas, & reverenter elevari & in scrinio, quantum regia magnanimitas poterat, gemmis & auro decorato componi præcepit; Basilicâ pulcherrimi operis ibi ædificatâ, & Monachorum congregatione adunatâ.* Verùm cœnobij tantùm ab eo conditi Ingulphus meminit: *fundatum* ab eo referens *Monasterium nigrorum monachorum in Verolamiâ civitate, ad honorem Dei, & Protomartyris Anglorum, scilicèt S. Albani*; & Chartam illius anno DCCXCIII. (*eodem ipso, quo repertæ ab eo sunt Albani reliquiæ) datam recitans, in quâ monachos Croylandenses, *tanquam fratres suos monachos de sancto Albano*, in clientelam suam accipit. Et post Offæ tempora lapideam illam S. Albani constructam fuisse Ecclesiam (§ *insolito Britonibus more*) atque antiquiorem adeoque Britannici, id est, lignei eam fuisse operis, in quam ab Offâ Albani illatæ sunt reliquiæ, uterque ille Albanensis scriptor indicat. *Ubi*

§ Guil. Malmesbur. li. 1. de gest. Regum, cap. 4.

* Vid. supr. pag. 166.

§ Bed. histor. lib. 3. cap. 4.

post

post annorum plurimorum volumina à fidelibus eleganti, ut cernitur, opere lapidea constructa est Ecclesia, tanti militis Christi meritis condigna: inquit illorum unus. & alter: *Interjectis ab inventione sanctissimi Martyris nonnullis annorum curriculis, lapidea à Christi fidelibus ædificatur Ecclesia, miraculorum ejus gloriâ multipliciter insignita; quæ vetusta cernitur & opere laudabili, & quæ dignè debeat almi (ut confidimus) patrocinio Martyris ab omni inquietudine liberari.*

Ad Christianum cultum in infidelium Saxonum ditione sublatum redeo: de quo, ex vetere Chronico Anglosaxonico Iohannes Fletus producit ista. &c.

Pag. 577. in margin. lin. 2. post [cap. 22.] *adde.* & lib. 5. cap. 23. Vide tamen, si tanti est, Hect. Boëth. Scotor. histor. lib. 9. fol. 161. a. de contrarijs regis Arthuri hâc in re conatibus.

Pag. 578. lin. 31. post [opinio.] adde. *Rutila Caledoniam habitantium comæ, magni artus, Germanicam originem asseverant:* inquit in soceri sui Vitâ Cornelius Tacitus. Atque *eo consensu*, ait de posteriorum temporibus [a] Georgius Buchananus, *Scoti, Angli & Germani scriptores Pictos è Germaniâ oriundos ferunt.* ex eâ nimirùm *majoris Germaniæ parte quæ nunc Dania, olim citerior Scythia dicebatur:* ut habet [b] Hector Boëthius. *Scythia* verò *septentrionalis*, ut in Daniæ descriptione refert Ionas Koldingensis, *multa & varia regna in Europâ complectitur, quorum maxima & præstantissima sunt Dania, Suecia, & Norvegia: quæ, cum reliquis longissimè latissimeq; patentibus terris, à Daniæ præpotentioris primatu, Danicæ provinciæ antiquis historicis bullatisq; Romani præsulis diplomatibus celebrantur.* Cum quibus conferenda [c] Anastasij Sinaitæ illa. Σκυθίαν δὲ εἰώθασι καλεῖν οἱ παλαιοὶ τὸ κλίμα ἅπαν τὸ βόρειον, ἔνθά εἰσιν οἱ Γότθοι καὶ Δάνες. *Scythiam soliti sunt vocare veteres omnem regionem Borealem, ubi sunt Gothi & Dani.*

[a] Buchanan. rer. Scotic. li. 2.

[b] Boëth. Scotor. histor. lib. 1. fol. 4. & lib. 5. fol. 85. b.

[c] Anastas. Nicen. quæst. 38. edit. Hervet. vel Sinait. quæst. 40. edit. Gretseri.

Sed & Scandinavia (quæ *Scythiæ insula* in magno

Chronico Belgico appellatur, &, præter magnam Daniæ partem, integram etiam Sueciam & Norvegiam complectitur) [z] Procopio Cæsariensi *Thule* est: quam *Pictorum* sedem facit & Claudianus, &c. (ut lin. ult. *deletis intermedijs, tum in textu tum in margine.*)

[z] Procop. Belli Gothici lib. 2. pag. 232. 233. edit. Græc.

Pag. 579. inter lin. 29. & 30. *hæc interfere.*

Pictos Hiberni nostri *Cruithneach* appellant, sive à vocabulo vernaculo cruith, quo formas sive figuras denotant (qualibus compuncta istorum fuisse corpora, vel Claudiani illud indicat in libro de Bello Getico:

—— *ferroq; notatas*
Perlegit exanimes Picto moriente figuras.)

sive à primo eorum Rege, quem *Cruthneum* nominatum aiunt. Refert enim Iohannes Fordonus in Scotichronico, plusquàm ducentorum annorum spatio post cœptum regnum Scotorum in Britanniâ, Pictos non Regibus sed Iudicibus usos fuisse: primumq; Kynini Iudicis filium, *Cruthne* nuncupatum, regia in eâ gente sibi arripuisse insignia. Hector verò Boëthius, ipsius primi Scotorum Albianorum Regis temporibus (Fergusij nimirùm filij Ferquhardi; quem [a] anno ante Christi adventum CCCCXXX. & postquàm Brutus rei suminam in Britanniâ adeptus fuerat DCCCXXXVII. regnum inijsse, & XXV. annis tenuisse scribit) inter Pictos *Cruthneum Camelonum* rerum potitum esse asserit: à quo in Laudoniâ condita esse tradit, & regiam sedem Pictorum ad Caronæ amnis ripam, cui *Camelodunz* à se nomen indidit, & *Agnedam* opidum, quod posterior ætas ab Etho Pictorum rege *Ethisburgum* nominavit. Ubi obiter tamen notandum; I. *Camelodunum* [b] Trinobantum fuisse civitatem; longissimo terrarum spatio à Laudoniæ finibus disjunctam. II. Ex *antiquis monumentis* (uti observat [c] Buchananus) compertum esse, *summam rei Pictica non Camelodunifuisse*; *sed Abernethi* (quod à Iohanne Fordono & à [d] Iohanne Majore etiam est proditum), *& regiam & primatis episcopi sedem* extitisse.

[a] Boëth. Scotor. histor. lib. 1. fol. 6. b.
[b] Id. ibid. fol. 11.
[b] Maldon, in Essexiâ.
[c] Buchanan. Rer. Scotic. lib. 1.
[d] Major. de gest. Scotor. lib. 2. cap. 14.

III. *Ag-*

III. *Agnedam*, ut eam Cambro-Britanni appellant, sive *Dun-edin*, ut Scoto-Hiberni (non ab *Etho* nescio quo, sed à vocabulo quod Britannis *Alam* significat, ducto nomine; quod per Στρατόπεδον πτερωτὸν sive *Castrum Alatum* à Ptolemæo reperitur expressum) adeoque universam Laudoniæ, in quâ illâ sita est, provinciam extra Pictorum fines fuisse positam; utpote Forthæ æstuario sive Freto Edenburgico * ab ijs diremptam. IIII. Post tempus *Cruthneo* huic regi à Boëthio assignatum, Pictorum primum adventum à Ninio constitui. Nam commemorato tempore quo *Brito*, sive Brutus ille πολυθρύλλητος, regnavisse putabatur in Britanniâ, & Heli sacerdote judicante Israëlem Arca Domini ab alienigenis possidebatur: subdit. *Post intervallum multorum annorum, non minùs nongentorum, Picti venerunt, & occupaverunt insulas quæ Orcades vocantur; & posteà ex insulis finitimis vastaverunt non modicas & multas regiones, occupaveruntq; eas in sinistrali plagâ Britanniæ: & manent usq; in hodiernum diem. Ibi tertiam partem Britanniæ tenuerunt, & tenent usq; nunc.* V. In Adamnani de rebus S. Columbæ ἀνεκδότοις, à *Pictis* distingui *Cruithnios* sive *Cruthinios*; & illos in Britanniâ, hos (quantum ego quidem possum intelligere) collocari in Hiberniâ. Unde suborta mihi aliqua est suspicio, horum fuisse *regionem Cruthenorum* à Probo in Vitâ B. Patricij, *Claneboianam* à nobis hodiè appellatam: eosdemque * *Hibernicos Pictos* illos esse habendos, à Cambrobritannicis scriptoribus celebratos, qui cum rege suo *Sirigi* insulam Monæ sive Angleseiæ intrantes, in loco Yn hericy Gwydhyl ab ipsis denominato Britannos fuderunt; posteaq; ad Lhan y Gwydhyl (Hibernicorum in promontorio sacro, quod Holy-head vocant, Ecclesiam) à *Caswathone Lhawhîr* sive *Longimano* (patre *Maglocum*, cujus Gildas meminit) cæso *Sirigi*, inde expulsi sunt.

Qui de B. Andreâ & sedis &c.

Pag. 581. lin. 24. ita incipienda est sectio.

* Vid. Bed. histor. lib. 1. cap. 12. & lib. 4. cap. 26.

* Y Gwydhyl Phichtiaid. Vid. Humfred. Lhuyd. in Anglicanâ suâ Walliæ descriptione, pag. 14. 15. & Camden. in Anglesey, pag. 540. 541.

In Saxeto quod, in Westmorlandiæ & Richmondiensis Comitatus finibus positum, Stane-moze, &c.

Pag. 585. lin. 26. post [fuisset.] *adde.* Quum autem Carausius in Britannijs rebellaret, Diocletianus (ut tradunt Eutropius & Orosius) *Maximianum Herculium ex Cæsare fecit Augustum*: quod quidem *Kalendis Aprilibus, Maximo* II. & *Aquilino* Consulibus, id est, anno Diocletiani *secundo* & Christianæ nostræ epochæ CCLXXXVI. factum, in Fastis suis Consularibus annotat Idatius. Anno tamen Diocletiani *tertio*, *Carausium sumptâ* &c. (ut lin. 27.)

Pag. 586. lin. 29, post [*Oceanum.*] adde.

In quibus Eumenij verbis observare licet: primùm quidem, *post victoriam Pictorum Constantium Patrem mortuum esse*; ut à vetere Historico est notatum, quem unâ cum Ammiano Marcellino vir eruditissimus Henricus Valesius nuper edidit. deinde, non *Caledones* solùm inter Pictos hic recenseri, sed præter eos alios etiam fuisse Pictos innui. Caledoniæ enim incolas *in duas gentes* divisos fuisse, *Dicalidonas & Vecturiones*, in Rerum Gestarum libro XXVII. author est Ammianus Marcellinus. cujus prioris nominis &c. (ut lin. 33.)

Pag. 587. lin. 3. post [deducere.] *adde.* Quæ ut reliùs intelligantur, notandum est, *Caledonios* restrictiore significatione sumptos (quos etiam *Caledonum* nomine speciatim fortasse Panegyristes denotare voluit) à Ptolemæo infra Sylvam Caledoniam collocari, à Lelalonio sinu usque ad æstuarium Vararis. quum *Caledonia* nomine latiùs accepto, & qui ante eum scripsit Tacitus, & qui post eum Dio, Borealem illam universam Britanniæ partem comprehenderit, quæ, [a] *à parte Britonum* Romanis subditorum erat *remota, duobus sinibus maris interjacentibus*; *quorum unus ab Orientali mari, alter ab Occidentali, Britanniæ terras longè lateq; irrumpit*: ut Beda loquitur. *Glotam* & *Bodotriam* sinus illos appellat Tacitus: fretum *Dunbritannicum* & *Edenburgicum* nostri. Unde de Britanniâ

[a] Bed. histor. lib. 1. cap. 12.

tanniâ agens Dio: Hujus insulæ, [a] inquit, *pars paulo minus quàm dimidia nostra est: quam Severus cùm vellet omnem in suam potestatem redigere, ingressus est in Caledoniam.* à quo ingressu usque ad ipsum extremum Insulæ terminum nomen hoc extendendum, etiam [γ] Solinus indicat; dum Britanniæ longitudinem *in Calidonicum usq; angulum metitur, & à Calidonia promontorio Thulen petentibus bidui navigationem esse* asserit.

Quum verò Caledoniæ habitatores in *Dicalidonas* & *Vecturiones* diviserit Marcellinus: à situ distinctionem illam ductam fuisse non malè censuit [δ] Camdenus noster. Ut enim *Deheu Caledony*, Caledonios dextrorsum habitantes absque omni controversiâ denotat: ita & *Vecturionum* nomen à *Chwithic* vocabulo deflexum esse suspicatur, quod sinistram Britannis significat. Sed dextram & sinistram ad Occasum & Ortum haud rectè trahit vir doctissimus: unico illo Ninij loco non rectè percepto in errorem abductus. *Tunc Rex dedit illi arcem, cum omnibus provincijs plagæ occidentalis Britannicæ: & ipse cum Magis suis ad sinistralem plagam pervenit, & usq; ad regionem quæ vocatur Guenessi aufugit.* De Guorthigerno ille loquitur, à montibus *Heriri* sive Snowdonicis in Arvoniâ ad regionem in quâ sita est * *Luguballia* sive Carleolum, hoc est à *Cambriâ* ad *Cumbriam*, & ab *occidentali* Britanniæ parte ad *borealem* in fugam se conferente. Nam per *sinistralem* plagam non Orientalem intellexisse Ninium sed Borealem satis apertè ipse indicat, quum Idam, primum Nordan-humbrorum regem, *regiones in sinistrali parte Humbri maris* duodecim annis tenuisse, & Pictos regiones *in sinistrali plagâ Britanniæ* occupavisse scribit: quemadmodum oppositio *dextræ* nomine Australem plagam designari, & hodiernus linguæ Cambrobritannicæ usus confirmat, & ipse Camdenus agnoscit [ε] alibi, & nos in ζ V°. capite aliquot antiquiorum scriptorum testimonijs comprobavimus. Quum igitur *Septentrionales Pictos arduis atq; horrentibus montium*

[a] τούτων ἡμεῖς ὀλίγῳ τινὶ τῆς ἡμισείας ἐλάττον τι ἔχομεν. Ὁ δ' οὖν Σεβῆρος, πᾶσαν αὐτὴν καταστρέψασθαι βιαίως, ἐσέβαλεν ἐς τὴν Καληδονίαν. Dio, in Severo.

[γ] Solin. Polyhistor. cap. 22. edit. Salmasij; 25. Delrij).

[δ] Camden. Britann. pag. 84.

* Vid. supr. addit. ad pag. 61.

[ε] Camden. in *Dimetis*, pag. 501.

ζ Suprà, pag. 80.

montium jugis ab Australibus sequestratos apud * Bedam legamus: illos *Vecturiones*, hos *Deucalidonios* fuisse censemus. Cumq; ad Dunbritannici *sinus*, *qui antiquitùs* (ante adventum *Scotorum* scilicèt) *genitem Britonum à Pictis secernebat, partem Septentrionalem Scotos advenientes, sibi locum patriæ fecisse* ab eodem ‖ Bedâ, in Historiæ suæ initio, traditum inveniamus: *Pictorum partem in quâ receptos* illos fuisse ibidem notat, Occidentalem *Deucalidoniorum* oram fuisse concludimus, ad mare *Deucalidonium* positam, Hiberniæ Scotorum patriæ poximam, & cohærentibus Grampij montis jugis à *Vecturionum* sive Pictorum Septentrionalium parte disterminatam. Scoticas enim hasce Alpes *Scotos diùm à Pictis, & eorum ab invicem regna separavisse*, prodit etiam Fordonus in Scotichronico: montes videlicèt *Dorsi Britannici*, sive *Drum Albin*; de quibus in ἀνεκδότοις Adamnani de rebus S. Columbæ legimus. *Oceani insula per totum, videlicèt Scotia & Britannia, binis vicibus vastata fuit diræ pestilentiâ: exceptis duobus populis, hoc est, Pictorum plebe & Scotorum Britanniæ; inter quos utrosq; Dorsi montes Britannici disterminant.*

* Bed. histor. lib. 3. cap. 4.

‖ Id. lib. 1. ca. 1.

Extant libri tres ab authore &c.

Ibid. lin. 9. * *contendere*] in margine pone, * *conterere*

Ibid. lin. 16. post [*Angliam.*] adde. *usq; ad mare quod est inter Galliam & Angliam,*

Ibid. lin. 32. post [*significat.*] adde. & cum secutus author Chronici Britannici; qui verbis illis, de Pictis tempore *Vespasiani* in Kathenesiâ consistentibus, * paulo antè à nobis citatis statim subjicit. *Processu verò temporis Scoti duce Reudâ de Hiberniâ (quæ propriè Scotorum est patria) progressi, vel amicitiâ vel pugnâ sibi juxta Pictos sedes statuerunt, & Galwedium inhabitaverunt.* quod de *Galwediâ* tamen clarissimo Bedæ adversatur testimonio, qui § Britonum ditionem (ut diximus) ad Dunbritannicum sinum usque porrigit, & ad * Septentrionalem sinus illius partem Scotos advenas consedisse confirmat.

* Sup. pag. 583.

§ Bed. lib. 1. cap. 12.

* Ibid. cap. 1.

Penul-

Penultimo verò Constantij &c.

Pag. 593. lin. 32. * *Reuda*] adde in margine, * Supr. pag. 587.

Pag. 594. lin. 8. post [*afflixerunt.*] adde. Ut de Eulogij authore nihil dicam, qui post Gratiani & Valentiniani junioris tempora *Scotos duce Reudâ de Hiberniâ venientes, sibimet juxta Pictos longo spatio terrarum sedes statuisse*, in 4°. Operis illius libro significat.

Anno CCCLXXXVIII. &c.

Pag. 599. lin. 21. post [tenuerit?] *adde.* Ex aliorum verò quorundam sententiâ, ante annum CCCCXXXIX. Scotorum in Ergadiâ sive Argatheliâ regnum cœptum non fuisse, Chronologici illi indicant versiculi, quos Scotichronici insertos reperi.

Bis bis centeno, quater & deca sed minùs uno,
Anno quo sumpsit primos Ergadia Scotos.
Ut referunt isti, fuit Incarnatio Christi.

Anno CCCCVII. &c.

Pag. 602. lin. 9. § *Abercurnig*] adde in margine, § Vid. Bed. lib. 4. cap. 26.

Pag. 603. lin. 12. post [*Mavortium*] adde. (qui ille Blondi est *Mabercius*) & *Gallienem*, (sic enim * integrum &c.

* ex Londonensi MS°. ab Arnaldo Pontaco citatum, in Notis ad Prosperum, col. 781.

Pag. 604. lin. 31. lege. *manus, suadentes. Et (quia ex hoc putabant* &c.

Pag. 605. lin. 16. post [*clarum est.*] adde. Quibus & ille * Witichindi Saxonis locus adjungi poterit. *Populus Romanus Martiali imperatore à militibus interfecto, externis bellis graviter fatigatus, non sufficiebat solita auxilia administrare amicis: extructo tamen ingenti opere ad munimen regionis, inter confinia à mari usq; ad mare, ubi impetus hostium videbatur fore, relinquebant regionem Romani.* De quo etiam *Gallione* plura comminiscitur Hector Boëthius, Histor. Scotor. lib. 7. fol. 122. a. 124. a. b. 125. a.

* Witichind. gestor. Saxonicor. lib. 1.

Georgius Buchananus &c.

Pag. 606. lin. 1. lege. Tyne, * *ad Caput capræ, quod Anglorum linguâ sonat* Gaytis-head *(ubi dudùm Severus murum & vallum fieri jussit) ex opposito ad Novum castrum,*

strum, & super fluvium &c. & pone in margine. * Ita appellant Tergotus Dunelmensis, Florentius Wigornien-sis & Rogerus Hovedenus (in anni 1080. historiâ) Novi castri, in alterâ Tinæ ripâ positum, suburbium.

Ibid. inter lin. 10. & 11. *illa interfere.*

Nos verò, ut in Severiani Valli situ definiendo ad horum sententiam libentissimè accedimus; ita in lapidei ejus de quo nunc agimus muri loco designando Buchananum à vero haud quaquàm aberrasse arbitramur. Quod ut rectiùs percipiatur, in memoriam revocandum est ex Spartiano, Ælium Hadrianum Imp. in Britanniâ *murum per octoginta milia passuum primum duxisse, qui Barbaros Romanosq; divideret:* & ex Iulio Capitolino, *alium murum cespititium submotis Barbaris ductum* postea ab Antonino Pio fuisse. *alium* nimirùm *murum cespititium* ab eo quem Hadrianus priùs duxerat, & alio in loco positum. Priorem enim inter Tinæ & Escæ fluminum ostia, posteriorem inter Glotæ & Bodotriæ æstuaria, sive fretum Dunbritannicum & Edenburgicum, (quod angustum terrarum spatium superioribus temporibus Cornelius Tacitus docuit à socero suo Iulio Agricolâ, non quidem muro, sed *præsidijs firmatum; summotis velut in aliam insulam hostibus*) extructum fuisse, ipsæ Romanæ Inscriptiones evincunt, à diligentissimo Camdeno hîc productæ. Post hos Severus *Britanniam, quod maximum ejus imperij decus est, muro per transversam insulam ducto, utrimque ad finem Oceani munivit:* ut apud eundem Spartianum legimus. Eum murum non primus Buchananus, sed ante eum etiam Samuel, vel quicunque Ninij fuit interpolator, inter fretum Edenburgicum & Dunbritannicum ductum fuisse opinatus est: eodem ipso videlicèt in loco, quo ab Antonino unus, & post annos fermè trecentos à Britannis alter è cespitibus murus est erectus. quibus illud aliquo modo favere videatur, quod in vulgatis Aurelij Victoris & Eutropij occurrit codicibus; Severum in Britanniâ *vallum per* XXXII. *milia*

a Camden. Britann. pag. 650. & 699.

b Supr. pag. 585. 586.

c Supr. pag 601. 602.

milia passuum à mari ad mare deduxisse. In antiquissimis enim Eutropij exemplaribus *centenarij* notam huic numero fuisse præfixam, tum ex veteribus Latinis qui eum secuti sunt scriptoribus colligimus (ut B. Hieronymo in Eusebiano suo Chronico, P. Orosio lib. VII. cap. XVII. & Aurelio Cassiodoro in Fastis Consularibus) tum ex Græco illius metaphrastâ Pæanio, qui Λύο καὶ τριάκοντα πρὸς τοῖς ἑκατὸν σημεῖα reddidit, & Georgio Syncello, qui eandem Pæanij summam * *mille stadiorum* numero exprimendam putavit; unicuique σημείῳ sive milliario Italico (cum ‖ Dione Cocceiano, ‡ Iohanne Chrysostomo, ‖ Iuliano Ascalonitâ, ◊ Herone Geodetâ & alijs) septem stadia cum dimidio attribuens.

Atqui vallum hoc XXII. milliarium spatio Fordonus definit: & ut ad XXXII. extenderetur, magnificum illud quod Severi muro à Spartiano tribuitur elogium (quum *maximum ejus imperij decus* fuisse asserit) postulare vel flagitare potiùs videtur, ut eodem in loco in quo Hadrianus cespititium, Severum posteà lapideum murum statuisse existimemus. non quidem CXXXII. (id enim * loci situs non admittit) sed LXXXII. mil. pass. longum: ita ut librariorum vitio, numeri quinquagenarij illam notam in quibusdam codicibus penitùs omissam, in alijs cum notâ centenarij (quod facilè fieri potuit) commutatam fuisse, jure suspicari liceat. Atq; hoc ipso in loco à venerabili Bedâ (licèt id sibi persuaderi ‖ Buchananus minimè patiatur) verba illa omninò evincunt, quibus situm *Cœlestis campi*, olim *Hefen-feld* hodie *Haleden* dicti, & non longè ab *Hagustaldensi* sive Hexhamensi Ecclesiâ & Tinâ fluvio positi, ità describit. ‖ *Est autem locus juxta murum illum ad aquilonem, quo Romani quondam ob arcendos Barbarorum impetus à mari ad mare præduxêre Britanniam, ut suprà docuimus.* nec non & illa, quibus Walltowne, non procul etiam à Tinâ sitam, nobis designat. ‖ *Villa regia, cujus * suprà meminimus, cognominatur Ad murum: est enim juxta murum quo*

* Σκαδίων χιλίων. Græc. Euseb. Scaligeri, pag. 203.
‖ Iacob. Gethofred. de Suburbicarijs regionib. pag. 13.
‡ Chrysostom. in Iohann. II. homil. 62. (tom. 2. edit. Savil. pag. 817. indeq; inter Homilias Basilio Seleuc. perperàm tributas, pag. 373. edit. Græc. Commelin.
◊ Constantin. Harmenopul. Epitom juris civilis, li. 2. tit. 4.
◊ Hero, in Geodesiâ MS.
* Vid. Camden. pag. 651.
‖ Buchanan. rer. Scoticar. lib. 4. *in rege* XXIII.
‖ Bed. histor. lib. 5. cap. 2.
‖ Ibid. cap. 22.
* Ibid. cap. 21.

quo olim Romani Britanniam insulam præcinxêre, duodecim milibus passuum à mari Orientali secreta. Murum autem illum eo in loco, *ubi Severus quondam vallum fecerat*, fuisse collocatum, [μ] idem anteà significaverat: de hoc Severi opere, ubi rem ab eo in Britanniâ gestam exponit, illud insuper adjiciens. [ν] *Receptam partem Insulæ à cæteris indomitis gentibus non muro (ut quidam æstimant) sed vallo distinguendam putavit. Murus etenim de lapidibus, vallum verò (quo ad repellendam vim hostium castra muniuntur) fit de cespitibus; quibus circumcisis è terrâ, velut murus extruitur altus supra terram, ita ut in ante sit fossa de quâ levati sunt cespites, supra quam sudes de lignis fortissimis præfiguntur. Itaq; Severus magnam fossam firmissimumq; vallum, crebris insuper turribus communitum, à mari ad mare duxit.*

μ Id. li. 1. ca. 12.

ν Ibid. cap. 5.

Verùm & cespititium murum eodem ipso in loco ab Hadriano Imp. jam anteà positum fuisse; & Latinorum *Vallum* (quemadmodum Anglorum Wall & Britonum Guaul inde deductum) idem quod *Murum* valere, eruditus ille presbyter pariter ignoraverat. Nam & hanc ipsam Severi structuram, quam Eutropius & cum eo Hieronymus, Orosius atque Cassiodorus *Vallum*, hisce omnibus antiquior Spartianus, in loco jam citato, *Murum* appellavit: promiscuè etiam ista usurpata fuisse docens, quum in ejusdem Severi Vitâ porrò adjicit. *Post Murum aut* (ita enim voculam hanc rectè restituit clarissimus Salmasius) *Vallum missum in Britanniâ.* Unde quod in vulgatâ Aurelij Victoris Epitome de Severo scriptum legitur. *Hic in Britanniâ vallum per* XXXII. *passuum millia à mari ad mare deduxit.* in Victore ab Andreâ Schotto edito sic expressum invenitur. *His majora aggressus, Britanniam, quoad ei utilis erat, pulsis hostibus muro munivit, per transversam insulam ducto utrinque ad finem Oceani.* Illâ tamen *Muri* & *Valli* fallaci distinctione deceptus Beda, Severi opus hoc non lapideum sed cespititium fuisse credidit. Deinde cùm ipse oculis suis

cer-

cerneret, utpote in proximâ Muro illi vicinià & natus & educatus (erat enim, ut in antiquo Vitæ ipsius scriptore legimus, *territorij* * *Girwensis haud grandi oriundus vículo, quem longè inde lapsurus in Oceanum perpete profundo amnis Tina præterfluit*) eodem in loco murum ‡ *firmo de lapide* positum: mutationem hanc non aliunde provenisse divinare potuit, quàm ex postremo hoc de quo nunc agimus Romanorum opere. Nisi enim illud menti ejus anticipatum jam fuisset: haudquaquàm alibi lapideum murum à legione Romanâ constructum quæsivisset, quàm ubi paulo antè Britannos illum sibi tam inutilem cespititium statuisse dixerat. Nulla enim ratio suadet, ut homines suæ mentis compotes centum mill. pass. retro cederent, & tantum terrarum spatium hostibus ultrò concederent; relictoque loco totius insulæ angustissimo, eoque munitioni maximè accommodato, alium quærerent in quo murus triplo propè prior productior esset ex necessitate statuendus. Accedit, quòd post murum conditum decedentibus hinc Romanis, Scotos & Pictos *omnem aquilonalem extremamq; Insulæ partem pro indigenis ad* MURUM *usq; capessivisse*, cum Gildâ ° Beda confitetur. At sinus illos duos, inter quos iste superior è cespitibus murus ab Insulanis fuerat ductus, Scotorum et Pictorum sedes & olim à Britonum, & suâ etiam ætate ab Anglorum eis perinistorum terris discluisse, agnoscit ~ idem. Unde, ut olim Hadriani illum à Severo, ita Britannorum murum cespititium à Gallione Ravennate in lapideum commutatum fuisse nunc concludimus.

* Jarrow.

‡ Sup. pag. 605.

° Bed. lib. 1. cap. 12.

~ Id. li. 1. cap. 1. & 12. cum lib. 4. cap. 26.

Ad annum CCCCXXXI. &c.

Ibid. lin. 23. post [*grassatur.*] adde. Nam, ut hîc Witichindus Saxo annotat, *hosti acriori & ad bellandum prompto ubi gens mollis & pigra belli resistit; nulla difficultas in destruendo opere fuit.*

Sed ante hos omnes Gildas Britannus tragicè calamitatem hanc ita exaggerat. Romanis *ad sua* &c.

Pag. 608. inter lin. 8 & 9. adde.

Thirlewall castrum adhuc cernitur, in Northumbriæ & Cumbriæ confinio positum. *Murum* Thirlwal *Severum extruxisse ad amnem Tinam* Fordonus asserit. & alibi, de Oswaldi regis agens victoriâ: *Est autem*, inquit, *secundùm Bedam, locus pugnæ juxta murum illum qui vocatur* Thirlwall *ad aquilonem quo Romani quondam ob arcendos Scotorum impetus totam à mari ad mare præcinxerunt Britanniam.* Ubi notandum, & Fordonum, & Ethelwerdum & alios (in quibus & Hibernici nostri sunt Chronographi) Bedam simpliciter secutos esse, qui Severi vallum & illum à Romanâ legione postremo constructum murum eodem in loco constituit: quum prætenturam hanc extremam non inter Tinam & Escam fluvios, sed inter fretum Edenburgicum & Dunbritannicum positam fuisse docuerimus, hodierno nomine Graham-dike vel Grimes-dike appellatam; à Grimo quodam, ut Fordonus ait, regis Fergusij socero, qui filio ipsius Eugenio tutor datus, *collectis undiq; coadjutoribus in magnâ potentiâ dictum adiens murum præordinatis machinis (custodibus vel fugâ lapsis vel occisis) funditùs evertit.* de quo Grimo vel Graimo videri possunt quæ ex Veremundo Hispano « Hector Boëthius retulit. Nam quod idem Hector tertiam hanc, de quâ diximus, Britannorum cladem & ß post tertium Aëtij Consulatum (quem anno Domini CCCCXLVI. ab eo gestum constat) & > anno tamen Christi CCCCXXXVI. factam narrat; pugnantia loqui se non vidit. In quo ab Ethelwerdo quoque est erratum, qui ad annum CCCCXLIX. calamitatem illam retulit; quam ante tertium Aëtij Consulatum contigisse, ex Gildâ & Bedâ certò constat.

« Boëth. Scotor. histor. lib. 7. fol. 117. b. ß Id. & fol. 124. b. 126. a ß Id. ibid. fol. 126. b. > Ibid. fol. 128. a

Temporis autem proximè subsecuti historiam breviter sic enarrat Beda &c. (ut lin. 14.)

Pag. 610. lin. 29. post [*mortuus est.*] adde. Qui linguâ Hibernicâ tùm Monarcharum & Provincialium Hiberniæ Principum tùm Albaniæ Regum synchronismos delineavit

lineavit non novitius author, ab *Ochano* prælio in quo *Ailill Molt* Hiberniæ Monarcha occubuit, annos XX. dinumerat ad sex filiorum *Erci* adventum in Albaniam; quorum duos *Ængusios* sive *Aneas*, duos *Loarnos*, & duos *Fergusios* dictos fuisse notat. Et quidem *Crimthainum*, Laginensium regem, *in gravi bello Ocbe in regione Midi occidisse Ailill Molt Regem Hiberniæ*, ex scriptore Vitæ Kiarani Saigrij; atque anno CCCCLXXXIII. pugnam illam commissam fuisse, ex Annalibus Ultoniensibus didicimus. Quâ ratione, anno DIII. Fergusius cum fratribus in Albaniam venisse dicendus esset: quod cum Tigernaci calculo probè convenit.

Erci sive Erici hujus patrem &c.

Pag. 611. lin. 12. cujus etiam incolæ &c.] Hæc & quæ deinceps ex Meyero descripta sunt, usque ad finem hujus sectionis, delenda hîc sunt; & quæ sequuntur, eorum loco reponenda. ——— Ejus limites à *Boisio* flumine usque ad Crucem de *Glandfinneaght* (cujus in antiquis illis versibus Hibernicis, Patriciani Testamenti titulum præferentibus, mentionem factam reperio) ad XXX. mill. pass. protendi, per literas mihi significavit nobilissimus Antrimmensis Comes Ranulphus, nuper defunctus: ad id confirmandum vetere etiam hoc producto Carmine Hibernico.

Obhrais da neirghid ealta. go crois gleañ finneachta
Ag sin dalriada na reann. giodh be as eolach san fhearañ.

quod Patricius Dunkinus Latinè ita reddidit:

Terra sita à Bosio fluvio, Dalrada vocatur,
Glenfinnaght (quisquis novit) ad usq; Crucem.

Totam verò *Dalreth* sive *Dalrede, cum Insulâ Rachlyn* vel *Rachrin*, illi objacente, *Alano de Galway*, à Iohanne Anglorum Rege & Hiberniæ Domino concessam olim fuisse, ex * archivis Regijs in arce Londinensi asservatis constat:

* Patent. in dorso ann. 14. R. Iohannis, membran. 3. num. 1. & ann. 17. membran. 5. num. 57.

constat: quum utramque nunc jure possideat hæreditario Comes Antrimmensis Ranulphus, Ranulphi memorati filius; quem ex Angliâ reversum, cum illustrissimâ suâ conjuge (magni illius Georgij Ducis Buckinghamiæ viduâ) hoc ipso quo hæc scribebamus die in ædibus Vicecomitis Mori Mellifontinis salutavimus.

Cùm igitur *Dalredia* hujus Hibernicæ &c. (ut lin. 24.)

Pag. 612. lin. 11. post [operæ.] *adde.* quanquam huc spectare non abnuerim, quod de Roberto Brusio in Scotichronico legitur. *Cùm idem Rex in finibus Adtholiæ & Ergadiæ hostes fugiendo cum suis latiteret*; IIII°. *Idus Augusti apud locum quendam qui dicitur Dairy iterùm victus est & in fugam conversus.* quod à [a] Georgio Buchanano sic est expressum. *Cùm in Atholiam venisset, ac illinc in Argatheliam tenderet, patefacto Cuminijs ejus consilio, in loco qui Dalree vocatur, hoc est ager Regius, ex itinere prælium inire coactus est.* Locus enim ille positus fuisse videtur in finibus *Argatheliæ*: de quâ, ex Mariani Scoti ἀνεκδότοις, [b] Ranulphus Cestrensis ista retulit. *Apud Argail applicuerunt Scotti qui & Hibernienses, quod sonat Latinè* [*] *Margo Scottorum*; *eo quòd Scotti ibidem applicarent ad faciendum damna Britannis, vel quia locus ille proximior est Hibernienſibus ad applicandum.*

[a] Buchanan. Rer. Scotic. l. 8. in rege XCVII.

[b] Polychronic. lib. 1. cap. 58.

[*] Vid. Camden. in Scotiâ, pag. 681. & 706.

Iam si cum &c.

Pag. 616. lin. 30. Albaniæ inter Tinæ] *lege.* hodiernæ Scotiæ inter Twedæ

Pag. 617. lin. 11. post [existeret,] *lege*, multo justior quæstio ab eo moveri potuerit. (*deletis reliquis quæ in fine illius habentur paragraphi.*)

Pag. 643. in margin. lin. 3. pro CCCCXLIII. *repone* CCCCLXVII.

[a] Histor. Foranalens. ad ann. 1185.

[b] Marleburg. Chronic. ad ann. 493.

Ibid. inter lin. 27. & 28. *ista interſere.*

Ab ipso B. *Patricio* velatam illam fuisse affirmat [a] Iohannes Brampton & [b] Henricus Marleburgensis; à *duobus sanctis Episcopis discipulis S. Patricij*, vetus scriptor

Acto-

Actorum Brigidæ, qui in Historiarum Sanctorum Collectione Lovanij anno 1485. editâ legitur. Tirechanus Patricium Ecclesiam ædificavisse notat in *capite Carmelli in campo Teloch; in quâ sancta Brigita pallium cepit sub manibus filij Cuille in Huisniach Midi.* Et quia in Manniâ insulâ ejusdem nominis Episcopum à Patricij discipulis ordinatum Vitæ Patricianæ scriptores narrant: inde opinio hæc de S. Brigidâ à Sodorensi Episcopo velatâ videri posset traxisse originem. *Mac-Cuill* enim Manniensis iste Episcopus Maccutheno dicitur: qui tripartiti de Patricio operis authori *Magail*, Probo *Mac-fil*, Iocelino *Maguil* & *Machaldus* appellatur. De eo Probus, libro II°. Vitæ Patricij. *Cùm esset super mare in navi pelleâ, aspirante aquilone, projectus est in insulam Euoniam nomine: quò cùm divino gubernaculo pervenisset, invenit ibi duos viros mirabiles valde in fide & doctrinâ fulgentes, qui primi docuerunt verbum Dei & baptismum in Euoniâ; & per eos conversi sunt homines insulæ ad catholicam fidem. Sancti ergo prædicatores Christi, quos profati sumus, quorum nomina sunt Conindrus & Romulus, cùm vidissent virum hujus habitus; mirati ac miserti ejus, elevaverunt eum de mari, suscipientes pœnitentiam illius cum gaudio. Igitur Mac-fil ubi susceptus est ab eis, ad regulam eorum corpus & animam suam exercitavit; & totum vitæ tempus apud istos duos sanctos Episcopos exegit, usq; dum successor eorum in eodem Episcopatu, Deo cooperante, fieri promeruit.*

Iocelinus verò duos istos Episcopos *Germano*, atque illis *Maguil* sive *Machaldum* hunc successisse confirmat; ita rem gestam narrans. γ *Lembum ingressus sub protectione Dei cœli freto se commisit, ac eo gubernante ad insulam Euboniam, quæ Mannia dicitur, applicuit. Erant enim ibi duo Episcopi sancti, Connidrius & Romulus vocati; quos ipse Patricius consecraverat & illuc destinaverat, ad populum insulæ illius regendum & erudiendum in fide Christi, post obitum sancti Germani primi ejusdem insulæ Episcopi. Hi videntes*

γ Iocelin. Vit. Patricij, cap. 152.

videntes hominem, mirati & miserati sunt super miseriam ejus, &c. *Qui postmodum in magnâ sanctitate extrescens, post decessum sanctorum Episcoporum prædictorum Episcopalem gradum promeruit*; ac *signis & virtutibus clarus, ibidem requievit. Habebatur q. in illâ insulâ civitas quondam non exigua, cujus murorum adhuc cernuntur residua, ex ejus nomine cognominata.* Atque hæc sunt, quæ de primorum Manniæ Episcoporum successione tradita reperimus.

Posterioribus temporibus Norwegis Manniam &c.

Pag. 659. lin. 17. post [*factum.*] adde. Quò referendus & locus ille Dunelmensis Chronici. *Anno ab Incarnatione Domini* MCVIII. *tempore regis Malcolmi & sanctæ Margaretæ, electus fuit Turgotus Prior Dunelmensis in Episcopum Sancti Andreæ; consecratusq. est Eboraci* III. *Kalend. Augusti, &* * *stetit per annos septem. In diebus illis totum jus Keledeorum per totum regnum Scotiæ transivit in Episcopatum Sancti Andreæ.* Meminit etiam circa &c.

* sedit

* Paschas. de corp. & sangu. Dom. cap. 14.

Pag. 661. lin. 16. post (quem *adde.* *Paschasius *Ninum,* Scotorum vulgus &c.

Pag. 664. lin. 13. post [in Severo.] *adde.* Ita enim in Eclogis legimus, quæ tribuuntur Theodosio. *In Britanniâ, tam propter eam causam quòd Caledonij promissis non insisterent, parati ad deferendos Meatas, quàm quòd Severus id temporis finitimo bello intentus esset: coactus fuit Lupus (Virius Lupus* * Ulpiano is est, *Britanniæ Præses*) *à Meatis magnâ pecuniâ pacem redimere, paucis quibusdam captivis receptis.* & in Xiphilini Excerptis plenius. *Britannorum duæ sunt nationes amplissimæ, Caledonij & Meatæ: nam cæterorum nomina ad hos ferè referuntur. Habitant Meatæ juxta eum murum, qui insulam in duas partes dividit: Caledonij post illos sunt. Incolunt utriq. montes asperos & inaquosos; itemq. campos desertos, plenosq. paludibus.*

* Digest. lib. 28. tit. 6. leg. 2. §. 4. Prius autem.

§ Iornand de reb. Getic. ca. 2.

Quò respexit & § Iornandes; de Britannis, à Romanorum adhuc convictu & societate alienis, ita scribens. *Inculti omnes æquè populi, regesq. populorum: cunctos ta-*

men

men in Caledoniorum Meatuumq; concessisse nomina (ita enim ex emendatioribus exemplaribus restituendus locus est, qui in vulgatis corruptissimè legitur) *author est Dio celeberrimus* (*scriptor annalium.*

Cambrensis quoque regni limites constituit, in Vitâ Kentigerni, Iohannes Tinmuthensis, *à muro illo famoso* &c. (ut lin. 16.)

Ibid. lin. 24. *terræ*] leg. *regna*

Pag. 665. lin. 13. post [Reges] *lege.* ea saltem pars Cumbriæ spectabat, quæ ad fluminis &c.

Ibid. lin. 31. post [legimus.] *adde.* Ulteriùs etiam, *ejus versus austrum Episcopatus tunc temporis ultimum finem fuisse ad Crucem Regiam infra * Stanemore,* in Scotichronico traditum invenimus. * Vid. supr. pag. 570. & 581.

Quod autem Hector Boëthius &c.

Pag 668. lin. 32. *lege.* anno DCLXXXIV. habitæ interfuit; & Chartæ donationis, ab Egfrido rege sequente anno (non autem DCXIX. ut &c.

Pag. 670. lin. 8. *dele,* & Patricio

Pag. 681. inter lin. 16. & 17. *interjice.*

His addi possunt Abbates etiam illi duo, *Odomnanus* & *Convallanus:* quorum prioris in Scotichronico suo Iohannes Fordonus meminit; de freti Edenburgici insulâ *Inche-keth* dictâ (in quâ urbs illa *Guidi* à « Bedâ commemorata sita fuisse existimatur) ita scribens. *In eâ quondam præfuit sanctus Odomnanus abbas suis monachis, quando honorificè recepit sanctum Servanum cum suis sociis in ipsâ insulâ ad primum suum adventum in Scotiâ; & cui tunc delegavit insulam de Lewyn ad inhabitandum: quia uterq; Insulanus miles pro Christo esse contendebat.* Posteriorem *in Arthuri tempora* pervenisse refert Hector Boëthius, & monachorum *Iona* insulæ Abbatem extitisse. etsi illius loci Abbates aliquos ante S. *Columbam* haud facilè admiserim; à quo & *Iona* nomen huic insulæ demùm fuisse inditum, suo loco indicabitur. Verba verò Boëthij de Convallano hæc sunt. ß *Sub idem tempus* « Supr. pag. 593. ß Boëth. lib. 9. fol. 159. a.

supplicationes sacra, quæ tribus diebus ante Christi Ascensionis celebritatem fiunt, D. Mamerto Viennensium episcopo authore, sunt in Galliâ institutæ; ac à Scotorum sacerdotibus, Convallano egregio Christi dogmatis concionatore suadente, magnâ cum veneratione receptæ. Erat Convallanus monachorum, qui in Ionâ insulâ Christo piè militabant, abbas; vitâ probatus, insignis doctrinâ. Nostri habent veteres annales (Iohannis Campibelli scilicèt & Veremundi; si ?Dempsterum hîc audire libeat) *hunc multa prædixisse de Pictorum Britannorumq́ regni excidio, de Scotorum regum successione, Anglorumq́ gentis futurâ in Christum pietate: aperuisse permultis etiam nobilibus secretiora flagitia; quanto discrimine salutis, nisi resipiscerent, laborarent. unde complures iniquitatem pertæsi, sacris monitis audientes, veræ pietatis operibus sese accommodârunt.*

?Dempster. Histor. Eccles. astic. lib. 3. num. 259.

Pag. 685. lin. 12. *lege.* deinde *Marken* regis Cambr. &c.

Pag. 688. lin. 2. *lege.* qui non pauciores quàm viginti numerantur,

Ibid. lin. 21. *lege.* & ex successoribus ipsius in Hyensi præfecturâ unum, *Cummeneum Album* &c.

Pag. 689. lin. 23. *lege.* Giraldo Cambrensi *Kenelcunnella*, nobis hodie *Tir-conell* appellatur.

Parentum, verò simul & germanorum &c. ut lin. 33. (*intermedio illo S. Modwennæ Epimphio hinc sublato & ut infrà monebitur, ad pag. 706. translato.*)

Pag. 691. lin. 1. *lege.* M aspiratam & V consonam eodem penè sono *Cambrobritanni & Hiberni efferunt: (quomodo & apud Latinos, in Festi epitomâ, *amita* ab antiquioribus *avita* vocitata, & *promulgata* leges dicebantur quasi *provulgatæ*) ubi Midiæ illum debellatorem &c.

*Vid. Camden. Britann. pag. 496. 501. & 525.

Ibid. inter lin. 13. & 14. *inserantur ista.*

Ab hoc *Roboreo* sive *Roboreti Campo* diversum *Roboretum* est illud, quod discriminis causâ in melioribus Adamnani codicibus *Calgachi* vel *Calcagi* appellatur: de quo duo S. Columbæ loquuntur, apud eundem, libro

bro I. cap. II. *Nuper de Britanniâ remigantes, hodie à Roboreto Calgachi venimus.* Urbs Episcopalis *Derrienſis* illa eſt, **Derry Columcille** (hoc eſt, *Roboretum S. Columbæ*) à noſtris dicta; in portu navigantibus è Ionâ inſulâ maximè opportuno collocata. quum monaſterium *Roboris Campi* in *mediterraneâ Hiberniæ parte* poſitum fuiſſe docuerit Adamnanus: & quidem ultra *Campum Breg* Midenſium; ut hæc, in ineditis ejuſdem Adamnani, de *Librano* monacho oſtendit narratio. *Pro quâdam monaſteriali utilitate ad Scotiam* (ſive Hiberniam) *miſſus valde ſenex, ſtatim ut de navi deſcendit, pergens per campum Breg, ad monaſterium devenit Roborei Campi; ibidemq; hoſpes receptus hoſpitio, quâdam moleſtatus infirmitate, ſeptimâ agrotationis die in pace ad Dominum perrexit, & inter S. Columbæ electos humatus eſt monachos.* In campo autem *Breg* ſita eſt *Themoria* ſive **Taraghe**, vetus monarcharum Hiberniæ Regia: cujus in XVII°. capite, ex Vitæ B. Patricij ſcriptoribus, ſemel atque iterùm mentionem facturi, hîc unicum hunc ex S. Declani Actis deſcriptum locum ſubjicere ſatis eſſe putamus. *S. Declanus ad regionem Breg, ad priſtinam ſuam patriam, perrexit: & invenit magnum honorem apud Regem Themoriæ & principes regionis Breg. In regione enim Breg Themoria eſt: inde autem S. Declanus originem ſui generis traxit.*

De tempore adventus B. Columbæ &c.

Ibid. lin. 33. poſt [*Brudeum.*] adde. & Scotichronici collector, illis. Eum *ſanctus Columba Pictiniam adveniens ad fidem convertit.* Hector verò Boëthius &c.

Pag. 694. lin. 23. *poſt* [invenimus :] *adde.* unâ cum *Monadairenſi* prælio; quod *Onde-movenſe* illud fuiſſe minimè dubitamus, de quo in Adamnani de S. Columbâ ἀνεκδότοις iſta legimus. *Poſt bellum Cule-drebene, ſicuti in his traditum eſt, duobus tranſactis annis (quo tempore vir beatus de Scotiâ peregrinaturus primitias enavigavit) quâdam die, hoc eſt, eâdem horâ quâ in Scotiâ commiſſum eſt*

bellum quod Scoticè dicitur Oudemone, idem homo Dei coram Conallo rege filio Comgill in Britanniâ conversatus, per omnia enarravit tam de bello commisso, quàm etiam de illis Regibus quibus Dominus de inimicis victoriam condonavit: quorum propria vocabula, Ainmerius filius Setni, & duo filij Maic Erce, Domnallus & Forcus. Sed & de Rege Cruithniorum qui Echodius Laib vocitabatur, quemadmodum victus currui insidens evaserit, similiter Sanctus prophetizavit.

Eum autem *cum duodecim commilitonibus discipulis ad Britanniam transnavigavisse* idem ? Adamnanus author est: &c.

? Id. lib. 3. ca. 4.

Pag. 697. lin. 26. post [discluserit;] *adde.* de Aidani successore Finano simili scribens modo. * *Successit ei in Episcopatum Finan, & ipse illò ab Hy Scotorum insulâ ac monasterio destinatus.* & de Finani quoque successore Colmano. ¶ *Venit ad insulam Hy*, &c. (ut lin. 27.)

* Id. li. 3. ca. 17.

Pag. 706. inter lin. 7. & 8. *adjice.*

De supradicto Conalleorum populo sanctum Monennam patrem habuisse nomine Mangtheum; regentem * *Oveaghbulud, & totam terram in circuitu Hardmacha, à Luve usq; ad Ulvester*, idem affirmat Conchubranus. Unde inter Dunenses in *Clan-conall* Yveachensium & Louthianos in *Maghery-Conall*, potiùs quàm in *Tir-conell* Donegallensium cum § Camdeno, illa *Terra Conallea* fuerit quærenda, in quâ Modwennam sive Monennam nostram editam fuisse testatur hoc ipsius Epitaphium.

* *Yveagh Uliaia.*

§ Camden. in Shrafforsh. pag. 441.

Ortum Modwennæ dat Hibernia, Scotia finem,
Anglia dat tumulum, dat Deus alta poli.
Prima dedit vitam, sed mortem terra secunda,
Et terram terræ tertia terra dedit.
Aufert Lanfortin quam Terra Conallea profert:
Felix Burtonium Virginis ossa tenet.

Addit in libro tertio *Conchubranus*, à Monennâ &c. (ut lin. 8.)

Pag. 709. lin. 23. post [indicijs.] *adde.* Ut de Adamnani

nani § nuper producto nihil dicam testimonio, quod *Conallum* Comgilli sive Congalli filium Scotorum Britannicorum Regem ante *Aidanum* fuisse, extra omnem ponit controversiam.

§ Supr. in additionib. ad pag 694.

Ibid. lin. 29. *quamlibet* * *infelici*,

* al. *infelix*, (victoria sc.)

Ibid. lin. 32. post [*narravisse.*] adde. in quo interfectorum numero duos ipsius Aidani filios fuisse, *Arthurium* & *Echodium Find* (sive *Eugenium Album*,) integriores Adamnani codices declarant: in quibus & *Miatorum bellum* hoc nominatur; utrùm * *Maatarum* Dionis, an aliorum, nunc non disquirimus. Videtur tamen *bellum Leithreidense* illud fuisse, quod anno DXC. &c. (ut lin. 33.)

* Supr. pag. 664

Pag. 723. inter lin. 11. & 12. *interponantur iste.*

Rhemnius Fannius ita interpretatus est.

Ast aliæ Oceani juxta borectidas actas
Sunt geminæ Rheniq; Britannides ostia cernunt:
Hic etenim lasso perrumpit Tethya cursu.
Has tamen haud habeat spatio superare per Orbem
Insula.

Festus verò Avienus liberiùs isto modo reddidit. &c.

Pag. 724. lin. 25. post [quod] *lege.* anno MCCCCXXII. datum * Metropoli Salisburgensi Wigulei &c.

* Tom. 2. pag. 396. edit. Monach. ann. 1630.

Ibid. lin. 28. lege. *& Ybernicorum de majori Scotiâ, in Ratisbonâ, devotorum nostrorum, oblata nostræ Celsitudini supplex petitio continebat &c.*

* Scotichronic. lib. 12. cap. 32.

Ibid. lin. 32. * *Sciat Paternitas* &c.

Pag. 729. lin. 19. post [*præpollet.*] adde. Hinc de Furseo Hiberno vetus Actorum ipsius descriptor, Bedâ antiquior: *Verbum Dei per universam Hiberniam prædicabat, & ea quæ viderat vel audierat omnibus populis Scotorum adnunciabat.* & alius Vitæ ejusdem scriptor: * *Beatissimus Furseus navigans ex Scotiâ sive Hiberniâ, venit in Galliam.* Ita Dicuil Hibernus, &c.

* Tom. 1. Histor. Francor. scriptor. ab Andr. du Chesne edit. Paris. ann. 1636. pag. 657.

Pag. 731. lin. 13. post [traditur.] *adde.* & Wandelbertus Prumiensis diaconus, in Martyrologio suo XVI. Kalend.

Kalend. April. de *B. Patricio*, qui Hibernos ad fidem Christi convertit, ita canit:

Bis octonatuo Patricii nomine pollet,
Scotica gentilem miserate per opida cultum.

* Tom. 1. Alamannicar. rerum scriptor. à Goldasto edit. pag. 318. Benedict. Gonon. Appendic. ad Vitas Patrum Occidentis, pag. 455.

& Vitæ S. Findani scriptor. * *Vir quidam nomine Findan genere Scottus, civis provincia Laginensis,* &c. *Prædicti viri sororem gentiles, qui Nordmanni vocantur, plurima Scottiæ insula, quæ & Hibernia dicitur, loca vastantes inter alias fœminas adduxere captivam.* & apud Ninium Britannum &c.

Pag. 736. lin. 29. post [Hiberniam:] adde. quæ de eâ *Solinus* disertis verbis protulit, ita recitans. *Hæc est illa Scotia, teste Solino, olim inhumana incolarum ritu aspero; aliàs ita pabulosa, ut pecua interdum, nisi à pascuis arceantur, in periculum agat satietas.* & Sigebertus Gemblacensis in Chronico, ad annum CCCCXXXII. de *Patricio* nostro scribens, *Archiepiscopus Scotorum ordinatus, per* LX. *annos signis, sanctitate, doctrinâ excellens, totam insulam Hiberniam convertit ad Christum.* Eam à *Scotiâ* Britannicâ, &c.

Pag. 750. inter lin. 16. & 17. *interjice.*

Quò etiam referenda authoris libelli de fundatione Ecclesiæ *S. Petri Consecrati* extra muros civitatis Ratisbonensis, nugacissima illa narratio. *Beatissimo Petro Apostolo urbis Romæ principatum tenente, ac Tiberio Cæsare regnante, tempore eodem venit de Hiberniâ quidam vir sanctus Episcopus nomine Mansuetus, cum societate plurimâ Sanctorum Hiberniensium, invisere Romæ coeli clavigerum; ad consequendam ab eo indulgentiam. Videns B. Petrus sanctorum virorum prudentiam, illorum quosdam misit in Apuliam, alios in Calabriam, alios aliò, ut verbi Dei semen seminarent. Ipsum reverendum episcopum Mansuetum ad Lotharingiam direxerat, ut filios Dei multiplicaret: & contulit ei potestatem solvendi ac ligandi, populum rebellem & incredulum ratione authoritatis collata ad unitatem fidei domare. Postea Lotharius,* * *Caroli Magni filius quartus existens,*

* Ludovici Pij potiùs: amplius 700. post mortuum S. Mansuetum annis.

existens, Lotharingiam patriâ hereditate obtinuit; eamq; suo nomine nuncupavit. Beatus interea Manſuetus, cui omnia proſperè ſucceſſerant, uſq; ad Illyricos ſinus Salvatoris nomen prædicando pertingens; regreſſus ad urbem præclaram & populoſam Tullenſem, poſt multas victorias, poſt glorioſa certamina, poſt præclara miracula (ut plenius in ejus Geſtis habetur) ibidem vitam in pace finivit.

Neque prætermittenda, quæ de *Manſueto* in Gallicano Andreæ Sauſſayi, neque de *Amone* ſucceſſore ipſius in Tullenſis Eccleſiæ habentur Breviario. in quorum priore leguntur hæc. *Tulli Leucorum ſancti Manſueti Epiſcopi, qui vir nobilis origine Scotus, atq; inter primos Petri Apoſtolorum Principis auditor: à quo & ſalutaribus undis tinctus, cum veteri homine, exuto Gentilitatis vocabulo, manſueti (ab agni quam præferebat manſuetudine) nomen conſecutus; ad hanc civitatem facibus Evangelicæ veritatis illuminandam miſſus eſt. Quam ingreſſus primùm, itanefariis idolorum ritibus deditam reperit, ut parùm prædicatione ſuâ profeciſſet, ni divina virtus verbum pietatis promoviſſet admirabili opere: quo præco ſalutis filium Præſidis qui civitatem regebat è ſpeculâ, dum ludos equeſtres ſpectaret, delapſum diſcerptumq; revocavit ad vitam. Hinc enim factum ut tota Præſidis familia, ipſeq; cum copioſa civium turmâ, Chriſti ovibus, ſalutari charactere ſignata, adjungeretur; velociterq; verbum Dei curreret, atq; non modò cives, ſed accolas pleroſq; tractus hujus ſcientia ſalutis informaret. Altâ igitur pace Manſuetus potitus, templum Deo uni & trino ſub ſancti Stephani Protomartyris Clientelâ erexit & ſacravit. Clerum ordinavit, compoſitoq; ad omnem pietatem populo, ut Chriſto tandem quem unicè ſitiebat frueretur, quadrageſimo poſt quàm Apoſtolicum munus inierat anno, placido mortis ſomno conſopitus, ad ſuperna prænia evolavit,* in poſteriore iſta. *Cùm in Domino obdormiſſet homo ſine querelâ prudenſq; paterfamilias urbis Leucha, venerabilis ſcilicèt Manſuetus, qui primò bonum ſemen fidei Catholicæ ſeminavit in agro ſuo, id eſt, in populo Tullenſi ſibi commiſſo:*

misso: praeclarus successor ejus Amon, fugiens seculi vanitatem, Christo duce perrexit ad secretum Eremi silentium & quietum. & in adjuncto Hymno:

Hic Mansueto Praesuli
Successit in officio;
Quem in secreto tumuli
Digno clauserat studio.
Praedecessoris gloriam
Praesuccessor non minuit:
Qui sectando justitiam
Devotè Deum coluit.

Addit postremò Dempsterus, scripsisse Mansuetum &c.

Pag. 751. lin. 11. post [*censeo.*] adde. Verùm de *Britannicâ* Iosephi peregrinatione in II°. Operis hujus Capitulo satis superque dictum est: ad quam doctissimus Grotius putatur respexisse, quum in *Christi patientis* Tragoediâ Iosephum de patriâ suâ Iudaeâ deserendâ ita loquentem introducit.

Nil moror hoc solum,
Quod ne premam ultrà nulla tam gravis est fuga
Quam non capessam: vel, si Hyperboreo procul
Subjecta plaustro littora extorrem vocent,
Qua refuga fluctu Tethys ambiguo ferit.
Erit ille patria qui patet vero locus.

Hadriano Imperatore. &c.

Pag. 765. lin. 27. post [De eâdem] *adde.* Nicolaus Oudartus, in Ephemeridibus suis Ecclesiasticis.

Rictius injecit te praeses Varus in ignem,
Praeciditq́ ferox ubera Macra tibi.
Attamen haud quidquam flamma nocuere rogales,
Uber utrumq́ loco restituitq́ Deus.
Quod notum Rhemis; quorum tegeris solo, acutâ
In testâ oranti postquàm ibi obisse datum.

Vid. Andr. Saussaij Martyrolog. Gallican. Ianuar. 6. & Mart. 2. (pag. 14. & 134.)

& Thomas Dempsterus *S. Macra* &c.

Pag. 768. lin. 22. post [cap. VI.] *adde.* & Martyrologium Romanum, Decembris die XV. *apud Iberos trans*

Pontum

Pontum Euxinum sanctæ Christianæ ancillæ, quæ virtute miraculorum gentem illam tempore Constantini ad fidem Christi perduxit, memoriam celebrari annotans.

Neque aliam à Philippo &c.

Pag. 769. lin. 7. 8. [Neque minore peccavit prochronismo Sigebertus Gemblacensis, quum] *Horum loco substituantur ista.*

Diviso inter Constantini Magni filios Romano imperio, natu maximo Constantino non *Britannias* solum, sed etiam *Orcades, Iberniam* & *Thylen* obvenisse refert, in Romanæ historiæ compendio, Pomponius Lætus; eumque in Cæsaribus suis secutus Iohannes Cuspinianus, & in II°. Cosmographiæ suæ libro Sebastianus Munsterus. Et Eumenius quidem Rhetor in Panegyrico ad Constantium Constantini magni patrem, dicto audientem ipsi fuisse Hiberniam verbis illis innuit. *Ultra Oceanum verò quid erat prater Britanniam? Quæ à vobis ita recuperata est; ut illæ quoq; nationes terminis ejusdem insulæ cohærentes vestris nutibus obsequantur. Nulla progrediendi causa superesset nisi si, quod natura vetuit, fines ipsius quæramur Oceani.* & [a] Iulianus Cæsar; quum sub ejusdem Constantij imperio fuisse significat τὰς ἐντὸς Ὠκεανοῦ νήσους, ἃι τοσούτῳ μείζους τῶν ἐν τῇ θαλαττῃ τῇ καθ' ἡμᾶς ὁρωμένων εἰσὶν, ὅσῳ καὶ τῆς ἐσω θαλάσσης ἡ τῶν Ἡρακλείων στηλῶν * ὑπερχέομένη. *in Oceano positas Insulas, quæ tanto majores illis sunt quæ in Mari nostro* (Mediterraneo) *conspiciuntur, quanto Mari hoc interiori majus illud est quod per Herculeas Columnas diffunditur.* sic enim ille magnitudinem [b] duarum Britannicarum insularum hyperbolicè satis amplificat. Ut ex Menæis Græcorum (ad diem XXI. Maij) illud non urgeamus; quòd Constantius filium Constantinum Magnum διάδοχον τῆς αὐτοῦ βασιλείας καταλιπεν ἐν ταῖς Βρεταννικαῖς νήσοις, *successorem regni sui reliquerit* * *in Insulis Britannicis.* Verùm neque *Hiberniam*, neque *Thulen*, *dignatum* fuisse *acquirere* Constantium, in Panegyrico ad filium ipsius

[a] Iulian. Orat. 1. potiùs de rebus gestis Constantij Aug. Constantini M. filij. (pag. 95. edit. Paris. ann. 1630.)

* ὑπερχεομένη.

[b] de quibus initio Capitis sequentis, ex Dionysio: Τάων τοι μέγεθος περιώσιον.

* Vid. similem locum supr. pag. 300. ex *Socrate.*

Constantinum Magnum, idem ? Eumenius disertè asserit: & quod Beda libro I. Historiæ suæ Ecclesiasticæ cap. XI. Romanos ait *eas etiam quæ ultra Britanniam sunt insulas jure dominandi possedisse*, ex tertio ejusdem libri capite est exponendum; in quo, Claudium *Orcadas insulas, ultra Britanniam in Oceano positas, Romano adjecisse imperio*, cum Eutropio & Orosio affirmat. quanquam imperante demùm *Domitiano*, Romanam classem *incognitas ad id tempus insulas Orcadas invenisse domuisseq́*, doceat in Vitâ Agricolæ Tacitus: & Iuvenalis quoque confirmet; in secundâ suâ canens Satyrâ.

? Supr. cap. 15. pag. 586.

—— *Arma quidem ultra*
Litora Iuvernæ promovimus, &* MODO *captas*
Orcadas, ac minimâ contentos nocte Britannos.

* i. Hiberniæ

Sub Constantini Magni filijs *Sedulium* nostrum claruisse scribit Sigebertus Gemblacensis: quâ ratione, &c. (ut lin. 9.)

Pag. 771. inter lin. 3. & 4. *interpone.*

Iohannes Tinmuthensis, in vitâ Dunstani, *sapientem ac senatorem Sedulium* nominat: Ædilwaldus etiam, *Romæ urbis indigenam.* Sic enim ille, in Carmine ad Winfrithum:

Quemadmodum mellificis
Heroicorum versibus
Illustris quondam Poëta
Romæ urbis indigena
Styli calamo stridulo
Caraxante persedulo
Sacris inserit schedulis
Doctiloquus Sedulius.

Verùm de patriâ suâ &c.

Pag. 776. lin. 22. post [*Bacaudarum.*] adde. & ad annum ab hoc alterum. *Asturio Magistro utriusq́ militiæ gener ipsius successor ipsi mittitur Merobaudes.* & sub annum demùm CCCCXLIX. *Asturius vir illustris ad honorem provehitur Consulatus.* Ex quibus inter se collatis &c.

Pag.

Pag. 781. lin. 21. *Pontifex* [Kiaranus] *ad fidem convertit,*

Pag. 786. inter lin. 20. & 21. *interjice.*

S. Renanum monachum Hiberniæ tempore S. Martini extitisse, author est Hugo Kirkestedius Cistercienſis, in Monachorum ſanctitate illuſtrium Catalogo. Neque aliud quicquam de illo legere memini: niſi huc fortaſſe ſpectare quis putaverit *Obitum S. Rieranini*, quem in Annalibus Connacienſibus ad annum Domini CCCCV. annotatum reperi. *Kebius* Britannus, &c.

Pag. 796. lin. 4. poſt [tempora.] *adde.* Ubi tamen de *Camaſâ* vel *Como* non prætermittenda eſt illa eruditiſſimi Davidis Blondelli ex Galliâ ad me miſſa obſervatio. *Cùm vix ullus qui pro Como Cameram ſcripſerit hactenùs repertus ſit, Gualti textum alicunde corruptum fuiſſe veriſimile eſt. In hâc autem phraſi* [ad Camaram uſque civitatem] *vocis* [uſque] *peculiarem* ἔμφασιν *eſſe, Guniſortumq́, non ad Alpium Rheticarum radices ipſumq́, Italiæ limen Comum heſiſſe, ſed progreſſum longiùs, inſinuare palàm eſt. Fortè legendum* [ad Camarinam civitatem.] *ſiquidem Camerinum Flaminiæ ſeu veteris Umbriæ urbem* Καμαρῖναν *Ptolemæus vocat: potuitq́, Germaniæ pertæſus Guniſortus per Carnicas Alpes & Venetiam in Flaminiam irrumpere exindeq́, in Liguriam retractâ pede ſecedere.*

Illud verò multo magis eſt ridiculum, &c. (ut lin. 5.)

Ibid. lin. 26. 27. *parentheſi inclusa ita lege.* (*Eluſâ*, vetere Novempopulaniæ metropoli, orinundum)

Pag. 802. lin. 28. poſt [appellat:] *adde.* pro quo & notula illa marginalis facit, quam ad *Chartam* Patricio tributam (in Guilielmi Malmesburienſis libro de Antiquitate Glaſtonienſis eccleſiæ, MS. in Bibliothecâ Collegij S. Trinitatis Cantabrigiæ) manu ſatis antiquâ appoſitam reperi. *Eodem anno vel præcedente miſit idem Papa* [Cœleſtinus] *ad prædicandum ibidem* (ad Hibernicos ſc.) *virum nomine Palladium*, BRITANNICUM *genere: ſed idem citò repatriavit ſine ullo effectu.* Iohannes Trithemius, &c.

Pag. 808. lin. 2. * Scethi eremo

* *Vid. Sozomen. histor. lib. 3. cap. 13.*

Ibid. lin. 30. post [Proœmio.] *adde.* Neque enim illorum Georgij Alexandrini verborum ulla hic habenda est ratio. Ἡρακλείδης ἐν τῇ εἰρκτῇ τῆς Νικομηδείας ἐνεκλείσθη ἐπὶ τετραετῆ καὶ πρὸς χρόνον. *Heraclides in Nicomediensi custodiâ conclusus est ad quadriennium, & ultrà.* quum illud, καὶ πρὸς, *& ultrà*, non Palladij sed Georgij (qui quamdiu ultra *quadriennium*, à Dialogistâ expressum, in carcere detentus fuerat Heraclides ignorabat) additamentum esse res ipsa satis indicet.

Neque in Proœmio illo parùm mihi suspectum & illud est quòd, qui cum Theodoro &c.

Ibid. lin. 33. post [appellatur.] *adde.* quum in Cujaciano Dialogi hujus fragmento MS°. (à Frontone Ducæo in Notis suis edito) neque *Palladius* neque *Heliopolitanus*, sed incertus incertæ sedis Episcopus fuisse perhibeatur. Ita enim appictus rubricâ titulus ibi se habebat. Ἐκ τῆς ἱστορικῆς λόγου τῶν περὶ τὸν χρυσοστόμου ὑπό τινος τῶν ἐπισκόπων πρὸς Θεόδωρον διάκονον Ῥώμης λεχθέντος. *Ex sermone historico de rebus Chrysostomi habito ab Episcopo quodam cum Theodoro Diacono Romano.* atque in ipso contextu, ubi in Latinâ Dialogi versione positus est PALLADIUS, in fragmento illo comparebat tantum ὁ Ἐπίσκοπος. Et quidem *Episcopum* se fuisse, quum Iohanni Chrysostomo &c.

* ἐπὶ ἔνδεκα μηνᾶς ἐν ζοφερῷ κελλίῳ κρυπτόμενος: ut ipse de se confirmat, in Historiâ Lausiacâ, cap. 43.

Ibid. lin. ult. * in custodiâ esse *servatum*

Pag. 815. lin. 1. post [confirmant.] *adde.* Unde etiam Inisfallensium Annalium collector, *Palladium hic uno anno manisse, nec Romam pervenisse sed in Britanniâ quievisse in Christo*, admonet.

Ad annum igitur &c.

Ibid. lin. 28. lege. *Trimmensis, Lonibiana, Clocherensis, Armachana, Dublinensis & Slebtiensis Ecclesia fundatio. Almogith regis Connaciæ septem filij & Ængus rex Momoniæ, cum suis, ad fidem conversi*, &c.

Pag. 818. lin. 13. *pro* [quatuor] *lege* [quinque]

Ibid.

Ibid. lin. 23. post [*Quartum*] adde. Acta Patricij tribus libris explicata continebat: quæ Tripartiti operis titulo sæpiùs citamus. *Quintum* linguâ Hibernicâ ab Anonymo &c.

Pag. 820. lin. 3. * *inde conditionem* pone in margine * *in deditionem*

Pag. 821. lin. 5. post [innuit:] *adde.* ad locum illum Sigeberti proculdubio respiciens. *Sanctus Patricius Scotus in Hibernia cum suis sororibus venditur.* ubi tamen *Scotis* legendum, Stephani Viti conjectura est haudquaquàm aspernanda. Guilielmus Caxtonus, vel quicunque Legendæ aureæ Anglicanus fuit interpres, Cambro-britannum fuisse significat, patriam ejus *Pendiac:* (pro * *Pepidiane*) nominans juxta *Vallem Rosinam.* Humfredus Lhuydus etiam in *Roseâ valle* natum asserit: &c.

* Vid. supr. cap. 13. pag. 442.

Pag. 823. lin. 15. post [Malmesburienſis,] *adde.* & in ipso Vitæ Patricij à se conscriptæ initio Stanihurstus noster prodidit. Ninij Scholiastes, qui Patricium *octogenarium* huc advenisse vult, in annum CCCLII. ejus nativitatem eâ ratione conjicit. * Giraldus Cambrensis, *anno ætatis suæ*, CXX. *ab Incarnatione Domini* CCCCLVIII. obijsse illum statuens, anno CCCXXXVIII. natum fuisse consequenter dicit. Connacienses denique Annales; &c.

* Girald. Topograph. Hibern. distinct. 3. cap. 17.

Pag. 825. lin. 20. post [habeamus.] *adde.* Quin & aliam ejusdem nominis insulam (inter Connaciam & Longfordiæ Comitatum positam, atque Ecclesiasticæ Ardachadensis Episcopi ditioni subditam) Sinei fluminis lacus *Logh-rie* dictus nobis exhibet: cujus & *Riochum* quendam, Patricij nepote ætate posteriorem, Abbatem extitisse S. Ædi Vitæ scriptor hisce verbis prodidit. *Venit sanctus Episcopus Ædus ad insulam Bo-finde, id est, Vacca alba, quæ est in stagno Righi: & suscepit eum S. Rioch Abbas illius loci honorificè. Monasterium enim clarum in illâ insulâ est, quod ex nomine insula nominatur.*

Pag. 834. lin. 2. post [*perseveravit.*] adde. Similiter

& Hugo Kirkestedius *S. Patricium nepotem S. Martini, ab eo monachum factum* asserit. quanquam Patricium nostrum Gabriel Pennottus esse doceat, sed inter &c.

Ibid. lin. 7. *lege*. Pio V. * Iohanne Trullo Aragonio, Constantino Ghinio, &c.

* Trull. de Ord. Canonicor. Regular. lib 1. cap. 5. §. 2.

Pag. 841. lin. 21. 22. * *Patrem civium* repone in margine. * Suid. Πατρίκιος, ὁ πατὴρ τοῦ κοινοῦ. *Patricius, Pater Reipublicæ.*

Ibid. lin. penult. post [anteponeretur.] adde. *Quod si in familiâ seculari*, inquit * Cyprianus, *prædicationis & laudis est, esse patricium; quanto majoris laudis & honoris est, fieri in cœlesti prædicatione generosum?*

* Cyprian. epist. 34.

De *Auxilio* & *Iserniuo* &c.

Pag. 842. lin. 16. 17. &c. lege. *Secundinum, Auxilium, & Iserninum Episcopos in Hiberniam esse missos in auxilium Patricij*, Ultonienses docent Annales. pro quibus, in cœnobij Inisfallensis Chronico annotatum invenimus: *Secundinus & Auxiliarius & Esserninus mittuntur in auxilium Patricij; nec tamen tenuerunt Apostolatum, nisi Patricius solus.* & quod de *Germano* &c. (ut lin. 19.)

Pag. 845. lin. 25. *lege.*

Cœlestino igitur Romano Pontifice jam vitâ functo, *primo anno Episcopatus Xysti* (ut Ultonienses & Inisfallenses tradunt Annales) pervenit ad Hiberniam Patricius. Viginti quatuor discipulos secum eò adduxisse notat Operis tripartiti author: &c.

Pag. 847. lin. 11. post [Patricius.] *adde.* ad quod usq; tempus itinera ab eò confecta antiquus Actorum ipsius descriptor, à * Iacobo Meyero productus, summatim ita percenset.

* Meyer. Annal. Flandriæ, lib. 1.

Patricius revertens è Galliâ in Britanniam, inde transit in Hiberniam, id est Scotiam, in regionem Lagenorum. Inde petit Aquilonares Scotiæ partes. Hinc orientalem plagam Hiberniæ circumnavigans, navem convertit in aliam quandam parvam Insulam, quæ hodie Insula Patricij vocatur.

Deinde

Deinde Brigensium fines relinquens, Ultorumq; regna omittens, in extraneum quoddam fretum venit; quod est Brevese; unde ascendit in terram per ostium Flain ingressus, & pervenit in regionem Ruthenorum; donec pervenerit ad montem Mis, ubi Miluinc rex erat Aquilonaris Scotiæ. Miliuc sive Milconem hunc, *regem septentrionalis partis.* non quidem universæ *Scotiæ* sive Hiberniæ, sed *Dal-araidæ* fuisse, ex Fiechiano scholiastâ * suprà ostendimus. Cujus regionis australem quidem partem Ardes hodie nominant (quo in nomine *Araidæ* etiam illius non obscurum superest vestigium) septentrionalem verò Claneboyes; in quâ & *Ruthenorum* mons ille *Mis* est, quem *montem Egli in regione* § *Cruthenorum* à Probo dictum, ibidem monuimus. Patricius verò, Claneboiano isto Regulo mirâ quâdam sententiæ obstinatione, &c. (ut lin. 12.)

*Supr. pag 831.

§ Vid. supr. in additionib. ad pag. 579.

Pag. 848. lin. 9. *lege.*

Nominis hujus *Colbdi* in hodierno nostro Colp aliquod adhuc relictum est vestigium: qui locus non longè à portu urbis Pontanæ, & ostio Buvindi vel Boini fluminis, positus conspicitur. Hîc B. Patricius &c.

Ibid. lin. 32. * *colligebat*

* *Colligabat*

Pag. 850. lin. 12. post [confirmat.] *adde.* Hunc verò primum *Slaniæ Episcopum* anno Domini DXIIII. ætatis suæ XC. quievisse, nostri Annales indicant.

Sequenti etiam die &c.

Pag. 855. lin. 12. post [memoria.] *adde.* Ad occidentalem verò partem Louthianæ Ecclesiæ *S. Motti Capella* (ut vulgus appellat) adhuc superest; & non multo ampliùs quàm dimidio milliari inde distans Ard-Patrick, ubi & sacræ ædiculæ conspiciuntur rudera, XVII. latitudinis, XXVII. verò pedum longitudinis.

Neque à *Moctheo* hoc nostro alius est ille *proselytus* &c.

Pag. 857. lin. 25. * *orientalium* dele in margine * *septentrionalium*: & lin. antepenult. post [*cum suis.*] adde. Hîc verò *Orientales* appellat Probus *Oriel* sive *Oirc-giall*

regionis

regionis incolas; quæ olim Louthianum, Armachanum & Monachanensem Comitatum complexu suo continebat. Unde *Ulios* sive *Ulianos* (regionis *Ullagh* sive *Ulidiæ*, id est, Dunensis Comitatus incolas) secernit tripartiti Operis author ab *illis qui dicuntur Airgialla, in quorum regione est summa civitas Patricij Ardmacha.* In eodem quoque tripartito Opere de jam dicto *Daire* sive *Dario* ista legimus. *Fuit quidam homo.* &c. (ut lin. ult.)

* Offic. Patric. lect. 6. edit. Pariſ. ann. 1630.

Pag. 858. lin. 33. post [ex] *adde.* * Officio S. Patricij annotationem adjicere licebat. *In civitate Ardmachanâ totius Insulæ sedem primam & Metropolim constituit.* & ex Opere tripartito alteram. *Ibi B. Patricius magnam* &c. (ut lin. 35.)

Pag. 861. lin. 15. post denotat) lege. *Atheliath* nuncupatam: de quâ, Vitæ S. Coemgeni sive Keivini scriptor. *Civitas Ath-cliath est in aquilonali Laginensium plagâ super fretum maris posita; & ità Scoticè dicitur Dub-lein, quod sonat Latinè Nigra therma: & ipsa civitas potens & belligera est, in quâ semper habitant viri asperrimi in præliis & peritissimi in classibus.* & Iocelinus, in Vitâ B. Patricij. *Discedens Patricius* &c.

Pag. 867. lin. ult. Hic *Enna*, ni fallor, &c. usque ad [docent Annales.] deleantur atque ita incipiatur paragraphus.

Arn, Hibernis *Ardna nemh* &c. (ut pag. 868. lin. 2)

Pag. 871. lin. 20. post [*catholicam.*] adde. & post eum, Iohannes Tinmuthensis: *Transiens Gildas in* * *Hiberniam, populum multum ad fidem convertit.* Ob quam ibi navatam &c.

* Vid. supr. pag. 859.

Pag. 874. lin. 18. post [traditur.] *adde.* Unde & ipsis Kalendis Martijs, quibus *Davidis* celebratur memoria, in Killenensi etiam Martyrologio annotatum observavimus. *In Hibernia, S. Senani Confessoris.*

Aliorum verò Patricij &c.

* in Cornubiâ. (supr. pag. 877.)

Pag. 879. lin. 12. * Daile-mont.

Pag. 886. lin. 25. post [promontorium est,] *lege.* in Maionensi

Maionensi Comitatu Occidentali imminens Oceano; quod olim *Cruachan Ægli* (ut in Hibernico Testamento B. Patricio attributo) sivè *Ailge* aut *Oeghli* (ut alibi scriptum reperio) hodie *Cruach-Phadruig*,

Pag. 897. lin. 21. post [perhibetur:] *adde.* quum Nivernensibus (ut in § Martyrologio suo Gallicano scribit Andreas Saussaius) *Patricium prefecisset, virum Apostolicæ virtutis.* Et certè post Austremonium, in *Nivernensium* Episcoporum Catalogo, *Patricij* &c. § Martyrolog. Gallican. Novemb. 1. (pag. 807.)

Pag. 899. lin. 22. post [Nam] *lege.* antiquum illum Canonum librum, quem in Cottonianâ Bibliothecâ reperi, ab eo visum fuisse vix crediderim; in quo, ex *libris Patricij* II. *Episcopi* (id est, ut ego quidem interpretor, libris qui magni nostri Patricij Acta explicant) illud citatum observavi. *Ethianus & Conallus in campo Hai episcopos indignos ordinaverunt. quos increpavit Patricius, dicens: Quare absq; consilio nostro Episcopos ordinâstis? quàm indigni sunt apud Dominum ordinari? Ideò Ecclesiæ vestræ sint semper minimæ. Et monachi in pœnitentiam adducti sunt.* Neque Tirechanum etiam; qui *Palladium* alio nomine &c. *Vid.* Iocelin. *Vit. Patricij*, cap. 123.

Pag. 905. lin. 31. post [*Anmirech,*] adde. Actorum S. Ædani sive Moedoghi collectori *Ainmireach,* * Adamnano Amureg, vel (ut emendatior habet codex) *Ainmuireg,* & *Ainmureeh,* huic Vitæ Gildæ &c. *Supr. pag 712.

Pag. 906. lin. 8. post [*Gillam.*] adde. licèt biennio ante mortem regis Ainmirechi in Annalibus Inisfallensibus *Quietem Gilldais Episcopi* annotatam etiam invenerimus. Sed quid ab hoc sive &c.

Pag. 911. lin. 2. post [confluentibus.] *adde.* Idemquoque author expulsionem S. Carthagi è monasterio Rathenensi posteà enarrans; *Pervexit,* inquit, *Sanctus in viam cum discipulis suis, qui erant numero* DCCCLXVII. *& coæqualis numerus in civitate Raythen in sepulchris mansit: & plures in alijs locis per Hiberniam de discipulis S. Mochuda vivi & defuncti fuerunt. Et qui secuti sunt sanctum*

ctum senem Carthagum de civitate Rayther, pleni gratiâ Dei erant: & plures ex eis postea sancti Episcopi & Abbates facti, loca Domino ædificaverunt. Ab alio Vitæ ejusdem &c.

Pag. 912. lin. 18. post [*amisisse:*] lege. illud tamen non difficulter &c.

Ibid. lin. 23. post [obsevari,] *adde.* indeq; quod ab * Andreâ Saussaio de Gildâ scriptum est aliquo modo ferri potuerit. *Hibernos maximè ab impietatis errore, non modò laqueis, sed & vitiorum turpiter illic grassantium exitiosis nexibus, fortiter emancipatos, feliciter in veritatis & pietatis tramitem perduxit.* Nam & doctissimum *Finianum* nostrum è Britanniâ, &c.

* Martyrolog. Gallican. Ianuar. 29. (pa. 83.)

Pag. 917. lin. 19. *pro* conditorem) *lege* * conditoris) magistrum,

* Vid. Ionam in Columbani Vitâ; Paul. Diac. de gest. Langobardor. lib. 4. cap. 15. (al. 43.) & Fredegarij Scholastici Chronic. cap. 36. § de quo supr. pag. 909.

Pag. 919. lin. 31. post [uti] *adde.* & § Kieranus filius Artificis, à quo Regulam Monasticam conscriptam fuisse liber Navanensis indicat, & Brendanus Findlogæ &c.

Ibid. lin. penult. post [*S. Brendani,*] adde. Neque alia est illa *Lex Ciarani & Brendani*, cujus amplificatum usum ad annum DCCXLIII. in Annalibus Ultoniensibus observavimus. Hisce verò & duos Comgalli discipulos &c.

Pag. 931. inter lin. 1. & 2. *ista interseres.*

* Ordericus Vital. Histor. Ecclesiastic. lib. 8. ad an. Dom. 1094.

* Ordericus quidem Vitalis S. Columbanum *Spiritu sancto edoctum Monachilem Regulam edidisse, primumq; Gallis tradidisse* scribit; sed discipulos ipsius addit, *ædificationis causâ, normam suscepisse Benedicti: ita tamen ut non abhorrerent sui statuta Magistri, ubi videlicet Columbani. Ab ipsis siquidem,* inquit, *modum divinæ servitutis & ordinem didicerunt: & formam orationum pro sanctis Ordinibus qui in Ecclesiâ Dei sunt, nigredinem vestium, aliasq; observationes sumpserunt: quas pro religione & honestate ipsius teneruntur, & sequaces eorum usq; in hodiernum diem reverenter observare appetunt.* Unde rationem intelligimus, cur toties in antiquis monimentis Regulas *Benedicti*

dicti & Columbani simul conjungi videamus. ut quum Leodebodus abbas S. Aniani in [a] Testamento suo Floriacense cœnobium se conditurum significat, *in quo monachi juxta Regulam sanctissimi Benedicti & Domini Columbani consistere debeant.* & Bertefridus Ambianensis episcopus in [b] Privilegio Corbeiensi monasterio anno DCLXIIII. concesso monet, *ut ipsi monachi sub Regulâ sancti Benedicti vel sancti Columbani conversari & vivere debeant.* & non longè pòst, Hildulphus Trevirensis archiepiscopus in consimili [c] Privilegio, cœnobia à Deodato Nivernensi episcopo in Valle Galilæâ apud Lotharingos constructa fuisse memorat, *ubi monachos vel peregrinos sub sanctissimorum patrum Benedicti & Columbani Regulâ victuros deliberabat collocare devotus.* & Theodericus II. Francorum Rex in [d] Donatione anno DCCXXIIII. datâ Maurimonasterien-sibus juxta Argentinam cœnobitis gratiam facit, sub suâ defensione, *cum omnibus rebus suis & Monasterij sui, secundùm normam Patrum Domini Benedicti & Domini Columbani, quietos residere atq; securos.* Non quòd una eademque esset utriusq; Regula: sed quòd Columbani sectatores, majoris profectus ergò, duas illas celeberrimas Ascēticæ vitæ normas conjunxissent; quæ medijs hisce temporibus in Italiâ, Galliâ & Germaniâ solæ enitebant & apparebant. Unde quum Robertus Abbas Molismi in Burgundiâ [e] *discipulis persuaderet, ut labore manuum vivèrent, Decimas & oblationes Clericis qui in Diœcesi deservirent relinquerent, femoralibus, staminijs pelliciisq; abstinerent: illi contrà nitentes, à consuetudinibus quæ in Occiduis orbis monasterijs observabantur, quas constat institutas esse à Beato Mauro discipulo S. Benedicti & à Beato Columbano, recedere abnuerunt.*

Etsi verò *sub Valentiniano Abbate* (quem ipsius Benedicti fuisse discipulum, & Romæ *annis multis Lateranensi monasterio præfuisse*, in libri secundi Dialogorum suorum Gregorius docet exordio) *Britannia & Scotia,*

[a] apud Helgaldum Floriac. antè Vitam Roberti regis, à P. Pithœo edit. in-8. apud Carolum Sausseyum, in Annal. Eccles. Aurelian. lib. 4. cap. 1.

[b] Tomo 1°. Concilior. Galliæ, pag. 504.

[c] Vit. S. Deodati, cap. 13. (in tomis Surij & Mosandri, Iunij 19.)

[d] apud Iodoc. Coccium, in Dagoberto suo, cap. 6.

[e] Rob. de Monte, de immutatione Ordinis Monachorum: apud Camden. in *Hiberniâ*, pag. 767.

sive Hiberniæ, *ordinem ostensum* fuisse Benedicti, » Petrus Casinensis Diaconus significet: à Columbano tamen nostro proprium conditum fuisse Canonem, in Vitâ ipsius Ionas Abbas clarè confirmat; de monasterijs ab eo constructis hunc scribens in modum. *His ergo in locis Monachorum plebibus constitutis, ipse vicissim omnibus interserat, Regulamq; quam tenerent Spiritu sancto repletus condidit: ex quâ, qualis & quantæ disciplinæ vir sanctus fuerit, prudens lector vel auditor agnoscit.* Neque aliam par est credere Sangallensibus in Helvetiâ cœnobitis ab eorum conditore S. Gallo traditam initio fuisse Regulam: de quo Nicolaum Oudartum, si placet, canentem audias.

» Petr. Diac. in Catalogo Abbat. Casin. & Lateran. apud Constantin. Cajetan. pro Iohanne Diacono Cardinal. lib. 2. cap. 8. (pag. 244.)

Sancta Columbani placuit sic Regula Gallo,
Protinùs ut generis præverit omne decus,
Discipulumq; illi se junxerit: & suo lerno
Plus Araris lentas mox adamârit aquas.
Unde ablegatus Brunichildis fraude, Suevûm
Devia adit; functus nomina datq; loco.

De diversâ *tonsuræ* ratione &c.

Pag. 936. lin. 4. * *Campus albus*

* Vid. supr. pag. 864. lin. 6.

Pag. 945. lin. 2. post [edidit,] *hanc interserere parenthesin.* (sive Laurentius Dunelmensis ille fuerit, quem hoc tempore *De Cuthberto episcopo* librum edidisse scribit * Balæus, sive quis alius)

* Io. Balæ. Centur. 2. cap. 88.

Pag. 959. lin. antepenult. pro [*fortiter*] ex MS°. repone [*fortis*]

Pag. 968. lin. 2. * *monasterio Scotorum,*

* Eginhard. de SS. Marcellino & Petro, lib. 4. cap. 22. (in tomis Surij & Mosand. i, Iun. 2.)

Pag. 969. lin. 9. post [*Ferreolus,*] adde ex MS°. *Scoticè verò Ernene, gente Mocu sirroide, inter aliorum* &c.

Pag. 1016. lin. 32. post [accipit.] adde. *Primus autem Abbas Ecclesiæ S. Albani Anglorum Protomartyris Willegodus fuit; quem Offa Rex Merciorum potentissimus, anno Dominicæ Incarnationis* * DCCXCIIII. *Calendis Augusti corpore Martyris invento, monachis introductis Ecclesiæ nondùm fabricatæ Abbatem præfecit, & sub vitâ*

* DCCXCIII. Vid. supr. pag. 166.

vitâ regulari vivere ordinavit: ut habet in historiâ suâ Majore, ad annum Christi 1214. Matthæus Parisiensis. Et post Offæ &c.

Pag. 2. in margin. lin. 2. post [in *Nerone.*] adde. Vid. Camden. pag. 170. 306. 563. & Io. Selden. ad Marmora Arundelliana, pag 176.

Pag. 4 lin. 24. ita inchoanda est sectio.

Gildas verò inter tempus hoc *summum Tiberij Cæsaris*, quo lumen Euangelij per universum terrarum orbem spargi cœptum est, & rem à Romanis (post acceptam à Boadiciâ Reginâ, quam *Leænam* ille appellat *dolosam*, cladem illam maximam) adversùs Britannos gestam, de quâ proximè verba fecerat; hoc est, inter XXXVI. vulgatæ nostræ æræ Christianæ annum & LXI. (quo à Paulino Suetonio recuperata iterùm provincia est, cæsis Britannorum octoginta millibus) veritatis suæ radios Britanniæ primùm indulsisse Christum significat. Unde inter gentes Apostolorum ministerio ad fidem conversas, *Britannos* quoque connumerat Theodoretus, libro 9. &c.

Pag. 5. lin. 23. *ac* * *Venetiarum oppida*,

Pag. 9. inter lin. 3. & 4. adde.

* *Venites*, in Britanniâ Armoricâ.

Ipse Chrysostomus, in 4ª. de laudibus B. Pauli homiliâ, *in tantum virtute progressum* illum fuisse prædicat, ut *& Romanos, & Persas, & Medos, & Indos, & Scythas, & Æthiopas, & Sauromatas, atq; Saracenos, & omne prorsùs hominum genus sub jugum miserit veritatis*, ἐν ἔτεσιν ὀλίγοις τετταράκοντα, (ut in Græco MS°. legitur) vel (ut, vetus illius Latinus interpres, habet & Anianus) *vix triginta annorum spatio.* quibus & hæc ipsius Pauli discipuli Clementis addas licet, in epistolâ ad Corinthios, quâ hodie Patricij Iunij nostri summo fruimur beneficio.

a Chrysost. tom. 8. edit. Græc. Savil. pag. 15. & Tom. 6. Oper. Redæ, col. 1153. edit Basil. ann. 1563.

neficio. Κῆρυξ γενόμενος ἐν τῇ τε ἀνατολῇ καὶ ἐν τῇ δύσει, τὸ γενναῖον τῆς πίστεως αὐτοῦ κλέος ἔλαβε, δικαιοσύνῃ διελάξας ὅλον τὸν κόσμον, καὶ ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθὼν, καὶ μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων, οὕτως ἀπηλλάγη τοῦ κόσμου. *In Oriente ac Occidente verbi præco factus, illustrem fidei suæ famam sortitus est, in justitiâ mundum universum instruens: & ad Occidentis terminos veniens, & sub Principibus martyrium subiens, sic è mundo migravit.*

Sed & *Aristobulum*, cujus ipse &c.

Pag. 16. lin. 23. lege. *Domini* XXXI. *duodecim sancti (ex quibus Ioseph ab Arimathiâ &c.*

Pag. 104. lin. 23. post [*evellat.*] adde. & reliquis antiquius Regis Edgari illud, in Codice Legum aureo, Novo Monasterio Wintoniæ dato. * *Vitiosorum cuneos Canonicorum è diversis nostri regiminis cœnobijs Christi Vicarius eliminavi.*

* Selden. Spicileg. ad Ædmerum, pag. 155.

De rebus à Fagano &c.

Pag. 111. lin. 5. post [Archiepiscopus.] *adde.* De duobus prioribus hoc tantùm habemus reliquum, ex Guilielmo Malmesburiensi, antiquitatis testimonium. *Anno Incarnationis* DCI. *id est, adventus B. Augustini quinto, Rex* * *Dompnoniæ terram quæ appellatur Ines-withrin ad Ecclesiam vetustam concessit quæ ibi sita est, ad petitionem Worgrez Abbatis, in quinque cassatis. Ego Mannorn Episcopus hanc Chartam conscripsi. Ego Worgrez ejus loci Abbas subscripsi. Quis iste Rex fuerit, schedula vetustas negat scire: veruntamen quòd Britannus fuerit hinc non ambigitur, quòd Glasconiam suâ linguâ Ines-withrin appellavit. sic enim Britannicè vocari apud eos constat. Illud quoq; animadvertere par est, quanta antiquitatis sit Ecclesia, quæ tunc etiam dicebatur* VETUSTA. *Fuerunt sanè ejusdem Abbates Britannicani, barbariem nominibus prætendentes, (præter Worgrez) Ladammid & Bregorez. Prælationis eorum tempora sunt in obscuro: sed nomina illorum & dignitates in majori Ecclesiâ, prodente secùs altare pictura, sunt in propatulo.*

* Devoniæ & Cornubiæ.

Brithwaldum

Brithwaldum verò idem Malmesburiensis inter &c.

Ibid. lin. 32. 33. *lege.* consilio ejusdem Aldhelmi, anno DCCIIII. *deleto illo.* [Schireburnensis tunc episcopi,]

Pag. 114. lin. 31 leg. *ac sanctorum* lin. 8. *traderetur*; lin. 11. 12. *erat ejus longitudo ab illâ lineâ versùs Occidentem* LX. *pedum*;

Ibid. lin. 24. post [*perduravit.*] adde. & ante eum, Guilielmus Malmesburiensis. *Paulinum, ex Archiepiscopo Eboracensi Roffensem Episcopum, asserit majorum traditio Ecclesiæ contextum dudum, ut diximus, virgeæ ligneo induisse tabulatu.* Unde lucem &c.

Pag. 410. inter lin. penult. & antepenult. *inserantur ista.*

De his etiam & Abbo Floriacensis audiendus, in Vitâ Regis Edmundi Anglo-saxonum apud nos primordia hisce verbis explicans. *Accitis aliquando in Britanniam precariis manere in perniciosum auxilium tres Germaniæ populi, hoc est, Saxones, Viti* (sic enim habet meus MS. pro, *Inti*) *& Angli, primùm Britonibus interdiu fuere præsidij. Qui cùm sæpius bello lacessiti se & suos defensarent fortiter (illi verò ignaviæ operam dantes quasi proletarij ad solam voluptatem domi residerent, sisi de invictâ fortitudine stipendiariorum militum quos sibi conduxerant:) ipsos miseros indigenas domo patriâq; pellere deliberant. Factumq; est: &, exclusis Britonibus, statuunt inter se dividere victores alienigenæ Insulam bonis omnibus fœcundissimam; indignum judicantes eam ignavorum dominio detineri, quæ ad defensionem suam idoneis posset præbere sufficientem alimoniam & optimis viris. Quâ occasione inducti, Orientalem ipsius insulæ partem, quæ usq; hodie linguâ Anglorum* Eastangle *vocatur, sortito nomine Saxones sunt adepti: Vitis & Anglis ad alia tendentibus, in quibus suæ sortis funiculo potirentur; ne esset cum sodalibus ullam de possessionibus litigium, quibus suppeteret amplitudo terræ ad regnandi emolumentum. Unde contigit, ut per regiones & provincias divisæ, plurimis primùm Ducibus deinde Regibus sufficeret una eademq; Britannia.* Ita *Abbo*: in eo tamen

lapsu

lapsus, quòd *East-angliam* Orientalium Anglorum patriam, ipso etiam reclamante nomine, non *Anglis* sed *Saxonibus* sortitò obvenisse credidit.

Pag. 788. lin. 13. post [*plenam.*] adde. Ut ad Georgij Patriarchæ Alexandrini drama recurrere nihil hîc sit necesse; in quo Chrysostomus circa XVIII. ætatis suæ annum, coram Demosthene Præfecto Atheniensium, cum Anthemio philosopho ita disserens introducitur. * Ποῖος τόπος ἐστὶ σήμερον, ἔνθα ὁ προσκυνεῖται χριστὸς ἐν αὐτῷ; ἢ ποῖον ἔθνος οὐχ' ὁμολογεῖ αὐτὸν θεόν; πᾶσαι γὰρ αἱ πατρίαι τῶν ἐθνῶν αὐτὸν συνομολογοῦσι, σὺν τῷ πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ πνεύματι, ἀπ' ἄκρου τοῦ οἰκουμένης μέχρι τῶν τερμάτων αὐτῆς. *Quis ubilibet terrarum locus est hodie, ubi Christus non adoretur? aut qua usquam est gens, quæ non Christum confiteatur esse Deum? Omnes enim patriæ* sive *familiæ illi, unâ cum Patre & sancto ipsius Spiritu, gloriam concinunt à supremo cardine terræ habitabilis adusq; ejus extremum limitem.*

* Ibid. tom. 8. pag. 164. 165.

Iohannes Tinmuthensis &c.

Antiqui-

Brithwaldum verò idem Malmesburiensis inter &c.

Ibid. lin. 26. post [Malmesburiensis.] *adde.* quanquam ut aliter sentiamus, ejusdem ipsius Malmesburiensis nos moveat authoritas, de totâ hâc re hunc in modum scribentis. *Anno Dominicæ Incarnationis* DCLXX. *Cenwalch, regni sui* XXIX°. (vel XXVIII, potiùs) *dedit Bertualdo Glaſconiensi Abbati Ferramere duas hidas,* * *Archiepiſcopo Theodoro interveniente. Hic item Bertualdus (renitente Rege & diœceſis Epiſcopo) Glaſconia renuncians, ad regimen monaſterij Raculf ſeceſſit. Quocirca Bertualdus, & famâ religionis nominatiſſimus, & gentis nobilitate præclarus (quippe fratris Ethelredi regis Merciorum filius) loci opportunitate Cantuarie proximus, Theodoro Archiepiſcopo decedente illius ſucceſſit cathedræ.*

* Vid. magnum Privilegium, quod poſteà ſequitur.

Hemgiſlo autem ſive *Hemgiſelo* illi, de quo diximus, duæ conceſſæ habentur Chartæ regiæ. una *Baldredi* &c.

Ibid. lin. 32. 33. *lege.* conſilio ejuſdem Aldhelmi, anno DCCIIII. *delete illo,* [Schirburnenſis tunc epiſcopi,]

Pag. 114. lin. 3. leg. *ac ſinuſterum* lin. 8. *traderetur*; lin. 11. 12. *erat ejus longitudo ab illâ lineâ verſus Occidentem* LX. *pedum,*

Ibid. lin. 24. poſt [*perduravit.*] adde. & ante eum, Guilielmus Malmesburiensis. *Paulinum, ex Archiepiſcopo Eboracenſi Roffenſem Epiſcopum, aſſerit majorem tradidiſſe Eccleſiæ contextum ſudum, ut diximus, virgea lignea induiſſe tabulatu.* Unde lucem &c.

Pag. 125. lin. 12. * CCL. anni.] *pone in margine.* * CCLXX. potiùs.

Pag. 127. inter lin. 25. & 26. *inſere.*

Eratq; menſura Eccleſiæ quam primitùs Rex Lucius fundaverat (ſecundum Meracinum libro 1. *capitulo* 2.) *in longitudine ducentorum & novem paſſuum, in latitudine octoginta paſſuum, in altitudine nonaginta duorum paſſuum: ab una eorum ex tranſverſo Eccleſiæ in alterum, paſſus centum triginta. Situs Monaſterij ex parte orientali Eccleſiæ erat centum paſſuum in longitudine, verſus videlicet Templum.*

Concordia; & quadraginta passuum in latitudine, versùs scilicèt novum Templum Apollinis. Ex parte aquilonali in longitudine erant passus centum sexaginta; in latitudine nonaginta octo. Ab occidentali plagâ Ecclesiæ erant passus centum nonaginta; in latitudine centum. Ex australi plagâ erant passus in longitudine quadringenti quinque; in latitudine * *quingenti octoginta. In hâc plagâ situm erat palatium Episcopale, domus necessariæ ac officinæ Monachorum.*

Sic constructa micat, sic & variata coruscat
Machina quæ hanc matrem sustinet Ecclesiam.

In magnâ Wintoniensis &c.

Pag. 173. lin. antepenult. *post* [Lipsius;] *lege.* ipsius quoque Nicephori ad hoc comprobandum adducto testimonio, qui Drepanicæ Constantini originis ab utroq; prolatus est assertor unicus.

*Nicephor. Histor. Ecclesiast. lib. 7. cap. 19.

Neque * Nicephorus solus Constantinum, relicto in Asiâ Galerio, ad Patrem in Gallias concessisse scribit: sed etiam author eo longè antiquiòr, ab Henrico Valesio simul cum Ammiano Marcellino editus, id ipsum hisce verbis significat. *Tunc eum Galerius Patri remisit. Qui ut Severum per Italiam transiens vitaret, summâ festinatione veredis post se truncatis Alpes transgressus, ad Patrem Constantium venit apud Bononiam, quam Galli priùs Gesoriacum vocabant.* Et ut à Patre *Cæsarem* illum declaratum fuisse, docet § Actorum Metrophanis & Alexandri scriptor vetus: ita factum id, priusquàm in Britanniam ad morientem Patrem ille accessisset, ipsa temporum ratio suadere videatur. Nam *eodem tempore* &c. (ut pag. 174. lin. 4.)

§ Bibliothec. Photij, cod. 256.

Pag. 337. inter lin. 20. & 23. *inserantur ista.*

* Inter Opera Hieronymi, tomo 4. edit. Basileensis Erasmi, vel 9°. Mariani Victorij.

& authoris * libri de septem ordinibus Ecclesiæ ad Rusticum Narbonensem Episcopum (ad quem à Leone I. Pontifice data etiam habetur Epistola) sub ipsum Anglosaxonum adventum, ut putatur, exarati verba sequentia. *Presbyteri hoc in Ecclesijs suis faciant quod Romæ, sive quod in Oriente, quod in Italiâ, quod in Cretâ, quod in*

Cypro,

Cypro, quod in Africâ, quod in Illyrico, quod in Hispaniâ, quod in BRITANNIA, *quod etiam ex parte per Gallias* fit.

De primo statu Landavensis &c.

Pag. 393. lin. 20. *post* alij putaverunt) *adde.* licèt & illam subsecutis temporibus ab antiquorum Saxonum posteris occupatam non inficier; sed ea potiùs quæ Holsatiæ Ducatus &c.

Pag. 398. lin. penult. *post* [Germaniæ] *lege.* partes penetrâsse: indeque factum, ut in proximè sequente capite idem Beda *provinciam antiquorum Saxonum* ad Rheni ripam, à citeriore Frisiâ *per quadraginta ferè millia passuum* dissitam, collocaverit. ne quis tum iisdem &c. (ut lin. ult.)

Pag. 410. inter lin. penult. & antepenult. *inserantur ista.*

De his etiam & Abbo Floriacensis audiendus, in Vitâ Regis Edmundi Anglo-saxonum apud nos primordia hisce verbis explicans. *Acciti aliquando in Britanniam precario munere in perniciosum auxilium tres Germaniæ populi, hoc est, Saxones, Viti* (sic enim habet meus MS. pro, *Iuti*) *& Angli, primùm Britonibus interdiu fuere prasidij. Qui cùm sæpiùs bello lacessiti se & suos defensarent fortiter (illi verò ignaviæ operam dantes quasi proletarij ad solam voluptatem domi residerent, fisi de invictâ fortitudine stipendiariorum militum quos sibi conduxerant:) ipsos miseros indigenas domo patriâq; pellere deliberant. Factumq; est: &, exclusis Britonibus, statuunt inter se dividere victores alienigenæ Insulam bonis omnibus fœcundissimam; indignum judicantes eam ignavorum dominio detineri, quæ ad defensionem suam idoneis posset præbere sufficientem alimoniam & optimis viris. Quâ occasione inducti, Orientalem ipsius in ala partem, quæ usq; hodie linguâ Anglorum* Eastangle *vocatur, fortito nomine Saxones sunt adepti: Viti & Angli ad alia tendentibus, in quibus sua sortis funiculo potirentur; ne esset cum sodalibus ullum de possessionibus litigium, quibus supperet amplitudo terræ ad regnandi emolumentum. Unde contigit, ut per regiones &*

provincia divisa, plurimis primùm Ducibus dein le Regibus sufficeret una eademq; Britannia. Ita *Abbo*: in eo tamen lapsus, quòd *East-angliam* Orientalium Anglorum patriam, ipso etiam reclamante nomine, non *Anglis* sed *Saxonibus* sortitò obvenisse credidit.

Anno post adventum &c.

Pag. 441. lin. 9. post [*habebatur.*] *adde.* Ut omninò fallatur doctissimus * Meursius; qui in superiore illo Notkeri loco *Congellum* nomen proprium esse negat, & pro Græcorum *syngello* vel *syncello* accipiendum autumat. Inter S. Columbæ &c.

* Io. Meurs. Glossar. Græco-barbar. voc. Σύγκελλος.

Pag. 563. lin. antepenult. post [*mancipavit.*] adde. Quo tempore *S. Coemgenum* sive *Kevinum*, Glindelacensem posteà Abbatem (de quo in XVII. capite erit dicendum) à septimo usque ad duodecimum ætatis annum, in literis ac sanctis moribus ab eo fuisse institutum, Vitæ Coemgeni scriptor memorat.

Ipse quoque Petrocus, ut Lelandus rem narrat, &c.

Pag. 590. lin. 26. *post* [Porrò, ut] *lege.* Hunnorum copias à Bautone Valentiniani Imp. duce adversus se accitas conquerenti Maximo, à B. * Ambrosio responsum est; *Valentinianum Hunnos atq; Alanos appropinquantes Galliæ per Alemanniæ terras reflexisse*; ita nominatim &c. (*deletis intermedijs.*)

* Ambros. epist. 27.

Pag. 627. lin. 21. post [*diligebat.*] adde. Indeque ab alio Vitæ ejusdem scriptore *Civitatem S. Brigidæ* nominatam *Cellam Roboris* invenimus.

Sed Glastonienſibus &c.

Pag. 641. lin. 30. *post* [quibus etiam] *adde.* præterea Actorum Metrophanis & Alexandri scriptorem (qui se vidisse Constantinum ait inter ephebos merentem in Palæstinâ sub Diocletiano cum Ægyptijs bellum gerente) ex minorum gentium historicis testes adjungere possumus, * Iohannem Zonaram, § Nicephorum Callisti, & Alexandrum monachum; &c.

*. In Bibliotheca. Photij, num. 256.
* Zonar. Annal. tom. 2. sub fin.
§ Nicephor. Histor. Eccles. hist. lib. 7. cap. 18, 19.

Pag. 669. lin. 33. post [*legebam.*] adde. Extat & apud Hiber-

Hibernos noſtros ejuſdem Niniani Vita: in quâ, ob importunam tùm à matre tùm à conſanguineis frequentatam viſitationem, deſertâ *Candidâ Caſâ*, ut ſibi & ſuæ quieti cum diſcipulis vacaret, Hiberniam petiſſe atque ibi impetrato à Rege loco apto & amœno, Cluayn-Coner dicto, cœnobium magnum conſtituiſſe, ibidemq; poſt multos in Hiberniâ tranſactos annos obiiſſe, traditur. Fratrem etiam habuiſſe, *ſanctum Plebeiam nomine*, in Vitâ ejus apud Iohannem Tinmuthenſem legimus. Ipſe quoque Nivianus, &c.

Pag. 676. lin. 3. *lege.* Ledonis etiam (ſive Lidunæ) & Malinæ meminerunt, *Marcellus Empiricus, qui Valentiniani Imperatoris temporibus claruit, Wilibaldus &c.

* Vid. Ioſ. Scaligeri Append. ad Conjectanea in librum 4. Varronis de linguâ Latinâ & librum 2. ejuſdem de Emendat. tempor. cap. *De Cyclo Lunari veterum Saxonum.*

Pag. 697 lin. 28 poſt [*deſtinatum.*] adde.

Simplici vocali tertiâ nomen hujus inſulæ in Vitâ S. Brendani Abbatis *Birre* (de quo in XVII. capite dicendum erit) ita expreſſum invenitur. *Columba, cùm ex Hiberniâ patriâ in exilium trans mare proficiſci voluiſſet, Nuncium miſit ad ſenirem Brendanum Abbatem Birra (quem Deus donavit ſpiritu diſcretionis & conſilij, in dirigendis quibuſcumq; per vias maximè gratus Deo & utiliſſimus conſilia capientibus) ut ſibi indicaret, quem locum ſpe ialiter deligeret ſibi manendi in exilio. Tum Brendanus in cœlum aſpiciens, & pauliſper tacens, ac cogitantis inſtar, juſſit terram fodi ſub pedibus Nunoij Columbæ: ſub quibus invenerunt lapidem; quem de terrâ levatum diligenter intuens Brendanus, invenit in eodem figuram literæ ſeu Alphabeti characteris I. Et converſus ad Nuncium, qui Columbæ miniſter erat, ait: Renuncia tuo magiſtro Columbæ in hæc verba. I, id eſt, abi in inſulam I: nam ibi invenies augmenta virtutum, & inde multæ animæ in cœlum ibunt; & locus idem habebit magnum honorem.*

At ſi Hectori &c.

Pag. 701. poſt lin. ult. *addendum.* Extat illius Vita: in quâ *Finnæi filij Lippani viri ſapientiſſimi* hoc de illo legi-

tur testimonium. *Scitote quòd nullus citra Alpes, excepto Columbâ magistro, compar illi in cognitione divinarum Scripturarum & in magnitudine scientiæ reperitur.*

Pag.702.lin.1.post [*Fergnaus,*] hanc parenthesin intersere (Adamnano, lib.3.ca.23. *Virgnous* dictus) ann.25.

* Schott. Observation. Humanar. lib. 2. cap. 10.

Pag.724. inter lin.4.& 5. *adde.* ut de *Andreæ Schotti criticâ nihil dicam, qui in versu illo qui paulo antè præcesserat, Ἵξομαι εἰ νήεσσιν ἐριννύσιν ἄσσον ἵκωμαι, pro νήεσσν ἐριννύσιν legit νήσοις Ἐρνίσιν, & de *tempestate quam circa Hiberniam insulam passi sunt Argonautæ, cùm per Oceanum Arctoum navigarent,* interpretatur. Nam Argonauticorum scriptorem Orpheum, &c.

Pag.729.lin.6. *post* [observatur,] *adde.* & ab alio quoque, qui ejusdem Virginis acta heroicis descripsit versibus, atque in Prologo sub *Scotiæ* nomine Hiberniam nostram hisce depinxit elegis.

§ Ex Bibliothecâ Cassinensi & Constantini Cajetani Abbatis deprompta communicavit nobis Stephanus *Vitus.*

§ Finibus occiduis describitur optima tellus,
Nomine & antiquis Scotia dicta libris.
Dives opum, argenti, gemmarum vestis & auri;
Commoda corporibus, aëre, sole, solo.
Melle fluit pulchris & lacte Scotia campis,
Vestibus atq; armis, frugibus, arte, viris.
Ursorum rabies nulla est ibi; sæva leonum
Semina non unquam Scotia terra tulit.
Nulla venena nocent: nec serpens serpit in herbâ,
Nec conquesta canit garrula rana lacu.
In quâ Scotorum gentes habitare merentur;
Inclyta gens hominum, milite, pace, fide.
De quâ nata fuit quondam sanctissima virgo
Brigida; Scotorum gloria, nomen, honor.

In *septimo* seculo &c.

Pag.736.lin.12.**Divum Marianum*] pone in margine: * Alium hunc tamen fuisse à Mariano Chronographo, confirmat Matthæus Raderus in suâ *Bavariâ Sanctâ.*

Pag.758.lin.23.post [temporibus.] *adde.* cujus & Inventionis & Translationis memoriam anniversariam

Tarentini

Tarentini die Maij X°. celebrant (quo & nomen ejus Romano Martyrologio est appositum:) quum ante biduum depositionis ipsius tempus ijdem commemorent. De *Prophetiâ* &c.

Pag. 784. lin. 25. *post* [legimus.] *adde.* & in Vitâ ipsius Ibari. *S. Ibarus, qui & Yvarus episcopus, natus est in Hiberniæ provinciâ Ulteniâ ex patre Lugnâ, matre Daferiâ: qua & eidem peperit Mellam postea reginam Laginensium* nuptam *Cermaco Regi; qui pater fuit S. Abbani Confessoris, & Abbatis cœnobij Magarnoide in regione Kensellach. Cùm natus esset Ibarus in terrâ Cruintain, in eâdem regnabat Colmannus Nemani filius.* Additur ibidem, *Ibarum à puero sanctum, literis etiam bonis eruditum à S. Mottâ Abbate.* quod si verum: alium a S. *Moctheo* Ludunensi sive Louthiano Episcopo, S. Patricij discipulo, (de quo in sequente capite videbimus) illum fuisse oporteat.

In *Laginiæ* verò provinciâ inter &c.

Pag. 788. lin. 13 post [*plenam.*] adde. Ut ad Georgij Patriarchæ Alexandrini drama recurrere nihil hic sit necesse; in quo Chrysostomus circa XVIII. ætatis suæ annum, coram Demosthene Præfecto Athenien-sium, cum Anthemio philosopho ita differens introducitur. * Ποῦ τόπος ἐστὶ σήμερον, ἔνθα ὁ προσκυνεῖται χριστὸς ἐν αὐτῷ; ἢ ποῦν ἔθνος οὐχ ὁμολογεῖ αὐτὸν θεόν; πᾶσαι γὰρ αἱ πατρίαι τῶν ἐθνῶν αὐτὸν δοξολογοῦσι, σὺν τῷ πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ πνεύματι, ἀπ' ἄκρου τοῦ οἰκουμένης μέχρι τῶν τερμάτων αὐτῆς. *Quis ubilibet terrarum locus est hodie, ubi Christus non adoretur? aut quæ usquàm est gens, quæ non Christum confiteatur esse Deum? Omnes enim patriæ* sive *familiæ illi, unâ cum Patre & sancto ipsius Spiritu, gloriam concinunt à supremo cardine terræ habitabilis adusque ejus extremum limitem.* * Ibid. tom. 8. pag. 164. 165.

Iohannes Tinmuthensis &c.

Pag. 794. lin. 30. post [*converterent.*] adde. & ex ipsius Ibari Vitâ. *Adultus, sacerdos & multâ sanctimoniâ vitæ pollens, Ibarus missus est ad Euangelium prædicandum*

par-

per Hiberniam; in quâ innumeros ad fidem Christi convertit, & ad honestatem morum ac pietatis Christianæ: & suis precibus universum Regnum pestilentiâ gravi oppressum liberavit, sed præsertim Regionem Magni Colmanni Regis Midiæ. Ad fines Laginensium venit, & australem ejus partem ubi est littoralis parva insula Beg-erin, id est, Parva Hibernia dicta: ubi celebre condidit cœnobium, & sacras ibidem literas aliasque artes optimas docuit maximam multitudinem Hibernorum & aliorum.

Papiæ, die XXII. &c.

Pag. 825. lin. 33. post [significant.] *adde.* Quievisse autem *in medio discipulorum suorum*, CLX. *Monachorum, quorum singulis valedixit & osculum pacis præbuit*, scriptor Vitæ illius indicat.

Is author habetur hymni &c.

Pag. 868. inter lin. 26. & 27. *ista interfere.*

Ne verò *Ibari* videamur esse obliti: ex Vitæ *Abbani* scriptore ista libet hic repetere. Abbanus *duodennis, ipso volente & parente utroq; consentiente, traditus est educandus in literis secularibus & ad augmenta pietatis cœlestisq; scientiæ capienda, per quinque annos, suo avunculo S. Ibaro Episcopo: ad quem ex omnibus Hiberniæ partibus, gratiâ discendarum literarum sacrarum aliarumq; artium liberalium, confluebat magna multitudo Clericorum, Monachorum & aliorum, in famosissimo quondam & sanctissimo monasterio suo quod* * *Beg-erin, id est, Parva Hibernia vocatur, & situm est ad australem partem regionis Hua-Kensellach in provinciâ Laginia, in littorali modicâ insulâ.* Inter longævos autem numeratur, tùm ipse *Ibarus*, quem circa annum Domini quingentesimum, IX. Kalend. Maij, mortem obiisse Ultonienses Annales subindicant; tùm nepos ipsius *Abbanus*, quem ad Gregorium I. Pontificem Romam profectum, & VI. Kalendas Novembris, quum esset *ætate supergressus longè communem terminum moriendum decrepitorum, inter manus discipulorum placidè egisse animam*, in Actis ipsius legimus.

* Vid. supr. cap. 16. pag. 794.

Mitto

Mitto quod de *annulo Templi Ibari*, à quodam *Germaniæ heroe & insigni prædone* (cui *Tor-lieb*, id est, *Iovem amans*, nomen fuisse dicitur) ex *Beg-erin* insulâ post Ibari mortem ablato, ac deinde restituto, in Vitâ ipsius habetur traditum. Ad *Patricium* tempus est ut redeam: de quo Iocelinus. &c.

Pag. 871. lin. 22. post [Quum verò] lege, *David* primus Menevensis &c. *ut* lin. 26. (*deletis quatuor lineis intermedijs; unâ cum marginali notâ.*)

Pag. 882. lin. 4. § Græcorum ritu,] pone in margine. § *Quartâ* etiam *& sextâ feriâ, & sabbato, frequentèr Romanam plebem* ipsius tempore jejunavisse, confirmat Augustinus in 86ª. epistolâ ad Casulanum. Ut inde ritum hunc à Patricio in Hiberniam traductum fuisse fiat verisimillimum.

Pag. 909. lin. 7. post [*habebatur*,) adde. & *Molny clarenech, & Lasrianus filius Nadfraich*, &c.

Ibid. lin. 10. post [*Sennach*,] adde. *& multi alij. Et hi omnes erant viri sancti & virtutibus pleni.*

Pag. 917. lin. 26. *pro* (sub undecimi seculi exitum) *repone* (duodecimo post Christum seculo)

Pag. 936. lin. 11. post [*Chenselach.*] adde. Hic alio nomine *Fintanus* dictus, patre natus *Tulcano*, matre *Fedelmiâ*, postquàm XVIII. annos cum *S. Synello mac Maynacur* Abbate monasterij de *Cluayn-ynis* in stagno *Erne* commoratus fuisset; ad insulam *Hy* eodem tempore suscepit iter, quo S. *Columba* vitam ibidem finijt. estque idem *Fintenus* hic, de quo apud Adomnanum in libro I. de Vitâ Columbæ cap. II°. longa habetur narratio: cujus hoc Exordium. *Sanctus Fintenus, qui postèa per universas Scotorum Ecclesias valdè * noscibilis habitus est, à puerili ætate integritatem carnis & animæ, Deo adjuvante custodiens, studijs § dialis sophiæ deditus; hoc propositum in annis juventutis conversatus in corde habuit, ut nostrum Sanctum Columbam, Hiberniam deserens, peregrinaturus adiret.* iste Epilogus, in libris editis desideratus.

* al. *mirabilis*

§ lib. edit. *dialecticalis*, malè.

Hæc, mihi quodam narrante religioso seue, presbytero Christi milite (Oissenco nomine, Ernani filio, gente Mocu-nethcorb) indubitanter didici: qui eadem omnia supramemorata verba, ejusdem ab ore sancti Finteni filij Tailchani audisse testatus est, * *ipsius Monachus.*

* al. qui & ipse Monachus ejus exinis,

In hujus verò *S. Finteni* sive *Munnu* Vitâ, de Leghlenienſi hâc Synodo, iſta memoriæ prodita invenimus,&c.

Pag. 937. lin. 23. poſt [*ſunt.*] adde. vel, ut in alio libro pleniùs legitur. *Conſentientes omnes juxta ſententiam viri ſancti, ad propria cum gaudio ſunt reverſi.*

Annus ille æræ &c.

Pag. 954. lin. 17. *leg.* Michaël Villanovanus

Ibid. lin. 20. 21. die Februarij XXIII.] *delè*; *& ejus loco ſubſtitue.* (Clunardenſis videlicèt; quem ut *præcipuum inter Sanctos ſecundi ordinis in Hibernià* ſcriptor Vitæ illius celebrat) die Decembris XII°. alterius die Septembr. &c.

Pag. 955. lin. 12. pro *Luaigni*, lege: *Neimi* ſive *Neusindi* clari Pœtæ filius, *illius monaſterij* &c.

Ibid. lin. 16. *poſt* [referunt.] *adde.* cujus ab eodem Adomnano in libri III. capite XV. mentionem factam, ex antiquiſſimo illius codice intelleximus. alter *Findloga* (patris, ſive proavi, à quo alij deſignare eum maluerunt * *Alti*) filius; de cujus ſeptennali &c.

* Ita apud Adamnan. de Vit. Columb. lib 3. cap. 11. in vet. MS. *Mocu Alti* appellatum invenio.

Ibid. lin. 18. *ſenem* * *Gildam*] adde ad marginem. * *Albanium* utique, *Sapientiæ* titulo nobilitatum: cùm *Bedonicus* ille alter, juxta noſtras quidem rationes, ſenectutis annos vix attigerit. Vid. ſupr. fin. cap. 13. pag. 477. & cap. 17. pag. 906.

Pag. 957. lin. 3. poſt [*migravit.*] adde. & in Actis ipſius Kerani ſive Ciarani. *Acceptâ* « *Finiani licentiâ properavit ad S. Ninnidium, in ſylvâ ſtagni Erne commorantem Abbatem Monaſterij. Pòſt profectus ad S.* ß *Endeum Arnenſem Abbatem, à quo acceptus benignè: inde ad* › *S. Senannum ad inſulam Cathai, ad flumen Synan; ubi Magiſter*

« Magiſtri ſui. ſupr. pag. 909. ß de quo, poſtea. › Vid. ſupr. pag. 873. 874.

hoſpitum.

hospitum factus. sed, invidiâ Monachorum quibus displicuit tanta Kerani liberalitas erga pauperes, secessit ad quandam aliam insulam nomine Anginam; in quâ fundato cœnobio maximam collegit multitudinem Monachorum optimorum, & reditus acquisivit amplissimos ad usus pauperum: cui post Abbas ibidem successit S. Adompnanus, Momoniensis genere. Tandem inde decessit ad construendum cœnobium Cluaynense seu Cluayn-mac-nois in Midiâ. Sedem autem illam &c.

Ibid. lin. 32. post [invenerim.] adde. *In insulâ Roscree Sanctum scripsisse quatuor Euangeliorum volumen quod usq; hodiè in loco ejus manet, & volumen vocatur ab antiquis Glass-Kinnich*; alius refert Biographus. In tertio ejusdem Vitæ scriptore, cum Cainico &c.

Ibid. in margine, lin. 15. *post* [lib. 3. cap. 21.] *adde*, ubi in vetere MS°. *à Dalano* proavo suo, *Mocu Dalan* appellatur.

Pag. 958. lin. 10. *post* [alter] *adde*, vel S.* *Lugadius Tailchani* filius, quem in *monasterio quod Scoticâ nominatur linguâ Cloni-finchoil senem Christi militem* claruisse, vel *Lugaidus cujus cognomentum Scoticè Laithir* dicebatur, quem S. Columbæ *legatum* &c.

* Adamnan. *Vit.* Columbæ, lib. 3. cap. 21. ex vet. MS°.

Pag. 960. lin. 12. post [*Eile.*] adde. Alius Colmanus *Dromorensis* Episcopus (*Colmanelus*, ut videtur, [a] Iocelino dictus) qui, ut in Vitâ ipsius habetur,* *Aradæorum* gente oriundus, [β] *S. Caylano Nendrumensi Abbati* (quem Actorum ipsius descriptor *Kelanum* & *Coelanum* nominat; atque ex Abbate *Dunensem* posteà in Ultoniâ factum fuisse Episcopum significat) ut apud eum literas addisceret, traditus est. deinde missus ad [γ] *S. Albeum Imblicensem Episcopum, sapientem ac religiosissimum virum*, sacras literas ab eo didicit: posteaque *senis venerabilis Macnyssei Episcopi* (Connerensis) monitu, in aquilonari ripâ fluminis *Locha* nobile construxit Monasterium. Fuit & Colmanus *Dubculinn* sive *Duib-chuilind* dictus; & ejus æqualis Colmanus *Elo* vel *Eala*, in antiquis

[a] Iocelin. *Vit.* Patric. cap. 96.
* Ardes
[β] de quo suprà, pag. 954.
[γ] Vid. supr. pag. 866, 867.

tiquis * Adomnani codicibus *Colmanus* & *Columbanus* filius *Beognai* gente *Mocu-ſailni*, vulgo *Colman-alli* nuncupatus: ex cujus Vitâ hæc, ſi placet, accipe.

* Adamnan. *Vit.* Columb. lib. 1. cap. 5. & lib. 2. cap. 13.

Venit ipſe ad civitatem &c.

Pag. 962. lin. 8. poſt [*Inſulam.*] adde. In ipſius verò Laiſreani Vitâ præterea legimus, Regulum Ultonienſem * *Connallum Rubeum* cæcitate percuſſum, ad fidem Chriſti illum convertiſſe; aliud quoque monaſterium in quâdam inſulâ dictâ *Inis-comera*, à magiſtro ipſius S. *Finniano* conſecratum fundaviſſe: eundemque *Sancto Columb-killi*, poſt prælium § *Culedreibnenſe* (in finibus Ultoniæ & Conaciæ geſtum) ut perpetuum extra Hiberniam ageret exilium, authorem extitiſſe. In Annalibus Ultonienſib. &c.

* al. *Colman Derig.*

§ Supr. pag. 694. 904. & 1035.

Ibid. lin. 16. poſt [Raythen.] adde. *Coemanus* qui & *Commanus* (ut in Vitâ ipſius legitur) in Ultoniâ ex ſtirpe regali, *Fealcon* patre & matre *Scribſide* natus, à parentibus curæ & diſciplinæ *S. Finiani* Abbatis & Epiſcopi *Cluayn-ymid* traditus eſt; qui & Magiſtrum egerat plurimorum ex omnibus Hiberniæ partibus ad ſe venientium, ad diſcendas ſacras literas & pietatem adverſus Deum exactam. A *Finiano* verò miſſus *Commanus* euangelizatum in *Conaciam*, Chriſto plurimos aggregavit; & Regis Provinciæ conciliatâ ſibi gratiâ, accepit ab eodem vice doni oblati Deo amœnam illam, fertilem, aquis præſtantiſſimis nobilem ac nominatam vallem *Roſs* dictam. ubi & famoſum longo tempore conſtruxit cœnobium, monachis inſignibus refertum; quod cum valle ipſâ ab inde compoſito vocabulo appellatur *Roſs-comman:* quæ eſt *à multis retrò ſeculis ſedes Epiſcopalis.* licèt ad urbem *Elphinenſem* hodie ſedem illam tranſlatam videamus.

Ibid. lin. 19. *S.* * *Columbi* filij *Cruinthain*] ad marginem appone. * de quo ſuprà, pag. 909.

Ibid. lin. penult. *poſt* [extat] *hanc inſere parentheſim.* (in quâ, filius *Conalli Deyre* Ducis *Ergallenſium*, & *Brig*

filiæ

filiæ *Anmerini* Ducis *Ardconnacthiæ* fuisse traditur; & ante sedem *in Aranicâ* insulâ positam monachis centum & quinquaginta in *Latiensi* cœnobio apud Italos præfuisse dicitur:) & in Brendani filij Findlogæ Legendâ hujusmodi &c.

Pag. 964. lin. 2. *post* [domicilium.] *adde.* Inter Actorum S. Brigidæ scriptores recensetur is ab anonymo, qui carmine res ejusdem Virginis descripsit. Sic enim ille, in Poëmatis illius Prologo:

Scripserunt multi virtutes Virginis almæ;
*Ultanus Doctor, atq; * Eleranus ovans.*
Descripsit multos Animosus nomine libros
De vitâ & studijs Virginis ac meritis.

* de quo, paulo pòst.

Qui postremus, an *Cogitosius* ille fuerit qui uno, an quem anonymum habemus alter, qui duobus libris res Brigidæ descripsit, an alius quispiam, in disquisitionem jam non voco. *Colmanus Lenini* filius & *Colmanus Chain*, (alijs *Mocholmog* filius *Gillem* & *Mocholmog Cainnich* dicti) discipuli *S. Barri* Episcopi Corcagiensis, hisce celebres habebantur temporibus: prior præsertim; de quo, in S. Brendani filij Findlogæ Vitâ, legimus. *Erat hic Colmanus filius Lenini vitâ atq; doctrinâ inter Sanctos præcipuus. Ipse enim fundavit Ecclesiam Clonensem, quæ est hodiè Cathedralis, & famosa in partibus Momoniæ.* Quam quidem Episcopalem sedem, à *Corcagiensi* (cui ex Iohannis XXII. Romani Pontificis decreto, anno MCCCXXVII. edito, unita fuerat) hoc ipso quo ista scripsimus anno primùm disjunctam vidimus.

Præter hos verò, & tertius *Colmanus* hîc occurrit, Bedæ scriptis nobilitatus: qui post conflictum cum Wilfrido &c. (ut pag. 964. lin. 3.)

Ibid. lin. 33. ubi * *Columbani*] Appone ad marginem. * Similiter & apud Adomnanum, suprà pag. 1066. *Colmanus* idem & *Columbanus*.

Pag. 966. lin. 25. *post* [invenio.] *adde.* Abbas verò

Fechinus, ut in Vitâ ejus habetur, ex nobilibus ortus parentibus *Kelcharnano* & *Lasreâ*, atque à S. *Nathineo* presbytero rudimentis literarum & bonis moribus informatus; posteà grandior factus Idololatras, duræ cervicis, littorales insularum ripis Hiberniæ adjacentium convertisse dicitur. In Ultonienſibus &c.

Pag. 967. lin. 8. lege.

Failanus sanctus ille videtur fuisse *Foilanus*, Hibernici Reguli filius, à S. *Cœmgeno* sive *Keyvino* (ut in illius Vitâ legitur) baptizatus & educatus. Idem verò cum S. *Foillano Fossensi* fuisse existimari potuisset, quem anno DCLIIII. &c.

Pag. 969. lin. 3. post [*Ferreolus*,] adde. *Scoticè verò Ernene, gente Mocu sir roide*, (ita enim habebat antiquissimum quo ille usus est, ex Benedictino Augiæ Divitis in Suevià cœnobio petitum, exemplar) *inter aliorum S. Columbæ* &c.

Pag. 972. lin. 4. (ut eam scriptor Vitæ S. Columbæ Cruinthain & Marianus Scotus appellat)

Pag. 1027. lin. 18. *post* [statuendus.] *hæc interfere.* Adde, quòd postremum hunc murum *tramite à mari usq; ad mare inter urbes, quæ ibidem fortè ob metum hostium collocatæ fuerant, directo libratum* fuisse, testetur Gildas: *recto* videlicèt *tramite*; ut ipse quoque fatetur Beda. quum alterum illum inter Tinæ & Escæ ostia non recto sed obliquo & incurvato tramite fuisse ductum, quæ adhuc supersunt illius vestigia intuentium oculis demonstrent. Accedit, quòd post murum &c.

Pag. 1041. lin. 14. *post* [Munsterus,] *adde.* & in Imperatorum Numismatibus Adolphus Occo. Et Eumenius quidem &c.

Ibid. in margin. lin. 1. *lege.* Orat. 2. de regno, sive potiùs de rebus &c.

Pag. 1043. lin. 2. post [*interjice.*] adde.

S. *Menna* virginis natalem die Octobris III. *in Ecclesiâ de Portu suavi* Tullensis territorij; ejusdemque mensis

sis die XXIIII. S. *Eucharij Episcopi Tullensis & Martyris glorioſi, in prædicatione divinæ veritatis & gregis ſui tutelâ à Barbaris impiè furentibus obtruncati*, natalem celebrari, in Gallicani ſui Martyrologij Supplemento Andreas Sauſſayus annotavit. De *Eliphio* verò & germanis ſuis, in Annalibus Eccleſiaſticis ad annum Domini CCCLXII. num. 256. ita ſcribit Baronius. *In Gallijs, ubi præfecturam geſſit Salluſtius Iuliano omnium cariſſimus, ob idq; Chriſtianorum acerbiſſimus hoſtis, paſſos reperimus quatuor germanos; Eliphium Tullenſem virum, ejus fratrem Eucharium Epiſcopum, & ſorores Libariam atq; Suſannam: ut eorundem martyrum Acta ſignificant. At perperàm, meâ ſententiâ, dicuntur conſummâſſe martyrium, dum Iulianus adhuc cum exercitu in Gallijs moraretur: nam eo tempore ipſum ſe Chriſtianum fictè ſaltem exhibuiſſe, & de rebus Chriſtianorum benè meritum eſſe* liquet. Cui ut in hâc re aſſentiamur, Ammiani Marcellini hominis ethnici clariſſimum nos cogit teſtimonium; in Hiſtoriarum ſuarum libro XXI. de Iuliano iſta referentis. *Ut omnes, nullo impediente, ad ſui favorem illiceret, adhærere cultui Chriſtiano fingebat, à quo jampridem occultè deſciverat, arcanorum participibus paucis, aruſpicinæ auguriiſq; intentus, & cæteris quæ Deorum ſemper fecere cultores. Et ut hæc interim celerentur, feriarum die, quem celebrantes menſe Ianuario Chriſtiani Epiphania dicitant, progreſſus in eorum Eccleſiam ſolemniter numine orato diſceſſit.* ineunte videlicèt CCCLXI. æræ Chriſtianæ vulgaris anno. * Sauſſayus verò die Octobris XI. (non XVI.) commemorat *paſſionem ſancti Eliphij Martyris, nec non fratris ejus Eucharij Epiſcopi, & ſororum eorundem Libariæ & Suſannæ; quos patriâ Tullenſes Saluſtius Galliarum Præfectus, ſub Iuliano Apoſtatâ, ſæviſſimas de Chriſtianis exercens quæſtiones, ob conſtantem Chriſti ſervatoris confeſſionem gladio obtruncavit.* Ubi *patriâ Tullenſes* hos exiſtimavit, quia in Tullenſibus degebant partibus: quas tamen *ex transmarinis Scotorum finibus moris erat expetîſſe multos*; ut § ſuprà ex Actis S. Manſueti ab Adſone monacho deſcriptis declaravimus.

* Andr. Sauſſay. Martyrolog. Gallican. Octob. 11. (pag. 727.)

§ Supr. pag. 749.

S. Rena-

S. *Renanum monachum Hiberniæ* &c.

Ibid.lin.9. *post* [reperi.] *adde.* aut *Renanum* pro *Kenano* Hugonem accepisse: qui (ut in Vitâ ejus legitur) gente *Conacteus*, puer ex obsidibus illis quinquaginta unus fuit, *quos Magnates Hiberniæ quondam dederunt Regi Lageriæ* (sub quo * S. Patricius huc advenit) *degenti in Themoriâ & imperanti universæ Hiberniæ*, à cujus tyrannide, operâ *S. Kiriani episcopi* liberatus, & bonis moribus literisque à religiosissimo viro *Nathano* eruditus, postea *Gallias adiit & apud urbem Turonicam in cœnobio S. Martini* episcopi (ipso aliquot jam per annos vitâ functo) *induit habitum monasticum, & disciplinæ regulari fuit exactè instructus.* Unde redux, primùm in *Conactiâ* plurimos ad Christianam fidem convertit; deinde *Lageniam* petens, in loco *qui in hanc usq; diem Sylva Kenani vocatur*, Ecclesiam ædificavit & populum multum Christo aggregavit: ac demùm in * *terras gentis Eugenicæ* (à Rege *Eugenio* denominatæ, cujus neptis *Ethne* ipsius *Kenani* mater fuisse memoratur) profectus, Idolum ibi & ejus altare destruxit; ejusque loco Christianam constructit Ecclesiam, cui dilectum suum discipulum *S. Congellum* præfecit.

* Supr. pag. 947.

* Tir-oen

Kebius Britannus, &c.

Pag. 1044. lin. 26. *lege.*

Pag. 809. lin. ult. * in custodiâ esse *servatum apud Blemyas Æthiopibus finitimos, in loco qui Castrum* &c. (ut pag. 810. lin. 1.)

Pag. 1045. lin. 25. *ita corrigatur locus.*

Pag. 825. lin. 14. Episcopum factum invenio in] *Deleantur hæc; & substituantur ista.* Abbatem *Iniscofindiæ* factum, S. Ædi Vitæ scriptor hisce verbis prodidit. *Venit sanctus Episcopus Ædus ad insulam Bo-finde, id est, Vaccæ albæ, quæ est in stagno Righi: & suscepit eum S. Rioch Abbas illius loci honorificè. Monasterium enim clarum in illâ insulâ est, quod ex nomine insulæ nominatur.* Insulam hanc (inter Connaciam & Longfordiæ Comitatum positam, atq; Ecclesiasticæ Ardachadensis Episcopi

ſcopi ditioni ſubditam) Sinei fluminis lacus *Logh-rie* dictus nobis exhibet. Ejuſdem verò nominis & alia eſt, à ▫ Bedâ deſcripta, *parva inſula; qua ad Occidentalem* &c. (ut pag. 825. lin. 15.)

Pag. 42. lin. 6. *lege.*

Ultra vallum illud erat ea Britanniæ pars quæ *Caledonia* appellabatur, maximam hodiernæ *Scotiæ* partem complexa: in quâ ſub Victore &c.

Pag. 199. lin. 15. *poſt* [ſignificat.] *adde.*

Hiſpanum quoque iſtum, licèt quondam *menſularum ſervilium ſtatarium* * *lixam*, & *patriis incertum*, Flavij Theodoſij Hiſpani, in Oriente tùm imperantis, *ſe & affinitate & favore* jactaviſſe, aſſirmat idem; *quòd aliter non potuiſſet allicere militum ſocietatem, niſi* illum *auctoramenti ſui finxiſſet auctorem.* quâ de cauſâ & *Flavij* nomen filio ſuo *Victori*, Auguſto à ſe creato, (neque enim patrem ipſum alijs quàm *Magni* & *Clementis* titulis uſum invenio) tribuiſſe illum potiùs exiſtimaverim, quàm quòd de *Conſtantini Magni* ſtemmate ſibi aliquid arrogaret; è cujus tamen ſtirpe illum deſcendiſſe, non Scotorum ſolùm hiſtorici Iohannes Fordonus & Hector Boëthius, ſed etiam noſtri temporis viri eruditiſſimi Guilielmus Camdenus, & Adolphus Occo (ſine ullo antiquitatis teſtimonio) literis memoriæque mandaverunt.

* Inde illud Auſonij, in Aquileiâ: *Maximus armiger quondam ſub nomine lixæ.*

Nimius, cui &c.

Ibid. in marg. lin. 1. *lege.* ▫ Onuphr. Rom. Princip. lib. 1. Baron. an. 383. §. 1. cum Ioanne Hemelario & Octavio de Strada, &c.

Pag. 593. lin. 1. poſt [Maximum hunc,] adde. *cùm per tyrannidem oppreſſis Britannis ſumpſiſſet victoriam, à militibus Imperatorem creatum fuiſſe,* § Gregorius Turonenſis; in Britanniâ à militibus Imperatorem conſtitutum, *incurſantes Pictos* &c.

§ Gregor. Turon. Hiſtor. Francor. lib. 1. cap. 38. (al. 43.)

Pag. 797. lin. 8. 9. *pro* (hoc eſt, integro poſt mortem novennio) *lege* (poſt mortem videlicèt annis ipſis XIX.)

Antiquitatum Britannicarum & Hibernicarum, in hoc Opere expositarum, Chronologicus Index.

Anno ære Christianæ

A Primo exortu Euangelij in Britannicis nostris Insulis fides Christiana annunciata est. *pag.* 3. 4. & 740.

XLI. *Iacobus Zebedæi* filius hûc appulisse dicitur. *pag.* 5. 6. 7. & 743. unâ cum matre *Salome*. *pag.* 744.

XLVII. *Simon Zelotes* Euangelium in Britannicis Insulis prædicavisse dicitur. *pag.* 7. 740. 741.

XLVIII. *Iosephus Arimathæensis*, unâ cum *Lazaro*, *Mariâ Magdalenâ*, *Marthâ*, *Marcellâ*, *Maximino* & alijs, à Iudæis Hierosolymitanis in exilium pulsus, Massiliam applicuisse & Gallis Euangelium prædicavisse dicitur. *pag.* 15 973.

Barnabas Apostolus in Scotiâ *Bratum* baptizavisse dicitur. *pag.* 745.

LVI. *Aristobulus* à Paulo & Barnabâ Britannorum Episcopus ordinatus, constitutis apud eos Ecclesijs, martyrio in Britanniâ secundo anno Neronis affectus fuisse dicitur. *pag.* 9. 744. 745.

LX. *Paulus*, à Romanâ captivitate liberatus, in Occidente & Britannicis etiam nostris Insulis Christi Euangelium annunciavisse traditur. *pag.* 8.

LXIII. *Philippus* Apostolus *duodecim* suos discipulos, cum *Iosepho Arimathæensi*, è Galliâ in Britanniam misisse; ijdemque, acceptâ à Rege barbaro (quem *Arviragum* fuisse

fuisse aiunt) Glastonienſi Insulâ, vetustam B. Mariæ Ecclesiam eodem anno ibidem constructam, creduntur. *pag.* 13.14.16.17.&c.

Claudia Britanna, uxor *Pudentis* & mater *Lini* Episcopi Romani (cujus tamen patrem *Herculanum* quendam fuisse liber Pontificalis asserit) Romæ fidei Christianæ professione celebris fuisse dicitur. *pag.* 10.11.12.

Petrum Apostolum, postquàm in Britanniâ *longo tempore fuisset moratus* & Ecclesias ibi constituisset, anno XII. Neronis Romam petijsse, Symeon Metaphrastes author est. *pag.* 7.741.743. LXVI.

Mansuetus Hibernus, Romæ à Petro Episcopus ordinatus, Leucos in Galliâ ad fidem convertisse traditur. *pag.* 748.749.750.1038.1039.

Beatus (à Barnabâ in Scotia vel, ut alij volunt, Romæ à Petro baptizatus) Helvetijs Euangelium prædicavisse dicitur. *pag.* 745.746.

Scotos & *Pictos* in Albaniâ primùm consedisse fabulantur. *pag.* 580. LXXV.

Iosephus Arimathæensis in insulâ Glastonienſi mortuus & sepultus fuisse dicitur. *pag.* 27. de quo videnda. à *pag.* 13. *ad* 29. & à 973. *ad* 975. item *pag.* 1040. & 751. ubi de *Hibernia* venenatis animalibus ab eo liberatâ fabula. LXXVI.

Iulius Agricola spatium terræ inter *Glotam* & *Bodotriam* (sive fretum Dunbritannicum & Edenburgicum) positum præsidijs firmavit; summotis velut in aliam insulam Caledonijs hostibus. (*pag.* 1024.) imperante adhuc *Vespasiano*; à quo *Britannia inter provincias redacta* Witichindus Saxo memorat. LXXVII.

Iulius Agricola, adversus Caledonios expeditione susceptâ, *Galgacum* aciem super triginta milia armatorum educentem profligavit. (*pag.* 584.) Romanâ classe circumvehi Britanniam præcepit; quæ simul nomine tantùm cognitas ad id tempus insulas *Orcadas* invenit domuitque. (*pag.* 1042.) LXXXI.

LXXXII. *Britanniam* jam à se *perdomitam* relinquens *Agricola*, ut habet in Vitâ illius Tacitus, *successori suo provinciam quietam tutamq́; tradidit:* quam tamen *statim missam* sive *omissam* fuisse, idem in Historiarum suarum exordio significat. *Domitiani* utique ignaviâ: cujus tempore dominatum in Britanniâ tenuit *Arviragus*. *pag.* 583.

XCIX. *Beatus*, simul cum *Achate* suo, apud Helvetios vitam deposuisse dicitur. *pag.* 746.747.

CV. *Trajanus* de *Dacis* & *Scythis* subactis triumphavit. *pag* 584.

Rodericus è *Scythiâ* cum Pictis suis veniens, à Britannorum rege *Mario* Arviragi filio *Stanmoriæ* cæsus fuisse dicitur; & peregrino illi populo sedes in *Cathanesiâ* Caledoniæ extremâ provinciâ assignatæ (à *pag.* 580. *ad* 584.

Mansuetus Hibernus, primus Tullensium Episcopus, anno ministerij sui *quadragesimo* mortem obijsse dicitur. *pag.*1039.

Taurinus, primus *Ebroicensium* (non *Eboracensium*) Episcopus, vixisse dicitur. (*pag.* 30.) de quo vid. Franciscum Bolquet. Histor. Eccles. Gallican. lib.1.cap.29. & lib.3.cap.24.37.

CVIII. *Lucium Britannicum* hoc anno quidam ad fidem conversum fuisse scribunt: (referente Io. Caio. in Histor. Cantabrig. academ. lib. 1. *pag.* 22.) qui postremus fuit pastoralis regiminis *Evaristi*; sub quo *Lucium Britannicum Regem* baptismum suscepisse narrat Ninius. (*Supr. pag.*34. & 975.) Quod referendum fortasse quis putaverit ad *Lucium Britannicum* regulum, qui *Vindelicis* & *Rhætis* Christum annunciavisse dicitur: quem à *Lucio Rege Britannico*, qui sub *Eleutherio* posteà baptizatus fuit, diversum fuisse Achilles Gassarus confirmat. (*Ibid. pag.*136.)

Timotheus enim Pudentis filius, & B. Pauli discipulus, in Britanniâ Evangelium prædicavisse & *Lucium*, ex regio Britannorum sanguine prognatum, ad fidem convertisse

vertisse dicitur: (*pag.* 30. 31. 32. 33. 52. 53. 975.) qui, patriâ posteà relictâ, *Bavaris*, *Vindelicis* & *Rhætis* Euangelium prædicaverit. (*Ibid. & pag.* 136. 137.)

Coillo Britannorum regi, *Marij* filio, (de quo, *pag.* 21.) natus fuisse dicitur alter ille *Lucius*. *pag.* 138. CXV.

Britanni, quorum curam *Domitianus* (de externo imperio non adeò solicitus) intermiserat, eo defuncto *tenere sub Romana ditione non poterant*. unde successor illius *Hadrianus* Britanniam petens, in eâ *multa correxit, murumq́ per octoginta milia passuum primus duxit, qui Barbaros Romanosq́ divideret*. (*pag.* 1024. & 1026.) *stipitibus* nimirùm *magnis in modum muralis sepis funditùs jactis atq́ connexis*: ut alibi facere eum consuevisse docet in Vitâ ipsius Ælius Spartianus; à quo & reliqua illa didicimus. De Ecclesiæ verò incrementis sub *Hadriano*, vid. *pag.* 51. ex Eusebio & Rufino. CXVII.

Euchus & *Achlena* sive *Athena*, parentes S. *Cataldi*, & *Dichus* vir sapientissimus, in Hiberniâ claruisse dicuntur. *pag.* 751. 752.

Coillo Britannorum regi defuncto filius *Lucius* successisse dicitur, *pag.* 39. 138. CXXIIII.

Cantabrigienses novem academicos baptizatos fuisse, Burtoniensium annalium interpolator comminiscitur. *pag.* 50. 51. CXLI.

Berwicum à *Berengario* nescio quo constructum fabulantur *pag.* 582. CXLII.

Antoninus Pius Imp. *Britannos per Lollium Urbicum legatum vicit*, (ut docet in Vitâ ipsius Iulius Capitolinus) *alio muro cespititio submotis barbaris* Caledonijs *ducto*; in eodem vide licèt angusto terrarum spatio, quod Iulius Agricola præsidijs prius firmaverat. (*pag.* 42. & 1024.) Unde eo tempore Appianus Alexandrinus (quem post Hadriani excessum scripsisse, ex libro 1. de Bellis civilib. constat) Britanniæ partem *plusquam dimidiam* à Romanis occupatam fuisse memorat. (*pag.* 42. init.) De religionis verò Christianæ incrementis sub CXLIIII.

Antonino, vid. *pag.* 51. ex Iustino Martyre.

Ad *Cataldum* liberales disciplinas *Lesuria* apud Momonienses profitentem, ex finitimis ac remotis regionibus innumeri confluxisse feruntur. *pag.* 754. 755.

Hiberniæ Regem, à Duce *Meltridis* instigatum, *Cataldum* Diaconum in vinculis detinuisse, Duce verò mortuo liberum dimisisse Tarentini tradunt. Addunt deinde, Cataldum *Rachavensis* Ecclesiæ in Momoniâ factum Episcopum, Ducatum *Meltridis* (à Rege in perpetuum Ecclesiæ concessum) duodecim Episcopis distribuisse, suamque ipsius sedem in Archiepiscopalem erexisse. *pag.* 756. 757. 758.

CLII. Idem cum fratre *Donato*, primo Lupiensium in Italiâ Episcopo, in Iapygiam veniens, per annos quatuordecim eremiticam cum illo vitam ibidem egisse perhibetur, priùs quàm Tarentum accederet. *pag.* 760.

Idem, patriâ relictâ, *Genezensium* inter Allobrogas factus fuisse dicitur Episcopus. *pag.* 755.

Timotheus Pudentis filius, Euangelij in Britanniâ prædicator, *Antonino* imperium & *Pio* Episcopatum Romanum administrante, martyrio vitam consummavisse dicitur. *pag.* 31. 32.

CLXI. Sub ipsa initia imperij M. *Aurelij Antonini*, imminebat bellum *Britannicum*; cui administrando præfectum fuisse *Calphurnium Agricolam* docet, in Imperatoris illius Vitâ, Iulius Capitolinus.

CLXV. *Lucius* Britannus Timothei discipulus, & soror ejus *Emerita*, apud Curienses in Rhætia, sub *M. Aurelio Antonino* martyrio vitam finivisse dicuntur. *pag.* 137. 138.

CLXVI. *Cataldus* Hibernus, *M. Aurelio Antonino* imperium & *Aniceto* Syro Episcopatum Romanum administrante Tarentum ingressus, Tarentinos ad fidem reduxisse & Pontifex illis præfuisse dicitur. *pag.* 759. 760.

CLXXVI. *Lucius* Britannorum Rex, Coili filius, missis ad *Eleutherum* Romanum Episcopum literis, ut Christianus efficeretur petijt. (*pag.* 35. 36. 39. 44. 45.) Quibus rationibus

nibus inductus id fecerit. (à *pag.* 45. *ad* 49.) Legati ad id impetrandum Romam ab eo missi, *Elvanus* & *Medwinus* fuisse dicuntur: (*pag.* 49. 50. 976.) Doctores ab Episcopo Romano remissi, *Faganus* & *Duvianus*; qui ipsum cum subjecto populo ad fidem convertentes baptizaverint. (*pag.* 53. 54 55. 976. 977.) licèt alij à *Marcello*, Tungrorum ac Trevirorum Episcopo, Lucium baptizatum fuisse; atque ex eo tempore *proventum Ecclesiarum Tungrensium* ex Britanniâ provenisse tradiderint. (*pag.* 53. & 976.)

De *Cantabrigiensium* Academicorum tribus millibus ab hisce conversis & baptizatis fabula. *pag.* 131. 132. CLXXVIII.

Epistola *Eleutherij* Romani Episcopi ad Lucium Regem, leges Romanas & Cæsaris petentem, scripta fuisse dicitur. (*pag.* 101. 102. 103.) *Lucius* Londini Ecclesiam S. Petri in **Cornehill** fundavisse, & *primam* Ecclesiam Metropolitanam totius regni constituisse traditur. (*pag.* 66.) cui etiam construendæ *Theanus* primus Londinensium archiepiscopus & *Ciranus* archipincerna regius operam contulisse feruntur. (*pag.* 67.) *Secundam* Metropolim (quam alij tamen primam fuisse malunt; *pag.* 97. 98.) Eboraci collocatam fuisse volunt: vel *Fagano*, vel *Theodosio* nescio quo, primo Archiepiscopo ibidem ordinato. (*pag.* 71. 72.) *Tertiam* in Urbe Legionum ad Iscam fluvium apud Cambrenses positam: (*pag* 78. 79.) cui septem Episcopatus subjecti fuerint. (*pag* 87. 88. 89. 92. 98.) CLXXIX.

Giraldus Cambrensis quinque Metropoles, juxta provinciarum Romanarum numerum, (*pag.* 94. 95. 96.) commentus, duodecim Episcopatus earum unicuique assignat. (*pag.* 92. 93.) Alij, ethnicorum flaminum & archiflaminum loco, tres tantùm Archiepiscopatus, & XXV. vel XXVIII. Episcopatus substitutos fuisse asserunt. (*pag.* 56. 57. 58. 92. 99. 100.) in quibus, *Wintoniensis*, (*pag.* 126 127.) *Congersburiensis*, (*pag.* 65.) & *Landavensis*, (*pag.* 80. 85. 86.) speciatim recensentur.

Anno

CLXXX. Anno conversionis suæ *quinto*, Wintonienſis Eccleſiæ ſtructura à Lucio perfecta fuiſſe dicitur; Fagano & Duuiano eandem dedicantibus, & Monachis in eâ ſecundùm S. Marci ſive Ægyptiorum Regulam vitam aſceticam profeſſis *Devotum* quendam Abbatem præficientibus. *pag.* 126.127.128.

CLXXXII. *Bangoriæ* in agro Flintenſi Chriſtianorum philoſophorum collegium conſtitutum fuiſſe aiunt. *pag.* 132. 133. 134.

CLXXXIV. *Faganus* & *Duuvianus* Romam redeuntes, ab Eleuthero eorum quæ acta fuerant confirmationem impetraviſſe; & cum compluribus alijs comitibus inde denuò reverſi, gentem Britonum in fide Chriſtianâ confirmáſſe referuntur. *pag.* 100. 101.

CLXXXV. *Weſtmonaſterij*, deſtructo templo Apollinis, Eccleſia S. Petri primùm fundata fuiſſe dicitur. *pag.* 128.129.

CLXXXVII. Rex *Lucius* (ut apud Matthæum Pariſienſem & Weſtmonaſterienſem, atq; in Hiſtoriâ Roffenſi legitur) *poſſeſſiones & territoria Eccleſijs & viris Eccleſiaſticis abundanter conferens, Chartis & munimentis omnia communivit: Eccleſias verò cum ſuis cœmeterijs ita conſtituit eſſe liberas, ut quicumq; malefactor ad illa confugeret illæſus ab omnibus remaneret.* (*pag.* 125. 126.) Cujuſmodi prædiorum donationem & aſyli privilegium ſuæ Eccleſiæ ſpecialiter conceſſa, Wintonienſes monachi memorant. (*pag.* 127. 128.)

Faganus & *Duuvianus* in inſulâ Avaloniâ per novem annos commorati, Vetuſtam S. Mariæ Eccleſiam reſtauraviſſe; indeque diſcedentes, duodecim è ſocijs ſuis ibidem reliquiſſe, atque ipſis & eorum ſucceſſoribus terras, à tribus Regibus paganis duodecim Philippi Apoſtoli diſcipulis conceſſas, Regis Lucij Chartâ confirmandas curaviſſe perhibentur. *pag.* 104. 105. 106. 116.979.

Doveriæ Eccleſiam B. Mariæ, & *Cantuariæ* Eccleſiam S. Martini conſtructam fuiſſe aiunt. *pag.* 129. 130.

Theano

Theano in Londinensi archiepiscopatu *Elvanus* successisse, Bibliothecam juxta Ecclesiam metropoliticam S.Petri in Cornehill condidisse, & Druydum complures ad fidem Christianam convertisse dicitur. *pag.* 67.

Severus Imperator, post cæsum Clodium Albinum rebus Britanniæ ordinatis, in duas præfecturas Insulæ administrationem dispertijt. *pag.* 96. CXCVII.

Donaldus Scotorum Albiensium Rex cum gente suâ, *Paschasij* Siculi & aliorum doctorum à Victore Romano Episcopo hùc missorum operâ, fidem Christianam suscepisse dicitur. *pag.* 612.613.614.615. CC.

Lucius primus Christianus Rex Britonum, sine sobole quæ sibi succederet, defunctus & Gloceſtriæ sepultus fuisse traditur. *pag.* 139.140. (*cum pag.* 43.44. & 134.) CCI.

Britannorum inaccessa Romanis loca Christo subdita, scripsit hisce temporibus Tertullianus (pag. 42. & 144.)

Virius Lupus Britanniæ Præses à *Maatis,* juxta Murum habitantibus, (quum ad eos defendendos *Caledonij,* contra pacta conventa, essent parati) magnâ pecuniâ pacem redimere coactus est, paucis quibusdam captivis receptis. *pag.* 1032.1033. (*cum* 664. & 1037.)

Severus Imperator, tertio ante obitum anno cum exercitu in Britanniam profectus est. ubi *Getâ* juniore filio ad jus dicendum in parte Insulæ Romanis subjectâ relicto, & seniore *Bassiano* (qui Antoninus Caracallus dictus est) secum assumpto, aggerem ditionis Romanæ eo tempore limitem (illum videlicèt Hadriani murum cespititium) transgressus, *Maatarum* primùm, deinde *Caledoniorum* (qui altero illo Antonini Pij cespititio muro ab illis disterminabantur) fines, ad extremam usq; Insulæ partem, penetravit: atque suorum quinquaginta millibus morte absumptis, & hostibus eâ conditione ad fœdus faciendum coactis, ut non parvâ regionis parte cederent, ad socios demùm est reversus. (*pag.* 140. & 1021.) ex *Herodiano* & *Dione.* CCVIII.

Idem murum lapideum, ubi anteà cespititium Hadrianus

drianus posuerat, à mari ad mare per transversam Insulam duxit. *pag.* 605.606.1024.1025.1026.1068.

Fulgenius sive *Fulgentius*, cum Britonibus suis à Severo in Caledoniam pulsus, in *Scythiam* transfretavisse dicitur, indeque *Pictes* auxiliares secum adduxisse. *pag.* 584.615.616.617.

CCXI. *Meatis* unâ cum *Caledonijs* deficientibus *Severus*, dum expeditionem in eos parat, Eboraci IIII^b. die Februarij extinctus est (corpúsque ejus rogo est impositum, in loco qui ad hunc usque diem Severs hill sive *Severi collis* nomen retinet:) duobus filijs, *Bassiano* (qui *Antoninus Caracallus* dictus est) & *P. Septimio Geta* imperio relicto. *pag.* 164.

De *Amphibalo* principis Cambriæ filio & alijs Britanniæ juvenibus à *Zephyrino* Romano Episcopo ad fidem conversis stultissima fabula. *pag.* 163.164.

CCXVI. Hector Boëthius, in Scotorum Regum Catalogo mendosissimo, hoc anno *Donaldo* primo apud eos Regi Christiano filium *Ethodium* successisse narrat. (*pag.* 614.) Nostri verò Chronographi *Chonarem* tunc summum Hiberniæ principatum tenuisse, & *Dal-riedæ* dominium (unde *Dal-rendinorum* sive Scotorum Albiensium regnum longè post hæc tempora duxit originem) filio suo *Cairbri-rieda* sive *Eochaig-riedæ* post se reliquisse scribunt. (*pag.* 610.)

CCXXI. H. Boëthius hoc anno (licèt rationes ipsius annum CCXXXII. vel CCXXXIIII. potiùs postulent) *Ethodio* à stipatoribus suis occiso *Ashirconem* filium successisse scribit. *pag.* 617.

CCXXXVI. *Maximo* sive *Maximino* Imp. & *Africano* Consulibus, passa fuisse dicitur *Ursula* Britannica, cum undecim Virginum millibus. (*pag.* 624.) de quibus prodigiosæ & secum invicem pugnantes narrationes Revelationum specioso titulo obductæ venditantur. (à *pag.* 617. *ad* 636.)

Origenis, de fide Christianâ à Britannis receptâ, testimonia. *pag.* 144.

S. Gusba-

S. Guthagonum, regis Scotiæ filium, in lucem editum Dempsterus asserit, *pag.* 767. CCXLVIII.

S. *Mello* sive *Melanius* Britannus, à Stephano Romano Episcopo baptizatus, & Rhotomagum ad prædicandum Euangelium missus est, *pag.* 145. 146. 817. (Vid. Andreæ Saussayi Martyrolog. Gallican. Octob. 22. *pag.* 767. 768.) CCLVI.

Findocum Athirconis filium cæsum fuisse narrat Hector Boëthius: eoque tempore, *Culdeorum* ductu, Albienses suos Scotos Christi dogma accuratissimè amplexatos fuisse addit. (*de quib. vid. pag.* 636. 637. 638.) CCLXIII.

Ex *Helenâ* natus est *Constantinus* Maximus. De cujus utriusq; patriâ (quam multi *Britanniam*, alij aliam constituunt) diversæ referuntur diversorum sententiæ. *à pag.* 173. *ad* 193. *cum* 989. 990. 991. & 1056. CCLXXIII.

Eum *Abingdonienses* monachi apud se educatum fuisse fabulantur. *pag* 992.

Diocletiano & Maximiano Herculio imperantibus (illo videlicèt *Augusti*, hoc *Cæsaris* dignitatem obtinente) *Carausius Menapia civis* purpuram sumpsit, & *Britanniam* occupavit. *pag.* 584. 585. CCLXXXV.

Carausio in Britanniâ & alijs alibi rebellantibus, Dioeletianus *Maximianum Herculium* ex Cæsare fecit Augustum, *Constantium* verò (Constantini Magni patrem) & *Maximianum Galerium* Cæsares. (*pag.* 1020.) *Carausio* tamen (quum bella frustrà tentata essent contra virum rei militaris peritissimum) remissum est Insulæ imperium. (*pag.* 585.) CCLXXXVI.

Constantius, repudiatâ *Helenâ* (Constantini matre) *Theodoram*, Maximiani Aug. privignam, conjugem accipere coactus est: ex quâ sex suscepit liberos. (*pag.* 177.)

Pictis, è Scythiâ adversùs Severum à Fulgenio conductis, *Carausius* locum mansionis inter Britannos in Caledoniâ concessisse dicitur: (*pag.* 584.) eosq; muro inter fretum Dunbritannicum atque Edenburgicum reædificato, & septem castellis munito, à reliquâ Insulâ disclusisse. (*pag.* 585. 586.)

Scotorum è veteribus primus hisce temporibus meminit Porphyrius philosophus, *Pictorum* Eumenius rhetor. *pag.* 586. & 728.

CCXCIII. S. *Serfum* Episcopum Orcadianis Euangelium prædicavisse fingit Dempsterus. *pag.* 673.

CCXCV. *Allectum* (qui, cæso Carausio, imperium Britannicum triennio occupaverat) *Asclepiodotus* Præfectus Prætorio oppressit. (*pag.* 144.) à cujus etiam copijs collegam Allecti *Livium Gallum* cum suis *Londini* paulo post cæsum fuisse refert Historia Britannica (lib. 5. cap. 4.) ad amniculum qui ab eo *Gale-broc* sive *Wal-broke* nomen acceperit. (*pag.* 982.)

CCXCVIII. *Primus* Cyclus 84. annorum, ex quo *Romani* Dominicas suas Paschales à Lunâ XVI. ad XXII. supputabant, hîc incipit. (*à pag.* 925. *ad* 934.)

CCXCIX. *S. Guthagonus*, regis Scotiæ filius, cum servo suo *Ghillo*, Oostkerckæ in Flandriâ peregrinus obijt: si Dempstero credimus. *pag.* 766. 767.

CCCIII. Mense Martio, à *Diocletiano* in Oriente & *Maximiano Herculio* in Occidente immanis adversùs Christiani nominis professores moveri cœpta est persecutio: (*pag.* 147. & 167.) quæ in parte Britanniæ Romano imperio subjectâ nobilissimo martyrio beavit innumeros, (*pag.* 145.) nec tamen Christianam in eâ religionem prorsùs extinxit, (*pag.* 989. & 170.) alijs ad sylvas & speluncas, (*pag.* 147.) alijs in *Caledoniam*, à Romanorum dominatione liberam, confugientibus; quos à *Crathlinto* Rege benignè exceptos, & in *Mannîâ* insulâ collocatos, Hector Boëthius suâ fide asserit, addens etiam in insulâ illâ ab ethnicâ superstitione eo tempore purgatâ, sedem Episcopalem *Sodorensem* constitutam fuisse, & antistitem in ea primum *Amphibalum* Britonem. (*pag.* 641. 642.)

Maij die XXIII. S. *Albanus* Verolamiensis, Britannorum Protomartyr, ad *Derfwol linam* sylvam *Holm-hurst* dictam gladio percussus occubuit: (*à pag.* 147. *ad* 167.

& à 980. ad 986.) unâ cum milite, *Heraclio* (ut volunt) dicto; qui ferire eum jussus recusavit. (*pag.* 149. 150. 167. 986. 987.

Iulij die I. *Aaron & Iulius*, Urbis *Legionum* cives, passi sunt. *pag.* 147. 167. 168.

Septembris die XVI. S. Albani Magister, quem posteris *Amphibalum* appellare placuit, morte crudelissimâ affectus fuisse dicitur; cæsis priùs è Verolamiensi municipio 999. viris, ab ipso in fide Christianâ institutis. (*à pag.* 150. *ad* 166. *item pag.* 193. 540. 983. 984. 985.)

Septembris die XVII. *Socrates* & *Stephanus* in Britanniâ martyrio vitam finierunt. *pag.* 168. 169.

Septembris die XXV. S. *Firminus*, Pampilonensis Senatoris *Firmi* filius, *Honesti* presbyteri discipulus (non Scotus vel Hibernus, sed Iberus aut Navarrenus) *Ambiani* in Galliâ sub *Rictio Varo* Præside martyrium passus fuisse traditur. (*à pag.* 761. *ad* 765.)

Cantabrigienses academiæ suæ, (*pag.* 162. 163.) *Westmonasterienses* suæ Ecclesiæ, (*pag.* 985.) & *Wintonienses* monachis suis, (*pag.* 164. 165.) cladem hoc tempore illatam scriptitant.

Ianuarij die VI. S. *Macra* (quam Regis Scotiæ filiam fuisse Dempsterus somniat) Remis sub *Rictio Varo* Præside dira tormenta passa, Deo animam reddidit. (*pag.* 765. 766. 1040.) Vid. Andreæ Saussayi Martyrolog. Gallican. Ianuar. 6. (*pag.* 14.) & Mart. 2. (*pag.* 134.) CCCIIII.

Februarij die VII. *Augulius*, Episcopus *Augustæ* civitatis Britanniæ, Christi martyr occubuit. *pag.* 169. & 988.

S. *Nicolaus* Episcopus, apud Britannos in Laudoniâ, passus est. *pag.* 638. 639. 640.

Diocletiano & *Maximiano Herculio* imperio se abdicantibus; Eccl. fijs Galliæ & Britanniæ pax à *Constantio* Augusto, summo Christianorum fautore, restituta est. (*pag.* 170. 171. 641. 642. 1058.) ad cujus ditionem *Hi-*

berniam noſtram acceſſiſſe, difficulter credimus. (*pag.* 1041. 1042.)

CCCV. *Conſtantium* epiſcopalem ſedem *Eboraci* conſtituiſſe, (*pag.* 72. 171.) & Eccleſiam S. Iohannis Baptiſtæ *Warwici* extruxiſſe, (*pag.* 171. 978.) & *Lucium* filium, Eccleſiæ B. Mariæ apud *Lucionenſes* conditorem, in exilium ejeciſſe, (*pag.* 177.) fabulatores fingunt.

A *Conſtantio* Radulphus Niger, à filio ejus *Conſtantino* Guilielmus Malmesburienſis, Britannorum coloniam in Armoricam traductam refert. *pag.* 421.

CCCVI. Iulij die XXV. *Conſtantius* Aug. poſt victoriam à *Pictis* reportatam, Eboraci mortuus eſt, & in Arvoniâ (ut quidam volunt) ſepultus: (*pag.* 60. 171. 174. 586. 1020.) ſucceſſore relicto filiorum natu maximo *Conſtantino* Cæſare; qui imperium in Britanniâ auſpicatus, ann. XXX. menſ. IX. di. XXVIII. principatum obtinuit. (*à pag.* 171. *ad* 174.

CCCVII. Februarij die XXVII. *Conſtantinus* ex Cæſare *Auguſtus* declaratus eſt. (*pag.* 174.)

CCCXII. Pace à *Conſtantino* Aug. Eccleſijs redditâ, Chriſtiani ubique Eccleſias renovant, & Baſilicas ſanctorum Martyrum conſtruunt. *pag.* 167. 193.

CCCXIII. Baſilica in honorem B. *Albani*, decem annis poſt paſſionem ipſius, *Verolamij* extructa fuiſſe dicitur. *pag.* 193.

Vetus in urbe *Wintonienſi* monaſterium denuò fundatum, & in honorem S. *Amphibali* à *Conſtante* Wintonienſis Eccleſiæ Pontifice, petente *Deodato* ejuſdem monaſterij Abbate, dedicatum fuiſſe fingitur. *pag.* 193. 194.

CCCXIIII. Synodus *Arelatenſis* habita: cui interfuerunt ex Britanniâ, *Eborius Eboracenſis* Epiſcopus, *Reſtitutus Londinenſis* Epiſcopus; & è *Coloniâ* Londinenſium, *Adelfius* Epiſcopus, *Sacerdos* Presbyter, & *Arminius* Diaconus, *pag.* 98. 145. & 195.

Amphibalus antiſtes, *Modocus* priſcus, *Calanus*, *Ferranus*, *Ambianus* & *Carnocus* Culdei apud Scotos claruiſſe dicuntur. *pag.* 645. 646.

S. *Mar-*

S. *Marnokus* Culdeus mortem obijsse, & in *Kil-marnok* apud Cuningamienses sub Abbate *Kilwinini* sepultus fuisse dicitur. *pag.* 646. CCCXXII.

In Synodo *Nicenâ* Paschalis observantiæ constitutum est tempus, & Arianorum hæresis profligata: cum reliquâ Ecclesiâ Catholicâ consentientibus hîc etiam Britannis. *pag.* 195. CCCXXV.

Hiberniam, mulierculæ cujusdam operâ, Christianam fidem susscepisse quidam somniant. (*à pag.* 767. *ad* 769. *item pag.* 1040. 1041.) CCCxxxv.

Maij die XXII. *Constantinus* Magnus obijt: (*pag.* 174. & 823.) relictâ natu maximo filiorum *Constantino* Britanniâ; sed non (ut recentiores quidam volunt) Hiberniâ & Thule. (*pag.* 1041. 1042.) Cccxxxvij.

Constans in Britanniam (quam cæso fratre *Constantino* occupaverat) hyeme navigans, Britannorum motus compescuit. (*pag.* 195.) Vid. Iac. Gothofred. Not. ult. in Veterem orbis descriptionem hoc tempore editam: in quâ *Britannia insula*, sicut qui ibi fuerunt narrant, longè *maxima & in omnibus præcipua*, celebratur. CCCXLIII.

Sardicensi Concilio *Britanniarum* Episcopi interfuerunt; atque ad Arianorum condemnationem & Athanasij absolutionem suum calculum adjecerunt. *pag.* 195. 196. CCCXLvij.

Colmanus presbyter, qui posteà præclarus Episcopus extitit, in Hiberniâ claruit; & natum ibi S. *Declanum* infantulum baptizavit. *pag.* 782. 783.

S. *Kiaranus* Saigrius in Hiberniâ natus est. *pag.* 784. 785. 788. CCCLII.

Pelagius Britannus, patrio nomine *Morgan* dictus, eodem quo B. *Augustinus* die in lucem editus fuisse dicitur. *Pag.* 205. 207. 993. CCCLIIII.

Regulus Patrensis in Achaiâ cœnobita partem reliquiarum S. *Andreæ* Apostoli sepositas, quod vero ex ijs supererat *Constantius* Imperator cum exercitu superveniens Constantinopolim transtulisse traditur. (*à pag.* 649. *ad* 655. CCCLVII.

Hilarius

CCCLVIII. *Hilarius* Pictavienſis, in Phrygiâ exul, librum de Synodis adverſùs Arianos ſcriptum cùm alijs in Occidente fratribus tùm *provinciarum Britanniarum Epiſcopis* dicavit. *(pag.196.)* Ejus apud *Britannos* fama celebris. *(pag.979.992.)*

CCCLIX. *Ariminenſi* Synodo Epiſcopi *Britanniæ* interfuerunt. *pag.196.*

CCCLX. In *Britannijs Scotorum Pictorumq; gentium ferarum excurſu, ruptâ quietè conditâ, loca limitibus vicina vaſtata* fuiſſe, prodit Ammianus Marcellinus. *(pag.587.588.)*

Nello magno *Nœigiallach* dicto Hiberniæ monarchiam obtinente, ſex filij *Muredi* regis Ultoniæ (quorum dux *Reuda* fuiſſe videatur) borealem Britanniæ partem occupâſſe dicuntur, ab eis *Scotiam* poſteà appellatam. *pag.587.*

Chriſtianus quidam Sacerdos multis annis ante Patricium Româ in Hiberniam miſſus fuiſſe dicitur, ut fidem Chriſti ibi ſeminaret: à quo S. *Albeus* puer baptizatus fuiſſe traditur. *pag.781.782.*

S. *Dymma* vir religioſus & ſapiens in Hiberniâ clariſſe, ibidemque *Declanum* & *Carpreum* (ſanctos poſteà factos Epiſcopos) in pueritiâ inſtituiſſe dicitur. *pag.783.784.*

Ibarus, qui & *Ivorus*, apud Ultonienſes in terrâ *Cruintain* (regnante ibidem Colmanno Nemani filio) natus, à S. *Mottâ* Abbate bonis literis eruditus fuiſſe ſcribitur. *pag.784.1061.*

CCCLXII. S. *Eliphius*, filius Regis Scotiæ, in urbe *Tullenſi*, ſub Iuliano Apoſtatâ, ob Chriſtianæ fidei profeſſionem gladio cæſus eſt. *pag.785.786.1069.*

Frater ejuſdem, S. *Eucharius* Tullenſis Epiſcopus, duæque ſorores *Libaria* & *Suſanna*, ſimili martyrio vitam finierunt. *pag.786.1069.*

Sororis eorundem, S. *Menne* virginis, in Eccleſiâ de *Portu ſuavi* Tullenſis territorij celebris haberur memoria. *pag.786.1068.*

Britannica Ecclesia, ad Athanasium & reliquos sedi Alexandrinæ subjectos Episcopos scriptis literis, Symboli Nicæni fidem approbat. *pag.* 196. 197. CCCLXIII.

Picti, Saxones, Scoti & *Attacotti* Britannos ærumnis vexavere continuis. *pag.* 588. CCCLxiiij.

S. *Maruocus Niger* Eremita, *Maruoci* Culdei discipulus, in occidentali Scotiæ orâ claruisse dicitur. *pag.* 660. 661.

S. *Kebius*, filius Salomonis Cornubiæ Ducis, à magistro suo Hilario Pictavorum antistite gradu Episcopali accepto, in patriam reversus *Meneviam* concessisse, indeque *Hiberniam* petens, in quâdam insulâ constructâ Ecclesiâ annis quatuor ibidem mansisse perhibetur. *pag.* 195. & 786.

SS. *Mochellocus, Beanus, Colmanus, Lachninus, Mobus, Findlugus* & *Caminanus*, apud Desienses in *Campo scuti* non procul à Lismoriâ septem claras cellas construxerunt. *pag.* 784.

Theodosius Hispanus Comes, Theodosij senioris Augusti pater, *Pictos* & *Scotos* domuit: (*pag.* 588.) recuperatámque provinciam, quæ in ditionem concesserat hostium, ita reddidit statui pristino, ut & Rectorem haberet legitimum, & ex Valentiniani senioris tunc imperantis nomine *Valentia* vocaretur. (*pag.* 96. 663. 819.) CCCLXIX.

Regulus, cum socijs suis, S. *Andreæ* reliquias secum deferens, in Albaniam appulisse dicitur; indeq, *Andreapolitanæ* Ecclesiæ prima jacta esse fundamenta, *Hergusto Fergusij* filio apud Pictos tum regnante. (*à pag.* 646. *ad* 660.

S. *Kebius* Episcopus, S. *Hilarij* Pictavensis discipulus, relictâ Hiberniâ, extremam vitæ partem in *Monâ* sive *Angleseiâ* egisse traditur. *pag.* 91. 979. & 786.

S. *Patricius*, patre *Calpurnio* diacono (filio *Potiti* presbyteri) matre *Conchessa* (S. *Martini* Turonensis sororis filiâ) in extremis Britonum finibus, non procul à castro Dun-britannico, in lucem editus est. (*à pag.* 818. *ad* 823.) CCCLxxij.

CCCLXXIIII. S. *Secundinus*, qui & *Sechnallus* patre *Restituto* Longobardo, matre *Darercâ* sorore S. Patricij, nascitur. *pag.* 825.826.

CCClxxviij Gratiano Imp. legem ferente, ut quisque liberè quamcumque religionem vellet sectaretur, *Ariana* hæresis Britanniam veneno sui infecit erroris. *pag.* 197.

CCCLxxix. *Maximus*, natione Hispanus, (*pag.* 198.199.1071.) Dux exercitus Britannici, icto cum *Hergusto* Pictorum rege fœdere, Scotos universos è Britanniâ expulisse dicitur. (*pag.* 592.)

Scoticorum sacerdotum ac monachorum exulum magna pars, in *Ionâ insulâ* cœnobio constituto, magnam suæ sanctitatis & eruditionis famam ad posteros transmisisse dicuntur. *pag.* 697.698.

Hiberni ad pristinas sedes Scotos, cognatum populum, vi reducere frustrà conantes, à *Maximo* pacem per legatos petere coacti fuisse feruntur. *pag.* 592.

CCClxxxij. *Secundus* Cyclus Paschalis 84. annorum incipit. (*à pag.* 925. *ad* 929.)

Maximus, in Britanniâ à militibus Imperator constitutus, incursantes *Pictos* & *Scotos* strenuè superavit; *pag.* 593.1071.

Kiaranus, relictâ patriâ Hiberniâ, Romam adijsse; ibique baptizatus, viginti annis sacrorum librorum lectioni incubuisse, fertur. *pag.* 788.789.

CCClxxxiij *Maximus* Britanniam ingenti juventute & omni armato milite spoliavit; militaribus Britannorum copijs, quæ nunquam posteà redierunt, secum in Galliam transvectis. (*pag.* 198.199.591.593.) quibus & minoris Britanniæ agros, pulsis inde Armoricis, illum distribuisse, atque *Conanum Meriadocum* illis præfecisse, Britannici nonnulli scriptores tradiderunt. (*pag.* 199. 200. 421. 992. 993.)

Calpurnium Britannum, cum uxore *Conchessâ*, duobus filijs (*Patricio* & *Deochoin Sannan*) & quinque filiabus (*Lupitâ*, *Agride*, *Liamainâ*, *Darercâ*, & *Cinnenumâ*) relictâ

lictâ *Aileluadâ* Britannicâ, Armoricam petijſſe, & inter *Concheſſæ* cognatos conſediſſe, in Hibernicis ſcriptis legimus. (*pag.* 823. 824.)

Hunnos ſub *Guanio*, & Pictos ſub rege ſuo *Melgâ*, à Gratiano & Valentiniano miſſos in Germaniam ut Maximi fautoribus reſiſterent, in Virginum catervam quæ, duce *Urſulâ*, ad nuptias cum novis Armoricæ colonis conficiendas è majore Britanniâ navigaverat, ſævijſſe fabulator Galfridus narrat. (*pag.* 200. 201. 202. 992. 993.)

Guanius & *Melga*, cum Hunnis & Pictis ſuis, *Albaniam* devaſtârunt: ut idem author ſignificat. Unde alij, gentem Gothicam *Pictorum*, è Scythiæ finibus à Gratiano & Valentiniano adverſus Maximum evocatam, partem Britanniæ aquilonarem ex prædonibus accolas factos occupaviſſe retulerunt. *pag.* 590. 591. *cum* 1058.

Maximus tyrannus, in urbe Trevericâ ſedem imperij ſui inſtituens, *Gratianum* Imperatorem circumventum dolis interfecit. (*pag.* 197. 198.) *Gregor. Turonenſ. Hiſtor. Francor. lib.* 1. *ca.* 38. (al. 43.)

Maximus in Italiam irrumpens, Valentinianum Imp. inde expulit. *pag.* 198. CCCLXXXVIJ.

Maximus occiſus eſt: (*pag.* 594.) nunc *in inferno* (ut in Oratione funebri de exitu Theodoſij habet B. Ambroſius) *docens exemplo miſerabili, quàm durum ſit arma ſuis principibus irrogare.* CCCLXXXVIIJ

Patricius, cum duabus ſororibus ſuis, à Scoticis piratis in Hiberniam abductus eſt: ſororibus in agri Louthiani *Conalliam*, ipſo verò in ſeptentrionalem partem *Dal-araidæ* apud Claneboianos vendito; ubi porcorum *Milchonis* reguli paſcendorum cura illi demandata eſt. (*à pag.* 827. *ad* 831. *cum pag.* 833. 1045. 1047.

Britanni hiſce temporibus, *Romam*, *Hieroſolymam* & *Syriam* inviſere ſoliti. *pag.* 202. 203. 204.

S. *Albeus* ex Hibernià Romam petijſſe, ibique apud

Episcopum quendam *Hilarium* dictum sacras literas didicisse dicitur. *pag.* 789.

Pelagius Britannus, ante publicatam suam hæresim, tres de fide Trinitatis libros edidit. *pag.* 211.

Celestius Scotus, adhuc adolescens, scripsit ad parentes suos de monasterio Epistolas in modum libellorum tres. *pag.* 208. 209. 211. 786. 787.

Iohannis Chrysostomi, de fide Christianæ professione in Britannicis nostris Insulis conservatâ, luculenta testimonia. *pag.* 787. 788. 1061.

CCCXCiij. *Scoti* à Circio & *Picti* ab Aquilone vastaverunt insulam Britanniam. *pag.* 594.

CCCXCV. *Patricius*, anno septimo à *Milconis* servitute liberatus, in nautarum qui eum ex Hiberniâ transvexerunt patriâ verbum Dei prædicavisse, ac multos ad Christum convertisse dicitur. *à pag.* 830. *ad* 833.

CCCXCVI. *Scoti* in Britanniam redeunt: quam *Stilicho* adversus ipsorum & *Pictorum* incursionem munivit, Romanâ legione in limite ad eos propulsandos constitutâ. *pag.* 594. 595. 335.

CCCXCvij. *Rufinus* è Palæstinâ Romam rediens, Origenis errores in Urbem intulit: ubi eum contra peccatum Originale differentem *Celestius* audijt. *pag.* 204. 205. 214.

S. *Patricius* secundò in captivitatem ductus est: quam sexaginta tantùm diebus pertulit. *pag.* 832.

Idem, post paucos annos, in Britanniam ad parentes redijt. *pag.* 832.

S. *Albeus* à magistro suo S. *Hilario* episcopo ad Romanum Pontificem missus fuisse dicitur, ut ab eo Episcopus ordinaretur; mansisseque apud eum uno anno & quinquaginta diebus, unâ cum quinquaginta viris sanctis qui de Hiberniâ eum sunt secuti. in quibus præter XII. *Colmanos*, XII. *Coëmgenos*, & XII. *Fintanos*; etiam S. *Declanus* cum suis discipulis, fuisse perhibetur. *pag.* 789.

CCCCI. *Patricium* diebus XL. ferunt quidam commoratum

cum

cum avunculo suo *Martino* Turonensi Episcopo; qui hoc anno III. Id. Novembr. ex hâc vitâ transiisse putatur. *pag.* 833. 834. 835. 838. 1046.

Regulus Abbas, annis XXXII. postquàm in Albaniam venerat, grandævus mortem obijsse traditur. *pag.* 657.

S. *Albeus* Episcopus, à Romano Pontifice ad regionem quandam gentilitiá superstitione adhuc laborantem missus, multis ad fidem conversis, monasterium ibidem construxisse & *sanctos filios Guill* in eo reliquisse memoratur. (*pag.* 792. 793.)

B. Patricius, ætatis annum agens trigesimum, sacra discendi studio, itineribus toto septennio continuatis, *Gallias atq; Italiam, & Insulas quæ sunt in mari Tyrrheno* perlustravit: ut ipse in Commemoratione laborum suorum significat. (*pag.* 835. 836. *cum* 886. 887.) Unde Italiam ingressus, annis XXX. ante adventum suum in Hiberniam, S. *Declanum* & S. *Kiaranum*, à Romano Pontifice Episcopos ordinatos & ad Euangelium Hibernien sibus prædicandum missos, obvios ibidem habuit: fraternisque salutationibus invicem peractis, ipse Romam petijt (ubi diutiùs sacris literis discendis operam dedisse perhibetur) illi cum comitibus suis in Hiberniam perrexerunt. (*pag.* 789. 790. 791. 835.) quò pervenientes: CCCCII.

S. *Declanus* Desienses populares suis Euangelium prædicans, eorum multos ad fidem conversos baptizavit; & discipulis in congruis locis ad opus Dei promovendum dispositis, ipse *Ardmoriæ* sedem suam Episcopalem collocavit. *pag.* 792. & 867.

S. *Kiaranus*, *Saigriæ* in Elvensi territorio sede positâ, & matrem *Liadanam* & gentis suæ *Offorienses* plurimos ad fidem Christi convertit. *pag.* 791. 792.

Quinque Clerici Hiberniæ, qui Kiaranum comitantes in Italiâ Patricio facti sunt obvij, quinque sedes Episcopales in provinciâ Laginiensi obtinuerunt: *Lugacius* apud Cill-airthir, *Columbanus* apud Cluain-ernain,

Meldanus apud Cluano-crema, *Lugadius* apud *Fordunum*, & *Cassanus* apud Domnach môr Maigeechnach. *pag.* 790. 791.

S. *Finianus* Abbas, ex Scotorum Culdeorum genere ortus, floruisse dicitur. *pag.* 661.

CCCCIII. Romanæ militiæ Magister *Stilicho* legionem, quam ad propulsandos Scotos & Pictos in extremo Britannorum limite collocaverat, in Italiam revocavit; cum *Alarici* Gothorum Regis exercitu in *Pollentino* prælio confligturam. *pag.* 595.

Fergusium, *Erci*, vel *Erthi* filium, exulantes Scotos in Albaniam reduxisse, Scotici tradunt Annales. *pag.* 598.

CCCCV. A *Scotis* & *Pictis* infestatos esse Britannos, & S. *Kieranum* obijsse, in Annalibus Connacienſibus legimus. (*pag.* 1043.)

Pelagius monachus (quem quidam *Cantabrigiensem* Doctorem, alij Bangorensem Abbatem fuisse fingunt) in partibus Romanis degens, post captatam priùs B. Augustini benevolentiam, scriptâ ad Paulinum Nolanum epiſcopum epistolâ sub nomine gratiæ facultatem & possibilitatem naturæ commendans, hæreseos suæ prima jecit fundamenta. (*à pag.* 205. *ad* 215.)

Iohannes Chrysostomus, Arabissi exulans, *Pelagij* lapsum deplorat. *pag.* 214.

CCCCVII. *Gratianus* municeps apud Britannos Imperator creatus, post menses quatuor à militibus est occisus. Ejus loco *Constantinus* ex infimâ militiâ electus, continuò ut invasit imperium, in Gallias transijt: atq; ita quicquid priùs à *Maximo* tyranno in Britanniâ relictum fuerat militaris roboris exhausit; Pictisq; cum Scotis & Dacis, Albaniam frequentatione Barbarorum penitùs vastatam occupantibus, Insulam reliquit devastandam. (*pag.* 372. 373. 591. 599.)

CCCCVIII. *Constantinus* tyrannus filium suum *Constantem* ex monacho Cæsarem ordinavit. (*pag.* 373.) Transrhenani barbari adversùs *Constantinum* in Galliâ rebellantes, eò Britan-

Britanniæ incolas redegerunt, ut ab imperio Romano deficerent; & suis se armis à barbaris imminentibus liberarent. (*pag.*599.)

Patriciana peregrinationis septem anni finiuntur: unde ad Episcopatum S. *Germani*, in cujus disciplinam *Patricius* sese posteà tradidit, anni numerantur *novem*. Tot verò annos egisse illum in quâdam *insulâ inter montes & mare* narrat Probus. (*pag.* 836.) In *Tamerensi insulâ transactos novem annos* ab eo fuisse, Vitæ ipsius scriptor refert, qui MS. in Bibliothecâ Collegij Societatis Iesu Ingolstadij asservatur. Est *Camaria* insula, *Camargue* vulgò dicta, non procul ab Arelatensi metropoli ad ostium Rhodani posita. An hæc sit *Aralanensis* illa insula, pro *Arelatensi* Tirechano nominata, (*pag.* 835.) & *Tamerensis* aliorum (quomodo Dionysij Periegetæ *Camarinus*, ad mare Caspium, Festi Avieni *Tamaritas* esse, in Thesauro suo Geographico monuit doctissimus Ortelius) viderint quibus tantum est otij. CCCCIX.

Romæ ab *Alarico* Gotho capta est: (*pag.*216.) cujus direptioni *Fergusium* Scotum Erthi filium interfuisse; indeque libros quosdam secum delatos in *Ionâ* insulâ perpetuò servandos deposuisse, fabulatur Hector Boëthius (*à pag.* 595. *ad* 598. *cum pag.* 698.) CCCCX.

Cyclus 84. annorum, ex quo Paschales Dominicæ à Lunâ XIIII. ad XX. supputabantur, à *Sulpitio Severo* introductus est: quem & *Britones*, cum *Pictis* & *Scotis* receperunt. *pag.* 321. *&* à 929. *ad* 934.

S. *Meliorem* sive *Melorum* in Britanniâ hoc anno passum refert Philippus Ferrarius: quum Capgravius ab eo citatus, in ipsis Christianæ fidei à Britannis acceptæ primordijs id contigisse narret. *pag.*451. CCCCXI.

Constans, ex Monacho primùm Cæsar deinde Augustus designatus, & pater ejus *Constantinus*, in Galliâ cæsi sunt: atque *Britannia*, in hisce partibus *Romanæ Reipublicæ cella penaria* (ut eam in Batavia suâ rectè celebrat Ha-

Hadrianus Iunius) militum inde abductorum præsidio nudata, à Romanis est amissa. (*pag.* 599. 600. & 216.)

In Britannicâ Historiâ, post tertium Aëtij Consulatum (qui in annum Christi CCCCXLVI. incidit) Pictis & Scotis Britanniam devastantibus, *Guitelinus* Londinensis archiepiscopus *Constantinum* fratrem *Aldroëni* regis Armoricæ cum exercitu in patriam perduxisse, Regem inunxisse, & cum conjuge (quam *ex nobili Romanorum genere ortam* ipse educaverat) copulâsse memoratur. Post decennium verò à Picto quodam occiso *Constantino*, filius ejus primogenitus *Constans*, Wintoniæ in Ecclesiâ *Amphibali* viræ monasticæ addictus, in regno illi successisse dicitur; eoque Londini Pictorum familiarium proditione mox perempto, *Vortigernus* (qui Saxones huc invitavit) regnum occupavisse: duobus junioribus Constantini filijs in cunis adhuc jacentibus, *Aurelio Ambrosio* & *Utherpendracone*, in Armoricam, ut ejus insidias effugerent, nutritorum curâ abductis. (*pag.* 67. 68. 978. & *à pag.* 371. *ad* 373.) Verùm priscæ historiæ fidem recentioribus hisce figmentis longè esse præferendam, nemo prudens dubitaverit.

CCCCXII. *Celestius* Scotus, Pelagij Achates, in Carthaginiensi Synodo damnatus, ad *Innocentium* I. Romanum Pontificem frustrà appellat: (*pag.* 220.) quem & ipsum *Scotum* fuisse, recentiorum nonnulli ridiculè sunt opinati. (*pag.* 599.)

S. *Albeus* cum socijs suis in patriam reversus, ad aquilonalem Hiberniæ partem navigiolum appulit: ubi, eo jubente, *Colmanus* unus è familiâ ipsius cellam ædificavit, quæ *Chell-ruaid* est appellata. Ipse verò *Albeus*, rege Dal-araidensi *Finnano* ad fidem converso & baptizato, circuibat totam Hiberniam, Christo multos lucrifaciens. *pag.* 793.

S. *Ninianus* Britannus, *Candidæ Casæ* Episcopus, Australes

strales *Pictos* ad fidem Christi convertit. (*à pag.* 661. *ad* 670.) Frater quoque ipsius, S. *Plebeius*, cum eo vixisse dicitur. (*pag.* 1059.)

Romani qui in Britanniâ relicti fuerant, à barbararum gentium minis sibi metuentes, thesaurorum suorum magnâ parte in scrobibus occultatâ, reliquam secum in Gallias detulerunt. *pag.* 700. CCCCxviij

S. *Amatori* Autisiodorensi episcopo Kalendis Maijs defuncto S. *Germanus* successit, à Præfecturâ seculari raptus ad sacerdotium: in cujus disciplinam sese tradidit noster *Patricius*. *pag.* 382. 837. 838. 839. 938.

Gunifortus Scoticâ gente natus, persecutione in patriâ fervente, unâ cum fratre *Gunibaldo* & duabus sororibus, in Germaniam profectus fuisse dicitur. Ibi duæ sorores virgines cruentissimâ cæde palmam martyrij adeptæ, fratres verò inde in Italiam discedentes ad *Camaram* usque civitatem perveniisse, eodemque in loco (ut Iacobus Guallus significat) vel *Comi* (ut alij malunt) *Gunibaldus* cruento mactatus gladio, *Mediolani* verò *Gunifortus* ab infidelibus confixus sagittis fuisse traditur; & quidem *Theodosio* Mediolani tùm agente, si Thomæ Dempstero credimus. qui minùs consideravisse videtur, flagrantem hanc in Italiâ & reliquo Occidente persecutionem *Maximiani* alicujus potiùs, quàm Christiani Imperatoris *Theodosij*, tempora decuisse. (*pag.* 794. 795. 796. 1043.)

Fastidius Britannorum Episcopus, scripsit ad *Faulem* quendam de vitâ Christianâ librum unum, & de viduitate servandâ alium. *pag.* 317. 318. CCCCXX.

S. *Ninianus*, relictâ *Candidâ Casâ*, cum discipulis suis Hiberniam petijsse, ibiq; impetrato à Rege loco amœno *Cluayn-Coner* dicto, cœnobium magnum constituisse dicitur. *pag.* 1059.

S. *Ibarus* missus ad Euangelium prædicandum per Hiberniam, innumeros ad fidem Christi convertisse fertur, & precibus suis cùm alias Regni partes tùm præ-

cipuè regionem *Magni Colmanni* Regis *Midiæ* à pestilentiâ liberâsse. Commoratus ille est in Campo *Gessyl*, in *Arranicâ* Insulis, potissimùm verò in *Beg-ery* insulâ non procul à Wexfordiâ. *pag.* 794. 1061. 1062.

B. *Augustini* de fide in Occidentalibus insulis receptâ testimonium. *pag.* 3. *cum* 799.

CCCCxxij. Cùm Britannos à *Circio* quidem (id est, ex Hibernià) *Scoti*, ab *Aquilone* verò *Picti*, primâ illâ à Gildâ commemoratâ diris simâ vastatione conculcarent; illi subjectionem Romano imperio repromittentes, ab *Honorio* Augusto Legionem auxiliarem impetrârunt: quæ, hostibus depulsis, subjectos cives ex imminenti captivitate liberavit. *pag.* 593. 594. 600. 601.

Insulani murum cespititium, prorsùs inutilem, inter fretum Dunbritannicum & Edenburgicum construxerunt. *pag.* 601. 602.

Ccccxxiiij. S. *Ercus*, primus *Slaniæ* Episcopus, natus est. *pag.* 1047.

CCCCxxv. *Gildas* Albanius (patre *Cauno* sive *Navo*, quem alij libri *Scotorum* alij *Pictorum* regem fuisse referunt) in Argathelià ad Claidam fluvium natus est; *triginta* annis ante adventum ipsius in Galliam. *pag.* 444. 676.

Secunda à Gildâ commemorata vastatio; quâ Scoti & Picti, Romanâ legione revocatâ, ruptis terminis, obvia quæque miserorum Britonum obtriverunt. *pag.* 602. 603.

Oppressi Britanni, ad *Valentinianum* III. (ex *Cæsare* nuperrimè factum *Augustum*) legatione missâ, novam legionem auxiliarem è Gallijs transmissam obtinuerunt: quæ, *Gallionis* Ravennatis ductu, Pictos & Scotos anniversarias prædas agentes tempore autumni trans maria fugavit. *pag.* 603. 604.

CCCCxxvj. Muri cespititij loco lapideus est erectus: & in littore Oceani ad meridianam plagam, adversùs barbarorum incursiones, turres per intervalla ad prospectum maris sunt collocatæ (*à pag.* 604. *ad* 606. *&* 1023. *ad* 1027. *cum* 1068.)

Gallio ex Britanniâ & *Maventius* ex Ravennâ in Africam contra *Bonifacium* missi, in ipsâ exscensione, profligatis eorum copijs, sunt interfecti. *pag.*603. Ccccxxvij.

Laogarius (*Nelli* magni, *Naigiallach* dicti, filius) in Hiberniâ regnare cœpit. *pag.*949.

Felice & *Tauro* Consulib. *Saxones ad Britanniam venisse, & à Guortigirno susceptos fuisse*, anonymus Ninij interpolator; *partem Galliarum propinquam Rheno, quam Franci* (Saxonibus contermini) *possidendam occupaverant, Aëtij Comitis armis receptam*, affirmat Prosper in Chronico. quo tempore *Theodemeri* regi Francorum (*Faramundo* alijs dicto) filio *Richemeris* interfecto, filius ejus *Chlogio* sive *Chlodio* in regno Franciæ successisse existimatur. *pag.*401.402. Ccccxxviij.

Timotheum quendam contra divinam & humanam in Christo naturam impiè inter Britannos disputavisse, malè traditum est à recentioribus. *pag.*318.319.

Rosinus Floridus, homo Utopicus, à Celestino P. Scotorum Episcopus consecratus fuisse fingitur. *pag.* 796. 797.

Agricola Pelagianus (quem eundem cum *Leporio* fuisse, sine ullâ ratione statuit Balæus) *Severiani Episcopi Pelagiani* (quem cum *Severo Sulpitio Aquitano* temerè confundit idem) *filius*, ut in Chronico suo refert Prosper, *Ecclesias Britannias* (non *Hibernias*, ut Onuphrij habet editio) *dogmatis sui insinuatione corrupit. Sed allatione Palladij Diaconi, Papa Celestinus Germanum Autisiodorensem Episcopum vice suâ misit*; *&, deturbatis hæreticis, Britannos ad Catholicam fidem redigit.* (*à pag.* 319. *ad* 323.) CCCcxxix.

Ad *Celestini* authoritatem accessit etiam hîc numerosæ Gallicanorum Episcoporum Synodi calculus: qui Britannorum legatione auditâ, *Germanum* Autisiodorensis & *Lupum* Tricassinæ Ecclesiæ Episcopos, ut huic rei gerendæ maximè idoneos, in Britanniam mittendos delegerunt. (*à pag.* 323. *ad* 327.)

Præclari Pontifices, *temporibus hybernis mari se committentes* (ut in Vitâ *Lupi* legimus) fedatâ in Oceano obortâ tempestate, Britannicâ potiti arenâ; in Synodo *Verolamij* habitâ perversi dogmatis patronos divinorum testimoniorum auctoritate confutárunt. (*pag.* 327. 328.) Ubi *Germanus*, disputatione finitâ, S. *Albani* sepulchrum reclusisse; aliorumque Sanctorum reliquijs ibi depositis, massam pulveris sanguine Martyris adhuc rubentem in patriam secum asportavisse memoratur. (*à pag.* 327. *ad* 329. *cum pag.* 995. 996.)

CCCCXXX *Druides* sive Magi Hibernici adventum B. *Patricij* ante triennium prædixisse perhibentur. *pag.* 852.

Cùm *Saxones Pictiâ*, bellum adversus *Britones* junctis viribus susciperent; maxima pars exercitus Britannici tempore *Quadragesimali* à Germano & Lupo baptizatur: & peractâ solennitate Paschali, celebris illa victoria *Alleluiatica* obtinetur. (*à pag.* 332. *ad* 336. *cum* 1001.)

Miracula per Germanum & Lupum hîc edita, à *Constantio* in Vitâ S. Germani, *Gildâ* in libro de victoriâ *Aurelij Ambrosij*, & alijs commemorata. (*pag.* 334. 335. 996.)

De *Ketelo* vel *Cadello* subulco à S. Germano ad regnum evecto, (*pag.* 334.) Christianismo in Britanniâ deficiente, (*pag.* 336. 337.) *Dubricio* in dextrali Britanniâ, sive Australi Cambriâ, (*pag.* 79. 80. 337.) & *Patricio* in Scottijs ac Britannijs, *Archiepiscopo* à Germano & Lupo constituto, (*pag.* 840. & 916.) *Cantabrigiensibus* Doctoribus ad Pelagianam hæresim debellandam cooperarijs ab eis assumptis, (*pag.* 338. 339.) atque *Oxoniensis* Academiæ institutis à Germano, per anni dimidium illic moram trahente, comprobatis (*pag.* 340. 341. 342.) fabulæ.

S. *Germanus* in Galliam rediens, *Briocum* (è territorio *Coriosopitensi*, ut quidam volunt, oriundum) in pietatis disciplinis instituendum, secum abduxisse dicitur:

cum

cum videlicèt, qui *Briacenſis* in Britanniâ Armoricâ Eccleſiæ primus fuit Epiſcopus. *pag.997.*

Scoti & Picti totam aquilonalem extremamque Britanniæ partem, vacuam propè indigenis, uſque ad murum illum lapideum inter fretum Dunbritannicum & Edenburgicum ante quinquennium conſtructum, capeſſunt: (*pag.606. cum* 1027.) indeque *tertiam* illam à Gildâ commemoratam vaſtationem adorſi; muri cuſtodibus deturbatis, muro ipſo perrupto, & indigenarum intra murum horribili cæde ſtrageq; factâ, miſeros Britanuos civitatibus derelictis ad ſolitudines confugere coëgerunt. (*pag. 606. 607. 608. cum* 1027. 1028.) quâ in re Scotorum Albienſium hiſtorici ſtrenuam *Grimi* vel *Graimi* cujuſdam operam prædicant: à quo perfoſſum illum murum *Grahams-dike* vel *Grimes-dike* appellationem ad hodiernum uſq; diem retinuiſſe volunt. (*pag.* 1028.) CCCCxxxj

Ad Scotos in Chriſtum CREDENTES *ordinatum à Papâ Celeſtino Palladium Epiſcopum miſſum* fuiſſe, teſtatur Proſper in Chronico. (*pag.* 320. *799.* 801.) Unde vel explicandum vel corrigendum, quod in libro contra Caſſianum idem priùs ſcripſerat; Celeſtinum, *ordinato Scotis Epiſcopo, barbaram* inſulam (ſic enim Hiberniam appellat) *feciſſe Chriſtianam.* (*pag.* 320. 797. 798. 799.)

Quomodo Palladius *primus* Scotorum ſive Hibernorum dictus fuerit Epiſcopus. (*pag.799.* 800. 899.) Romanæ Eccleſiæ fuit ille Diaconus; non *Vitæ Chryſoſtomi* ſcriptor, aut Græcus aliquis Palladius. (*à pag.* 802. *ad* 811. *cum* 1044. *&* 1070.)

A Celeſtino ad prædicandum Hibernis cum duodecim alijs miſſus, in *Laginiam* adveniſſe traditur; ibique tribus fundatis Eccleſiolis diſcipulos ſuos, *Auguſtinum, Benedictum, Silveſtrum & Solonium* præfeciſſe. (*pag.* 812. 813. 814.)

Cùm ibidem princeps loci, *Nathi* filius *Garrchon*, illi re-

resisteret, & feri homines doctrinam illius nollent suscipere; in *Albaniam* inde profectus, S. *Servanum* à se ordinatum Episcopum ad *Orcadas* insulas (ut populum rudem Christianâ pietate institueret) misisse, *S. Tervanum* & baptizavisse & Pictorum postea Archiepiscopum constituisse; atque *Forduni* demùm in terrâ Pictorum XVIII. Kalend. Ianuar. mortem obijsse dicitur. (*pag.* 846. 812. 813. 814. 840. 670. 671. 672. 673. 1043.) quum ista tamen de *Tervani* archiepiscopatu & *Servani* ad Orcadienses legatione (si qua fuit) Palladij excessu longè posteriora fuisse, temporum evincat ratio.

Cccexxxij. Auditâ morte Palladij, *Patricius* à *Germano* Autisiodorensi episcopo Romam, unâ *Segetio* presbytero ad Celestinum P. missus; ab *Amatore* vel *Amatheo* quodam, ut volunt nonnulli, ab ipso verò *Celestino*, ut alij, Episcopus consecratus est: *Auxilio* presbyteri, & *Iserninо* diaconi ordine, eodem tempore, collato. (*à pag.* 838. *ad* 842. *cum* 814. 815.)

Patricius ad convertendos Hibernos loco Palladij missus, secundus eorum *Archiepiscopus* à Celestino constitutus est: (*pag.* 800. 805. 841. & 899.) priore *Magonij*, quod à S. Germano acceperat, nomine in novum *Patricij* commutato. (*pag.* 841. & 1046. *cum* 837. & 821.)

S. *Patricius*, cum XX. comitibus, (quorum unus *Germanus* Lateranensis Canonicus fuisse dicitur) instituto in Hiberniam itinere, ad preceptorem suum B. *Germanum* Autisiodorensem Episcopum divertisse, & apud Britannos in partibus *Cornubiæ* & *Cambriæ* (ubi & *Menevia* cœnobium eum construxisse ferunt) aliquamdiu substitisse traditur. *à pag.* 842. *ad* 845. *cum* 82. 443. 821. & 1010.

Septembris die XVI. S. *Ninianus* Britannus, qui *Pictos* australes ad fidem Christi convertit, mortem obijsse scribitur. *pag.* 669. 670. 1059.

Primo anno Pontificatus *Xysti* (qui in Romanæ Eccle-

clesiæ

cleſiæ regimine ſucceſſit Celeſtino) B. *Patricius* cum familiâ ſuâ ad Wicloanum ſive *Deæ* portum in regione *Evolenorum* appulit. (*pag.* 1046. 815. 880. 845. 846.) Familia illa ex XXXIIII. viris conſtabat: quorum XXIIII. diſcipuli ipſius fuiſſe memorantur. (*pag.* 845.) In his erant & ſororum B. Patricij filij *Tigridiæ* quidem, *Brochadius*, *Brochanus*, *Mogenochus*, *Lumanus* & alij, facti omnes poſteà Epiſcopi: (*pag.* 824.) *Darercæ* verò ex *Coni* marito, *Mel* (primus *Ardachadenſium* Epiſcopus) *Riochus* (Abbas monaſterij *Inis-bo-Finde* in ſtagno *Righi*) & *Munius*; atque ex *Reſtituto* marito altero, S. *Nechtanus* Epiſcopus, S. *Dabonna*, S. *Magornanus*, S. *Dariocus* Epiſcopus & S. *Lugnathus*. (*pag.* 825. & 1070.)

Patricius, *Sinello* filio *Finchadi* Hibernorum omnium primo baptizato, à *Deæ* portu ad caſtellum *Raith-inbheir* dictum, indeque ad inſulam *Helwe-Patricke* profectus eſt. *pag.* 846.

Carantocus Britannus *Patricium* in Hiberniam ſecutus eſt: ubi, cùm multos uterque ſecum haberet clericos, placuit ut in diverſas Inſulæ partes alter ab altero diſcederet. *pag.* 847.

Patricius, relictâ Laginiâ, Ultoniam adiens, *Dichonem* filium *Trichimi* cum univerſâ ſuâ familiâ ad fidem Chriſti convertit: à quo locum non longè ab urbe Dunenſi poſitum, Hibernis *Sabhall Padhrig*, hoc eſt, *Horreum* (id enim ea vox Hebridianis hodieque denotat) *Patricij* appellatum, dono accepit. *pag.* 846. 847.

Patricius ad antiquum ſuum Dominum *Milconem* Cccxxxiij. Claneboianum regulum Chriſto lucrifaciendum profectus, illo ſe & ſua omnia incendio abſumente, duas ejus filias *Emerias* dictas baptizavit; & *Saballum* ad domum *Dichonis* iterùm reverſus eſt. *pag.* 847. 047.

Poſteà, *Dichone* relicto, cum diſcipulis ſuis ad portum *Colbdi* juxta Boini fluminis oſtium appulit: relictoque ibi cum navigio nepote ſuo *Lumano*, ad campum

Breg,

Breg, ubi Themoriæ panegyris à *Leogario* monarchâ & reliquis Hiberniæ Regibus eo tempore agebatur, perrexit; ubi in itinere *Sesceneno* hospite suo cum totâ familiâ baptizato, & puero *Benigno* (ipsius in Ecclesiâ Armachanâ posteà successore) secum abducto, primum Pascha celebravit. *pag.* 847.848.849.851.1047.

In vigiliâ Paschali accersito ad *Læogarium* per nuncios Patricio, eorum unus *Ercus* filius *Dego* (Slaniæ posteà Episcopus) illi assurgens Deo credidit: die verò sequente (quo Dominicam Paschalem die Martij XXVI. omnes Cycli hoc anno exhibent) Regi & omnibus ipsius convivis in cœnaculo Themoriæ ipse se stitit. ubi illi assurrexisse, & Christo nomen dedisse traditur, tum *Dubtachus* filius *Vulgairi* Poëta egregius, tum *Fingar* sive *Guignerus*; quem idcirco, à patre suo *Clitone* rege ex Hiberniâ pulsum, in Armoricâ cum socijs exulâsse ferunt. *à pag.* 849. *ad* 852.

Læogario, quòd doctrinæ ipsius vehementer restitisset, interminatus est *Patricius*, ex ejus progenie nullum Regem posteà futurum: illo uno excepto quem Regina, Christianam fidem jam amplexata, gestabat in utero. Ille verò natus *Lugaidus* dicebatur. *pag.* 949.950.

Patricius, peractâ cum Magis concertatione & Rege Læogario in incredulitate suâ relicto, ad locum agonis regalis *Tailltean* dictum profectus, *Carbreum* Regis fratrem frustrà convertere tentavit: tertium verò fratrem *Conallum* nomine (S. *Columbæ* proavum) baptizavit; atque in loco ipsi ab eo donato, *Domnach Padraig* posteà dicto, Ecclesiam & monasterium constituit. *pag.* 852.

S. Lumanus, Tigridiæ sororis S. Patricij filius, quum in portu *Colbdiano* juxta hodiernam *Pontanam* duobus dierum quadragenarijs avunculum frustrà expectâsset, adverso *Boyno* flumine ad urbem *Trimmensem* navigio vectus, *Foirt-cherunum* cum matre suâ Britonissâ & patre *Fedelmidio*, loci Domino, totâque ejus familiâ baptizavisse traditur. Indeq; à *Patricio* & *Lumano*, qui eam regionem

gionem à *Fedelmidio* dono acceperunt, Ecclesia Trimmensis primùm est fundata. *pag.* 853. 854.

Patricius, relicto charissimo suo *Conallo* (sic enim Iocelinus cap. 55. & 138. eum nominat) ex *Midiâ* in *Connaciam* iter suscepit; oraculi memor, quo olim clamorem ex illis partibus auxilium ipsius implorantium audire sibi visus fuerat. (*pag.* 832.) Ubi, novo cum Magis inito certamine, duodecim hominum millia ad fidem Christi convertisse, & septem filios Regis *Amalgithi* uno die baptizavisse, populoq; noviter converso magistrum *Mancenum* præfecisse, memoratur. (*pag.* 864. 865.) In Connaciâ quoque *septem* annis commoratus fuisse dicitur ipse Patricius. (*pag.* 868.) Ccccxxxiiij

Secundinus, *Auxilius* & *Isserninus* Episcopi missi sunt in Hiberniam, in auxilium *Patricij*: (*pag.* 842. 875. 1046.) quorum duo priores, *Restituti* Longobardi & *Darerca* sororis S. *Patricij* fuerunt filij; eorumq; alter in *Domnach-seachlain*, alter in *Ceall-usalli* sedem suam Episcopalem collocavit. (*pag.* 825. 826. 827.) Cccexxxix.

Patricius in loco hodie *Ard-Patrick* ab eo dicto ad Orientalem Louthiæ partem commoratus, S. *Mochteo* Britanno (quem *Bachiarium* illum fuisse, cujus ad Ianuarium de recipiendis lapsis extat Epistola, recentiores perperàm existimant) ad se venienti Louthiam concessit; qui primus *Ludunensis* numeratur Episcopus. *pag.* 854. 855. 856. 1047. CCCCxliij.

Louthiâ discedens *Patricius*, Ecclesiam *Clocherensem* condidit: ibidémq; discipulo suo S. *Kertenno* sive *Mackartino* successore relicto, *Fearte* (à *Dairo* loci Domino sibi donatæ) ad orientalem Armachiæ partem cum suis consedit; ubi & soror ipsius *Lupita* virgo sepulta jacet. *pag.* 857. 858. 824.

In saliceto, quod ab eodem *Dairo* accepit, *Drum-sailech* dicto, B. Patricius *Armachiam* fundavit; eamque Ecclesiam totius Hiberniæ primariam atque Metropoliticam constituit. *pag.* 854. 857. 858. 859. 875. CCCCxlv.

Ad cladem, quam *Britannis* Picti & Scoti attulerant, magna accessit fames; quam solo venatoriæ artis solatio sublevabant. *pag.* 607.

CCCCxlvj. *Aëtij* Romanæ militiæ Magistri, in Galliâ tunc agentis, auxilium Britanni frustrà implorant. (*pag.* 369. 370. 608.) de quo ita Blondus, Decad. 1. lib. 2. *Britanni à Scotis Albiensibus Pictisq; agitati, ab Ætio postulârunt ut copias sibi mitteret, in illarum supplementum, quas Valentinianus ex Senonibus missas paulo pòst in Africam fecerat transportari. Ætium verò Gallicanæ expeditionis cura imprimis occupaverat: & Hunnorum apparatus, qui dictim nunciabantur, deterrebant, ne quas haberet copias diminueret. Quâ ratione nequivit Britannorum precibus satisfacere.* Rex verò *Hunnorum* erat tunc *Attila*; qui, ut Marcellini Comitis verbis rem narrat Beda, (lib. 1. Hist. cap. 13.) *totam penè Europam, excisis invasisq; civitatibus atq; castellis, corrosit.* Regem quoque Vandalorum *Genserichum in Scotiam ac Britanniam transivisse* scribit Irenicus, ibique *se retinuisse, usq; dum Attilæ superbia deferbuerat.* (*pag.* 405. 406.) de quo tamen altum apud nostros silentium: nisi huc fortasse spectare quis putaverit Gervasij Tillesburiensis illud. *Sub Cantabrigiâ locus erat, Vandelbiria dictus; eo quòd illic Vandali, Britanniæ partes sevâ Christianorum peremptione vastantes, castrametati sunt. Ubi ad monticuli apicem fixere tentoria, planities in rotundum vallata circumcluditur, unico ad instar portæ aditu patens ad ingressum.*

Cccxlvij. Britanni, *quarto* ante Anglo-saxonum adventum anno, Regem sibi præfecerunt *Vortigernum:* anonymo Ninij interpolatore qui à vero tempore adventus Anglorum aberravit longiùs, & Matthæo Florilego qui ad rectam illius designationem accessit proximè, in hoc consentientibus. (*pag.* 402.) *Infaustus* verò hic *tyrannus* (ut eum appellat Gildas) cum propriâ filiâ incestis nuptijs initis, filium ex eâ sustuliſſe dicitur, *Faustum* nominatum. (*pag.* 385. 386.)

Ejusdem

Ejusdem quoque tempore Christiana fides iterùm corrumpi cœpta est; tùm *Pelagianâ* (quâ & ipsum Vortigernum contaminatum fuisse aiunt) tùm *Arianâ* hæresi in Britanniâ denuò erumpente. *pag.* 374. 996. 997. 1001.

Dirâ fame profugos Britannos infestante, alij hostibus manus dare coacti sunt; alij strenuè resistentes, & non in homine sed in Deo fidentes, strages hostibus dabant. (*pag.* 371. & 608.) quò & illud Blondi referendum. *Romani cives, qui Britanniam frequentes diversis respectibus inhabitabant, & ipsi simul Britanni, salutis desperatione animos faciente, arma ceperunt: & Scotos Albienses Pictosq́, à quibus agitabantur, prælio superârunt; ac in ulteriorem Insulæ partem recedere compulerunt.* Verùm *Scotos* grassatores domum in *Hiberniam* suam esse reversos, Gildam & Bedam authores hîc habemus locupletissimos: qui & *Pictos in extremâ parte Insulæ tunc primùm & deinceps requievisse* addunt. (*pag.* 608. 609.)

Videns S. *Patricius* (ut in Vitâ ipsius cap. 92. habet Iocelinus) in Hiberniâ *messem quidem multam, operarios verò paucos*; transfretavit in Britanniam, adquisiturus sibi coadjutores in agrum Dominicum & cooperarios. Ubi & patriotarum suorum multos *Pelagianâ* & *Arianâ* hæresi infectos ad viam veritatis reduxit. (*pag.* 374.) *Collectos deniq́, viros multos literatos & religiosos secum adduxit: è quibus triginta in Episcopalis officij fastigium posteà sublimavit.* In reditu verò ad insulas maris convertendas divertens, in *Mannià* discipulum suum *Germanum*, in alijs insulis *singulos aut etiam plures præfecit præsules de discipulis suis*; *sicq́, Hiberniam repetiit.* (*pag.* 642. 643. 644. 842.)

S. *Secundinus* sive *Sachnallus*, Hymno in laudem S. *Patricij* avunculi sui composito, Hibernicorum omnium Episcoporum primus in terrâ illâ mortem obijt, & in Ecclesiâ suâ de *Domnach-seachlain* sepultus est. (*pag.* 825. 826. 875.) Cccclxviij.

Post cujus mortem habita videtur Sy-

nodus *Patricij*, *Auxilij* & *Isserninì*: cujus adhuc superstites habemus Canones. (*pag.* 924. 942.)

Patricius, per Midiam ad *Lageniam* progressus, *Dublinienses* cum rege suo *Alpino* ad fidem Christi conversos baptizavisse, & sedi suæ *Armachanæ* tributarios fecisse dicitur. (*pag.* 861 862. 863.) filios quoque *Dunlainge* similiter baptizavisse; & aquilonalium Laginiensium, quibus illi præerant, nepotem suum *Auxilium* Episcopum constituisse. (*pag.* 826. 827.) *Fiechum* denique, *Dubtachi* poëtæ (de quo, ad annum 433.) discipulum, Episcopum ordinavisse; qui ipsius jussu gentem *Ceansselach* ad fidem convertit & baptizavit. Unde ipsi, & ejus in sede *Sleibhtiensi* successoribus, totius Lageniæ Archiepiscopatum collatum fuisse ferunt. (*pag.* 863. 864. *cum* 818. & 850.)

Merovæus, filius (ut à Sigeberto, Blondo & Krantzio non malè est traditum) *Clodionis* sive *Chlogionis*, in Franciâ regnare cœpit; à quo sequentes Francorum reges *Merovingorum* nomen tulerunt. *pag.* 407. 408. 1006.

Apud *Britannos*, cum rerum abundantiâ, crevit luxuria & malorum genus omne. *pag.* 373. 374.

S. *Germanus*, assumpto secum discipulo suo *Severo* Trevirensi Episcopo, secundam in Britanniâ legationem obijt: ubi, claudo *Elaphij* viri primarij filio sanato, damnatos Pelagianos ex Insulâ depulit; posteâque in Italiâ, pridie Kalendas Augusti, ipse mortuus est, *à pag.* 381. *ad* 385. *cum* 1001. 1002.

De regis *Vortigerni* cum S. *Germano* congressu, & interitu subsecuto, fabulæ. *pag.* 385. 386. *cum* 1002.

CCCCxlix. S. *Patricium* Glastoniam venisse, duodecim fratres anachoriticè viventes ibidem repertos congregavisse, atque Abbatem ab ijs electum vitam Ægyptiorum monachorum more agere eos docuisse cœnobialem, quidam referunt. (*pag.* 110.) quod ad magnum nostrum *Patricium* referendum Glastonienses monachi contendunt; Chartâ etiam ipsius nomen præferente ad hoc comprobandum.

bandum conflictâ: (*pag.*14.20.106.115.116.125. & à *pag.*877. *ad* 880.) quum nos domesticum ipsius, *Sen-Patricium* sive *Senem Patricium* dictum, hîc potiùs intelligendum existimemus. (*pag.*875.883.894.895.)

Noster verò *Patricius*, in messe Hibernicâ adhuc desudans, *seminatâ in regionibus Laginensium fide*, ad Momonienses perrexit: eorúmq; Regem *Ænguſum* sive *Æneam* filium *Nadfraichi* Cassiliæ baptizavit. *pag.*865.

Albeus & *Declanus* ad eos salutandos Cassiliam profecti, *Patricio* se subjecerunt: ibique in Declani sede *Ardmorensi* gentis Nandesianæ Episcopatus, in Albei sede *Imelacensi* Momoniæ Archiepiscopatus est constitutus. Duorum verò reliquorum Episcoporum qui ante Patricium Hibernis Euangelium annunciârunt, alter *Kiaranus* libentissimè, alter verò *Ibarus* ægrè admodum illi se submisisse dicitur. *pag.* 801.866.867.

In *Aranicâ* insulâ, S. Albeo ab Ængusо rege donatâ, ab *Ennâ* Abbate insigne constructum est monasterium: idémq; Albeus in *Thylen* insulam semigrare cogitans, ab eodem Ængusо est impeditus. *pag.*867.868.

B. *Patricius* septem annis continuis in regno *Momoniæ* commoratus fuisse dicitur. *pag.* 868.

De veterum hostium subito adventu sparsus rumor *Britanniæ* terrorem injicit: subsecutâ deinde peste tantam eorum in brevi sternente multitudinem, ut sepeliendis mortuis vivi non sufficerent. *Sed ne morte quidem suorum* (ut inquit Beda) *nec timore mortis hi qui supererant, à morte animæ, quâ peccando sternebantur, revocari poterant.* (pag.387.)

Anglo-saxones à Britannorum rege *Vortigerno* & CCCCL.
consiliarijs suis accersiti, duce non Rege suo, vel *Vertegerno* (ut Paulus Diaconus) vel *Vortigerio* (ut Blondus) vel *Vertigomaro* (ut Pomponius Lætus & cum, in Hercule suo Prodicio, Stephanus Vinandus Pighius secutus somniavit) sed *Hengisto* & *Horsâ* fratribus, *Victgisli* filijs, tribus longis navibus transvecti, ad Cantij insulam *Thana-*

ton appulerunt. *pag.* 388. (*cum* 1002.) 389.390. *item à pag.* 401. *ad* 405. (*cum* 1005.1006.) *& pag.* 408.409.446.

Iidem hîc recepti, cum hostibus qui ab Aquilone ad aciem venerant certamine inito, victoriam obtinuerunt. (*pag.* 410.) Fabius Ethelwerdus & Guilielmus Malmesburiensis *Scotos* hos fuisse aiunt; *Pictos* Galfridus Monemuthensis, rationibus Gildæ & Bedæ convenientiùs: *Pictos* simul & *Scotos* Henricus Huntingdonensis; quos & *venisse usq; ad Stanfordiam* addit, *quæ sita est in australi parte Lincolniæ, distans ab eâ quadraginta miliaribus.*

Kenannus gentis Connacticæ puer à tyrannide Regis *Laogarij*, cui obses fuerat traditus, S. *Kiarani* Episcopi operâ liberatus, & bonis literis à *Nathano* viro religiosissimo eruditus, postea Gallias adijt; & apud Turonenses in cœnobio S. Martini habitum induit monasticum. (*pag.* 1070.)

Olcanus Hibernus ex Galliâ, ubi diutiùs literis operam dederat, in patriam reversus, scholas rexit; atque innumeros discipulos, quorum plures Episcopi sancti fuerunt, eruditione & doctrinâ imbuit. *pag.* 951.

CCCCLI. Memorabile illud inter *Aetium* Romanæ militiæ Magistrum & *Attilam* Hunnorum Regem in campis Catalaunicis commissum est prælium; *Francis* utriq; parti sese adjungentibus. *Meroveo* quidem (ut a Blondo, Krantzio, Gaguino, Paulo Æmilio & alijs habetur traditum) sub Aëtij, fratre verò illius seniore (ut ex Prisco Panitâ colligitur) unâ cum *Scotis*, vel *Scœris* potiùs, sub Attilæ signis militante. *pag.* 406.407.

Ab Hunnis Attilam secutis *Ursulanas* Virgines fuisse cæsas nonnulli autumant. *pag.* 630.631.

Anglo-saxones ex patriâ prolixiorem armatorum classem ad se accersunt: quibus à *Britannis* & locus habitationis, & militantibus debita stipendia sunt concessa. (*pag.* 410.) Navium XVII. hanc fuisse classem, apud Ninnium legimus (licèt exemplaria illius, quæ Gildæ præferunt

runt nomen, quæq; Guilielmus Malmesburiensis est secutus, XVI. tantùm habeant:) XVIII. apud Monemuthensem Galfridum & Matthæum Florilegum; in quibus *quinque Saxonum millia, cum uxoribus & liberis*, delata fuisse addit Hector Boëthius. Advenisse autem hos *de tribus Germaniæ populis fortioribus, id est, Saxonibus, Anglis & Jutis*, docet Beda: quarum omnium & veteres patriæ, (*à pag. 390. ad 393. à 396. ad 401. & pag. 410. 1002. 1003. 1057.*) & novæ quas in Britanniâ demum adeptæ sunt sedes, (*à pag. 393. ad 396. cum 1003. 1004. 1005. 1057. 1058.*) fusiùs explicantur.

Gildas Albanius, Patricij Magni, ut Balæus quidem vult, discipulus (*pag. 22.*) cùm Presbyteri fungeretur officio, gentes quæ Aquilonalem plagam Britanniæ incolebant partim a gentili errore partim ab hæreticâ pravitate prædicatione suâ liberavisse dicitur, gentemq; suam ad veram & catholicam fidem convertisse. *pag. 678. 679.*

S. *Brigidâ*, in Lageniâ genita, *Fochartæ* apud Louthianos in lucem est edita, *pag. 627. 705. 706. 827. 884.* CCCCLiij.

Hengistus Londinensem Episcopum *Vodinum* interfecisse dicitur: quòd *Vortigernum* regem ob nuptias, quas cum filiâ ipsius (*Roxienâ* sive *Rowennâ* fœminâ ethnicâ) spretâ justâ conjuge inierat, acriùs reprehendisset. *pag. 67. 68.*

Anglo-saxones, occasionem dissensionis ac dissidij aucupantes, stipendia menstrua parcè nimis atque restrictè à *Britannis* sibi suppeditata causabantur. Tum subitò, inito ad tempus fœdere cum *Pictis* quos longiùs jam bellando pepulerant, in socios arma vertere incipiunt. *pag. 410.*

Anglo-saxonicus exercitus (ut post Gildam Beda & Henricus Huntingdonensis referunt) *proximas quasq; civitates agrosq; depopulans, ab Orientali mari usq; ad Occidentale, nullo prohibente, suum continuavit incendium; totamq; propè Insulæ perennis superficiem obtexit. Ruebant ædificia publica simul & privata; passim Sacerdotes inter altaria trucidabantur, Præsules*

sules cum populis sine ullo respectu honoris ferro pariter & flammis absumebantur: nec erat qui crudeliter interemptos sepulturæ traderet. Itaq; nonnulli de miserandis reliquijs in montibus comprehensi acervatim jugulabantur. Alij fame confecti procedentes, manus hostibus dabant, pro accipiendis alimentorum subsidijs æternum subituri servitium: si tamen non continuò trucidarentur. Alij transmarinas regiones dolentes petebant. Alij perstantes in patriâ, trepidi pauperem vitam (in montibus, sylvis, vel rupibus arduis) suspectâ semper mente agebant. pag.416.417.418.

Ex ijs qui *transmarinas petebant regiones*, alij ad Bataviam putantur appulisse, ibique arcem Britannicam *Brittenburgum* dictam vel construxisse, vel à Romanis potiùs jam derelictam occupavisse: alij, duce *Rievalo* (qui Apollinaris Sidonij *Riothamus*, & Iornandis *Riothimus* esse videtur) Aremoricam, *Britanniam* minorem ab eis posteà dictam, sibi subjecisse. (*à pag. 418. ad 423. eum* 1008.) cujus posterioris transmigrationis Blondus (qui eam tamen ad annum Christi CCCCLXXIIII. non ita rectè retulit) sub finem libri II. Decadis I. ita meminit. *Britanni patriâ exterres, eo anno (qui fuit, Zenonis & Augustuli Imperij & Odoacris Regni initio, ab inclinatione rei Romanæ sexagesimus tertius) sedem ceperunt Oceano tenùs, in Turonibus, Cenomannis & Cyantibus (qui & Veneti) ac per ea Gallia Celtica maritima loca, in quibus Britannicum nomen idiomaq; ad ætatem usq; nostram retinuerunt.*

Inter Armoricanos illos colonos *Fracanus* consobrinus *Cotonj* regis Britannici, cum filio suo *Wingualoëo* (*Winwaloco* & *Galnutio* alijs dicto) fuisse dicitur. (*pag.*431.)

CCCCLV. *Benignum* successorem suum in sede Armachanâ constituit S. *Patricius*. *pag.*875.876.

Ubi Saxones (ut ex Gildâ & Bedâ refert Henricus Huntingdonensis) *dispersis indigenis copiam exercituum domum*

domum remiſerunt (à quibus *Leidenſe Burgum* extructum fuiſſe, incerta Batavorum fert traditio) *cœperunt Britanni, emergentes de latibulis, vires reſumere animoſq́; ; congregatoq́, permaximo exercitu, in Cantiam contra Hengiſt & Horſa vexilla direxerunt: duce* uſi *Ambroſio Aureliano viro modeſto; qui ſolus fortè Romanæ gentis præfatæ tempeſtati ſuperfuerat, occiſis in eâdem parentibus nomen regium & inſigne ferentibus.* (*pag.*420. 421. 446.) Neque enim ipſe *Ambroſius* (ut depravatus Gildæ textus habet; à Polydoro fortaſſe ad Pauli Diaconi & Blondi narrationes conformatus) ſed *parentes* ejus Regia hîc inſignia aſſumpſerunt. (*pag.*446.448.)

Romanæ autem gentis poſtremus, qui purpuram in Britanniâ induit, *Conſtantinus* fuit, cum filio ſuo *Conſtante* monacho: quorum utrúmque anno CCCCXI. in Galliâ occiſum fuiſſe conſtat. (*pag.*599. 600. 1093.) *Ambroſium* quoque regis *Conſtantini* filium & *Conſtantis* monachi fratrem, quo tempore ſublatus eſt parens, adhuc in cunis jacuiſſe, ipſa etiam fabuloſa Galfridi Hiſtoria indicat. (*pag.* 67. 68. 978. 1094.) Vnde inſignem illam à Gildâ & Bedâ celebratam *Ambroſij* victoriam, cum Henrico Huntingdonienſi ad regni *Hengiſti* principium, potiùs quàm, cum Galfrido & Matthæo Florilego, ad ejuſdem exitum, referendam cenſuimus.

Et anno quidem CCCCLV. inito, ad locum olim *Æglesthrep* hodie *Ailesford* dictum, cum *Vortigerno* Britannorum rege prælio, ut *Horſam* cæſum fuiſſe, ita fratrem ejus *Hengiſtum* regnum ſuſcepiſſe, Angloſaxonicorum Annalium ſcriptores referunt; ut ſuos videlicet victoriam adeptos eâ ratione innuerent: quod & Florentio Wigornienſi perſuaſerunt. (*pag.*411. 412.) quum Britannici tamen ſcriptores, non in hoc ſolum ſed in duobus aut tribus quoque prælijs alijs, hoc vel ſequente anno geſtis, ſuperatos illos fuiſſe aſſerant. (*pag.* 411. 412. 413.) Et quantum Annalium illorum concinnatores gloriæ ſuorum conſuluerint, argumento illud fuerit; quod cùm inter duas celebratiſſimas

de Saxonibus partas victorias, *Ambrosianam* & *Badonicam*, pluribus pugnis commissis, nunc cives nunc advenas vicisse, & Gildas & Beda confirment; (*pag.* 475. 476.) neque *Ambrosiana*, neque *Badonica*, neque ullius omninò *Britannica*, sed suarum solummodò victoriarum memoriam posteris transmittendam illi curaverint. (*pag.* 450.)

Gildas Albanius, annos natus *triginta*, Britanniam Armoricam petijsse, & *septem* annorum spatio in Galliâ remansisse traditur. (*pag.* 442. 444.) Caradocus, Vitæ ipsius scriptor, *juvenem factum transfretavisse mare Gallicum* scribit: primæ juventutis (cum Irenæo, lib. 2. cap. 39.) *à triginta annorum ætate* ducens principium. quod nemo mirabitur, qui *Columbam* nostrum, anno ætatis XLII°. in Britanniam navigaturum, ab Adomnano (lib. 3. cap. 4.) *juvenem* dictum observaverit. In Armoricam vero trajiciente Gildâ, adhuc *parvam rem Regum regnique Francorum* fuisse, alius notat Biographus: *Childerico eo tempore Merovæi filio, gentilium errori dedito, imperante Francis.* (*pag.* 444. 1006.) Ut *Saxones* & *Franci*, vicini in antiquâ suâ patriâ populi & ejusdem linguæ societate conjuncti, eodem propè tempore in proximis *Britanniæ* & *Galliæ* provincijs imperij sui initia posuisse videantur. (*pag.* 412. 422 1006.)

Gildæ fratres, *Mailocus* (à patre sacris literis traditus & in eis benè edoctus) *Egreas* & *Allectus* cum sorore *Peteonâ*, relictis rebus paternis, secessêrunt & in locis non longè à se invicem distantibus Deo vacaverunt. *pag.* 677.

CCCCLvj. *Vortimerus* Brito, *Vortigerni* filius, eodem anno tria prælia cum *Hengisto* prosperè conseruisse fertur. in quorum postremo, juxta *Lapidem tituli* in Thanato insulâ gesto, *Saxones* fugatos, relictis uxoribus & liberis, in Germaniam redijsse scribunt. (*pag.* 412. 413. 447.)

B. *Patricius* Ictoniam, quam omnium Hibernicarum provinciarum primam ad Christum converterat, sæpiùs circuibat: ubi, in *Dalnaradiâ* agens, Ecclesiam *Mucnariensem* à *Colmanelo* sive *Colmano* (Dromorensi postea

ſteà Epiſcopo, ut ex Vitâ ipſius intelligimus) & *Benchorenſem* à *Congallo*, ipſis *ſexaginta* ante utriuſque nativitatem annis, ibi ædificandam prædixiſſe fertur. (*pag.* 868. 869. 441.)

Vortimerus, ſpes Britonum, mortem obijt: quâ auditâ, *Hengiſtus* & *Æſc* ſive *Oiſc* filius ipſius, novis auxilijs è patriâ receptis confirmati, Britannos prælio ad *Creccanfordiam* inito ita contuderunt; ut Londinum fugâ ſe recipere coacti, nunquam poſteà bello Cantuarios laceſſere auſi fuerint. *pag.* 413. 414. 449, CCCCLviij.

Sen-Patricius ſive *Senex Patricius*, Glaſtoniæ ut videtur, mortuus eſt. cujus obitus & locum & tempus ad magnum noſtrum *Patricium* (cui ille domeſticus fuerat) alij temerè tranſtulerunt. *pag.* 883. 894. 895. CCCCLviij.

Annis poſt Vortigerniani regni initium XII. ortâ inter *Guitolinum* & *Ambroſium* diſcordiâ, *Guoloppinum* prælium factum fuiſſe dicitur. (*pag.* 402. 446. 447.) CCCCLIX.

Auxilius Epiſcopus, S. Patricij nepos, in civitate quæ *Ceall-uſalli* nomen ab eo accepit, vitam finijt. *pag.* 827. CCCCLX.

Hildebertus Scotorum archiepiſcopus, Sedulij magiſter, floruit. *pag.* 769. *cum* 777.

Circa hæc quoq; tempora, *Fingarem* ſive *Guignerum*, ex Britanniâ Armoricâ in patriam reverſum, Hiberniam Chriſti legibus ſubditam inveniſſe; indeque, relicto regno quod *Clitone* patre defuncto ad ipſum ſpectabat, unâ cum *Pialâ* ſorore & 777. viris (quorum *ſeptem* Epiſcopi erant, à S. Patricio baptizati) in Cornubiam profectum, atque Chriſtianam hanc univerſam multitudinem ab infideli Cornubiæ rege *Theodorico* trucidatam fuiſſe, Anſelmus narrat. *pag.* 869.

Manſuetus, Epiſcopus Britannorum, Concilio Turonico I. interfuit & ſubſcripſit. *pag.* 422. 423. CCCCLXI.

Eodem anno (ut Matthæus Florilegus & Iohannes Fordonus volunt) *Hengiſtus* cum tribus armatorum millibus in Britanniam advectus, *Vortigernum* cum proceribus ſuis ad pacificum colloquium invitavit: conventuque juxta Ambrij cœnobium, haud longe à Sariſ-

buriâ, Kalendis Maijs habito; proditione Saxonum, & ipſe Vortigernus captivus abductus & Britannici proceres CCCCLX. nefariè jugulati ſunt. quorum corpora ab *Eldado* Gloceſtrenſi epiſcopo in vicino cœmiterio, Chriſtiano more, poſtmodùm ſepulta fuiſſe dicuntur. *pag.* 414.415.1007, 1008.

Ereptum ex hâc clade filium cujuſdam Conſulis, qui ibidem occubuit, *Abenum* dictum, in monte qui ex nomine ejus *Aben-dun* vocatur vitam eremiticam duxiſſe; indeque confluentium hominum frequentiâ turbatum latenter receſſiſſe, & in Hiberniâ vitam finijſſe ferunt. *pag.*1007.

CCCClxij. Hoc anno (ut idem habet Florilegus) *Vortigernus*, vitæ & libertatis ſuæ redimendæ gratiâ, *Saxonibus* quas petierant regiones conceſſit (*East-ſexe*, *Suth-ſexe* & *Middle-ſexe* Ninius eas fuiſſe ait, à *Saxonibus* qui occupaverant novis iſtis nominibus inſignitas:) qui in Britannos deinde ſævientes, Chriſtianam religionem miſerum in modum protriverunt. *pag.*415.417.

Eodem anno B. *Patricius*, poſt conſtitutam Eccleſiam Hibernicam & ordinatos per univerſam Inſulam Epiſcopos & presbyteros, Romam adijt: ubi à Pontifice, qui *Hilarus* tùm fuit, eorum quæ in Hiberniâ egerat confirmationem, ſimul cum Pallio & Legati Pontificij titulo, obtinuiſſe dicitur. In reditu verò, aliquantiſper in Britanniâ patriâ ſuâ moratus, monaſteria multa fundaviſſe atque à Paganis deſtructa refeciſſe, & cùm alia de futuro Britanniæ ſtatu prænunciaviſſe, tùm B. *Davidis* utero materno incluſi ſanctitatem prævidiſſe & prædixiſſe, traditur. *pag.* 869.870.

Exactis in Galliâ annis ſeptem, *Gildas* Albanius è Galliâ in Britanniam reverſus, Pembrochienſis regionis promontorium *Pepidiauc* dictum tempore *Triſuni* regis adijſſe dicitur, ibique in urbe maritimâ *Cair-morvâ* inde dictâ verbum Dei populo prædicaviſſe; quum præſens adeſſet *Nonnita*, Davidem infantulum in utero gerens.

Adfuiſſe

Adfuisse quoque tunc *Albeum* Mumenensium nostrorum Episcopum addunt alij: à quo (non autem à *Relveo* Menevensium Episcopo, ut in Breviario Sarisburiensi & Giraldo Cambrensi legitur) natus David in loco juxta Meneviam *Port-cleis* appellato baptizatus fuisse existimatur. *pag.* 442. 443. 444. 870. 871.

Laogario, Nelli magni filio, occiso successit in regno Hiberniæ *Ailell Mott*, Nathi filius. *pag.* 947. CCCCLxiij.

B. *Patricius* in Hiberniam reversus, *triginta* Episcopos, ex transmarinis partibus congregatos & à se consecratos, in messem misit Dominicam: Synodisque Episcoporum sæpiùs celebratis, cuncta constituit & ordinavit. (*pag.* 872.) *Iniscattensem* verò Episcopatum ipse adijsse, diuque tenuisse videtur: in quo *Senanum*, nondum natum, sibi posteà successurum prædixisse dicitur. (*pag.* 873. 874.)

Gildas Albanius, scholas in Britanniâ aperiens, discipulos ad ipsum confluentes bonis artibus & disciplinis instituit. *pag.* 442.

Faustus Britannus (qui, apud Gallos exulans, *Maximo* in Lirinensi primùm Abbatiâ atque in Reiensi deinde Episcopatu successit) hæresim Pelagianam refutandi specie obtentâ, profundâ calliditate usus eandem interpolatam omnibus venditavit. *à pag* 424. *ad* 440. *cum* 343. 344. 478.

Benigno in Armachano archiepiscopatu *Iarlaithus* filius *Trenæ* successit: (*pag.* 874. 875.) illo in Glastoniensem, ut putatur, Abbatiam secedente. (*pag.* 876. 877.) CCCCLxv.

Hengistus & filius ejus *Æsc*us, prælio ad *Wippedsfleet* commisso, duodecim Britannici exercitus Duces occiderunt. *pag.* 415. *marg.*

Tertius Cyclus Paschalis 84. annorum incipit. CCCCLxvj.

Vortigernus rex Britonum, turri ad quam confugerat in oppido *Genereu* igne admoto, ab Ambrosio Aureliano & exercitu ipsius, combustus fuisse dicitur. (*pag.* 386. 447.) Post cujus mortem, filiorum alterum *Pascentium*,

in regionibus *Buelt* & *Guorthigirniaun*, largiente *Ambrosio*, regnavisse; (*pag.* 1009.) alterum *Faustum*, ex incesto cum filiâ stupro genitum sed pro *sancto* habitum, in loco magno juxtâ ripam *Renis* vel *Remnej* fluminis à se condito mansisse, author est Ninius. (*pag.* 386. 1002.)

Ambrosij nobilitatem, fortitudinem & modestiam, Gildas & Beda; (*pag.* 446. 448.) pietatem in restaurandis Ecclesijs & vera religione propagandâ, Galfridus Monemuthensis & Hector Boëthius prædicant: licèt Iudæorum & Hæreticorum patrocinium Gothefridus Viterbiensis, sine ullo authore, illi affingat. (*pag.* 72. 450. 454. 455.) Ipsum verò tandem in prælio à Saxonibus occisum fuisse narrat Blondus, Huldrichus Mutius, & Polydorus Vergilius; qui etiam in *Monte Ambrosij*, vulgo **Stanhenges** dicto, juxta *Ambresburiam*, ingentium illorum saxorum quæ hodie conspicitur substructionem, ad ejus memoriam conservandam, à Britannis positam fuisse addit. (*pag.* 450. 451.)

CCCclxvij. *Brigida*, ætatis XIIII. anno vix superato, sive à *Patricio* sive a discipulorum ejus aliquo velata fuisse dicitur. *pag.* 643. 1030. 1031.

CCCclxviij. *Benignus* Episcopus (qui Acta *Patricij* adhuc viventis scripsisse dicitur) mortuus est; & ut alij quidem volunt, *Glastoniæ*, ut alij *Armachiæ* sepultus est. (*pag.* 817. 862. 876. 877.) quanquam Annales Inisfallenses *Romæ* mortuum eum fuisse notent.

CCCCIxix. *Iserninus* Episcopus (de quo, *pag.* 842. 924. 942. & 1046.) mortuus esse, Ultonienses Annales indicant.

S. *Patricius*, licèt in *Saballino* & *Armachano* monasterio contemplationi sæpiùs vacaret; Pastoralis tamen muneris curam non abjecit: sed in verbi divini prædicatione multus & frequens, semel etiam singulis annis *Concilia* celebravit; ut in ordinem redigeret, quæ correctione egere cognoverat. *pag.* 872. 873.

Dubricius in *Hentlamiano* suo gymnasio, ad *Guy* sive *Vagam* fluvium posito, præter viros sapientes & doctores,

res, *Theliaum*, *Samsonem*, &c. mille alios clericos, per *septem* annos continuos, in divinæ & humanæ sapientiæ studijs auditores habuisse, deinde per plures annos, in loco ad eundem fluvium sito cui *Moch-ros* nomen ipse imposuit, cum innumeris discipulis similiter versatus fuisse; sedem denique Episcopalem & *Warwici* (si non *Vervici* in agro Cardiganensi, potius) & *Landavia* tenuisse memoratur. *pag.* 445.

Tathæus Hibernus, rogante *Caradoco* rege *Inirij* filio, (ut liber habet Landavensis) in *Ventano* apud Monemuthenses gymnasio septem disciplinas liberales confluentibus undique discipulis explicavit. *pag.* 92.

Doccus Episcopus, *sanctus Britonum Abbas*, quievit. Cccclxxiiij. *pag.* 952.

Germano primo Manniæ Episcopo defuncto, duo successores à B. *Patricio* ordinati sunt; *Conindrius* & *Romulus*. *pag.* 1031.

In *Dalriedâ* Vltonienſium, duodecim *Erei* regionis illius Principis nuper defuncti filijs hæreditatem inter se dividentibus, *Fergusius* adolescens à fratribus neglectus, interveniente B. *Patricio*, debitam sibi paternæ possessionis portionem obtinuit: in quâ, *Derkanensis* Ecclesiæ doctus ille *Olcanus* constitutus est Episcopus. (*pag.* 610. 951.) *Fergusio* autem, qui locum illum Deo dicavetat, non solùm totius *Dalriedæ* Hibernicæ principatum posteà cessurum, sed *Britannicæ* quoque *Dalriedæ* regnum accessurum, (indeque longam illam *Scoticorum* Regum seriem originem suam illi debituram) præsignificavisse putatur *Patricius*. (*pag.* 610. 611.)

Cælius Sedulius Scotus Hibernienſis claruit. (*à pag.* 769. *ad* 780.)

Cungarus eremita, qui & *Docconinus*, apud Somersettenses primùm, in loco qui ab ipso *Cungresbiria* nomen posteà accepit, deinde apud Morganenses, oratorium in honorem S. Trinitatis tempore *Dubricij* Landavensis Episcopi construxisse, atque in utroque duodecim Canonicos constituisse dicitur. *pag.* 473.

Iarlaithus

Cccclxxxij. *Iarlaithus* filius *Trenæ* tertius Episcopus Armachanus moritur. *Cormacus* illi successit. *pag.* 874.875.

De S. *Columbâ*, XL. ante nativitatem ipsius annis (ut ab anonymo Vitæ scriptore habetur traditum) *Moëtheus* Ludunensis Episcopus vaticinatus est. *pag.*855.

Cccclxxxiij. *Ochanum* prælium in regione Midensi gestum est: ubi à *Crimthaino* Laginensium rege occisus est *Ailill Molt* Rex Hiberniæ; succedente illi in regno *Lugaido* sive *Lugdacho*, filio *Læogarij*. *pag.*1029.947.950.

Cccclxxxiv. *Brendanus*, *Findlogæ* sive *Albi-logi* filius, nascitur. *pag.*533 955.

S. *Brigida*, ex Monasterio virginum cui Abbatissa præerat, legatione in Britanniam ad *Gildam* Albanium missâ, nolam ipsius manibus fusam dono ab eo accepisse traditur. (*pag.* 905. *cum* 901.) Erat autem monasterium illud in civitate Brigidæ *Kil-dariâ*; non à *Dariâ* virgine ipsius æquali, neque ab Vrsulanâ illâ *Dariâ*, sed à robore vel quercu ita denominatâ. *Cellam* enim *Roboris* vox illa denotat. *pag.*626.627.1058.

Paulinus, discipulus *Germani*, in *Vectâ* insulâ divinis vacabat studijs: ad quem profectus *David* Menevensis jam factus presbyter, sacris scripturis, unâ cum *Theliao* Dubricij discipulo, sub illius magisterio operam dedit. *pag.*463.464.527.

Cccclxxxviij. Hoc anno, ut Ultonienses Annales indicant, mortem obijt S. *Mel*, primus Ardachadensium Episcopus; qui avunculi sui S. *Patricij* adhuc superstitis Acta scripsisse dicitur. *pag.*817.825.1191.

Eodem anno, vitâ functo *Hengisto* successit filius ejus *Oeric* cognomento *Oisc*; à quo Reges Cantuariorum *Oiscingæ* cognominati sunt. *pag.* 450. 1009.

Cum morte *Hengisti* illam à Gildâ celebratam *Ambrosij Aureliani* victoriam (quam nos ad annum CCCCLV. vel CCCCLVI. cum Henrico Huntingdonensi referendam putamus) conjunctam fuisse vult Galfridus Monemuthensis, & eum secutus Matthæus Florilegus. Profligato enim *Hengisti* exercitu, captâque mox

urbe

urbe Conani (quæ Eboracenſium *Coniſburgh* eſt) ab *Eldole*, fratre ipſius *Eldado* Gloceſtrenſi Epiſcopo incitante, interemptum eſſe *Hengiſtum*; filioq; ejus *Octha* qui in Eboracenſi,& cognato *Eoſa* ſive *Ebuſa* qui in Alcludenſi urbe ſe incluſerat, in deditionem acceptis, regionem juxta *Scotiam* ſive Albaniam ab *Ambroſio* fuiſſe conceſſam,apud illos legimus.*pag.*449.450.686.

S. *Brigida* Glaſtoniam veniſſe, in vicinâ inſulâ *Bekery* ſive *Parvâ Hiberniâ* dictâ aliquantulam moram per nonnullos annos traxiſſe; relictâque ibi nolâ (quam à *Gildâ* acceperat) alijſque ſuis inſignibus, in Hiberniam redijſſe dicitur. *pag.*900.901.905.

Tremouno ſive *Tremorino* Vrbis Legionum archiepiſcopo ſuggerente, *Utherum Pendraconem* cum exercitu quindecim millium armatorum in Hiberniam profectum, *Gillomauro* rege fruſtrà repugnante, ingentium illorum lapidum (de quibus ad annum CCCCLXVI. dictum) ſtructuram ex *Killarao* monte in mediâ Hiberniâ, *Ambroſij Merlini* operâ in agrum *Sariſburienſem* tranſtuliſſe; &, ad Britannicorum principum (quorum ad annum CCCCLXI. facta eſt mentio) proditione Saxonum ibi peremptorum conſervandam memoriam, in eo quo hodie conſpiciuntur loco collocaviſſe, fabulantur. *à pag.* 450. *ad* 454. *cum* 1009. CCCLXXXIX.

Odamnanus, abbas *Inche-keth*, S. *Servanum* in Albaniam primùm advenientem hoſpitio excepiſſe dicitur. *pag.*1033.

Tremouno ſive *Tremorino* defuncto, in Urbis Legionenſis archiepiſcopatu *Dubricius* Landavenſis antiſtes ſucceſſiſſe traditur. *(pag* 72.79.80.445.454. 455.) CCCCXC.

Eodem tempore *Samſonem* quoque Eboracenſem ordinatum fuiſſe archiepiſcopum, cum Britannicâ Galfridi Hiſtoriâ tradit Matthæus Florilegus. *pag.* 72.454.

S. *Gundleus*, filius regis Auſtralium Britonum, poſtquàm per aliquot annos patris demortui regnum adminiſtraſſet; eo tandem *Cadoco* filio ſuo commendato,

Ecclesiam constructisse, ibique in magnâ abstinentiâ & vitæ sanctimoniâ vixisse memorantur. *pag.* 464.

In Albaniâ floruisse dicuntur *Colmanus Priscus, Medanus, Modanus* & *Euchinus* Episcopi, Scotorum & Pictorum doctores: quibus & commentitios librorum titulos pro libidine suâ Thomas Dempsterus adscribit. *pag.* 680 681.

In Hiberniâ, ad Begerinensem *Ibari* Episcopi scholam, literarum sacrarum aliarumq; liberalium artium discendarum gratiâ, magna confluebat auditorum multitudo. Inter quos nepos ipsius *Abbanus*, adhuc duodennis, avunculo per quinquennium educandus à parentibus traditus fuisse scribitur. *pag.* 1062. *cum* 784. & 794.

Operam à B. *Patricio* hîc positam ita illi secundam evenisse notat Iocelinus; *ut Hibernia speciali nomine Insula Sanctorum ubiq; terrarum jure nominaretur.* Quorum Sanctorum ab ipso *Patricio* duas Synodos coactas fuisse nugacissimus quidam scriptor retulit: in quarum posteriore, populis qui adhuc infideles remanserant baptizatis omnibus, probatorum hominum triginta millia in tres turmas sese divisisse, atq; *Africæ, Asiæ & Europæ* continentem peregrinorum ritu invisisse, comminiscitur. *pag.* 951. 952.

Visio prophetica de triplici Hiberniæ statu B. *Patricio* exhibita fuisse dicitur. *pag.* 915. 916.

Monasterium, quod Menevix S. *Patricius* primum fundaverat, restauravit S. *David* & amplificavit. *pag.* 82. 1010. 1011.

Finianus, relictâ patriâ suâ Hiberniâ, in Britanniam profectus (ad *Davidem*; cum quo duos viros sanctos, *Gildam* & *Cathmaleum*, præsentes eum tunc inveniisse scriptor Vitæ ipsius indicat) triginta ibidem annos exegisse & tres Ecclesias constructisse memoratur. *pag.* 912.

CCCCxcij. Sub *Vuffâ* cœpit regnum Orientalium Anglorum; quos ab eo *Vuffingas* appellatos Beda confirmat. *pag.* 515. 516.

Vthero

Uthero Pendraconi filius natus est *Arthurus*: siquidem XV. annorum ille fuerit, quum patri in regno successit. *pag.* 467. CCCcxciij.

B. *Patricius*, annos natus CXX. in *Saballino* cœnobio (cujus Abbatem S. *Dunnium* discipulum suum longè antè constituerat; *pag.* 872.) XVII. die Martij, feriâ quartâ, animam Deo reddidit. *à pag.* 879. *ad* 887. *cum* 732. *&* 820.

Ecclesias CCCLXV. condidisse, totidémq; *Episcopos* (quorum aliquot insigniorum consignata habentur nomina) cum tribus *Presbyterorum* millibus, ordinavisse perhibetur. *pag.* 950. 951. 1049. 913.

Actorum ejus scriptores plurimi: inter quos & tres ipsius numerantur nepotes, *Mel*, *Lumanus*, & *Patricius* junior. (*pag.* 816. 817. 818. 1045.) quorum postremus, post patrui excessum, Britanniam repetens, vel in *Glascouensi* vel in *Glastonensi* Ecclesiâ vitam finivit. *pag.* 817. 824. 894.

De loco sepulturæ ipsius sententiæ variæ. *à pag.* 887. *ad* 894.

Eo defuncto, S. *Winwalocus* Britannus vitam apud Armoricos agens monasticam, ad insulam quandam se transtulit; in eâq; cum socijs suis triennio mansit, vitam ducens eremiticam. *pag.* 464.

Cœlij Sedulij Hiberni, nuper defuncti, Carmen Paschale à *Turcio Rufio Asterio* in lucem est editum. *pag.* 775. 776. 777. CCCCxcv.

Cerdicus, regni Occidentalium Saxonum conditor, in Britanniam veniens, ita Britones contudisse traditur, ut in ejus jura volentes concesserint; & Wintonienſibus monachis interfectis, eorum Ecclesiam in Idolorum templum convertisse. *pag.* 465. 466. 468.

S. *Winwalocus* vitæ annos octo extremos in *Tauraco* monasterio exegit. *pag.* 464. CCCCxcvj.

Cormacus quartus Episcopus Armachanus mortuus est. *Dubtachus* illi successit. *pag.* 874. 875. CCcxcvij.

Eodem anno, *Pascentium* filium *Vortigerni* & *Gillomannium* (vel *Gillomaurum* potius) Hiberniæ regem, Britanniam invadentem, ab *Uthero Pendracone* interfectos fuisse, ex fluxâ Britannicæ Historiæ fide refert Matthæus Florilegus. *pag.*1009.1010.

Cccexcviij. *Coemgenus*, qui & *Kevinus*, in Hiberniâ natus est: si, ut à quibusdam habetur traditum, annos CXX. vixerit & anno Christi DCXVIII. mortem ille obierit. (*pag.* 956.) A *S. Cronano* presbytero baptizatum fuisse scriptor Vitæ ipsius indicat.

Eo tempore *Petrocus* Cumber, hæreditario regno & patriâ relictâ, in Hiberniâ literarum disciplinis & sacræ scripturæ studio dedit operam. *pag.* 563.564.

Conindrio & *Romulo* Manniæ insulæ Episcopis vitâ functis *Maguil* sive *Machaldus* Hibernus successit. *pag.* 1031. 1032.

Patricianus Britannorum Episcopus, Saxonicam persecutionem declinans, in eâdem Manniæ insulâ sanctam vitam egisse, & fine beatissimo quievisse dicitur. *pag.* 417.

Religionem in Hiberniâ post B. *Patricy* obitum negligentius cultam, apud Ultonienses *Gildas* Albanius (*Studium regens & prædicans in civitate Ardmachâ*; pag. 859.443. 871. 1048.) in Connaciâ verò & Lageniâ & terrâ Eugenicâ S. *Kenanus*, cum discipulo suo S. *Congello*, (pag.1070.) restauravit.

D. S. *Ibarus* in Begerinensi suâ insulâ IX. Kalend. Maij mortem obijt. *pag.*1062.1063.

Godelbertus presbyter, poëta Christianus, floruit. *pag.* 462. 463.

Cadocus Lancarvanensis Abbas, *Tathai* Hiberni discipulus, claruit. *pag.*464.

Jarlathus filius *Logæ*, primus Ecclesiæ Tuamensis antistes, claruit. *pag.* 955.956.

Colmannus antistes à quo *Finanus*, qui & *Winninus*, primùm institutus est, in Hiberniâ floruit. *pag.*954.

DIII. *Fergusium* Erci filium, cum fratribus suis, ex Hiberniâ

niâ in Albaniam deduxisse coloniam, Hibernici tradunt Annales. *à pag. 609. ad 612. & à 1028. ad 1030. cum 689. 698. 699.*

S. *Winwalocus* in Tauraco monasterio vitam finijt. DIIII. *pag. 464.*

S. *Columbam* Glastonienſe cœnobium invisisse fingunt, XVIII. antequàm ille natus fuerat annis: *(pag. 900. 901.)* eâdem fide, quâ alij Ionæ insulæ abbatem eo tempore *Convallanum* fuisse tradiderunt. (pag. 1033. 1034.)

Coemgenum septennem parentes S. *Petroco* in literis DV. ac sanctis moribus erudiendum tradiderunt. *pag. 1058.*

S. *Kertennus* sive *Mac-kartinus*, episcopus Clochorensis, IX. Kalendas (al. II. Nonas) Apriles obijt: DVI. successore relicto *Tigernaco*, qui in *Cluana-eois* sedem Episcopalem posuit. *pag. 856.*

Cerdicus Saxo & filius ipsius *Kenricus* unâ die quin- DVIII. que millia Britannorum, cum rege suo *Nazaleod* sive *Natanleod*, occiderunt: quem Camdenus *Ambrosium Aurelianum*, alij *Vtheri Pendraconis* militiæ principem, nos ipsum *Vtherum* fuisse existimamus. *(à pag. 464. ad 467.)* Ita hoc anno patri suo succeſſerit bellicosus ille *Arthurus*, regni Britannici diademate à *Dubricio* urbis Legionum archiepiscopo insignitus. *(pag. 80. 81. 467.)*

Howelum Albanium, fratrum *Gildæ* natu maximum, bellico congressu in insulâ *Mynaw* sive Angleseiâ habito, à rege *Arthuro* interfectum fuisse Cambrici tradunt scriptores. *pag. 677. 678.* ubi à Caradoco Lancarvanensi *juvenem* magnanimum & victoriosissimum, temporum ratione repugnante, illum appellatum observa: quum eo juniorem *Gildam* anno CCCCXXV. natum fuisse ostenderimus.

Gildam Albanium, auditâ fratris nece, ex Hiberniâ (ubi *Armachanæ* Academiæ tum præerat) in Britanniam redijsse, & *Arthuro* regi reconciliatum, in *Lancarvanensi* gymnasio rogatu *Cadoci* Abbatis studium scholari-

um per anni ſpatium rexiſſe; ibidémq; librum quatuor Euangeliſtarum ſuâ manu deſcriptum reliquiſſe, legimus. (*pag.*678.859.468.469.) quo tempore ad eum inviſendum ex Hiberniâ veniſſe videtur *Brendanus* filius *Findlogæ*. (*pag.*955. 1064.

Cadoci etiam Lancarvanenſis Abbatis hortatu, *Iltutum* (nobiliſſimi militis *Bicani* & *Rienguilidæ* filiæ regis minoris Britanniæ filium) ſeculo renunciaviſſe Iohannes Tinmuthenſis refert; poſtquàm à conſobrino ſuo Arthuro rege *cum honore receptus, tandem ad regem Morganenſium veniens Curiam ejus ſub ipſo rexiſſet, ſecundus à rege factus.* (pag.472.)

Verùm ante Arthuriani regni initium ſeculo nuncium remiſiſſe *Iltutum* oportuit; ſi *Abbas* jam factus diſcipulum ſuum *Samſonem* baptizaverit, à *Dubricio* archiepiſcopo, qui ultra annum Chriſti DXXII. vitam non produxit, Epiſcopali honore poſtea decoratum. Horum enim utrumq; in Samſonis Vitâ, Landavenſi Regeſto inſertâ, legitur; in quâ & S. *Germani* diſcipulus *Iltutus* fuiſſe dicitur: quod ipſum ab alijs quoq; Biographis habetur traditum. Hiſce verò temporibus apud Morganenſes, in loco qui *Lan-iltut* ab eo nomen accepit, gymnaſium illum aperuiſſe, inſigneſq; in eo viros inſtituiſſe, inter omnes convenit. (*pag.* 472.525. 1010.)

Brendanus Findlogæ filius, relicto Gildâ, in inſulâ quâdam Britanniæ *Auerech* dictâ Eccleſiam fundavit: ut in Vitâ ipſius legimus. (*vid. pag.*955.)

DIX. A *Lancarvanenſi* cœnobio, finito anno quo Gildas ibi docuerat, auditoribus recedentibus, Abbas *Cadocus* & *Gildas* Doctor communi conſilio ad duas inſulas, *Ronech* & *Echni* ſeceſſerunt. *pag.*469.

Meluas Sommerſettenſium rex uxorem Arthuri *Guennivaram* raptuiſſe, & per anni ſpatium in Glaſtonienſi inſulâ detinuiſſe dicitur. *pag.* 469.

DX. *Coemgenus* duodennis, inſtitutoris ſui *Petroci* eremitæ bonâ cum veniâ, ad cœnobium *Eogani*, *Lochani* & *Enea*

Æneæ concessit : apud quos triennio illum mansisse, antequàm habitum induisset monasticum, scriptor Vitæ illius indicat. *Vid. pag.* 958. & 1058.

Gildas ab Orcadiensibus piratis, res & famulos ipsius secum per vim abducentibus, afflictus, relictâ insulâ ad quam secesserat, *Glastoniam* petijt : ubi ab Abbate susceptus, fratres & plebes diversas cœlesti doctrinâ imbuit, & Regum Britanniæ Historiam (quæ jam desideratur) exaravit. *pag.* 469.

Arthurus Glastoniam obsidet, & raptâ uxore restitutâ cum *Meluâ* pacem inijt. Reges ambo S. Mariæ Ecclesiam visitantes, Abbati & monachis Glastonienſibus multa territoria sunt largiti. *pag.* 469. 470. *cum* 18. 116. 121. 122.

Hoc anno Saxones totam Britanniam devastare cœpisse, & *Christianitatem pene totam in insulâ deleviſſe*, scribit Matthæus Florilegus ; *Vthero* Pendracone tùm regnante. (*pag.* 465.) Nos verò filium ipsius *Arthurum* hoc tempore Saxonibus opponere se cœpisse arbitramur ; XVIII. annos natum : quod alijs fortasse occasionem dedit tot annos illi tribuendi, quum regnare primùm inciperet. (*pag.* 467.) DXI.

Gildas ad ripam Axi fluminis prope Glastoniam Ecclesiâ nomini S. Trinitatis ædificatâ, solitariam ibi vitam ad mortem usq; egit. *pag.* 470.

Oeric cognomento *Oisc*, qui cum patre suo *Hengisto* Britanniam primus intravit, postquàm XXIIII. annis regno Cantuariorum præfuisset, vitam finijt. *pag.* 450. 1009. DXII.

Gildas Albanius mortuus, & in Glastonienſi Ecclesiâ sepultus est. *pag.* 470. 471.

Hoc quoq; anno *Dubricium*, Landavensis & Legionensis Ecclesiæ antistitem, vitâ excessisse notat in ejus Legendâ Iohannes Tinmuthensis, & ejus exscriptor Iohannes Capgravius, unde opinionem hausisse videtur Lelandus, *Theliaum* eo anno in Landavensi episcopatu illi successisse : quanquam Balæus hoc factum referat,

non

non mortuo *Dubricio*, sed authoritate Synodi nescio cujus hoc tempore ad Legionensem archiepiscopatum promoto. (*pag.*979.) Verùm & ante hunc annum Legionensem archiepiscopum fuisse Dubricium, & post hunc annum vitam produxisse, Britannica confirmat Historia. *Vid. supra, ann.* CCCCXC. *& infra, ann.* DXX.DXXI.& DXXII.

DXIII. *Dubtachus* quintus Episcopus Armachanus mortuus est. Successit illi *Ailillus*. pag.874.

Pironi Britanno in insulari cœnobio à se constructo vitâ functo *Samson* Iltuti discipulus succedens, tribus annis cum dimidio congregationi illi præfuit. *pag.*525.531.

DXIIII. *Ercus* primus *Slaniæ* Episcopus anno ætatis suæ XC. mortuus est. *pag.* 1047.

Cadocus, discipulo suo *Ellenio* (reginæ cujusdam transmarinæ filio) in Lancarvanensi cœnobio successore relicto, Beneventum migravisse dicitur; novum *Sophiæ* nomen ibi adeptus. *pag.*471. 472.

Brendanus Findlogæ filius, ex Hiberniâ (quò S. *Brigidam* salutandam concesserat) in Britanniam rediens, Ecclesiam *Bledach* dictam in regione *Heth* fundavit: ut Vitæ ipsius scriptor indicat. (*vid. pag.*955.)

Thenis, quæ & *Thenna*, filia *Lothi* regis Pictlandiæ & *Annæ* (*Vtheri Pendraconis* filiæ, & *Walwani* sororis) in loco *Collenros* dicto *Kentigernum* peperisse dicitur; eundemq; S. *Servanus* Episcopus baptizavisse, & secum educavisse. *à pag* 681. *ad* 684.

DXVI. *Kieranus* artificis (*Beodi* videlicèt sive *Boetij* fabri lignarij) filius, *Clonensis* cœnobij conditor, natus est. (*pag.* 909. 957.) *Comgallus* quoq; (quod nomen alij *Faustum*, alij *Pulchrum pignus* interpretantur) *Benchorensis* fundator monasterij, & *Colmanus* sive *Colmanelus*, Episcopus posteà *Dromorensis*, in lucem sunt editi: de quibus ante annos LX. (ut in eorum utriusq; Vitâ legitur) prophetavisse fertur S. *Patricius*. (*pag.*440. 441. 869. 956. 1065.)

Samson

Samſon, permittente Epiſcopo *Dubricio*, cum eruditis quibuſdam Scotis Româ revertentibus in Hiberniam profectus eſt: (*pag.*525.531.) ubi monaſterij cujuſdam abbatem patruum ſuum *Vmbrafelem* presbyterum conſtituit. (*pag.*532.)

Paternus adoleſcens, cum DCCCXLVII. monachis è minore Britanniâ in majorem trajiciens, conſtructo in *Mauritaniâ* (apud Cardiganenſes locus is eſt, *Lhanpadern-vaur* vulgo dictus) cœnobio, eos ibidem collocavit: ipſe verò, ad patrem ſuum *Petranum* viſitandum, in Hiberniam perrexit. *pag.*528.

Daniel ſacrum in Arvoniâ collegium inſtituit, non procul a trajectu in Angleſeiam, cui Portus dedit nomen. ubi nova civitas poſteà à *Mailgone* ſive *Maglocuno* rege eſt erecta, quæ à pulchro vel excelſo Choro *Ban-côr* ſive *Bangora* nomen obtinuit. Hujus loci *Daniel* primus à *Dubricio* ordinatus eſt Epiſcopus. *pag.*526. *cum* 88.91.474.

Paternus, poſt reconciliatos ipſius interventu duos re- DXVII.
gēs Hiberniæ inter ſe diſſentientes, in Britanniam rediens, monaſteria & Eccleſias per totam Cereticam regionem ſive Cardiganiam ædificaviſſe traditur. *pag* 528.

Darerca, quæ & *Moninna*, ſoror B. Patricij mortem DXVIII.
obijt. (*pag.*824.) S. *Darercam virginem, quæ alio nomine Monynni dicebatur, in monaſterio ſuo quæ Bell-ſlebi dicitur commoratam* fuiſſe, ſcriptor Vitæ S. Enidei indicat. Unde augetur ſuſpicio, hanc eſſe *Kil-ſlevenſem* illam virginem, quam cum poſteriorum temporum *Moninnâ* ſive *Modwennâ* recentiores ſcriptores confundunt. (*pag.*705.706.824.)

Hoc etiam anno pugnam illam factam fuiſſe notat Matthæus Florilegus, quâ cæſis ſex Saxonum millibus uſq; ad nemus *Calidonie* prope Lincolniam Arthurus eos inſecutus fuiſſe memoratur: quod ex *duodecim* prælijs, quæ cum illis is conſeruit, *ſeptimum* fuiſſe confirmat Ninius. *pag.*475.978.

David Menevensis, *Eliud* (qui *Telianus* vulgo vocatur) & *Paternus*, Hierosolymam profecti, à Patriarchâ loci Episcopalem ordinationem accepisse dicuntur. *pag.* 474.528.

Petrocus, quum viginti annos in Hiberniâ bonis studijs impendisset, Cornubiam petijt: ubi in loco prius *Lodric* & *Laffenac* postea *Petrock-stow* & *Padstow* appellato cœnobium extruxit; in proximâ viciniâ *Samsone* quodam, viro sanctitate conspicuo, vitam ducente solitariam. *pag.* 563.564.1014.

Samson quoq; *Iltuti* discipulus, ex Hiberniâ reversus, *Amonem* patrem suum, unâ cum Hibernico abbate & fratre quodam, in eremo juxta Sabrinam fluvium collocavit: ipse verò ad interiora eremi penetrans, in secretissimo quodam specu diu vitam duxit. *pag.* 531.

DXIX. *Brevienſis* Synodus contra *Pelagianos* in Ceretică est habita: ad quam ab archiepiscopo *Dubricio* & episcopo *Daniele* adductus *David* Menevensis, post profligatam egregio ab eo habito sermone hæresim, communi omnium consensu totius Cambriæ archiepiscopus constitutus est. *pag.* 81.473 474.

Cerdicus & *Kenricus*, post varia cum *Arthuro* conserta prælia, regione Somersettensi (cui *Meluas* Britannicus regulus priùs præfuerat) & Hantonienſi ab eo acceptâ, *Westſaxonicum* regnum inceperunt. *pag.* 466.468.

Paternus Episcopus, in Ecclesiâ *Mauritaniâ*, quæ *Llan-padern-vaur* nomen ab ipso accepit, per annos XXI. vixit. *pag* 96. & 528.

DXX. *Saxones* usq; ad mare Sabrinianum Britannorum depopulatione factâ, inde itinere facto, urbem *Badonis* sive *Bathonia* obsederunt. Superveniens verò regis *Arthuri* exercitus, *Dubricy* Legionensis archiepiscopi & oratione confirmatus (cujus prima illa à Galfrido Monemuthensi formata verba, *Viri Christianâ professione insigniti*, Iohanni Balæo libri *Declamationum eruditarum* Dubricij initium constituere placuit) & benedi-

ctione

ctione hilaratus, hostium castra ad proximum montem compulit, & sequente die prorsus profligavit. (*pag.* 476 477. *cum* 401.) Quod *duodecimum* & postremum fuit prælium ab *Arthuro* cum Saxonibus commissum. (*pag.* 475.)

Anno hoc, *obsessionis montis Badonici & stragis* Saxonicæ, natum se fuisse ostendit *Gildas*: (*pag.* 476. 477.) unde & *Badonici* cognomentum, quo à Gildâ *Albanio* distingueretur, illi inditum. (*pag.* 444.)

Nennio, sedis quæ *Magnum Monasterium* vocabatur Episcopus, in Britanniâ claruit. *pag.* 954. 955.

Cælanus sive *Kelanus* Abbas *Noendrumensis*, postea *Dunensis* ordinatus Episcopus, in Hiberniâ floruit. *pag.* 954. 1065.

Brendanus Findlogæ filius *Ellenio* in regimine *Lancarvanensis* cœnobij successit: ubi & baptizatus & educatus ab eo est *Machutus* sive *Maclovius*; quem *Wento* Comiti, *Guinicastrensis* urbis conditori, anno ætatis sexagesimo sexto *Derwela* (soror *Amonis*, patris *Samsonis* Dolensis) peperisse fertur. *pag.* 532. 533.

Finianus, completo Britannicæ suæ peregrinationis anno XXX. ad fidem post B. Patricij obitum neglectam restaurandam in Hiberniam rediens, scholam ibi aperuit; ex quâ tanquam ex equo Trojano innumeri doctrinâ & pietate præstantes viri prodierunt. *pag.* 912. 913. *cum* 907. 908. 909. 1063. 1064. 1066.

Post confectum prælium *Badonicum*, & illud insecupacem *Albanicam* (Episcoporum omnium & cleri gentis Scotorum atq; Pictorum, si credere libeat, obtestatione supplici exoratam) petivit rex Arthurus *Eboracum, instantis Natalis Domini festum celebraturus. Cumq; urbem intrâsset, visa sacrarum Ecclesiarum desolatione condoluit. Expulso namq; beato Samsone Archiepiscopo, cunctisq; sanctæ religionis viris, templa seminusta ab officio Dei cessabant. Tanta etenim Paganorum insania prævaluerat. Exin convocato clero & populo, Pyramum*

capellanum suum Metropolitanæ sedi destinavit. Ita Historia Galfridi Britannica, (*pag.*77.) & ejus Poëticus metaphrastes; (*pag.*73.) *Samsonem* illum intelligens, cui ab *Aurelio Ambrosio* Eboracensem metropolim concessam fuisse dixerat; (pag. 72. & 454.) quemq; alij sede suâ expulsum, cum *septem* Episcopis (ut Vincentius) vel *sex* ipsius fratribus (ut Alanus vult) in Armoricam trajecisse, & in *Dolensi* civitate metropolitanam sibi cathedram constituisse narrant. (*pag.*73.74.530.) Anno CCCCXC. Eboracensem sedem illum adijsse scribit Matthæus Florilegus, & anno DVII. adhuc ibidem floruisse: (*pag.*72.) quum, juxta nostram sententiam, regnum *Ambrosij* in anteriora conjiciendum sit tempora; (*vid. suprà, ann.* CCCCLV. CCCCLIX. CCCCLXVI. & CCCCLXXXVIII.) eâque admissâ hypothesi, consistere etiam possit quod in Vitâ Albei legimus, anno CCCCLXII. quo materno utero David Menevensis tenebatur inclusus, *Samsonem Episcopum civitatis quæ vocatur Dol-omhoir in extremis finibus Lethæ* (id est, Dolensis civitatis in Britanniâ *Armoric-lethanâ*) extitisse. quod nos in primâ loci illius lectione minimè animadverteramus. (*pag.*871.872.)

DXXI. Post commemoratam, ad finem superioris anni, à *Pyramo* susceptam dignitatem Metropoliticam; Arthurum regem *Ecclesias usq; ad solum destructas renovâsse, atq; religiosis cœtibus virorum ac mulierum exornâsse*, Britannica subjicit Historia: quod Alanus de Insulis pleniùs sic expressit. *Cultum religionis, penè deletum, in civitatibus & vicis & opidis reformavit: Ecclesias, à paganâ gente destructas vel dirutas, restauravit; & in eis pastores & episcopos cum clericorum officijs, prout locorum dignitas exigebat, devoto religionis studio ordinavit.* pag.519.520.

Samson, Iltuti discipulus, in monasterio à S. Germano constructo Abbas constitutus, à *Dubricio* Episcopus, sed sine titulo, est ordinatus. *pag.*75.531.532.

S. *Columba*,

S. *Columba*, patre *Fedlimidio* sive *Felimæo* filio *Fergusij* (non *Erci*, sed *Conalli* illius filij, de quo *pag.* 689. 1102. 1103.) matre *Æthneâ* filiâ filij *Navis* (qui *Navus* fortasse ille fuerit, *Gildæ* Albanij pater; de quo, *pag.* 676 & 1096.) in Hiberniâ, anno ante adventum in Britanniam XLII°. natus est. (*pag.* 688. 689. 690. 694.) DXXII.

S. *Samson* (ut in Vitâ ejus, Landavensi Regesto insertâ, legimus) post acceptam *patris Dubricij abbatisq; Iltuti & totius cleri & populi* benedictionem, *consummato Paschalis sollemnitatis officio, ac præparato navigio; assumptis quibusdam secum fratribus citra Abrinum mare* (sive fretum Sabrinianum) *perrexit, terram matremq; suam visitavit, & Ecclesiam ab eâ factam consecravit:* deinde cum cognato suo *Maglorio*, (quem ab *Iltuto* institutum ipse Diaconum ordinaverat) alijsq; nonnullis clericis & laicis in Britanniam minorem prædicandi causâ trajecit. *pag.* 531. 532. & 75.

Ad sequentem *Pentecosten* magnum illum Conventum referimus, quem in *Legionensi* metropli tantâ cum pompâ à rege Arthuro celebratum ferunt. (*pag.* 81.) Neque enim citiùs fuisse habitum, rerum post prælium *Badonicum* gestarum patitur varietas; & ne ulteriùs differamus, *Dubricij* archiepiscopi facit præsentia: qui sub hujus anni exitum (ut à Balæo, lib. 1. cap. 51. est notatum) XVIII. Kalendas Decembris spiritum efflavit; in *Enhly* sive *Berdeseiâ* insulâ sepultus, in quâ viginti millium Sanctorũ corpora condita esse dicuntur. (*pag.* 526. 527.)

De novis Episcoporum ordinationibus in hoc conventu factis, ista refert Historia Britannica. *B. Dubricius in eremiticam vitam anhelans, sese ab Archiepiscopali sede deposuit: in cujus locum sacratur David, regis* Arthuri *avunculus; cujus vita exemplum totius bonitatis erat his quos doctrinâ imbuerat. In loco verò S. Samsonis Dolensis Archipræsulis destinatur Thelianus illustris presbyter Landaviæ, annuente Hoelo rege Armoricanorum Britonum; cui vita & boni mores virum commendaverant.*

daverant. Episcopatus verò Silcestriæ Mauganio, & Quintoniæ Dwiano decernitur: decernitur quoq; Pontificalis insula Alcluid Eledanio. Vid. pag. 76. 81. 339. 976.

Ubi de *Samsone* & ejus successore notare liceat. I. *Samsonem* seniorem hîc intelligi, de quo ad annum DXX. dictum: qui ab Eboracensi cathedrâ ad Dolensem migravisse traditur. quod in paginâ 76. minimè nobis consideratum fuerat. II. *Samsonis* hujus in Dolensi archiepiscopatu successorem à Matthæo Florilego alium *Samsonem* constitui: (*pag.* 84. 530.) illum nimirùm quem, paulo ante hunc conventum habitum, *Dubricij & Iltuti* magistri sui benedictione acceptâ, in Armoricam abijsse diximus. quæ *Dubricij* mentio, ne ultra hunc annum profectionem Samsonis prorogemus, etiam efficit: licèt officium Episcopale, in patriâ à *Dubrico* illi impositum, in Ecclesiâ *Dolensi* agente *Childeberto* (qui hoc tempore regnum Francorum nondum obtinuerat) demùm exercuerit. (*pag.* 75. 532.) III. Posteriorem hunc *Samsonem, Archiepiscopum primum Dolensis civitatis*, & summâ cum Landavensi Episcopo *Theliao* amicitiâ conjunctum, in Landavensi Regesto perhiberi. Neque enim Dolensium Episcoporum Indiculus seniorem illum *Eboracensem* Samsonem magis agnoscit, quàm juniorem illum *Menevensem* alterum; quem à Menevensi sede ad Dolensem archiepiscopale Pallium transtulisse, ex Dolensis Ecclesiæ Sequentiâ quâdam Giraldus Menevensis archidiaconus confirmare nititur. (*pag.* 73. 74 75.) IIII. *Theliaum* igitur illum *illustrem presbyterum Landaviæ* (quem tamen jam antea *Episcopũ*, sed sine titulo, unâ cum Davide & Paterno ab Hierosolymitano Patriarchâ ordinatũ retulerunt alij) non Samsoni in *Dolensi*, sed magistro suo Dubricio in *Landavensi* cathedrâ successisse; (*pag.* 83. 84. 98. 528.) Davide in *Legionensi* archiepiscopatu eidem Dubricio substituto. quanquam occasione retentæ à Davide antiquæ sedis suæ Menevensis & maximè frequentatæ, non *Legionensis* solùm sed etiam *Menevensis Archi-*

episcopus

episcopus ille dictus fuerit : (*pag.*88.98.) eoq; Merliniamum illud Giraldus huc pertraxerit ; *Menevia Pallio Vrbis Legionum induetur.* (pag.81.)

Kalendis Februarij S. Brigida septuagenaria, annis XXX. post mortem B. *Patricij*, obijt. (*pag.* 882. 883. 884.901.) Ejus corpus *Kildariæ* sepultum, ad *Dunensem* Ecclesiam postea est translatum. (*à pag.*888.*ad* 891.) DXXIII.

Ailillus sextus Episcopus Armachanus mortuus est. Successit illi *Ailillus* alter. pag.874. DXXVI.

S. *Canicus* in Hiberniâ natus est, patre *Lyadeco* poëtâ nepote *Dalani.* pag. 957.*cum* 909. & 1065. DXXVII.

Orientales Angli Britannos Christianos omni crudelitatis genere affeciisse dicuntur. *pag.*515.516.

Ad eundem annum S. *Ailbei* Imalecensis Episcopi obitum Annales Ultonienses & Inisfallenses referunt : & *Colmanum*, ante annos XI. in lucem editum, sacras ab eo literas didicisse, in ejusdem Colmani Actis legimus. (*pag.* 1065.) quorum neutrum cum illorum rationibus potest consistere, qui Ailbeum ante adventum Patricij Christianam fidem Hibernis annunciavisse statuunt. *Vid.* *pag.*781.782. & 871.872.

Comainus Brece in Hiberniâ natus est. *pag.*963. DXXIX.

Kynotus sive *Kinocus* ab *Arthuro* rege Rector scholæ Cantabrigiensis constitutus fuisse fingitur. *pag.*513. 514.

Justinianus & *Honorius* in Ramseiâ insulâ, *Kynedus* in Gowerâ occidentali claruisse dicuntur. *pag.*527.

S. *David*, cum septem Cambriæ Episcopis quorum ille Primas erat, Glastoniam venisse, & Ecclesiam *S. Mariæ* minorem ibi construxisse dicitur. *pag.*112.113.114. *cum* 88. ubi à Glastonienſibus ad annum DLXV. vel DLXVI. hoc referri nota : quod tempore morte illius in Britannicâ Historiâ assignato longe est posterius. Vide infrà, ann. DXLIIII. & ex anonymo Vitæ Davidis scriptore hoc quoque, si placet, accipe. *Ipse fundavit Glastingberiense monasterium* ; *& deinde Badum* (i. Bathoniam, de quâ ad ann. DXX.) *ubi usquam mortiferam suâ benedictione*

dictione effecit lavandis corporibus salubrem: deinde alia construxit monasteria.

Ab eodem *Davide* Provincialis totius Cambriæ Synodus est coacta, cui nomen *Victoria*: in quâ *Brevienſis* Concilij Acta contra Pelagianos confirmata sunt, & addita alia, quæ ad commodum Ecclesiæ regimen videbantur necessaria. Utriusq; Synodi decreta ipse David suâ manu literis mandavit, suæq; & alijs per Cambriam Ecclesijs servanda commendavit: quæ sub eo deinceps statum habuerunt florentissimum. *pag.*475.

Paulus Britannus, *Iltuti* discipulus, Comitis *Withuri* & *Childeberti* regis Francorum operâ *Ossissimorum* sive *Leonenſis* in Armoricâ factus est Episcopus. *pag.*472. 473.558.1013. 1014.

Kieranus filius artificis, acceptâ licentiâ à magistro suo *Finiano*, ad *Ninnidum* primùm in quâdam sylvâ stagni *Erni* commorantem, deinde ad *Endeum* Aranensis insulæ Abbatem profectus fuisse dicitur: (*pag.*1063.) sub quo annis VII. *trituratoris* in eâdem insulâ illum exercuisse officium Vitæ Endei scriptor significat. licèt ipsum *Endeum* admodùm longævum fuisse oporteat, si eo usque vitam produxerit. de quo videnda. *pag.* 867. 868.962.963. ubi de *Brendano* Findlogæ filio ipsum invisente.

DXXXI. Hoc anno, Aprilis die septimo, datum habetur commentitium regis Arthuri diploma; per nepotem suum *Walwanum* (ut nugatores fingunt) ad *Kynotum* Cantabrigiensis scholæ Rectorem transmissum. (*pag.*131.513. 514.) quod non aliam meretur fidem, quàm aniles illæ de rebus ab *Arthuro* extra Britanniam gestis fabulæ (de quibus, *à pag.* 516. *ad* 520. *cum* 639. 640.) ab Hectore Boëthio quoque, licèt & ipso fabulatore maximo, impugnatæ. (Histor. Scotor. lib 9.fol.163.b.)

DXXXIIII. *Cerdicus* Occiduorum Saxonum rex interijt: qui fœdere cum *Modredo* nepote regis *Arthuri* inito, septem ab eo Angliæ Comitatus accepisse dicitur. *pag.*520.

Ailillus,

Ailillus, septimus Episcopus Armachanus, mortuus est. DXXXVI.
pag. 874.

Hoc anno, vel DXXXV. ut alij volunt, XIII. Kalend. DXXXVII.
Septembr. *Mocthaus* Ludunensis Episcopus, S. Patricij discipulus mortem obijt. *pag.* 855.

Pulso in exilium *Silverio*, in Romanam sedem intru- DXXXVIij.
sus est *Vigilius*: ad quorum alterutrum, ab avunculo Arthuro, *Walwanus* (*Lothi* regis Pictlandiæ & illiæ *Vtheri Pendraconis* regis Britannorum filius) *duodecim annorum juvenis*, educandus putatur fuisse missus. *pag.* 514. 515.

Kieranus filius artificis, relictâ *Aranensi* insulâ, ad *Cathaianam* profectus est: in quâ sub *Senano*, insulæ illius Abbate & Episcopo, Magister hospitum est constitutus. *pag.* 1064.

Gildas Badonicus, in *Iltuti* scholâ studiorum suorum DXL.
primis fundamentis politis, (*pag.* 472. 473.) *Iren* perrexit; quam ego non aliam quàm *Hiberniam* esse existimo: in quâ eo tempore, post *Armachanam* & *Finiani* Scholam, celebris fuit *Rossensis* alia, à S. *Fachnano* viro sapiente constituta; in quâ S. *Brendanus* artes liberales prælegisse dicitur. (*pag.* 907. 908.)

Mandabnaucus (alijs *Modomnoch* dictus) *Davidis* Menevensis discipulus, apes in Hiberniam (*Solini* tempore ibi desideratas) primus detulisse dicitur: quod alij tamen S. *Dominico* Ossoriensi tribuendum autumant. *pag.* 953. 954.

S. *Servanus* senex, *Kentigerno* à se discedente, migravit ad Dominum. *pag.* 674. 675.

Kentigernus, anno ætatis suæ XXV. *Glascuensis* Ecclesiæ & *Cumbrensis* diœceseos ab Hibernico quodam episcopo Prælul consecratus, egregiè munere suo functus fuisse dicitur. *pag.* 684. 685.

Finanus qui & *Winninus* Romæ, ubi septem annis manserat, sacerdotij gradū adeptus, in patriâ suâ Hibernia multis annis Episcopi functus est officio. *pag.* 954. 955.

Ilundus sive *Illandus* Episcopus in Hiberniâ claruit. *pag.*963.

Docus Abbas, S. *Canici* magister, in Britanniâ claruit. *pag.*952.953.

Iltutus, *Atrochius* & *Isanus* Abbates mortem obierunt. *pag.*525.

Paternus, postquàm per annos XXI. in *Lan-paternensi* à se denominatâ Ecclesiâ vixisset, à rege *Caradauco* (qui, ultra terminos Britanniæ regno propagato, minorem Britanniam regno suo subjugaverat) in Armoricam revocatus, *Venetensem* Episcopatum ibi obtinuit; & in *Samsonis* metropolitæ Dolensis intimâ familiaritate versatus est. (*pag.*90.528.529.530.) In *Lan-paternensi* verò Episcopatu *Kinocum* sive *Cenaucum* ille habuit successorem. (*pag.*82.90.526.)

S. *Finiani* discipuli in Hiberniâ fuêre celebres: (*pag.* 908 909.1063.) *Kieranus* filius artificis; *Columba Cille*; *Columba* alter, *Cruinthaini* filius, *Tirdaglasiæ* apud Momonienses juxta *Sinneum* fluvium conditor; (*pag.* 962.) *Brendanus* filius *Findlogæ*, trium millium (ut præter alios habet Wernerus Laërius in Temporum fasciculo) monachorum pater; (*pag.*910.) *Brendanus* alter, *Neimi* sive *Nemaindi* clari Poëtæ filius, *Birrani* monasterij in meditullio Hiberniæ positi conditor; (*pag.*453. 955.1064.) *Moby Clarinech*; *Laisreanus* qui & *Molasse*, filius *Nadfraichi*, monasterij *Damh-inis* in stagno Ernensi conditor; (*pag.*961. 962.1066.) *Sinellus* filius *Maënaci* sive *Maynacur*, Abbas monasterij de *Cluayninis* in stagno eodem; (*pag.*1063.) *Canicus* nepotis *Dalani* filius, monasterij *Campuli Bovis* sive *Achadh-bho* & *Cellæ Canici* sive *Kilkenniæ* conditor; (*pag.*957. 1065.) *Ruadanus*, monasterij *Lothrani* in regione Muscraianâ conditor; *Nannyd Lamdere*, *Mugenocus Killicumuli*, Episcopus *Sennachus*; & *Coemanus* qui & *Commanus*, Fealconi filius, *Ross-commaniæ* apud Connacienses fundator. (*pag.*1066.)

Camba-

Cambalanicum prælium in Cornubiâ gestum: in quo rex *Arthurus* & nepos ejus *Walwanus* (contra fratrem *Modredum* depugnans) cum aliis multis ceciderunt. *pag.* 82.116.117.401.477.514. *& à pag.* 520. *ad* 524. DXLII.

In Glastonienſi verò insulâ sepultus est *Arthurus*: (*à pag.* 116. *ad* 121. *& à* 520. *ad* 524.) ut & *Weneveria* uxor ejus *secunda.* (pag. 117.118.119.) Hanc *ex nobili genere Romanorum editam*, Arthurum, quum confectis bellis Britannicis (circa annum DXXI.) *totius patriæ statum in pristinam dignitatem reduxisset*, uxorem accepisse; eamq; hoc anno ad Urbem Legionum diffugientem, in templo *Julij* martyris vitam monasticam suscepisse, tradit Historia Britannica. (lib. 9. cap. 9. & lib. 10. cap. 1.) Ut *secunda* dicta videri possit, respectu *Guennivaræ* alterius ab Arthuro in ipso regni sui initio ductæ; quam à *Meluâ* Sommersettensium rege raptam ad annum DIX. ex Caradoço Lancarvanensi annotavimus. Quæ an illa *Guanora* regis Arthuri uxor fuerit, cujus in Albaniâ ostendebatur tumulus (quem si mulieres calcavissent, steriles inde se futuras credebant; ut ex gentilium suorum opinione Hector Boëthius retulit) ipsi Scoti Albienses viderint.

Arthurum cognato suo *Constantino*, filio *Cadoris* Ducis Cornubiæ, diadema Britanniæ reliquisse; (*pag.* 82. 117.536.537.) eumq; *Modredi* filiorum alterum Wintoniæ in Ecclesiâ S. *Amphibali*, alterum Londini in fratrum quorundam cœnobio absconditum, ante altaria trucidavisse, (*pag.* 538.539.) narrat Galfridus Monemuthensis & eum secutus Matthæus Florilegus. At *Gildas*, qui ipso Constantino regnante libellum suum edidit, eum non *Britannici regni* monarcham sed *Damnoniæ* sive Cornubiæ tyrannum fuisse significat: (*pag.* 537.) néq; S. *Amphibali* ecclesiam ille nominat in quâ, sed sancti cujusdam Abbatis *amphibalum* (sive exterius vestimentum) sub quo nefaria illa cædes commissa fuerit. (*pag.* 539.) Videndumq; an non ad *Constantinum* etiam

ſpectet, quod de *Ambroſij Aureliani* poſteris apud eundem Gildam legitur; ſuis temporibus ejus *ſubolem magnopere ab avitâ bonitate degeneraviſſe.* (pag. 446.) Ut enim ipſum *Ambroſium* ab eo qui Romanæ gentis poſtremus purpuram in Britanniâ induit *Conſtantino*, (pag. 1111.) ita & *Conſtantinum* hunc noſtrum ab *Ambroſio* genus duxiſſe, indéq; proavi (à quo regiæ dignitatis ſplendor in familiam ſuam primùm inductus fuerat) nomen uſurpaviſſe, probabile videri poſſet atq; veriſimile.

DXLIII. *Kentigernus*, poſt mortem *Marken* regis Cumbrenſis provinciæ, ſedem *Glaſcuenſem* relinquere coactus, *Meneviam* ad S. *Davidem* iter cepiſſe, & juxta *Caer-leon* multos ad fidem convertiſſe atq; Eccleſiam conſtruxiſſe dicitur. *pag.* 564. 685. 1034.

Idem à rege Venedotiæ *Cathwallaino* loco accepto, *Elgua* cœnobium extruxit, & Epiſcopatus ſedem conſtituit, impediente primùm ſubregulo *Malgone* vel *Maglocuno*, ſed poſteà adjutante. *pag.* 564. 565. *cum* 88. 91. *Vid. & pag.* 566. ubi Pelagianis ſe oppoſuiſſe, & 341. ubi *Oxonij* literis operam dediſſe dicitur.

DXLIIII. *Malgo* vel *Maglocunus* ille, *in primis adoleſcentiæ ſuæ annis avunculo Rege* (Cathwallaino) *cum fortiſſimis militibus* oppreſſo, Venedotiæ regnum invaſit. (*pag.* 545. *cum* 564. 565.) Vitæ S. Paterni ſcriptor *Mailgunum* hunc (ſic enim appellat) *regem Borealium Britonum ad debellandos & depredandos Auſtrales Britones cum exercitu veniſſe, ſemper tentatorem Sanctorum* extitiſſe, & ſpeciatim S. *Paternum* injuriâ affeciſſe memorat. (*pag.* 528. 547.) Eundem *novam civitatem Bangor*, ad fluvium (vel ſinum marinum potius) *Menai* dictum, erexiſſe Iohannes Roſſus author eſt. (*pag.* 88. 133. 526.)

Daniel Portus illius, in quo nova illa civitas *Bangor* eſt erecta, Epiſcopus defunctus eſt, & in *Berdſeiâ* inſulâ ſepultus. *pag.* 525. 526.

Theonus, Gloceſtrenſis epiſcopus, ad Londinenſem archi-

archiepiscopatum translatus fuisse dicitur. *pag.* 526. *cum* 67. 68. 340.

David Menevensis & Legionensis antistes, Kalendis Martijs, feriâ tertiâ, in Menevensi suo cœnobio mortuus, & jubente *Malgone* Venedotorum rege, in eâdem Ecclesiâ sepultus est. (*pag.* 75. 82. 526.) Succedit illi in archiepiscopatu *Kinocus* sive *Cenaucus*, qui anteà Lamaternensis Ecclesiæ fuerat Episcopus. (*pag.* 82. 83. 90. 514. 526. 528.)

Eodem quo ex hâc vitâ *David* emigravit die, de imminente Reipublicæ & Ecclesiæ Britannicæ dissipatione *Kentigernus*, Elvius sive Elguensis Episcopus, prophetavisse dicitur: (*pag.* 567.) eodemq; die in Hiberniâ *Senanus*, qui B. Patricio in Episcopatu Iniscattenti successerat, vitam finivisse. (*pag.* 873. 874. 942. 1048.)

Tuathalo Malgarb jugulato successit in regno Hiberniæ *Dermitius* I. Cervailli filius. (*pag.* 947. 954.) qui *Kierano* filio artificis (sedem Iniscattensem, quò illum fama *Senani* attraxerat, ob monachorum illi superstitum invidiam relinquenti) *Cluain-mac-nois* & insulam *Anginæ*, cum centum Ecclesijs sive Cellis in *Midiâ* & *Breaghmuid* dono dedit. (*pag.* 957. *cum* 1064. 1065.) *Kieranus* verò, civitate *Lonardensi* cum suis villulis magistro suo *Finiano* donatâ (qui celeberrimam suam Scholam eò deinde transtulit) in *Anginâ* insulâ maximum ipse fundavit monasterium, & ad usus pauperum reditus acquisivit amplissimos. (*pag.* 909. 1065.)

Diare Columcill fundata est: (*pag.* 957. *marg.*) urbs DXLVI.
videlicèt Episcopalis *Derriensis* in Ultoniâ, ubi à B. *Columbâ* celebre conditum est monasterium, *Roberetum Calgachi* vel *Calcagi* ab Adomnano in illius Vitâ appellatum; ut distingueretur ab altero illo *Roboreo* sive *Roboreti* CAMPO *Dear-mach* dicto, ubi non minùs celebre in mediterraneâ Hiberniæ parte (in Comitatu nimirùm Regio) ab eo positum est cœnobium. (*pag.* 690. 691. 910. 1034. 1035.) *Columba* verò *Regulam* monasti-

cam condidit: & centum monasteriorum, partim in Hibernià partim posteà in Britanniâ, fundator extitit. *(pag.687.700.910.919.)*

DXLVIII. *Kieranus* filius artificis, in *Anginâ* insulâ successore *Dompnano* sive *Adomnano* Momonienſi relicto, cœnobium *Clonenſe* sive *Cluan-mac-nois* in Midiâ proximo ante obitû suum anno construxit. *pag.909.935.956.1065.*

Petrocus Britannus relicto *Lodoricenſi* suo monasterio, in quo per triginta annos commoratus discipulos doctrinâ & pietate illustres *Credanum*, *Medanum* & *Dachanum* instituerat, Romam & Hierosolymam visitaviſſe, deinde ad Indiam & Orientalem Oceanum penetraviſſe, ibiq; in ignotâ quâdam insulâ integro septennio theoricæ vitæ vacaviſſe dicitur. *pag.564.*

DXLIX. *Kieranus*, annos tantùm XXXIII. natus, in *Clonenſi* suâ civitate obijt; tertio antequàm *Coemgenus* sive *Keivinus* abbas Glindelacenſis ad eum visitandum illuc pervenerat die. *(pag.909.956.957.)* De monasticâ *Kierani* Regulâ, vid. pag. 1050.

DL. *Quartus* Cyclus Paschalis 84. annorum incipit.

Nonis Aprilibus *(*vel die præcedente, ut volunt alij*)* *Tigernacus* Episcopus, cœnobij *Cluanenſis* in Monachanenſi Comitatu conditor, mortem obijt. *pag.* 856.

Colmanus sive *Colmanelus*, Dromorenſis episcopus, in aquilonali parte fluminis *Locha* nobile construxit monasterium. *pag.*1065. *cum* 869.1112.1113.

Coemanus, monasterij *Ead-cruin* sive *Enach-truim* abbas, *Mocuminus*, & *Fintanus* abbas monasterij *Cluain-ednach*, discipuli *Columbi* filij *Cruinthaini*, in Hibernià claruerunt. *pag.*962. *cum* 441.

Melkinus sive *Mevinus* in Britanniâ claruiſſe dicitur. *(pag.*22.& 341.*)* Vid. Balæum, Centur.1.cap.57.

DLII. Hoc anno *(*ut ex Inisfallenſibus Annalibus intelligitur*)* die XII. Decembris, obijt doctiſſimus ille *Finianus*, Clunardenſis episcopus; *præcipuus inter Sanctos secundi ordinis in Hibernià.(*pag. 1064.*)*

Gildas

Gildas Badonicus, *Iltuti* discipulus, ex Britanniâ majore in minorem, decem ante scriptum suum libellum annis, recessisse dicitur. *pag.* 444 904 905. DLIIII.

Leonorius episcopus Britannus, *Iltuti* quoq; discipulus, cum LXXII. discipulis in Galliam transijt, tempore *Childeberti* Regis Francorum & Reginæ *Ultrogothæ*. Ejus & *Samsonis* Dolensis episcopi interventu *Judualus* vel *Induualus* Ducis Armoricani *Rigualdi* sive *Jonæ* filius, qui à Rege & Reginâ captivus est detentus, & libertati & debitæ sibi hæreditati restitutus est; *Commoro* Britannici Ducatus invasore ab injustâ possessione deturbato. *pag* 1012. 1013.

Brudeus sivè *Bridius* (quem S. *Columba* posteà ad fidem Christi convertit) Rex *Pictorum* efficitur. *pag.* 691. 692. 1035. DLVII.

Petrocus Britannus ab Orientali Oceano ad Occidentalem Britanniam iter confeciſſe dicitur; in quâ *Tendurus* tum regnaverit, *vir atrox ac ferus moribus*. (pag. 564.) Tandem verò *Bodmaniæ* sive *Bodminiæ* in Cornubiâ vitam Petrocus finijt: ubi olim corpus ejus conditum habebatur. (*pag.* 1014.)

Concilio Parisiensi III. *Samson* & *Paternus*, unâ cum *Germano* Parisiensi episcopo, subscripserunt. (*pag.* 74. 530. 532.) quorum prior *Dolensis*, posterior *Venetensis* videtur fuisse Episcopus, qui relictâ Britanniâ Armoricâ ad Francos posteà abijt, & XVII. Kalend. Maij mortem obijt; in *Berdseiâ* insulâ (ut quidam volunt) sepultus. (*pag.* 529. 530.)

Benchorensis Ecclesia in Ultoniâ fundata: ubi numerosissimo Monachorum cœtui sub propriâ *Regulâ* viventium B. *Comgallus* præfuit; in hoc atque alijs monasterijs & cellis à se positis tria cœnobitarum millia sub suâ habens præfecturâ. (*pag.* 132. 441. 911. 917. 919. 956. 958. 1058.) DLIX.

Florentinus Hibernus *Ambasiæ* in Galliâ, tempore *Germani* Parisiensium & *Gildasij* Ruthenensium Episcopi, claruit. *pag.* 760. 761. DLX.

Colmanus

Colmanus Beognai filius, qui & *Elo* posteà cognominatus est, *Coemani* discipulus, in *Connerensi* civitate enituit: (*pag.*960.962.1065.1066.) frater item S. *Columbæ* junior *Togenus*, & ex tribus sororibus nepotes, claruerunt. (*pag.*690.)

Rodericus (in Hiberniâ à discipulis B. *Patricij* baptizatus) regnum *Cumbrense* adeptus, *Kentigernum* ab Episcopatu *Elguensi* ad primam suam sedem *Glascuensem* revocat. Is, discipulo suo *Asapho* in Episcopatu *Elguensi* collocato (qui ab ipso posteà S. *Asaphi* nomen accepit) cum DCLX. fratribus domum redit, & religionem Christianam in patriâ suâ restaurat. *pag.* 685.686.565. 566. *cum* 88. & 91.

DLXI. *Culedreibnense* prælium, in finibus Ultoniæ & Conaciæ gestum: in quo tria millia hominum occubuisse, & regis Hiberniæ *Dermitij* filij *Cervaillí* exercitum precibus *Columbæ Cillij* fusum fuisse memorant. *pag.*902.903. 904. *cum* 694.1035.1066.

S. *Columba* in Synodo Hiberniæ (cui *Brendanus* Abbas *Birræ* interfuit) excommunicatus est. (*pag.*904.) Vid. Adomnan. de rebus S. Columbæ, lib. 3. cap. 3.

DLXII. Literæ à senioribus Hiberniæ & S. *Columbâ* ad *Gildam* Badonicum, in Britanniâ Armoricâ tunc commorantem, scriptæ. *pag.*904.

DLXIII. *Columba*, consilium *Finiani* Clunardensis Episcopi magistri sui, *Brendani* Abbatis *Birræ* & *Laisrani* filij *Nadfraichi* condiscipulorum suorum secutus, reliquit Hiberniam; & navigavit in Britanniam. *pag.* 903. 904. 1059.1066.687.691.693.694.730.

Duodecim discipulorum, qui ipsum in Britanniam comitati sunt, nomina; & scripta illis à Dempstero afficta. *pag.*694.695.696.

Mona-dairense sive *Onde-monense* prælium in Hiberniâ gestum; in quo *Ainmerens* filius *Setni*, & filij *Mac Eirce*, *Domnallus* & *Forcus* (sive *Donaldus* & *Fergusius*) Reges tum quidem provinciales, posteà verò universæ

versæ præfecti Hiberniæ, victoriam (uti etiam in *Culedreibnensi* ante biennium commissa) de inimicis reportârunt. *Echodius Laib* Rex *Cruithniorum* victus, currui insidens evasit. *pag.*1035.1036.

Eo tempore S.*Columba* in Britanniâ cum *Conallo* filio *Comgill* Scotorum Albiensium Rege (de cujus religione mira memoriæ sunt prodita) versabatur. *pag.* 703.1036. 1037.

A *Conallo* hoc *Comgalli* filio insulam *I* sive *Hy*, quæ *Ione* posteà nomen obtinuit, S. *Columbæ* donatam fuisse, Hibernici tradunt Annales: licèt à *Pictis* eam acceptam fuisse Beda scribat. (*pag.*703.) De hâc Insulâ videnda, quæ notata sunt *à pag.* 696. *ad* 703. *cum* 1059.

S. *Columba* in Britanniâ XXXIIII. annorum spatio commoratus, non septentrionales solùm Pictos ad Christianam religionem convertit; sed etiam usq; ad maximè australes Scotorum & Pictorum terminos progressus, fidem prædicavit. *pag.* 687.691.692.694.701.704.

Gildas Badonicus *querulum* suum libellum edidit: in quo tùm Reges (*Constantinum*, *Aurelium*, *Vortiporium*, *Cuneglasum*, *Maglocunum*) tùm Clerum Britanniæ acriter insectatur & exagitat. (*pag.* 477. 904. *& à* 533. *ad* 557. *cum* 1013.) Aliud ab eo scriptum nihil extat: si fragmenta quædam fortassè exceperis, MSS. Canonum libris interserta; quæ huic an *Albanio* Gildæ tribuenda fuerint, incertum est. (*pag.*557. *cum* 1013.) Nam quod Pseudo-Plauti *Aululariam* sive *Querolum* Iohannes Philippus Pareus, cum alijs viris doctissimis, *Gildæ* nostro attribuit, haud facilè admittendum putamus. (*pag.* 557. 558.) præsertim si *Rutilius* ille, cui *Querolum* dicatum videmus, *Rutilius Numatianus* fuerit; quem & à fide Christianâ alienum, & Gildâ longè antiquiorem fuisse certò constat. (*pag.*836.) DLXIIII.

Diormitius filius Cerbulis, totius Scotiæ regnator, ab *Aido* cognomento *Nigro*, gente *Cruthinio*, interfectus est: ut in ἀνεκδότοις Adomnani legimus. *Fergusius* & DLXV.

Donaldus, filij *Muircheartaçhi* filij *Ercæ* (Adomnano *Domnallus* & *Forcus*, filij *Mac Eirce* dicti) succeſſerunt. *pag.* 947. *cum* 694. & 1036.

DLXVI. *Ainmireus* vel *Ainmurechus*, filius *Setnæi*, Hiberniæ monarchiam obtinuit: (*pag.* 947 905. 1049. 1036.) poſt *Davidis* Menevenſis epiſcopi nativitatem CIIII. & poſt tempus mortis ejuſdem à nobis conſtitutum XXII. Ut merito ſuſpectum ſit, quod in Vitâ S. *Ædani* ſive *Moedhogi* legimus; *puerum* illum *regi Temoriæ Anmireo obſidem* fuiſſe datum, non paucis antequàm *Davidis* Epiſcopi magiſterio ſe tradiderat annis. (*pag.* 965. 966.) Alius vitæ ejùſdem ſcriptor, ad *Regem Hiberniæ illum qui morabatur in Thamoriâ* obſidem ductum fuiſſe *puerum*; poſteaq; in *Britanniâ peregrinatum* fuiſſe, & *in cœnobys quibuſdam* vitam egiſſe, refert: nullâ vel Regis *Ainmirei* vel Epiſcopi *Davidis* ſpeciatim factâ mentione. Ut vel in Regis alicujus *Ainmireo* antiquioris tempora pueritiam *Ædani* incurriſſe, vel in Menevenſi *Davidis* jam defuncti cœnobio monaſticam illum vitam coluiſſe, dicendum videatur. Nam ut, cum alijs, Davidem annos CXLVII. vixiſſe, aut ad annum Chriſti DCIIII. vitam produxiſſe dicamus, ægrè adhuc perſuaderi nobis patimur. (*pag.* 82. 89. 526.) Quod ipſum etiam de *Ædani* diſcipulo *Swithuno* aliàs *Scholano* dicto ſentimus: qtiem ad *Davidem* ab eo miſſum, & Wintonienſem poſteà factum fuiſſe Epiſcopum perhibent. (*pag.* 340. & 997.

Gildas Badonicus à rege *Ainmireo* accerſitus in Hiberniam, plurima ibidem emendáſſe traditur. *pag.* 906, 907. 912. 1050. 952. 953.

DLXIX. *Ainmireo* Hiberniæ monarchæ occiſo ſucceſſerunt *Boethanus* & *Eochanus*. pag. 906. 947.

DLXX. *Gildas* Badonicus obijt. *pag.* 906. 1049.

Laiſreanus qui & *Molaſſe*, filius *Nadfraichi*, mortuus eſt. *pag.* 962.

Machutes (qui & *Maclevius*) Britannus, *Brendani* filij

filij *Findlogæ* Hiberni discipulus, *Alethanæ* Ecclesiæ primus Episcopus præfuit, annis XL. *pág.* 75. & 533.

Frigidianus regis Ultoniæ filius, *Lucensis* in Italiâ Episcopus, claruit. *pag.* 852.

Eugenius episcopus *Ardsrathanus*; (*pag.*957.) *Nessanus*; (pag 914.935.961.) *Coemgenus* sive *Keivinus*, monasterij *Glindelachensis* fundator; (pag.956.) *Berchanus*, quem sensu oculorum privatum, sed spiritu prophetico præditum fuisse aiunt; (pag.963.) *Moditeus*, sive *Medocius* ille fuerit; (*pag.*958.) *Colmanus* filius *Darane*, monasterij *Dairmorensis* in Eliahâ regione conditor, & *Colmanus Dub-culinn* sive *Duib-chuilind* dictus, (pag.960.) in Hiberniâ claruerunt.

Brendanus filius *Luaignei*, monasterij *Birrani* fundator, in Hiberniâ diem clausit extremum; quem S. *Columbæ* in Ionâ insulâ agenti statim innotuisse narrat Adomnanus. (*pag.*955. *cum* 882.883.1064.) DLXXI.

Æda sive *Hugo* (in Adomnani ineditis Aidus filius *Ainmurech* dictus) Hiberniæ factus est monarcha, annis XXVI. *pag.*947. DLXXII.

Aidanus sive *Ædanus* filius *Gabrani*, à B. *Columbâ* in Ionâ insulâ Scotorum Albiensium Rex inauguratus est. *pag.* 610.709. DLXXIIII.

Ceaulinus Occidentalium Saxonum Rex, prælio cum tribus Britannorum regibus Christianis ad *Deorham* inito, eos interemit; & exercitu ipsorum profligato, tres urbes munitissimas, *Glocestriam*, *Cirecestriam* & *Bathoniam* receperunt. *pág.*569.570. DLXXVII.

Brendanus Findlogæ filius (de cujus septennali navigatione prodigiosæ feruntur fabulæ) XVII. Kalend. Iunij, expletis ætatis suæ annis XCIII. in sororis suæ *Brigæ* monasterio *Enuch-duin* dicto vitâ functus, *Cluainfeartæ* sepultus est. (*pag.*533. *cum* 955.) De ejus *Regulâ* monasticâ, vid. *pag.*919. & 1050.

Fintanus, qui & *Munnu*, XVIII. ante mortem B. *Columbæ* annis cum S. *Sinchonac Maynacur* (sive *Mac-* DLXXIX.

naci filio, *pag.* 909.) Abbate monasterij de *Cluayn-ynis* in stagno *Erne* moratus est. *pag.* 1063.

S. *Kentigernus* & S. *Columba* congressi, multa de Christinæ religionis arcanis coram *Brudeo* Pictorum rege disseruerunt. Aliquanto post tempore ad Castrum Caledoniæ profecti, vicinarum regionũ incolas ad veræ pietatis observationem sermonibus suis incitârunt. Sexto post mense inde discedentes; *Kentigernus* ad sedem suam Glascuensem, *Columba* in Hebrides primùm, inde in Hiberniam abijt. *pag.* 704. 707.

DLXXX. Claruerunt apud Hibernos, *Congellus*, monasterij *Cambasiani* abbas; (*pag.* 1009.) *Evinus*, qui Vitam S. *Patricy*, partim Latino partim Hibernico sermone, conscripsit; (*pag.* 817.) *Lugidus*, qui & *Molua*, discipulus *Comgalli*, cœnobij *Clonfertensis* in Ophaliâ conditor; (*pag.* 919. 935. 943. 958. 969.) *Ædus* filius *Bricci* Episcopus, monasterij *Enach-midbrenin* conditor; (*pag.* 963.) *Cormacus*, qui eremum in Oceano ter frustrà quæsivit; (pag. 959. 960.) *Lugudus* filius *Tailchani*, in monasterio *Cloni-finchoil* senex Christi miles; (*pag.* 1065.) & *Colmanus* filius *Beognai*, qui (præsentibus *Ædo* filio *Anmirechi*, *Columbâ Chille* & S. *Canico*) ab *Ædo Flan* (al. *Slani*) duce nepotum *Neill* in Midiâ saltum *Fidh-elo* dictum accepit, ibiq; monasterium *Land-elo* sive *Linalli* construxit. (*pag.* 910. 960. 961.)

DLXXXI. Hoc anno *Malgonem* sive *Maglocunum* regem Britonum factum Matthæus Florilegus significat: quod ut de *Cambrensium* Britonum regno accipiamus, electionis illius formula suadet, quæ in *antiquissimo libro de Legibus Britannorum* descripta extat. (*pag.* 75. 76. 88.) utcunq; Britannicæ consarcinator Historiæ, non modò *totam Insulam obtinuisse*, sed etiam *sex comprovinciales Oceani insulas*, *Hiberniam videlicèt*, *atq; Islandiam*, *Godlandiam*, *Orcades*, *Norwegiam*, *Daciam*, *adjecisse dirissimis prælijs potestati suæ*, affirmet. (*pag.* 544. 545.) ex *Insularis Draconis* titulo, quem Gildas illi tribuit, commenti

menti occasione arreptâ. quum ne totius quidem Cambriæ Regem illum fuisse Gildas agnoverit (utpote *Vortiporium* eodem tempore *Demetarum tyrannum* nominans) nedum *totius Insulæ*, aut aliarum insularum ab eâ remotissimarum; miniméq; omnium, *Norwegiæ* & *Daciæ*, quæ ne inter *insulas* quidem veniunt numerandæ. Nam quòd ille quidem *robustus armis* & *major multis potentiâ*, *multos tyrannos depulisset tam regno quàm etiam vitâ*; (pag.544.) haud ineptè *Draconis* illum metaphorâ designare Gildas poterat: *Insularis* etiam adjecto epitheto, vel quia in vicinis insulis grassatus ille fuerit, (ut pag.75. ex Camdeno dictum) vel (quod ego potiùs senserim) quia in Angleseiâ sive *Monâ insulâ* sedem regni is habuerit; quæ non modò ut *Venedotiæ* (cujus Rex, eo quo Gildas scripsit tempore, Maglocunus fuerat) provincia princeps, sed etiam ob soli ubertatem * *Mater Cambriæ* totius, communi Cambro-britannorum elogio celebratur. Neque multo majorem meretur fidem quod ex *Kentigerni* Legendâ retulimus; eum, *Galwediâ* & *Albaniâ* conversâ, suos misisse discipulos ad *Orcades*, *Norwegiam* & *Islandiam luce fidei imbuendas*. (pag.687.)

* Môn mam Gymry.

Winochus Britto, veniens de Britanniâ, sanctitate clarebat in Galliâ. *Sigebert. in Chronic.* DLXXXII.

Malgone Britonibus & *Aidano* Scotis Albiensibus imperante, in *Fedhanleâ* juxta Stanmoriam *Ceaulinus* Occidentalium Saxonum rex & filius ejus *Cuthwinus* cum Britannis acerrimo prælio conflixerunt: in quo *Cuthwinus* occubuit, & *Angli* fugati sunt. *Ceaulinus* tamen, rursùs reparato exercitu, tandem victores vicit; persequensq; Britannos, regiones multas & innumerabilia spolia cepit. *pag.*570. DLXXxiij.

Brudeo vel *Bridio* Pictorum regi hoc anno (ut ex Ultonienſibus Annalibus intelligimus vitâ functo *Garnardus* filius *Domnachi* successisse dicitur; qui *Abernethianam* fundavit Ecclesiam. *pag.*712.713.

Ruadanus eodem anno (ut Tigernaci docent Annales) mortuus est in *Lothrano* à se condito cœnobio; à quo & *Ruadan Lothra* cognomentum ille accepit. *pag.* 908. 909.

DLxxxviij. *Conversio Constantini ad Dominum*, in Annalibus & Ultonienſibus & Tigernaci annotata habetur. qui *Constantinus* ille est, *Damnoniæ* sive *Cornubiæ* rex, asperius à Gildâ in querulo suo libello appellatus. *pag.* 537. 538.) Hunc enim, liberis & conjuge orbatum, terreni regni pertæsum, clam suis abijsse in Hiberniam, ibiq; vitam egisse monasticam, nonnulli scribunt. (*pag.* 540.)

Constantino, Cornubiense regnum deferenti, suffectus est *Gerennius*: ad quem *Thelianus* Landavensis Episcopus cum suis pestem ictericiam eo tempore in patriâ sævientem fugiens divertisse legitur. Morbo enim illo epidemico universam Cambriam, cui *Malgo* (qui & *Maglocunus*) tunc præerat, miserum in modum devastante; quidam in Hiberniam, plures verò in Franciam perrexerunt. Inter quos *Thelianus*, cum suis comitibus, Cornubiâ relictâ, Britanniam Armoricam petijt: ubi à sororis sux marito *Budico*, rege terræ illius (quæ ab eo *Cerniubudic* nomen accepit) & *Samsone* Dolensi antistite honorificè exceptus est. *pag.* 75. 76. 83. 84. 86. 559. 562.

DLXXXix. *Columbanus*, discipulus *Comgalli*, ex Hiberniâ cum *Gallo* alijsq; probatis discipulis venit in Burgundiam: ubi *Luxovienſe* monasterium condidit. (*pag.* 735. *cum* 440. 441. 688. 725. 729. 733. 911. 917. 919. 920. *&* 1050. *marg.*) De monasticâ illius *Regulâ*, vid. *pag.* 920. 1050. 1051. 1052.

Ædus episcopus, *Britti* filius, in Hiberniâ mortuus est. (*pag.* 963.)

DXC. *Leithredense* sive *Miatorum* prælium commissum est: in quo, Scotorum Abiensium regi *Ædano* infelix contigit victoria; duobus ipsius filijs, *Arthurio* & *Echodio Find* (sive *Eugenio Albo*) unâ cum trecentis de exercitu ipsius alijs interfectis. *pag.* 709. 1037.

Constantinus monachus, ex Hiberniâ ad Scotos Albienſes

enſes inſtituendos miſſus, in Britanniam unâ cum S. *Columbâ* (non tamen in primâ illius profectione; quando regem Cornubiæ adhuc *Conſtantinum* extitiſſe *Gildæ* proximo poſt eam anno editus oſtendit libellus) navigavit: ubi fidem Chriſti & Scotis prædicans & Pictis, totam terram *Kentirianam* convertit; ibidémq; tandem impiorum manibus paſſus martyrium, in *Govaniano* juxta *Cludum* à ſe condito monaſterio ſepultus eſt. *pag.* 540. 541. 695.

Mochudæus, qui & *Carthagus*, cœtui monachorum DCCCXLVII. in cœnobio *Rathenienſi* per annos XL. præfuit. *pag.* 910. 911. 919.

Barrindeus monaſterij *Druim-cuillin* Abbas claruit: (*pag.* 962.) & *Lugaidus*, cognomento *Laithir*, S. Columbæ legatus; qui monaſterij in *Raclinâ* inſulâ à ſe conditi Abbas fuiſſe dicitur. (*pag.* 958. 1065.)

Thalieſſinus, alijs *Teleſinus Helius* dictus, Britannicorum Bardorum princeps, *Malgone* ſive *Maglocuno* adhuc regnante, carmina ſua edidit. *pag.* 476. 547.

Anonymus etiam Actorum S. *Albani* ſcriptor hoc tempore floruiſſe fingitur: (*pag.* 155.) quæ nihil ferè continent, præter longos logos &

Portenta quæ narrante matre
Attoniti ſtupeant puelli.

Cummineus Fada, ſive *Longus*, in Hiberniâ natus eſt. DXCII. *pag.* 972.

In prælio ad *Montem Wodeni* commiſſo, *Ceaulinus* Occidentalium Saxonum rex potentiſſimus maximâ clade à Britannis affectus eſt. *pag.* 709. 710.

Ædhilfridus Nordanhumbrorum regnum annis XXIIII. obtinuit. DXCIII. *pag.* 710.

Kentigernus ex Britanniâ, & *Abbanus* ex Hiberniâ Romam profecti, Gregorium Papam inviſerunt. *pag.* 684. & 1062.

Malgoni ſive *Maglocuno*, in Britannico regno, non *Rhunus* filius ſed *Careticus* ſucceſſiſſe dicitur. Priorem

Maelgun

Maelgun Gwinedh sive *Malgonem Venedotum*, posteriorem Karedic Cambro-britanni nominant. (*pag.* 547. 568. 571.) *Glamorganiæ* verò regulus eo tempore erat *Theodoricus* sive Teudric: qui regno filio suo *Mourico* sive *Mauricio* posteà relicto, in *Tinterniæ* rupibus vitam agere cœpit eremiticam. (pag. 562.) *Lageniam* autem & *Midiam*, Hiberniæ provincias, *Gurmundus* Africanorum rex sibi subjugavisse, ac filium suum *Burchardum*
DXCVI. (Hibernis *O Gormagheyn* dictum) Ducem *Montis Margei* constituisse dicitur. (*pag.* 568. & 572.)

Quum *Britanni* Christi fidem inimicis *Anglis* prædicare nollent; ut in libro I. Historiæ suæ Ecclesiasticæ cap. 22. & libro V. cap. 23. Beda conqueritur (cum quo tamen conferenda, quæ habentur. *pag.* 686. de *Kentigerno*; *pag.* 907. de *Gildâ*; & *pag.* 1017. de *Arthuro*:) *Gregorius magnus* ad eos convertendos *Augustinum minorem* cum socijs misit. *pag.* 143. & 577.

Sedatâ in Cambriâ peste ictericâ, *Thelianus* Landavensis episcopus populares suos per Galliam & Italiam undique dispersos congregavit. Cum quibus ad patriam reditum parantem, detinuisse dicitur rex Armoricanus *Budicus* & *Samson* Pontifex; ut ad Dolensem eum eveherent Episcopatum, & Ecclesiasticum totius gentis Armoricæ principatum. Unde fortasse natum, quod *Samsoni* in Dolensi Episcopatu *Theliaum* substitutum Galfridus Monemuthensis, alium verò *Samsonem* successisse ad annum DLXI. scripsit Matthæus Florilegus. quandoquidem & Græco nomine *Thelianus* vocatus fuerit Ἥλιος, quod alteri Hebraico *Samsonis* planè est synonymum. *pag.* 76. 84. 559.

Thelianus, post septem annos mensesq; totidem in Armoricâ peractos, unâ cum *Oudoceo* nepote suo multisq; alijs Doctoribus & Episcopis, in Cornubiæ portum *Dingerein* dictum appulit; rege *Gerennio* in extremis tum posito. Quo vitâ functo, sedem suam *Landavensem* repetijt: convenientibus ad eum *Lunapeio*, *Gurmaëto*, *Cyn-*

Cynmuro, Toulidauco, Luhilo, Fideli, Hiſmaële, Tyſhei, Oudoceo, & multis alijs diſcipulis. *pag.*76.559.562.

Gurmundus ex Hiberniâ cum centum ſexaginta ſex Africanorum ſuorum millibus in Britanniam transfretaviſſe; initoq; cum Saxonibus fœdere, *Careticum* Britannorum regem ultra Sabrinam in Walliam fugaviſſe, *Ambreſburienſis* cœnobij trecentos monachos ſuſtuliſſe, Chriſtianorum Eccleſias evertiſſe & religionem diſſipaviſſe dicitur. *à pag.* 567. *ad* 573. ubi & inepta Nicolai Cantelupi de everſâ *Cantabrigienſi* academiâ refertur fabula.

Hoc etiam tempore *Tyſei*, filius Armoricani regis *Budici*, martyrium paſſus fuiſſe putatur; corpore in *Pennalun* ſepulto. *pag.*561.

S. *Columba* in Ionâ inſulâ IX. die Iunij mortem obijt. DXCVII.
(pag.693.) De ſepulturæ loco & tranſlatione, vid. *à pag.* 887. *ad* 893. *cum* 708.709.900.

Baithenus, qui & *Cominus*, filius *Brendini* (filij *Fergusij* illius, quem avum *Columbæ* fuiſſe diximus) in *Hyenſis* cœnobij præfecturâ illi ſucceſſit. *pag.*694.695.701. 1059.1060. ubi de eo æqualis ipſius *Finiani ſily Lippani viri ſapientiſſimi* magnificum habetur elogium.

Ad *Baithenum* in ipſo præfecturæ ſuæ initio venit *Fintanus*, qui & *Munnu*; eoq; ſuadente ad Hiberniam, Deo fructuoſiùs ſerviturus, iterùm redijt. *pag.*1063.

Sede *Legionenſi* & *Menevenſi* per mortem *Kinoci* ſive *Cenauci* (ſucceſſoris S. *Davidis*) vacante, *Thelianus* Menevenſi quidem Eccleſiæ *Hiſmaelem* Epiſcopum ordinaviſſe, Legionenſem verò metropolim, Landavenſi ſuæ Eccleſiæ proximam, ſibi ipſi videtur retinuiſſe; indeq; & *Archiepiſcopi*, quo uſus eſt, titulum obtinuiſſe, & poteſtatem Epiſcopos per univerſam Cambriam conſtituendi accepiſſe. *pag.* 528. & 560. *cum* 82.83.87.98.

Theonus Londinenſis & *Thadiocus* Eboracenſis archiepiſcopi, Eccleſias omnes ſibi ſubditas uſque ad humum videntes deſtructas, cum omnibus ordinatis, qui in tanto

discrimine superfuerant, in Walliam diffugerunt. *Plures etiam Armoricanam Britanniam magno navigio petiverunt, ita ut tota Ecclesia duarum provinciarum, Loegriæ & Northanhumbriæ, à conventibus suis desolaretur.* Indeq; factum ut, Christianis jam ex universâ Saxonum ditione undiq; ejectis, *Dianæ* immolaret Londonia, *Apollini* thurificaret suburbana Thorneia, & cultu paganico universa regio pollueretur: in *Walliâ* tantum & *Cornubiâ* (quibus & *Cumbriam* posſumus adjicere) Britonibus fidem antiquam retinentibus. (*à pag.* 572. *ad* 576. *cum* 67.68.77.83.) De Ecclesiæ & tumuli B. *Albani* hoc tempore statu, vid. *pag.* 574.575.1015.1016.

Augustinus monachus, ex Francorum gente assumptis interpretibus, in Britanniam, Euangelium Saxonibus prædicaturus, advenit: (*pag.* 577.1006.1054.) sacraq; primùm Christiana in Ecclesiâ S. *Martini* celebravit, ad Orientem civitatis *Cantuariæ* tempore Romanorum positâ; ubi *Bertha* Cantuariorum regina Christiana, cum *Luidhardo* Episcopo quem secum ex Franciâ adduxerat, orare priùs consueverat. (*pag.* 150.)

Annum DXCVII. *quo Augustinum cum socijs suis ad Britanniam perveniſſe in Historiæ ſuæ Epitome docet Beda, Ecclesiasticis nostris Antiquitatibus terminum præstituimus. Verùm quia, currente rotâ, ad proximum seculum spectantia complura & ad sequentium quoq; temporum historiam aliqua pertinentia intervenerunt: rem Lectori omninò non ingratam facturi videbamur, si unà cum institutâ amphorâ istum etiam exire urceum sineremus.*

DXCVIII. *Baithenus*, secundus Hyensis Abbas, integro post magistrum suum *Columbam* anno eodemq; ipso die, Iunij videlicèt IX. feriâ secundâ, mortem obijt: succedente illi *Fergnao*, quem *Virgnoum* appellat Adomnanus. *pag.* 701.702.962..1060.

Senachus Ecclesiæ Armachanæ annis XII. præfuit. *pag.* 966.

Duin-

Duinbolganum prælium commissum est : in quo *Ædus* filius *Ainmirei* Hiberniæ monarcha, cum alijs multis nobilibus, à *Brandubho* Laginensium rege occisus est ; ipso *Brandubho*, simul cum *Ædâ* & *Colmano* filijs Dermitij, regnum Hiberniæ post ipsum capessentibus. *pag.* 947. 965.

Rex *Brandubhus*, cum magnæ Synodi consensu, Laginiensis provinciæ Archiepiscopatum à sede *Slebhtiensi* ad *Fernensem* transtulit ; *Ædano* sive *Moedhogo* Laginiensium Metropolitâ constituto. *pag.* 89. 864. 965.

S. *Canicus* in Hiberniâ diem obijt. *pag.* 957. DXCIX.

Æthelbertus Cantuariorum Rex, cum gente suâ, fidem Christi suscepit. *pag.* 142.

Samson Dolensis antistes, *Dubricij* discipulus, annos CXX. natus, mortem obijt. (*pag.* 75.) Successit illi cognatus ipsius *Maglorius*, discipulus *Iltuti* ; in Lotharij & Ludovici diplomate *Archipræsul Dolensis* nominatus. (*pag.* 75. 76. 77. 532.)

Paulus quoq; Leonensis Episcopus, *Iltuti* discipulus, centenario major, in *Bathâ* insulâ mortuus est. *pag.* 558. 559.

Abbanus etiam, quum esset *ætate supergressus longè communem terminum mortalium decrepitorum*, in Hiberniâ diem suum obijt. *pag.* 1062.

Daganus abbas *Regulam* monasticam à *Lugido* sive *Moluâ* conditam ad *Gregorium* I. Romam detulit : qui eâ coram omnibus summopere laudatâ, salutem authori per internuncium illum retulit. *pag.* 920. *cum* 969.

Eodem cum his tempore claruerunt in Hiberniâ, *Cronanus* filius *Odrani*, abbas *Rosf-creensis* ; (pag. 969.) & *Nathineus* presbyter ; à quo *Fechinus*, ex nobilibus ortus parentibus *Kelcharnano* & *Lasreâ*, rudimentis literarum & bonis moribus informatus est. (*pag.* 1068.)

Comgallus abbas Benchorensis, annos natus LXXXV. in Hiberniâ mortem obijt. (*pag.* 956.) De quo videnda. *pag.* 132. 440. 441. 869. 911. 912. 917. 918. 919. DCI.

Totidem etiam annos (neutiquàm verò CLXXXV.) agentem *Kentigernum*, circa hæc tempora Glascuæ ex hâc vitâ migravisse arbitramur. *pag.* 708.

Rex ille Britannicus, qui *Gerennio* in regno *Damnoniæ* sive *Cornubiæ* successit, *Worgresio* Glastonienſi Abbate petente, Ecclesiæ *Vetustæ* etiam tunc dictæ terram quæ appellatur *Ines-withrin* concessit; Donationis Chartâ à *Manuorno* sive *Maworno* Episcopo conscriptâ. *pag.* 1054. *cum* 110.111.

A *Gregorio* P. duæ sedes Archiepiscopales in Angliâ constituuntur, altera *Londini*, altera *Eboraci*. pag. 69.77.

DCII. *Augustinus Episcopus Anglorum, habitâ Synodo cum Britonum & Scotorum Episcopis, quia sacerdotes & monachos invenit adversarios æquitatis, quos voluit habere socios prædicationis, terruit eos vaticinio futuræ super eos calamitatis.* Ita, ad hunc annum, Sigebertus in Chronico. Habitam fuisse hanc Synodum *in confinio Wicciorum & Occidentalium Saxonum* (Wigornienſium videlicèt & Herefordenſium) Beda indicat; neq; *Scotorum* ullos, sed Britonum tantùm *septem* Episcopos illi interfuisse confirmat. *pag.* 89.90.91.

DCIII. *Ædhilfridus* Nordanhumbrorum rex, anno regni sui XI. cum *Æduno* Scotorum Albienſium rege ad locum *Degsa-stane* dictum acerrimè conflixit; peremptoq; fratre *Theodbaldo* cum toto illo quem ducebat exercitu, victoriam nihilominùs consecutus est. (*pag* 710.) Sigebertus, qui Augustinianæ Synodo *Scotos* interfuisse tradiderat, *Augustini* vaticinium in eorum excidio nunc impletum fuisse fingit: ad annum DCXV. ita scribens. „*Ædilfridus* Rex Nordanymbrorum, Regē Scottorum „Ean cum omnibus penè suis in bello exstinguit. Hæc ca„lamitas Scottis contigit secundùm vaticiniū Augustini „Episcopi, qui interminatus est *Scottos* ab Anglis fore „perimendos, qui Anglos ad vitam æternam converti „ægrè ferebant: in monachos quoq; *Scottorū*, Augusti„no rebelles, irâ Dei sæviente; qui cum Rege suo ad hoc „bellum

„bellum ex more euntes, ut Rege armis pugnante ipsi „orando pro eo pugnarent, perempti sunt ab Anglis „mille ducenti, tantùm quinquaginta per fugam elapsis. „Vid. infr. ann. DCXIII.

Fintanus, Abbas monasterij *Cluain-ednach*, obijt. *pag.* 441. 962.

Æda Vairidnach sive *Allain*, filius Donaldi, regnavit DCIIII. in Hiberniâ annos VIII. *pag.* 947.

Augustinus, metropolitico *Londinensis* Ecclesiæ honore ad sedem Cantuariensem translato, *Mellitum* Londini Episcopum ordinavit. *pag.* 68. 69.

Sebertus rex Orientalium Saxonum, *Ædilberti* Cantuariorum regis ex sorore nepos, ab *Augustino* baptizatus, dejecto *Apollinis* templo *Thorheia* sive Westmonasterij Basilicam extruxit Deo in honorem B. *Petri* Apostoli dicatam, & ab ipso *Petro* (si somniatoribus credere volumus) consecratam. *pag.* 575. 576. 741. 742.

Theliau Landavensi & Legionensi episcopo (qui non minùs longævus fuisse videtur quàm Dolensis antistes *Samson*, ipsius sub *Dubricij* magisterio condiscipulus) vitâ functo, sororis ejus filius *Oudoceus* successor datus est: quem à civitate *Cantuarienſi* (ubi ab Archiepiscopo consecratus fuerat) redeunte rex Glamorganiæ *Mouricus* sive *Mauricius* honorificè excepit, & Landavensis Ecclesiæ privilegia authoritate suâ confirmavit. *pag.* 85. 86.

Tum verò Cambrensis provinciæ archiepiscopatum, quem Urbis *Legionensis* antistites antiquitùs obtinuerant, *Menevenses* Episcopi videntur sibi vendicâsse. (*pag* 81. 83.) Quibus *Landavenses*, ut *Legionensium* jam hæredes, subesse dedignati, à *Cantuarienſi* deinceps archiepiscopo consecrationem accipere maluerint. (*pag.* 85. 86.) Legionensis enim Ecclesia cum proximâ Landavensi ita coaluit, ut non parœciæ modo conjunctæ, sed ipsum etiam tandem *territorium* * *Julij & Aaronis* (quo nomine vel Urbem Legionensem vel ejus saltem suburbana denotari non est dubium) *Nuddo* XXI. Landavensi- * Vid. *pag.* 79. & 168.

Episcopo & ejus successoribus donatum fuerit; ut in Ecclesiæ illius Regesto habetur traditum.

DCVI. *Ædanus* Scotorum Albiensium rex, annorum penè octoginta metas attingens, mœrore confectus, apud *Kentire* obijt, & apud *Kilcheran* sepultus est. Deinde *Kennetho Ker* filio *Conalli*, regni invasore, post annum vel (ut alij malunt) post tres menses defuncto; Ædani filius *Eugenius* (Adomnano *Euchodius Buide*, Hibernis nostris *Eogha Buie* dictus) annis XVI. regno potitus est. *pag.* 709. 710. 711.

DCVIII. *Lugidus*, qui & *Molua*, Regulæ monasticæ à Gregorio Papâ laudatæ conditor, mortem obijt. *pag* 920.

DCIX. A *Laurentio*, *Melito* & *Justo* ad Hibernos scriptæ sunt literæ. *pag.* 729.

DCX. *Senachus* Armachanus Episcopus obijt. *pag.* 966.

Colmanus Elo in monasterio suo *Lan-elo* hodie *Linalli* dicto, VI. Kalend. Octobr. senex obijt. *pag.* 961.

Maclovius, à sede Alethanâ pulsus & à *Leontio* Santonensi episcopo receptus, Britonibus maledicit. *pag.* 533. 1012.

Theodoricus infidelibus Saxonibus, terram filij sui *Mouirici* regis Glamorganiæ invadentibus, se opponens, fugatis hostibus, ex vulnere in capite accepto interijt. Quo in loco *Mouricus* filius Ecclesiolam excitavit, ab *Oudoceo* consecratam; eamq; cum adjuncto territorio, *Mathern* sive *Marthern* dicto, Landavensibus Episcopis perpetuo dono tradidit. (pag. 562. 563.) Ab eodem quoq; *Mouirico*, cum alijs possessionibus etiam *Mucrosiam*, ad ripam vagæ fluminis positam, *Oudoceo* & ejus in sede Landavensi successoribus donatam fuisse legimus. (*pag.* 657.)

Constantinus filius *Fergusij* apud Pictos regnavisse traditur: à quo *Dunkeldensis* Ecclesia, post *Abernethianam* XXVI. annis & IX. mensibus fundata est; atque *Columba* primus Episcopus in eâ collocatus. *pag.* 705. 712. 713.

Æde

Æda Allano in regno Hiberniæ succeſſit *Malcobus* illius filius, ann. III. *pag.* 947. DCXII.

Bellum Cair-Legion, ubi Sancti occiſi ſunt, geſtum fuiſſe Ultonienſes noſtri Annales annotant: *Sanctorum* nomine Bangorenſes illos monachos MCC. intelligentes, ab exercitu *Ædhilfridi* Nordanhumbrorum regis, cum Britonibus ad *civitatem Legionum* (quam *Ceſtriam* hodie vocamus) dimicante, interemptos. (*pag.* 133. 912.) de quo Giraldus Cambrenſis in libro II. Deſcriptionis Cambriæ, qui *Illaudabilium* inſcribitur: *Æthelfridus nobilem Legionum urbem deſtruxit, & egregij illius Bangornenſis monaſterij monachos in auxilium orandi vocatos gladijs interemit.* DCXIII.

Columbanus in Italiâ *Bobienſe* conſtruxit monaſterium. *pag.* 688. 917. 920. & 1050. *marg.* DCXIIII.

Malcobo in regno Hiberniæ ſucceſſit *Suibneus Mendius* ann. XIII. *pag.* 947. DCXV.

Comainus Brecc in Hiberniâ mortuus eſt. *pag.* 962.

Petrannus epiſcopus *Luſcanus* in Hibernia obijt. *pag.* 963. DCXVI.

Ædhilfridus Nordanhumbrorum rex interijt, cùm XXIIII. regnâſſet annis. *pag.* 710. DCXVII.

Maclovius Britones Armoricanos, poſt ſeptennalem terræ ſuæ cladem, à maledictione ſuâ abſolviſſe dicitur. *pag.* 533. 1012.

Coemgenus ſive *Keyvinus*, Glindelachenſis cœnobij fundator, annos natus CXX. mortem obijſſe dicitur. *pag.* 956. DCXVIII.

Luanus (Ionæ, in Vitâ Columbani, *Lua* dictus) *Benchorenſis* cœnobij apud Hibernos alumnus, claruit: qui *centum* ſolus monaſteriorum fundator extitiſſe dicitur. *pag.* 911. DCXX.

Deicola, diſcipulus S. *Columbani*, claruit. *pag.* 539.

Airedus, qui habitavit in loco *Aird-ſinnaidh* dicto, & *Colmanus* filius *Fiachra*, in Hiberniâ floruerunt. *pag.* 967. 968.

Ferqu-

DCXXII. *Ferquhardus*, à Sodorensi episcopo *Conano* institutus, patri *Eugenio* in regno Dalriedæ successit; ob diutinam & continuatam cum sacerdotibus Britannicis consuetudinem Pelagianæ hæreseos suspectus. *pag.*711.

DCXXIII. *Virgnous* tertius abbas Hyensis obijt. Successit *Segenius*, ann. XXXIX. *pag.* 697.702.

DCXXIIII. A *Bonifacio* V. ad *Justum* missum est. Pallium, cum literis jura metropolitica Cantuarienſis Ecclesiæ confirmantibus. *pag.* 69.

Ab *Honorio* I. Cantabrigiensi Academiæ Bulla data fuisse fingitur. *pag.*131.

DCXXV. *Paulinus* (XII. Kalend. August. ut habet Beda lib. 2. cap.9.ordinatus genti Nordanhumbrorum antistes) *vetustam* Glastonienſium Ecclesiam ex virgeâ ligneam fecisse, plumboq; posteà cooperuisse dicitur. *pag.*114.1055.

Gallus Hibernus, decem annis post excessum magistri sui *Columbani* (ut ex Theodoro Campidonensi in Vitâ S. Galli colligimus) mortem obijt. de quo, *pag.* 733.735 441.688.1052.

DCXXVII. *Edwinus* Nordanhumbrorum rex, Eboraci à *Paulino* baptizatus, sedem Episcopatus ibidem illi donavit. *pag.* 77 78.142.

In Albaniâ, *Ferquhardo* Dalriedæ rege defuncto succedit frater ipsius *Donevaldus* (Adomnano *Domnallus Breccus* dictus) qui Scotis Albiensibus annis XV. præfuit: ut in Ultonienſibus habetur Annalibus. *pag.* 711.712.

Furseus, Foillanus & *Ultanus*, filij *Philtani* Reguli Hibernici, claruerunt. (*pag.*967.1068.) Ad hunc annum in Annalibus Ultonienſibus refertur *Visio quam vidit Furseus religiosus Episcopus.* Post quam integro decennio (ut apud veterem Actorum ipsius scriptorem legimus) *verbum Dei per universam Hiberniam prædicabat; & ea quæ viderat vel audierat omnibus populis Scotorum adnunciabat.* (pag.1037.)

DCXXVIij. *Suibneo Mendio* in regno Hiberniæ successit *Domnallus* sive *Donaldus* filius *Aidi*, ann. XIIII. (*pag.*947.)

Adom-

Adomnanus ejus meminit, lib.1. cap.9. & lib.3.cap.5.

Honorius I. Hibernos Australes ad Romanam Paschatis observationem traduxit. *pag.*700.934.939. DCXXIX.

Synodus *Lech-leniensis* hanc ob causam in *Campo Albo* habita est: ubi *Munnu* (qui & *Fintanus*, *Tailchani* filius) *veterem* ordinem, *Lasreanus* autem (qui & *Molassus*, *Kiarelli* filius) *Lech-leniensis* abbas, *novum ordinem defendebat, qui nuper de Româ venerat*. pag.935. 936.937.1064. DCXXX.

Eodem quo hæc Synodus habita est mense (qui *Martius* fuit) *Subne* filius *Domnaill* Dux regionis * *Huamairche* (al. *Huwargi*) à filio fratris sui juxta rivulum *Blathach* occisus fuit. *pag.*936.937.

* Sliew marge, sive *Montis Margei*. pag. 572. cum 937.

Mochudæus, qui & *Carthagus*, cum discipulis suis DCCCLXVII. è *Rathenienſi* suo monasterio pulsus, *Lismoriam* concessit; ejusq; Ecclesiæ (quæ multitudinis virorum sanctorum posteà factum est habitaculum) primus Episcopus ordinatus est. *pag.*919.943.1049.

Duodecim celebriorum ejusdem in *Rathenienſi* cœnobio discipulorum nomina: quorum primus *Mochue* filius *Niellani*; qui in vicino posteà loco, *Cluain-dachran* dicto, cellam obtinuit. *pag.*971.

Barrus (qui & *Barrocus* & *Find-barrus*, à parentibus verò *Lochanus* dictus) apud Corcagienses claruit. (*pag.* 971.) A *Mac-curbio* Gregorij Papæ discipulo, Româ veniente, in Laginiâ institutus fuisse dicitur. Quod si verum: *Davidi* Menevensi ϛύγχρονον fuisse illum, Giraldo Cambrensi non facilè fuerit concedendum. (*pag.*953.)

Fechinus trecentis monachis, in monasterio *Favoriæ* sive *Fouriæ* à se condito, præfuit: & insulæ cujusdam incolas ethnicos ad fidem Christi convertit. *pag.* 943. 944.966. 1068.

Monenna virgo in Hiberniâ claruit. quæ in Terrâ Conalleâ (patre *Maugtheo* Yveachensium rectore) genita, *Fochardæ* primùm (in agro Louthiano) delubro constructo, virginibus CL. præfuisse; deinde *Orbilâ* sive

Servilâ Abbatissâ ibi relictâ juxta *Colmi* montem consedisse & *Kil-slevie* (in Comitatu Armachano) alterum condidisse delubrum traditur. (*pag.* 705. 706. 1036.) quod *Monimne* tamen sive *Darerca*, S. Patricij sorori, ab alijs est attributum. Vid. supr. ann. DXVIII. (*pag.* 1127.)

DCXXXI. *Lasreanus* & *quinquaginta* alij, post *Lech-lenensem* Synodum ad urbem Romanam pervenientes, comperterunt hoc anno ab omnibus pariter gentibus Dominicam Paschalem die XXIIII. Martij celebratam, quum à Britonibus & Scotis die XXI. Aprilis observaretur. *pag.* 937. 938.

DCXXXII. *Ædanus*, qui & *Moedhogus*, primus *Fernensis* archiepiscopus, mortem obijt. *pag.* 965. 966.

DCXXXiij. *Edwinus*, Nordhanhumbrorum rex, IIII. Id. Octob. à *Cedwallâ* rege Britonum occisus est. *pag.* 78. 663.

Lasreanus Abbas *Lechlenensis* ab Honorio Episcopus consecratus, cum socijs suis *tertio* post iter Romanum susceptum anno in Hiberniam redierunt. *pag.* 937. 938.

DCXXxiiij. *Quintus* Cyclus Paschalis 84. annorum incipit. sub cujus initium, *Cummianus* ad *Segenium* Hyensem abbatem, de controversiâ Paschali, scripsit epistolam. (*pag.* 702. 930. 934. 937. 968.)

Colmanus Stellanus abbas *Tiridaglus*, (pag. 968.) & *Munnu* sive *Fintanus* Talchaini filius, qui *Lech-lenensi* Synodo nuper interfuit, XII. Kalend. Novembris (ut Tigernaci habent Annales) in Hiberniâ mortem obijt.

Cedwalla rex Britonum ab *Osualdo* rege *Æthelfridi* filio interemptus est. *pag.* 663

Ab *Honorio* I. Romano Pontifice ad *Honorium* Cantuariensem & *Paulinum* Eboracensem archiepiscopum duo missa sunt Pallia; simul cum literis, utriusq; sedis jura metropolitica confirmantibus. (*pag.* 69. 70. 78.) Sed *Eboracensis* Ecclesia, recedente inde *Paulino*, per XXX. annos proprium non habuit Episcopum. (*pag.* 78.) *Aidanus* enim, qui ex *Hy* Scotorum insulâ ad prædicandum verbum Dei Nordanhumbris hoc anno est vocatus, ab *Ebo-*

ab *Eboracensi* ad *Lindisfarnensem* Ecclesiam sedem Episcopatus transtulit. (*pag.*78.697 919.)

A *Segonio* Hyensi abbate Ecclesia de *Rechrau* sive *Rachlinensis* (ut ex Ultonienſibus & Tigernaci Annalibus intelligitur) fundata est. (*pag.*958.) DCXXXV.

Eodem anno (ut ex Ultonienſibus etiam Annalibus liquet) mortuus est *Ernanus* sive *Erneneus* filius *Crasseni*; per omnes Hiberniæ Ecclesias celebris. (*pag.* 935. 968.) Putatur fuisse ille S. *Columbæ* monachus in *Dorso Thomæ* sepultus; quem Scoticè sive Hibernicè *Ernene*, Latinè *Ferreolum* dici posse, Adomnanus annotat. (*pag.* 968.969.1068.)

Birinus, ab *Honorio* I. missus, *Geuissis* sive Occidentalibus Saxonibus Euangeliū primus prædicavit. *pag.*466.

Rothanum prælium in Hiberniâ gestum est. *pag.* 712. DCXxxvij.

Mochudæus, qui & *Carthagus*, Abbas *Rathenienſis* & Episcopus *Lismorienſis*, hoc anno (ut Ultonienses Annales indicant) mortem obijt. De cujus *Regulâ* monasticâ, videnḍ. *pag.*919.

Furseus, quum multis annis in patriâ verbum Dei annunciaviſſet, ex Hiberniâ transijt in Angliam. *pag.*730.

Lasreanus sive *Molassus*, Kiarelli filius, *Lech-lenienſis* Abbas simul & Episcopus, in Hiberniâ mortem obijt. *pag.*938. DCXXXix.

A *Furseo* monasterium *Cnobheresburgense* inter Suffolcienses est conditum: cujus curâ fratri suo *Foillano* atq; presbyteris *Gobbano* & *Diculio* (*Gobbonam* & *Tibullam* alij vocant) commissâ, ipse cum fratre *Ultano* per integrum annum vitam egit eremiticam. (*pag.*967.) Vid. Bedam, lib.3.Hist.cap.19.

A *Tomiano* Armachano archiepiscopo, *Columbano*, *Cromano*, *Dimao* & *Baithano* Episcopis, *Cromano*, *Erniano*, *Laistrano*, *Scellano* & *Segeno* presbyteris, *Sarano* alijsq; Doctoribus & Abbatibus Hiberniæ, de controversiâ Paschali & hæresi Pelagianâ ad *Severinum* Papam perlatæ sunt literæ. Ad quas, de luce eo migrante, ab electo DCXL.

ejus successore *Johanne* datum est responsum. (*pag.*729. 938. 939. 968. 969.) Vid. Bed. lib. 2. Hist. cap. 19.

Fursæus Hibernus ex Angliâ in Galliâ abijt. *pag.* 1037.

Oissenevs presbyter, *Munnu* sive *Fintani* discipulus, in Hiberniâ claruit. *pag.* 1064.

Columba Dunkeldensis episcopus *Cuthbertum* puerum (Lindisfarnensem postea antistitem) unâ cum *Brigidâ* virgine Hibernicâ susscepisse, & aliquandiu educavisse scribitur. *pag.* 705. 713.

DCXLII. *Domnallus* filius *Aidi*, rex Hiberniæ, in fine mensis Ianuarij moritur: succedentibus illi in regno *Conallo* & *Cellacho* filijs *Malcobi*, ann. XVI. (*pag.* 712. 947.) In Angliâ *Oswaldus* rex Nordanhumbrorum die quinto mensis Augusti peremptus est. (*pag.* 135.) In Albaniâ quoq; *Domnallus Breccus*, filius *Euchodij* sive *Eugenij*, rex Dalrietæ ab *Hoan* rege Britonum mense Decembri interfectus est. (*pag.* 712.)

DCXLIII. *Kenewalchius* patri suo *Kinegilso* in Occidentalium Saxonum regno successit. *pag.* 110. 112.

DCXLViij. *Foillanus*, Episcopali ordinatione Romæ à *Martino* Pontifice acceptâ, post fratris *Fursei* excessum in Galliam, *Sigiberti* regis temporibus, pervenit: ubi *Gertrudis* virginis dono monasterium *Fossense* super *Bervennam* fluvium fundavit. (*pag.* 967. 968.) Vid. Sigebert. Chron. ann. 648.

DCL. *Murgeus* & *Lomanus* Episcopi in Hiberniâ claruerunt. *pag.* 965. 966.

Monenna ex Hiberniâ in Britanniam profecta, juxta sylvam *Ardernam* in Angliâ duo monasteria, in Albaniâ verò septem Ecclesias construxisse dicitur. *pag.* 706.

DCLI. *Aidanus* Lindisfarnensis episcopus prid. Kalend. Septembr. obijt; non *Glastonia* (ut *pag.* 893.) sed *Lindisfarnæ* (ut *pag.* 964. cum Bedâ, lib. 3. Hist. cap. 17. & 26.) sepultus. *Finanus*, ex *Hy* insulâ vocatus, illi successit. *pag.* 78. 919. 955. 1036.

DCLII. *Segenius* quartus abbas *Hyensis* obijt. Successit *Suibneus*, ann. V. *pag.* 702. 970. *Aidhle-*

Aidhlogus filius *Camaini* abbas *Cluana-mac-nois* & *Manchenus*, qui & *Manichæus*, abbas *Meno-drochit* in Hiberniâ obierunt. *pag.969.970.971.*

Caminus de *Iniſh-kealtair* mortè obijt. *pag.971.972.* DCLIII.

Wilfridus tonſuram in modum coronæ ſpineæ à *Dalfino* Lugdunenſi archiepiſcopo accepit: cujuſmodi etiam tonſuram in Mailroſenſi cœnobio *Cuthbertus* ſuſcepit. *pag.922.*

Colmanus Epiſcopus, filius *Cuideldubh*, in Hiberniâ obijt. *pag.964.* DCLIIII.

Foillanus Epiſcopus, cum tribus diſcipulis, in ſylvâ *Carbonariâ* martyrio coronatus, in *Foſſenſi* ſuo monaſterio ſepultus eſt. *pag.967.968.*

Penda Merciorum rex interijt. *pag.707.* DCLV.

Suibneus quintus abbas *Hyenſis* obijt. Succeſſit *Cumineus Albus*, ann.XII. (*pag.702.*) qui S.*Columbæ* Acta deſcripſit. (*pag.688.*) DCLVII.

Vltanus Ardbracanenſis, ex *Conchuburnenſium* ſive *Connoreorum* genere ortus, in Hiberniâ mortem obijt: ex quo *Tirechanus* ea didiciſſe ſe profitetur, quæ de Actis B.*Patricy* retulit. *pag.963.964.cum* 818.& 1067.

Dermitius & *Blathmac*, filij *Ædæ*, regnant in Hiberniâ ann. VII. *pag.947.* DCLVIII.

Colmanus Glindelochenſis in Hiberniâ obijt.*pag.964.* DCLX.

Monenna virgo *Lanfortini* in Albaniâ mortua eſt; *Columbâ* Dunkeldenſi Epiſcopo adhuc ſuperſtite. *pag.705.706.1036.*

Decem *Barri* Corcagienſis diſcipuli in Hiberniâ claruerunt: inter quos *Colmanus* filius *Lenini*, primus *Clonenſis* Epiſcopus. *pag.971.* & 1067.

Finano defuncto, *Colmanus* Hibernus in Lindisfarnenſi Epiſcopatu ſucceſſit; eiq; tribus annis præfuit. *pag.78. 681.697.919 964.1036.* DCLXI.

Cumminus Fada ſive *Longus*, filius *Fiachna* Occidentalis Momoniæ Regis, mortem obijt. *pag.972.* DCLXII.

In *Pharenſi* ſive *Whitbienſi* conventu de legitimo Paſ- DCLXIIII.

chatis obſervandi tempore, inter *Colmanum* Lindisfarnenſem præſulem & *Wilfridum* Ripenſis monaſterij presbyterum, habita eſt diſputatio. *pag.*931.940.964.

Soluto conventu illo, *Colmanus*, cum ijs quos in Lindisfarnenſi inſulâ congregaverat *Scotis* & de gente Anglorum circitèr XXX. monachis, in Hiberniam patriam ſuam navigavit: atq; in *inſulâ Vitulæ Albæ* ſive *Iniſ-boſinde* commune illis conſtruxit monaſterium. (*pag.*964.) Eum ex Angliâ ſecutus fuiſſe dicitur *Geraldus* abbas Wintonienſis, cum tribus ſuis fratribus & tribus virorum militibus: quibus monaſterium in Connaciâ *Elitheriam*, id eſt, *Cervinam* nominatum conſtruxiſſe illum, Vitæ ipſius ſcriptor narrat.

Kalendis Maij Eclipſis Solis maxima facta eſt. In eâdem æſtate cœlum ardere viſum eſt. Subita orta peſtilentia, depopulatis prius auſtralibus Britanniæ plagis, Nordanhumbrorum quoq; provinciam corripuit; & Kalendis Auguſti in Hiberniam pervenit. (*pag.*948. 949.) Peſtem hanc *ictericiam* fuiſſe notat ſcriptor Vitæ Geraldi Saxonis, ſermone Hibernico *Budi Conayll* dictam: eâque tot in Hiberniâ homines extinctos fuiſſe addit, ut tertia tantùm pars populi ſuperſtes fuerit relicta.

Eodem anno *Tudâ*, qui apud Scotos auſtrinos *Colmani* loco Lindisfarnenſis ordinatus fuerat Epiſcopus, peſte ſublato, *Wilfridus* Eboracenſis creatus eſt Epiſcopus; XXX. annis poſt Epiſcopatum à ſede Eboracenſi ad Lindisfarnenſem per Scotos tranſlatam. (*pag.*78.) Hic, abrogatâ S. *Columbæ* Regulâ quam Scoti introduxerant, S. *Benedicti* Regulam in regno Nordanhumbriæ à monachis obſervari primus juſſit: (*pag.*919.) neq; *Nordanhumbris* ſolùm omnibus ſed etiam *Pictis*, quouſq; Regis *Oſwij* protendebatur imperium, Epiſcopus ille præfuit. (*pag.*668.)

DCLXV. *Colmanus*, Scotis ſuis in *Inis-boſindiâ* relictis, Angliæ gentis monachis novum paravit cœnobiũ, quod *Innigeo*

vel

vel potiùs *Muigeo* (ut posteà, ad annum DCXCVII.) appellatum Beda confirmat. (*pag.*964.) *Maguncium, Magunensem* & *Maionensem* abbatiam scriptor Vitæ Geraldi Saxonis nominat: de eodem addens. *Ad Magunensem Ecclesiam ipse cum suis devenit. Ibi quoq; sanctissimus vir usq; in finem vitæ moram trahens, in amore Dei & proximi permansit.*

Sæviente pestilentiâ, *Dermitius* & *Blathmac* Hiberniæ Reges, (*pag.*947.948.) *Fechinus* Fouriæ abbas, *Aileranus* sive *Eleranus* sapiens, *Cronanus* filius *Silvi*, duo Abbates Clonenses *Colmanus Cassi* & *Cummenius*, cum alijs multis (inter quos Vitæ Geraldi scriptor sororem illius *Sigresiam*, cum centum sanctimonialibus de ejus collegio, & quinquaginta ejusdem Geraldi in *Elitherien si* monasterio discipulos, connumerat) è vitâ sublati sunt. (*pag.*966.967.968.969.)

Theodorus, Tharsi in Ciliciâ natus, sub finem hujus anni Romæ subdiaconus ordinatus, Romanam suscepit tonsuram. *pag.*922. DCLXVII.

Cummineus Albus, sextus Abbas *Hyensis*, obijt. Successit *Failbeus*, ann. X. *pag.*702. DCLXIX.

Oswio Nordanhumbrorum Rex defuncto successit filius *Egfridus*: qui mox post patris obitum deficientes Pictos subegit. *pag.*668. DCLXX.

Kenewalchus Occiduorum Saxonum Rex *Berthualdo* primo è gente Anglorum *Glastonien sis* monasterij Abbati, *Theodoro* Cantuarien si Archiepiscopo intercedente, *Ferrameriam* donavit. *pag.*110.111.112.113.125.& 1055.

Fiacrius Hibernus, ad *Pharonem* Meldorum Episcopum profectus, in Galliâ claruit. *pag.*711.944.

Molingus, secundus Fernensis archiepiscopus, in Hiberniâ floruit. *pag.*864.

Beda natus est in *Girmensi* territorio, non longè à *Tina* fluminis ostio. *pag.*949.1027. DCLXXiij.

Hiberniam sanctis virus plenam fuisse, ad hunc annum Mari- DCLXxiiij.

Marianus Scotus annotat: (*pag.*735.) Ex quibus *quartus* Sanctorum ordo constitui poterit.

DCLXXV. *Ositha*, à *Monennâ* sive *Modwennâ* instituta, & *Editha* virginis curæ commendata, ab *Eccâ* & *Bedwino* Orientalium Anglorum Episcopis velum accepit; & in villâ *Chicensi* (à *Sigero* Orientalium Saxonum Rege sibi traditâ) sacrarum virginum cœtui præfuit: ubi posteà à Danicorum piratarum duce martyrio est affecta. *pag.* 706.707.

DCLXXVj. *Colmanus*, priùs Lindisfarnensis posteà Inis-bofindanus Episcopus, mortem obijt. *pag.*964.

DCLxxviij. *Comanus* Episcopus *Fernanus* in Hibernià obijt. *pag.* 968.

Kentwinus Occiduorum Saxonum Rex, *Heddâ* Episcopo Wintonienſi impetrante, insulam *Glastoniæ* liberam ab omni regali servitio *Vetustæ* Ecclesiæ concessit (sicut Reges Britonum ante eum jampridem confirmaverant:) libero jure fratribus ibi Deo servientibus concesso Rectorem sibi eligendi & constituendi secundùm Regulam S. *Benedicti*. *pag.*111.112.113.

Wilfridus à sede Eboracensi pulsus est. *pag.*668.

DCLXXix. *Failbeus* septimus abbas *Hyensis* obijt. Successit *Adomnanus* (Actorum *Columbæ* scriptor) ann. XXV. *pag.*702.

DCLXXX. *Adamnanus* alius, & ipse Scotus sive Hibernus, in *Colndiensi* sive *Coldinghamensi* monasterio, vitam exegit severissimam. *pag.*702.

DCLXXxj. *Trumwinus* provinciæ Pictorum, quæ tunc Anglorum erat imperio subjecta, Episcopus à *Theodoro* Cantuariensi Præsule est ordinatus. *pag.*668.

Duæ Chartæ *Glastonienſi* cœnobio, cujus Abbas tum erat *Hemgistus* sive *Hemgiselus*, hoc anno inveniuntur concessæ. *Heddæ* Wintonienſis Episcopi una, cum consensu *Cedwallæ* tum pagani facta. Altera *Baldredi* reguli, ex consensu ejusdem *Heddæ* & *Aldhelmi* Malmesburiensis abbatis concessa. *pag.*111.112.113.

Coludiense sive *Coldinghamense* commune viris & fœminis

fœminis cœnobium incendio est absumptum. *pag.* 945.

Egfridus rex Nordanhumbrorum, misso Hiberniam cum exercitu duce Bertho, vastavit miserè gentem innoxiam, & nationi Anglorum semper amicissimam: ut his ipsis verbis Beda Anlgus retulit. *pag.* 730. DCLXXXiiij.

A *Theodoro* Cantuariensi archiepiscopo *Twifordiensis* Synodus juxta fluvium *Alne* est habita: cui *Trumwinus* Pictorum Episcopus interfuit. *pag* 668. 1033.

Cuthbertus Episcopus ordinatus est: qui *Coldinghamensis* incendij motus exemplo, omne suis muliebre interdixit consortium, fœminarumq; ab Ecclesiæ suæ ingressu penitùs amovit introitum. *pag.* 945. 946. DCLXXxv.

Chartæ donationis ab *Egfrido* rege *Cuthberto* concessæ *Trumwinus* Pictorum Episcopus subscripsit. *pag.* 668. 1033.

Alia quoq; Charta à *Cadwalladro* Britannorum rege *Cantabrigiensi* Academiæ eodem anno data fuisse fingitur. *pag.* 131.

Egfrido Nordanhumbrorum rege (à fratruele suo *Birdeo* sive Brideo rege Pictorum; ut habet Continuator Ninij) interempto; *Picti* terram possessionis suæ ab Anglis recuperaverunt. Unde *Trumwinus*, qui in eos Episcopatum acceperat, cum suis qui erant in monasterio *Abercurnig*, ab eis recessit. *pag.* 663. & 669.

Cædvalla (qui paganus ille regulus fuisse videtur, cujus ad annum DCLXXXI. facta est mentio) *Kentwino* in regno Occiduorum Saxonum successit. *pag.* 112. DCLxxxvj.

Kilianus Hibernus primus *Wirtziburgensis* Episcopus factus est. *pag.* 733. 735. DCLXXXVij.

Kilianus, cum socijs suis *Colonato* & *Totnano*, VIII. Id. Julij martyrio vitam finijt. *pag.* 732. DCLxxxix.

Aldhelmus Anglus, de tonsuræ & Paschalis observationis controversiâ, ad *Geruntium* Britannorum Cornubiensium regem scripsit Epistolam. *pag.* 321. 923. 930. DCXC.

Adomnanum, decimoquarto anno post pansam Failbei ad Hiberniam perrexisse, in Annalibus Ultoniensibus legimus DCXCII.

gimus: ut *Columbienſium* nimirùm cellas, *Hyenſi* ſuo cœnobio ſubditas, viſitaret. Quò illud, in Vitâ Geraldi Saxonis, refero. *Sanctus abbas Adamnanus, poſt viſitationem totius Hiberniæ ad S. Geraldum perrexit; ut fraternam cum eo contraheret ſocietatem. Cui S. Geraldus fundum cum fonte limpido contulit; at ǫ̃ ſibi ſuam commendavit Eccleſiam, ut à perſecutione laicorum poſt obitum ſuum eam defenſaret. Quod totum S. Adamnanus ſe completurum promiſit, at ǫ̃ opere complevit.*

DCXCIII. *Berthwaldus*, Glaſtonienſis primùm deinde Raculvenſis Abbas, ad *Cantuarienſem* archiepiſcopatum promotus eſt. *pag.* 111. 1055.

Egbertus Anglus ex Hiberniâ diſcedens, ubi ſacris ſtudijs operam dederat, in Germaniam ad Friſones, Saxones & alios adhuc infideles populos convertendos proficiſci voluit. Sed eo impedito, *Willibrordus* (in Hiberniâ quoq; inſtitutus) & XI. ſocij opus aggreſſi perfecerunt. *pag.* 398. 400. 730.

DCXCIIII. *Kiliani* Wirtziburgenſis Epiſcopi diſcipulus *Arnual* in Galliâ; *Adamanus* Abbas, *Aldhelmus* & *Wilfrid* Epiſcopi, clarent in Angliâ. *pag.* 935. *marg.*

DCXCVij. *Adamanum*, vel *Adomnanum* potius hunc *Hyenſem* abbatem, ſeptem ante mortem ſuam annis in Hiberniam iterùm perrexiſſe, Ultonienſes docent Annales. Unde & illud in Actis Geraldi Saxonis huc referendum exiſtimo. *S. Geraldus apud Maionenſem Eccleſiam in pace quievit* III. *Idus Martij. Poſt ejus verò obitum S. Adomnanus Maionenſem Eccleſiam per ſeptem annos indefeſſè rexit: clauſtrales in charitate perfectâ inſtruens, volumina conſcribi faciens, at ǫ̃ manu propriâ lil rũ quatuor Euangeliorum ſcribens, campanas etiam ad reverentiam Eccleſiæ fabrifaciens. Inde ad Ionenſem perrexit abbatiam; & ibi feliciter obiit in Chriſto, & ſepultus eſt.* Ut in iiſdem Annalibus metachroniſmo peccatum eſſe videatur; quum ad annum DCCXXXI. (qui nobis eſt DCCXXXII.) *Geralt Pontifex Saxonum Campi Hen*

obiiſſe

obiisse scribitur. vel, ut Tigernacus in suis Annalibus exprimere maluit: *Pontifex Muighe heo Saxonum Garailt obiit.* In *Maionensi* verò urbeculâ, ut *Geraldi* nomine Deo dicata ad hunc usque diem supereſt Ecclesia: ita *Adamnani* & S. *Cormaci* tempore *centum Saxonicorum Sanctorum* habitaculum ibidem extitisse, libri Ballimotensis collector confirmat. *pag.*964.

Adomnanus prædicatione suâ Borealium Hibernorum plurimos, & penè omnes qui ab Hyensium dominio erant liberi, ad Romanum celebrandi Paschatis ritum perduxit. *pag.*700.729.730. DCCIII.

Idem, post celebratum in Hiberniâ Pascha Canonicum, ad *Hyenses* suos reversus, quum ad Romanum observandi Paschatis morem eos perducere non potuisset, hoc anno (Octobris die XXIII.) mortalitatem exuit; succedente illi in *Hyensi* præfecturâ *Conaino* filio *Failbei*, ann. VI. (*pag.*701.702.) Vid. Bed. Histor. lib. 5. cap. 16. & 22. DCCIIII.

Ab *Inâ* Occidentalium Saxonum rege, consilio *Aldhelmi*, Glastonienſibus monachis Charta concessa legitur. *pag.*111.114.

Conainus nonus abbas *Hyensis* obijt. Successit *Dunchadus* filius *Cinfelæ*, ann. VII. *pag.*702. DCCX.

Abernethia novem sacratas virgines *Eugenij* VII. Scotorum regis temporibus claruisse nonnulli perhibent. *pag.*713.

Naitanus sive *Nechtanus* Pictorum rex, *Ceolfridi* abbatis literis persuasus, Paschalis observationis & tonsuræ morem Romanum in subjectas sibi provincias introduxit. (*pag.*701.702.703.921.) qui idem Rex *Abernethianam* quoq; Ecclesiam, *Brigidæ* nomine Deo dicatam, amplis possessionibus dotavisse traditur. (*pag.* 713.714.)

Egbertus presbyter, qui in Hiberniâ peregrinam ducebat vitam, ad *Columbæ* monasteria docenda perrexit: atq; illos quoq; qui insulam *Hy* incolebant monachos DCCXVI.

Scoticæ nationis IIII. Kalendas Septembris, die Sabbati, ad Romanum Paschalis temporis observandi morem perduxit. *pag.*701.702.

DCCXVII. *Dunchadus* decimus abbas *Hyensis* obijt: & *expulsio familiæ Iæ* sive Hyensis hujus Insulæ *trans Dorsum Britanniæ à Nectano* sive *Naitano* Pictorum rege facta est. *pag.*702.

DCCXViij. *Sextus* Cyclus Paschalis 84. annorum incipit: à *Britonibus* adhuc retentus. (*pag.* 701.)

DCCXXI. Concilio Romano, sub *Gregorio* II. habito, *Fergustus* sive *Fergusius* potiùs, *episcopus Scotiæ Pictus* & *Sedulius episcopus Britanniæ de genere Scotorum*, subscripserunt. *pag.* 780. 781.

Ina Occidentalium Saxonum rex, *Aldhelmi* Schireburnensis tunc Episcopi consilio, *Glastonienſe* denuò fundavit monasterium, Ecclesiam Petri & Pauli ibidem construxit; multisq; prædijs cœnobitas & *Magno* illo (quod vocatur) donavit *Privilegio*. pag. 18. 107. 108. 109,112.113.

Ina tempore *Beorwaldus* Glastonienſis fuit abbas, *Hemgisli* sive *Hemgiseli* successor. *pag.*111.979.980.

Daniel Britannus à sede *Congresburienſi*, donante Rege *Inâ* & consentiente, ad *Wellenſem* sedem Episcopatum transtulit; postremus in eo loco Britonum existens Episcopus. *pag.* 65. & 473.

DCCXXxj. *Mordacus* Scotorum Albienſium rex mortuus est: & *Beda* anno ætatis suæ LIX. Historiam suam Ecclesiasticam terminavit. quo tempore, *Britonum* complures in gente Nordanhumbrorum, depositis armis, monasticæ disciplinæ subdere se cœperunt; atq; inter *Anglos* ibidem, *Acca* in Ecclesiâ *Hagustaldenſi* Episcopatum gessit, *Pecthelmus* in *Candidâ Casâ* sive *Whit-herniâ*, (quæ *nuper multiplicatis fidelium plebibus*, *in sedem Pontificatus addita*, *ipsum primum* Anglorum ibi *habuit antistitem*:) Albienſes verò *Scoti*, suis contenti finibus, nihil contra gentem *Anglorum* moliti sunt. *pag.*664. 665.666 710.949.

Pecthelmo

Pecthelmo Episcopo Candidæ Casæ defuncto successit *Frithwaldus*. pag. 666. DCCXxxv.

Regulæ monasticæ *Kiarani* filij artificis & *Brendani* filij Findlogæ in Hiberniâ usus propagatus est. *pag.* 1050. DCCXLiij.

Eadbertus, qui & *Egbertus*, rex Nordanhumbrorum & *Unnust* sive *Oengus* rex Pictorum, captâ urbe *Alcluit*, Britones eam tenentes *in deditionem* receperunt. *pag.* 819. 820. DCCLVI.

Oengus ille Rex Pictorum obijt. *Ibid.* DCCLXI.

Frithwaldus Candidæ Casæ Episcopus Nonis Maij ex hâc vitâ decessit: & XVI. Kalend. Augusti successor illi datus est *Pechtwinus*. *pag.* 666. DCCLXiij.

Rumoldus Hibernus *Mechlinia* à sicarijs interemptus est. *pag.* 736. DCCLXxv.

Pechtwinus Candidæ Casæ Episcopus obijt. *pag.* 666. DCCLXXvij.

Æthelbertus Eboraci XVII. Kalend. Iulij Candidæ Casæ ordinatus est Episcopus. *Ibid.* DCCLXxviij.

Beadvulfus, post hunc, ejusdem Ecclesiæ ordinatus est Episcopus. *Ibid.* DCCXCI.

Duo Scoti de Hiberniâ cum mercatoribus Britannis ad litus Galliæ devenerunt; viri & in secularibus & in sacris scripturis incomparabiliter eruditi. (*pag.* 732.) à quorum altero *Parisiensis* Academia in Galliâ, ab altero *Ticinensis* in Italiâ, sua sumpsit primordia.

Alcuinus gravissimam ad *Æthelardum* Cantuariensem archiepiscopum scripsit Epistolam. *pag.* 556.

S. *Albani* sepulchrum, Anglo-saxonibus hucusq; incognitum, extra Ecclesiam memoriæ illius dicatam (cujus, ut suâ ætate celebris, libro 1. Histor. cap. 7. Beda meminit) Kalendis Augusti ab *Offâ* Merciorum Rege inventum est, & Martyris reliquiæ in Ecclesiam illatæ. *pag.* 166. 574. 575. 1015. 1016. *cum* 148. 329. 980. 981. 986. DCCXCiij.

Albanenses cœnobij ab eodem Rege posita sunt fundamenta, & Nigrorum monachorum conventus ibidem institutus: primo monasterij nondum extructi Abbate ordinato *Willegodo*. pag. 1016. 1017. 1052. 1053.

Ab eodem Rege, eodem hoc anno, *Croylandenſibus* monachis Charta data legitur; in quâ eos, *tanquam fratres ſuos monachos de ſancto Albano*, in clientelam ſuam accipit. *pag* 1016.

DCCxciiij. *Æthelredo* Nordanhumbrorum rege occiſo, provincia illa ceſſante rectore per trigi ta tres annos & finitimis & Danis advenis præda facta eſt. *pag.667.*

DCCXCV. *Dani*, qui & *Nordmanni*, maximam Hiberniæ partem populati, *Rechrain* ſive *Raclinenſem* inſulam vaſtaverunt. (*pag.*958.) quo tempore & *Findanum* Laginenſem, cum ſorore ſua, captivum abduxerunt. (*pag.* 1038.)

DCCC. *Modanus* & *Medanus*, germani fratres, apud Scotos vitam monaſticam egiſſe dicuntur. *pag.* 681.

Heathoredus, Anglo-ſaxonum poſtremus, *Candidæ Caſæ* Epiſcopatum obtinuit. Poſteà enim Scoti, ex Hibernia (Nordanhumbranæ, ut videtur, ἀναρχίας tempore) in Gallovidiam influentes, *Sodorenſi* in *Monâ* inſulâ Epiſcopo ſe putantur ſubjeciſſe. *pag.666.667.*

DCCCII. *Septimus* Cyclus Paſchalis 84. annorum incipit; in Auſtrali Cambriâ adhuc retentus. Nam in *Venedotiam* ſive Borealem Cambriam ab *Elbodo* epiſcopo Romana obſervandi Paſchatis conſuetudo eſt introducta. (Vid. Humfred. Lhuyd. fragment. Britann. Deſcript. fol. 55. b. & Chronicon Cambriæ, pag. 17.)

A *Kenulpho* Merciorum Rege ad *Leonem* III. Pontificem, de ſedis Cantuarienſis jure metropolitico, miſſa eſt Epiſtola. *pag.*70.

DCCCIX. *Elbodus*, qui & *Elvodugus*, Venedotiæ antiſtes, obiit. *pag.*87. 817.

DCCCXij. *Danorum* ſive *Nordmannorum* claſſis, Hiberniam invadens, victa & fugata eſt. *pag.*731.734.

DCCcxiiij. *Hungus* filius *Ferguſij* principatum in Pictos inijſſe dicitur. *pag.*715.

Ab eo *Athelſtanum* (neſcio quem) Anglorum regem, in loco qui ab eò *Elſtan-furd* nomen obtinuit prælio commiſſo, occiſum ferunt; ſigno Crucis S. *Andreæ*

in

in aëre apparente, quo Picti & Scoti, ad tantæ victoriæ memoriam conservandam, pro insigni deinceps usi fuerint. *pag.*712.714.715. *cum* 649.654.657.

Dani sive *Nordmanni*, duce *Turgesio* Norwego, Hiberniam per annos XXX. tributariam effecerunt: & gentili furore debacchantes, Ecclesias ferè omnes destruxerunt, libros incendio absumpserunt, viros eruditione & sanctitate illustres in latibula compulerunt & inventos martyrio effecerunt. Unde nova in florentissimam Insulam invecta est barbaries. *pag.* 860. *cum* 571. 816.915.916. quibus & ille locus addi poterit, ex Actis Geraldi Saxonis. *Turgesius Norvagiensis, tyrannus valde crudelis, totam devastans Hiberniam, tandem ad Maionensem deveniens Ecclesiam, templum quod fuit ibi à Sanctis constructum ac asseribus plumbeis contectum in contemptum Dei & Sanctorum comburendo destruxit*; & quod de *nongentis* monachis à piratis unâ die in *Benchorensi* apud Ultonienses cœnobio interfectis à Bernardo est traditum. *pag.* 911.912. DCCCxviij.

Sedulius Scotus clarus habebatur. *pag.*780.

Achaius sive *Eochaig*, Scotorum Albiensium Rex, mortem obijt. *pag.*715. DCCCXIx.

Receptâ post XXXIII. annorum ἀναρχίαν Northumbriâ, *Egbertus* Occiduorum Saxonum Rex monarchiam *Angliæ*, quæ nomen illud eo tempore putatur accepisse, primus sibi vendicavit. *pag.* 108. 667. DCccxxvij.

Farananus Ecclesiæ Armachanæ ann. XIIII. Episcopus præfuit. *pag.*860. DCCCxxxiiij.

Egberto Angliæ monarchæ succedens filius *Æthelwulphus*, avito West-saxonum regno contentus, cetera quæ pater subjugaverat *Æthelstano* filio suo tradidit. *pag.*714. DCCCxxxvj.

Alpinus filius *Achaij* sive *Eochaig*, *Dalrieda* Rex, à Pictis occisus est. Successit filius *Kenedus* sive *Kinadius*: qui Pictorum regnum delevit, sexies Saxones debellavit, & leges *Mac-alpin* (hoc est, *filij Alpini*) dictas DCCCxxxviij.

dictas promulgavit. *pag.* 611. 612. 716. 717.

DCCCXL. *Kenedus* hic, quem *Kennethum* II. vocant, post susceptum Dalrietæ regnum biennio transacto, in Pictaviam duxit exercitum. *Ibid.*

DCCCXLII. Idem, *quinto* ineunte regni sui anno, Pictos profligavit: tantâ in eos grassatus sævitiâ, ut neq; mulieribus neq; impuberibus neq; sacris parceret ordinibus. Unde & hinc XVI. annorum *Albanici* ipsius imperij ducitur initium. *pag.* 715. 716. 717.

DCCCXLIII. Anno regni sui *sexto*, cum piratæ Danorum occupatis litoribus Pictos sua defendentes non modicâ strage prædando maritima contrivissent, *Kenedus* Dorsum Albaniæ transcendens in reliquos Pictorum terminos arma vertit: multisq; eorum occisis, reliquos in fugam compulit, & amborum regnorum *monarchiam* conquisivit. *pag.* 716.

DCCCXLV. *Picti*, reparatis aliquantulùm Anglorum auxilio viribus, quatuor annis *Kenedum* frustrà infestant. *Ibid.*

DCCCXLviij. *Turgesius*, urbe Armachanâ occupatâ, *Farananum* Primatem unâ cum omnibus religiosis & studiosis inde expulit. Expulsi verò *Farannani* locum suscepisse putatur *Dermitius*: qui *sapientissimus omnium Doctorum Europæ* fuisse dicitur. *pag.* 860.

Casu *Turgesio*, Hiberni Nordmannos à finibus suis expulerunt. Unde Rex eorum, Dei auxilio tantâ potitus victoriâ, ad *Carolum Calvum* Francorum Regem pacis & amicitiæ gratiâ Legatos cum muneribus misit; viam sibi petendi *Romam* concedi deposcens. *Ibid.*

DCCCXLIX. *Aluredus*, nobilis ille Anglorum Rex, nascitur. *pag.* 715.

Kenedus, anno regni sui *duodecimo* septies uno die cum Pictis congressus, universas eorum copias fudit: indeq; *Sconam* rediens, *Druskenum* filium *Feredethi* Pictorum regem obtruncavit, atq; illud regnum suo adjecit imperio. Unde ab anno sequente Giraldus Cambrensis *Albanicæ* Scotorum monarchiæ deducit epocham.

cham. *pag.*712.716.717.718. ubi non ad *Twedam*, nedum ad *Tinam* fluvium, *Kenedum* auſtralem regni ſui limitem protendiſſe; neq; univerſam *Pictorum* gentem deleviſſe, ſed *Scotico* imperio ſubjeciſſe illum, oſtenditur.

Picticæ gentis ut regem *Druſkenum*, ita *Tarnanum* archiepiſcopum poſtremum fuiſſe aiunt. *pag.*669.

Patricius abbas, relictâ patriâ ſuâ Hiberniâ, Glaſtoniam petijſſe, ibiq; ad VIII. Kalend. Septembris vitam finiviſſe dicitur. *à pag.*895. *ad* 899. DCCCL.

Ab *Æthelſtano* filio *Æthelwulphi* Sandwici in Cantio *Danorum* cæſus eſt exercitus. *pag.*714. DCCCLI.

Forannanus & *Dermitius*, Armachani antiſtites, mortem obierunt: ipſaq; urbs *Armachana* die Paſchatis à Nordmannis ethnicis vaſtata eſt. *pag.*860. DCCCLII.

Æthelwulphus rex Anglorum Idibus Ianuarij mortuus eſt; quum regnâſſet ann. XX. menſ. V. *pag.*714. DCCCLvij.

Kenedus rex Albaniæ mortuus eſt: quum *Dalreudinis* ſuis ann. XX. *Pictis* verò ann. XVI. præfuiſſet. Succeſſit illi in regno frater *Domnallus* ſive *Donaldus*, Alpini filius. *pag.*717.719. DCCclviij.

Ninius diſcipulus *Elvodugi* (ſive *Elbodi* illius, quem anno DCCCIX. obijſſe diximus) Britannicam hiſtoriam, quæ falſo *Gildæ* nomine circumfertur, edidit. *pag.* 87. 817.955.

Domnallus ſive *Donaldus* filius *Alpini*, rex Scotorum & Pictorum, mortuus eſt. *pag.*719. DCCCLxij.

A *Danis* urbs *Alclyde* ſive *Dunbrittania* ſpoliata, *Northumbria* capta, & *Picti* plurimùm afflicti ſunt. *Ibid.* DCCclxxj.

Ainlaphus & *Ivarus* Danorum duces ex Albaniâ cum ducentis navibus *Dubliniam* advenerunt: prædam maximam hominum *Anglorum*, *Britonum* & *Pictorum* captivam ſecum in Hiberniam adducentes. *Ibid.*

Dani cum *Halfdeno* duce ſuo, totâ *Nordanhumbrorum* regione occupatâ, *Pictos* & *Strateledwalos* ſive *Cumbros* depopulati ſunt. *Ibid.* DCCclxxv.

DCCCLXXVj. *Constantinus* filius *Kenedi*, rex Scotorum & Pictorum, mortem obijt. *Ibid.*

DCCCLXXVIIIj. *Ædh* sive *Ethus* filius *Kenedi* alter, fratri in regno succedens, à socijs suis occisus est. *Ibid.*

Guthrunum Danorum regem, quem alij *Garmound* vocant, *Aluredus* Anglorum Rex de fonte sacri baptismatis suscepit, *Æthelstani* nomen illi imposuit, atque *Northumbriâ* eum donavit. *pag.* 715. *cum* 1015.

DCCCLXXIX. *Malcobus* filius *Grumvaili* antistes Armachanus, & *Moctheus* Lector à Nordmannis ethnicis capti sunt. *pag.* 860.

DCCCLXXXIIj. *Grimbaldus* Flandrensis, doctissimos viros *Oxoniam* secum adduxisse, novas leges ac prælegendi formulas instituisse, atq; Ecclesiam S. *Petri* ab ipso fundamento ibidem extruisse dicitur. (*pag.* 340. 341.) quò & notula illa spectat, ex *Vitâ Alfredi Regis quam scripsit S. Neothus* (si titulo credere libeat) delumpta: quam ad marginem libri VI. Polychronici Ranulphi Cestrensis, manu satis antiquâ, appositam in membranis Thomæ Alani Oxoniensis reperi. *Grimbaldus, præsente victoriosissimo Alfredo cæterisq; regni Magnatibus, in Universitate Oxon. legit primo lectionem scholasticam: qui paulo antè fuit Parisiensis Cancellarius.*

DCCCLXXXVj. Simultatem inter veteres Oxonienses academicos & novos advenas, quæ per tres annos occultior extiterat, tandem acriùs erupisse, in fragmento Asserio Menevensi temerè assuto, legimus: quam cum frustrà Rex *Alfredus* componere tentavisset; *Grimbaldum* offensum Oxoniani reliquisse aiunt, & ad monasterium *Wintonienſe* à Rege nuper fundatum concessisse. *pag.* 340. 341. 342.

DCCCLXXXIX. *Guthrunus* Danorum rex, *Æthelstanus* in baptismo nominatus, mortem obijt. *pag.* 715.

DCCCXC. In Demetiâ *Hemeidus* regulus dominatus est: qui monasterium & parochiam S. *Davidis* depradatus est, & *Menevensem Archiepiscopum* inde expulit. *pag.* 98.

DCCCXCj. Tres Scoti de Hiberniâ ad *Alfredum* Anglorum regem

gem venerunt: *Dufflanus*, *Macbathus*, & *Magulmenus* insignis Doctor. *pag.* 732.

Suibneus filius *Muilchuvai*, Doctor Scotorum peritissimus, *Clonmacnoisia* in Hiberniâ obijt. *Ibid.*

Bressalus Lector Armachanus mortuus est. *pag.* 861. DCCcxcix.

Asserius Menevensis Archiepiscopus, mortuus est: quem ego quidem rerum *Ælfredi* regis scriptorem fuisse existimo: utcunq; Balæus ex *Annalibus* ejus (in quibus nihil tamen tale invenio) non solùm *affinem* sed etiam *cancellarium* cum fuisse dicat nescio cujus *senioris Asserij*, ejusdem sedis archiepiscopi. (*pag.* 98. 341. 342.) Neq; ipsi etiam Guilielmo Malmesburiensi facilem assensum præbeo, qui (in secundo tam de Regum quàm de Pontificum Anglorum gestis libro) *Asserium* nostrum, ab Ælfredo rege ex *Sancto Dewi* evocatum, *Schireburnensem* ait constitutum fuisse Episcopum. Nam noster quidem inde se ab Ælfredo advocatum fuisse agnoscit: sed, cum annum ætatis XLV. Rex ille ageret, hoc est, anno Christi DCCCXCIII. Acta illius se conscripsisse adjicit. quum integro ante illud tempus *decennio* Asserium *Schireburnensem* Episcopum defunctum fuisse, Florentius Wigornensis & Matthæus Florilegus confirment: ipso etiam Malmesburiensi non diffitente; ubi *Sigelmum*, Asserij in Schireburnensi Episcopatu successorem, *partem Dominici ligni à Papâ Marino missam* regi Ælfredo detulisse narrat: (lib. 2. de gest. Reg. cap. 4.) cujus *Marini* mortem ab Asserio (in gestis Ælfredi) ad DCCCLxxxiiij. à Florentio Wigornensi ad annum proximè sequentem relatam videmus. DCCCv*j*.

Helmstano in Wintoniensi Episcopatu successit *Swithunus*: quem in Cantabrigiensis academiæ cathedrâ sacræ Theologiæ professorem fuisse volunt; horum æquali, *Bonagratiâ de Villâ Dei*, in Epistolâ ad Nigros monachos Angliæ illud attestante. *pag.* 340. DCCcxxxvij.

Anlaphus Norwegus, Hibernienſium (ut aiunt) multarumq; insularum rex, à socero suo *Constantino* filio

Ethi Scotorũ Albienſium rege incitatus, infinitam *Danorum, Norwegorum, Scotorum* ac *Pictorum* multitudinem adverſus *Æthelſtanum* Anglorum regem, *Edvardi* ſenioris filium, contraxit. Prœlio verò ad *Bruneburgum* commiſſo, in quo *Turketuli* Cancellarij (Croylandenſis poſteà Abbatis) fortitudo emicuit, *Æthelſtanus* Scotos & Pictos imperio ſuo ſubjecit. *pag.* 720.

DCCCCxl. *Æthelſtanus*, Rex Anglorum, *Gloceſtriæ* vitam finivit. *pag.* 715.

Ei ſuccedens *Edmundus* ſenior, *Dunſtanum* Floriacenſem monachum *Glaſtonienſis* cœnobij Abbatem conſtituit. *pag.* 109. 125.

DCcccxliij. *Conſtantinus* III. *Ethi* filius, Scotorum Albienſium Rex, dimiſſo regno, *Keldeorum* ſive *Colideorum* S. *Andreæ* Abbas factus eſt. *pag.* 659.

DCCCCxliiij. *Edmundi* Regis Donatio, Eccleſiæ S. *Mariæ* Glaſtoniæ conceſſa, & *Dunſtano* ejus Abbati; qui regijs opibus ſuffultus, *Glaſtonienſe* cœnobium magnificè reſtauravit. *pag.* 108. 109.

DCCCCXlvj. *Edmundus* Rex, *Leolini* regis *Demetiæ* auxilio fretus, *Cumbriam* totam cunctis opibus ſpoliavit: ac duobus filijs *Dunmail* ejus provinciæ regis oculorum luce privatis, regnum illud *Malcolmo* I. Scotorum Regi de ſe tenendum conceſſit; ut aquilonares *Angliæ* partes terrâ mariq; ab hoſtium adventantium incurſione tueretur. *pag.* 664. 665.

DCCCCI. *Oſulfus* primus Nordanhumbrorum Comes conſtitutus eſt. *pag.* 718.

DCCCcliij. *Malpatricius* Lector Armachanus obijt. *pag.* 861.

DCCCClv. *Cuentonienſis* Epiſcopi, Monemuthenſibus præſidentis, in Landavenſi Regeſto fit mentio. *pag.* 91. 92.

DCCCClx. *Indulpho* apud Scotos regnante, *Edenburgum* ab Anglis relictum uſq; in hodiernum diem à Scotis eſt poſſeſſum. *pag.* 667.

Ældredi Albanenſis Abbatis tempore, navalia armamenta & conchylia Verolamij ſunt effoſſa. *pag.* 152.

Diploma

Diploma ab *Ædgaro* Anglorum Rege *Weſtmonaſteri-* DCCCclxviij.
neſi Eccleſiæ conceſſum. *pag.* 575. 742.

Ædnari Albanenſis Abbatis tempore liber idiomate DCCCCLxx.
antiquo Britonum de S. *Albani* martyrio conſcriptus à foſſoribus inventus, & *Vnwonâ* presbytero interprete in linguam Latinam transfuſus fuiſſe dicitur. *pag.* 153 154.

Oſulfus Comes, Nordanhumbranæ provinciæ adminiſtratione cum *Oſlaco* divisâ, regionem ad Aquilonarem plagam *Tinæ* poſitam illius curæ commiſit; *Eboraco* cum ſuis finibus ſibi reſervato. 718.

Ædgarus Rex *Glaſtonienſis* cœnobij privilegia con- DCCCCLxxj.
firmavit & amplificavit: præſentibus *Dunſtano* Cantuarienſi & *Oſwaldo* Eboracenſi archiepiſcopo, *Athelwoldo* Wintonienſi & *Brithelmo* Fontanenſi ſive Wellenſi Epiſcopo, *Edgivâ* reginâ & multis alijs. *pag.* 114. 115.

Eodem *Ædgaro* præſente, Eccleſiæ Glaſtonienſi ab *Ealdredo* quodam donatæ ſunt XI. hidæ de *Clifan.* pag. 115. 116.

Ædgarus Rex Laudoniam *Kenedo* III. Scotorum regi DCCCCLxxv.
eâ conditione conceſſit; *ut annis ſingulis in feſtivitatibus præcipuis, quando Rex & ejus ſucceſſores diadema portarent, venirent ad Curiam & cum cæteris regni principibus feſtum cum lætitiâ celebrarent.* pag. 667. 668.

S. *Albani* reliquiæ, à *Germano* Romam perlatæ, per DCCCLxxxvj.
Theophaniam Imperatoris Othonis II. conjugem *Coloniam* deportatæ fuiſſe dicuntur. *pag.* 329. 330.

Leofrico (*Ælfrico* & *Aluricio* alijs dicto) ex abbate Dcccccxciij.
S. *Albani* facto archiepiſcopo Cantuarienſi, ſucceſſit in abbatiâ frater ejus uterinus *Alfricus*: qui S. *Albani* in cœnobio illo decantatum Officium compoſuit. (*pag.* 150.) Vid. Balæum, Centur. 10. cap. 52.

Marianus Scotus Chronographus in Hiberniâ natus MXXVIII.
eſt. *pag.* 735. 736.

Glaſtonienſis cœnobij privilegia à *Cnutone* rege con- MXXXII.
firmata ſunt. *pag.* 114.

Siwardus, Comitem *Eadulphum* interficiens, totius MXL.

provinciæ Nordanhumbrorum Comitatum ab *Humbrâ* usque ad *Twedam* administravit. *pag.* 718.

MLIIII. *Siwardus* Nordanhumbrorum Dux, jussu *Edvardi* Regis & Confessoris, *Malcolmum* III. (*Can-more* sive *Capitonem* dictum) filium regis Cumbrorum, profligato *Macbetho*, regem Scotorum constituit. (*pag.* 665.) Vid. *Edvardi* I. literas ad *Bonifacium* P. apud Matthæum Westmonaster. in Florib. historiar. & Thomam Walsingham. in Ypodigm. Neustriæ, ann. 1301.

MLV. *Siwardo* defuncto, in Ducatu Nordanhumbriæ successit *Toftius*: sub quo *Copsi* totius Comitatus curam gerebat. *pag.* 718.

MLX. *Wulsinus*, monachus inclusus, sanctitatis opinione in Angliâ claruit. *pag.* 741.

MLXI. *Nicolai* II. Pontificis Rescriptum ad *Edvardum* Regem de *Westmonasterienſis* Ecclesiæ privilegijs. *pag.* 744.

MLXV. Privilegia ab *Edvardo* Rege *Westmonasterienſi* Ecclesiæ, denuò à se extructæ, concessa. *pag.* 743.

Assumenta legibus illius adjecta. *pag.* 516, 517.

MLXVII. *Copsius* Nordanhumbrorum illorum qui ad septentrionalem plagam *Tini* fluminis habitant à *Gulielmo* I. Anglorum rege Comes factus est. *pag.* 718.

MLXX. Crucem *Stane-moriæ*, in Westmorlandiæ & Richmondiensis Comitatus confinijs, à *Guilielmo* I. Angliæ & *Malcolmo* III. *Scotiæ* rege, tanquam limitem utriq; regno fixam fuisse, Scotorum tradunt historici. (*pag.* 581.) Vid. Camden. in York-shire. pag. 596.

Malcolmus III. Episcopatus Scotiæ constituens, *Gallovidia* (quæ *Sodorensi* Episcopo subdita fuisse dicitur) sedem antiquam suam Episcopalem *Candidam Casam* restituit. *pag.* 667.

Incertæ fidei leges *Guilielmo* I. adscriptæ. *pag.* 720, 721.

MLXXX. *Turstinus* Normannorum primus *Glastonienſis* cœnobij Abbas factus est. *pag.* 125.

MLXXXII. *Vitalis* Abbas *Westmonasterienſis* (ad quem *Sulcardus* monachus Ecclesiæ illius scripsit Historiam) mortem obijt. *pag.* 128.

Wal-

Walwani, regis *Arthuri* nepotis, sepulchrum in *Rossiâ* inventum fuisse scribitur. *pag.* 514.515. MLXXxvij.

Marianus Scotus & conterranei ejus, *Isacius*, (qui CXX. vixit annos) *Clemens*, *Murchardochus*, *Johannes*, *Candidus* & *Donatus*, imperante *Henrico* IIII. Ratisbonam venerunt: quorum famâ moti plures Scoti de Hiberniâ adventârunt; quibus septem illi præfuerunt. *pag.* 736.1060. MXC.

Osmundus, Breviarij Sarisburiensis concinnator, claruit. *pag.* 150.

Benigni, Armachani antistitis, reliquiæ *Ferremeriâ* translatæ sunt *Glastoniam*. pag. 876.877. MXCI.

Epistolæ ad *Anselmum* Cantuariensem archiepiscopum à Waterfordiensibus transmissæ subscribit *Samuel* Dublinienſium & *Ferdomnachus* Laginiensium Episcopus. Ut enim Laginiensium archiepiscopatus à sede *Slebhtiensi* primùm ad *Fernensem*, ita succedentibus temporibus ob S. *Brigidæ* honorem à *Fernensi* ad *Kildariensem* (cujus hic *Ferdomnachus* antistes erat) translatus est; atq; in *Dublinienſi* Ecclesiâ postremum constitutus. *pag.* 965.966. *cum* 627.864. MXCVI.

Ferdomnachus Kildariensis Episcopus obijt. *pag.* 966. MCI.

Felix O-Dullane Episcopus Ossoriensis obijt: cujus Ecclesia cathedralis tunc erat apud *Aghboo* in superiori *Ossoriâ*. *pag.* 957. MCII.

Mugronus O-Mungar, Armachiæ & totius Occidentalis Europæ Lector primarius, III. Nonas Octobris vitam finivit. *pag.* 861. MCIII.

Herwoldus Landavensis Episcopus centenario major obijt: in cujus senectute, bellis in Walliâ ferventibus, Ecclesiæ illius status plurimùm debilitatus fuisse dicitur. *pag.* 86.

Vrbanus Glamorganensis sive Landavensis Ecclesiæ in Walliâ Episcopus Cantuariæ consecratus est. *pag.* 91. MCVII.

Mal-patricius O-Druranus munus Lectoris Armachiæ suscepit. *pag.* 861. MCVIII.

Turgotus

Turgotus Prior Dunelmenſis III. Kalend. Auguſti Epiſcopus *Sancti Andreæ* Eboraci conſecratus eſt. Ejus tempore totum jus *Keledeorum* totius regni Scotiæ tranſlatum eſt in Epiſcopatum *Sancti Andreæ*. pag. 1032.

MCIX. *Hervæus*, ſede *Bangorenſi* in Walliâ dimiſſâ, primus *Elienſis* Epiſcopus factus eſt. *pag.* 133.

MCXV. *Turgotus*, quum ſeptem annis Eccleſiæ S. *Andreæ* in Scotiâ præfuiſſet, mortuus eſt. *pag.* 1032.

Wilfridus Epiſcopus de Sancto David in Waloniâ obyt. Vſq; ad illum Epiſcopi extitere Britonici: inquit Florentius Wigornienſis. Hucuſq; etiam omnes Epiſcopi Eccleſiæ Menevenſis ſive S. *Davidis*, omni Archiepiſcopali dignitate uſi fuiſſe dicuntur, excepto Pallio, & Epiſcopos Walliæ tanquam ſuffraganeos conſecraviſſe; nullâ penitus alij Eccleſiæ factâ profeſſione vel ſubjectione. *pag.* 85. & 89.

Henricus I. Anglorum Rex, ſubactâ Walliâ, *Bernardum* primum Normannorum *Menevenſem* Epiſcopum conſtituit. qui licèt *Cantuariæ* conſecrationem ſuſceperit, jura tamen Eccleſiæ ſuæ publicè proteſtatus eſt; & Crucem interdum ſibi præferri per Walliæ fines attentavit. *pag.* 85.

MCXIX. Ab *Vrbano* Landavenſi Epiſcopo in Remenſi Concilio coram *Calixto* II. Pontifice, pro juribus Eccleſiæ ſuæ, adverſus *Bernardum* Menevenſem Epiſcopum facta eſt Proteſtatio. Inſerta ea eſt Landavenſis Eccleſiæ Regeſto, quod *Teilo* appellatur, & à *Galſrido* fratre *Vrbani* Epiſcopi concinnatum fuiſſe putatur. *pag.* 83. 85. 86.

MCXX. *Celſus* qui & *Celeſtinus*, Hibernis *Ceallach* dictus, Armachanus archiepiſcopus claruit. *pag.* 916.

Malachias, à *Celſo* presbyter ordinatus, *Benchorenſe* in Hiberniâ à piratis olim deſtructum reparavit cœnobium. *pag.* 736. 737. 911.

MCXXIX. *Henricus* Bleſenſis (*Henrici* I. ex ſorore *Adelâ* nepos, *Stephani* Regis & *Theobaldi* Comitis Bleſenſis frater) Abbas Glaſtonienſis, *Wintonienſem* adeptus eſt Epiſcopatum. *pag.* 118.

S. *Albani*

S. *Albani* reliquiarum facta est translatio sub *Gaufrido* Albanensi Abbate. *pag.* 986.

Gillebertus, Lumnicensis sive Limiricensis Episcopus, primus Romani Pontificis legatus in Hiberniâ. *pag.* 870. 917. MCXXX.

Rogerus de *Bello-monte*, secundus è Normannico sanguine *Warwici* Comes, claruit: qui Ecclesiam B. *Mariæ* in opido Warwicensi construxit. *pag.* 445.

Gilbertus Lambethæ à *Theobaldo* Cantuariensi archiepiscopo *Lan-elvensis* sive *Asaphensis* Ecclesiæ consecratus est Episcopus. *pag.* 91. MCXLIII.

Guilielmus Somerset, Malmesburiensis bibliothecarius, in fine vitæ Novellam suam terminavit Historiam. *pag.* 118.

Oënus miles, diebus regis *Stephani*, Purgatorium S. *Patricij* ingressus fuisse traditur. *pag* 897. 898.

Malachias, celebris ille Armachanus archiepiscopus, mortem obijt. *pag.* 736. 916. MCXLViij.

Bernardus in Remensi Concilio, coram *Eugenio* III. Pontifice, de *Menevensis* suæ Ecclesiæ jure metropolitico cum *Theobaldo* Cantuariensi archiepiscopo certamen inijt; sed conatu irrito. *pag.* 85.

S. *Cataldi* reliquiarum translatio à *Giraldo* Tarentino archiepiscopo facta est. *pag.* 758. 1060. 1061. MCL.

Gervasius abbas cœnobij *Ludensis*, monachum suum *Gillebertum* de *Ludâ* ad construendum monasterium in Hiberniam misit. qui *Gillebertus* postea Abbas de *Basingewere* in Flintensi Comitatu factus est: ex cujus relatione, quæ de *Oëni* in Purgatorium S. *Patricij* leguntur ingressu, *Henricus* Saltereyensis monachus literis mandavit. *pag.* 897. 898.

Ab *Eugenio* III. Pontifice per legatum suum *Johannem Paparonem* quatuor Pallia sunt transmissa in Hiberniam (quò nunquam antea Pallium delatum fuerat) eorumq; unum *Dublinensi* antistiti, totius Laginensis provinciæ tunc facto Metropolitano, collatum. *pag.* 863. 870. 965. MCLI.

Gilberto in *Lan-elvensis* sive *Asaphensis* Ecclesiæ episcopatu successit *Galfridus Arthurus*, Britannicæ interpres & interpolator Historiæ. *pag.*91.568.

Post *Wermundum* sive *Wimundum* monachum Savignensem, Manniæ & Hebridum insularum *Johannes* monachus Sagiensis constitutus est Episcopus. *pag.*643.644.

Radulphus Gubius Abbas S. *Albani* mortem obijt. *pag.* 155.

MCLVI. *Coloniæ* reperti fuisse dicuntur tituli quidam sepulchrales, *Vrsulanarum* virginum, & virorum qui eas comitati sunt, nomina inscripta præferentes; indeq; enata *Elizabethæ* Schonaugiensis Abbatissæ, ipsi etiam *Baronio* improbata, insomnia. *pag.*619.624.625.628.629.

Vrsulæ & *Dariæ* corpora Glastonienſi cœnobio *Henricus* Wintonienſis Episcopus donavisse memoratur. *pag.* 626.627.

MCLX. *Laurentius* Dunelmensis claruit: qui de *Cuthberti* Actis librum edidit. *pag.*945.1052.

MCLXV. *Malcolmo* IIII. Scotorum Regi defuncto *Guilielmus Rufus* frater successit: qui eodem hoc anno, cum Episcopo Insularum (*Manniæ*, & aliarum XXXI. quæ sunt inter Scotiam & Hiberniam & Angliam) ad *Henricum* II. Anglorum Regem se contulit. *pag.*649.717.

MCLXVII. *Simon* monasterij S. *Albani* Abbas constitutus est. *pag.* 155.

MCLXX. Fervente inter *Henricum* II. & *Thomam Becketum* Cantuariensem archiepiscopum contentione, *Gilbertus Folioth* Londinensis Episcopus sedi suæ jus metropoliticum frustrà arrogat. *pag.*71.

De S. *Albani* miraculis apud se patratis ab *Albanensibus* monachis editus est libellus. *pag.*331.

MCLXXI. *Henricus Blesensis*, Episcopus Wintonienſis, mortem obijt. *pag.*118.

MCLxxvj. *Vivianus* sive *Vibianus Thomasius* tituli S. Stephani in Cœlio Monte presbyter Cardinalis, Romani Pontificis in Hiberniâ & Scotiâ legatus, *Scotiam intravit*; *con-*

culcans

culcans & comminuens obvia quæq; expeditus capere nec impeditus rapere. pag. 891.

Andreas Episcopus *Catheneſij*, & libelli de *Albania* divisione author, claruerunt. *pag.* 611.

Reliquiæ *Amphibali* & sociorum ejus *Redburnæ* effossæ fuisse memorantur, & ad Ecclesiam S. *Albani*, operâ *Simonis* Abbatis, translatæ. *pag.* 161. 331. MCLxxvij.

Reliquiæ S. *Petroci* ab Ecclesiâ *Bodminiæ* in Cornubiâ furto ablatæ, & ad S. *Mevennij* in Britanniâ Armoricâ monasterium translatæ, *Henrici* II. Anglorum Regis mandato restitutæ sunt. *pag.* 1014. 1015.

Alexandri III. Bulla ad *Laurentium* Dublinienſem archiepiscopum transmissa. *pag.* 956. 961. MCLXXix.

Guilielmus Martellus & *Radulphus Dunſtapulenſis* monachi in Albanensi cœnobio claruerunt: quorum alter solutâ oratione, alter versu Acta *Albani* & *Amphibali* Latinè edidit. *pag.* 155. 158. 159. MCLXXX.

Simon Abbas monasterij S. *Albani* mortem obijt: cujus locum *Guilielmus* ille *Martellus* frustrà ambivit. *pag.* 155. MClxxxiij.

Johannes Curcius, expulsis secularibus Canonicis de Ecclesiâ cathedrali *Dunenſi*, (ut habet in Annalibus suis Pembrigius) eorum loco Monachos Nigros è *Ceſtriâ* advocatos substituit: Prioratu Ecclesiæ ab eodem & *Malachiâ* Dunensi Episcopo cuidam *Guilielmo* de *Etleſhalè* monacho Cestrensi concesso. *pag.* 816.

Charta Donationis *Hugonis* de *Lacy*, Ecclesiæ *Donſchachlinenſi* concessa, ab *Eugenio* Clunardensi sive Midensi Episcopo confirmata est. *pag.* 826.

Richardus Præmonſtratenſis novas de virginibus *Vrſulanis* revelationes commentus est. *pag.* 631. 632.

Glaſtonienſe cœnobium die XXV. Maij combustum est: (*pag.* 118. 120.) in cujus restauratione repertæ fuisse dicuntur *Patricij*, *Indracti* & *Gildæ* reliquiæ. (*pag.* 471. 892. 893.) MClxxxiiij.

Ab *Henrico* II. Anglorum Rege novæ Ecclesiæ *Glaſtonienſi* MCLxxxv.

ſtonienſi à ſe fundatæ Diploma conceſſum eſt, quod *Magnum Privilegium* appellatur. *pag.* 122. 123.

Amlavo O-Mureda defuncto *Thomas* ſive *Tomaltach O-Conner* in archiepiſcopatu Armachano ſucceſſit: cujus hortatu à *Jocelino* Furneſij monacho editum eſt Opus de Vitâ B. *Patricij*. pag. 816.

Comes *Johannes* filius *Henrici* II. in Hiberniam venit: & *Duni* inventa ſunt *Patricij*, *Brigidæ* & *Columbæ* corpora. *pag.* 889. 890.

MCLxxxvj. Ad *Urbanum* III. Pontificem à *Malachiâ* Dunenſi Epiſcopo & *Johanne Curcio* miſſâ legatione; per *Vivianum* Cardinalem, Nuncium Pontificium, V. Idus Iunij, die S. *Columbæ* memoriæ ſacro, reliquiarum *Patricij*, *Brigidæ* & *Columbæ* facta eſt tranſlatio. *pag.* 889. 890. 891. 895. 896.

Vivianus legatus Pontificius, generali Præſulum Hiberniæ Synodo *Dublinij* coactâ; *auro Hibernico, quod multum ſitierat, minùs onuſtus in Scotiam remeavit.* pag. 891.

MCLxxxix. *Arthuri* Regis & uxoris ſuæ *Weneveriæ* corpora Glaſtoniæ reperta fuiſſe dicuntur ab *Henrico Soliacenſi*, cœnobij illius Abbate. *à pag.* 117. *ad* 121. *cum* 515. 522. 523. 980.

Henricus II. Anglorum Rex, VI. die Iulij, mortuus eſt. *pag.* 121.

MCXCI. Gladium regis *Arthuri*, quem Britones *Calcburne* vocant, *Taucredo* regi Siciliæ à *Richardo* I. Anglorum Rege donatum fuiſſe ſcribunt. *pag.* 121.

MCXCIII. *Henricus Soliacenſis* ex Abbate *Glaſtonienſi* Epiſcopus factus eſt *Wigornienſis*. pag. 118.

MCXCV. Idem mortem obijt. *Ibid.*

MCXCIX. *Turonenſis* & *Dolenſis* Eccleſiæ vetus illa de jure metropolitico coram *Innocentio* III. agitata eſt controverſia: in quâ *Dolenſis* cecidit, & *Turonenſi* metropoli fuit ſubjecta. (*pag.* 530.) Vid. Innocent. Regeſt. lib. 2. epiſt. 79. & Roger. Hoveden. in hiſtoriâ anni 1199.

Sub

Sub finem ejusdem anni, coram eodem *Innocentio* pro jure metropolitico *Menevensis* suæ Ecclesiæ contra *Cantuariensem* certamen inijt. (*pag.* 74. 87. 92.) de quo horum temporum scriptor anonymus, qui in *Merlini* vaticinia commentarium edidit. *Vidi eisdem temporibus Giraldum Menevensem archidiaconum, pro Pallio obtinendo apud S. David, cum Huberto Walteri Cantuariensi archiepiscopo coram Papâ contendisse.* Vid. Roger. Hoveden. in hujus anni historiâ.

Glastonienses cum *Iocelino* Bathonensi ac Wellensi Episcopo de cœnobij sui privilegijs contenderunt. *pag.* 124. MCCXV.

Simon Sodorensis factus est Episcopus. *pag.* 644. MCCXXX.

Idem anno Pontificatus sui XVIII. pridie Kalend. Martij in *Manniâ* insulâ mortuus est; sepultusq; in Insulâ S. Patricij, in Ecclesiâ S. *Germani* quam ipse ædificare cœperat. *Ibid.* MCCXlvij.

Laurentius Manniæ archidiaconus in illius locum electus, statim ad Norwegiam profectus est; ut se *Haraldo* Regi & *Nidrosiensi* Archiepiscopo, à quo consecrandus fuerat, præsentaret. *Ibid.*

Michael Glastonienſis Abbas extitit. *pag.* 125. MCCL.

A *Davide O-Bragan* Clochorensi Episcopo coram *Innocentio* IIII. Actio est instituta contra *Reynaldum* Armachanum archiepiscopum; quem à sede ipsius, Ecclesiam *Ludunensem*, cum tribus in Louthiano Comitatu Decanatibus, abstulisse conquestus est. quemadmodum ab eodem *Davide* Ecclesiam de *Ardsrathâ*, cum pluribus alijs ecclesijs de *Opheathrach*, subduxisse *Germanum O-Chearbalan*, Episcopum *Rathlurensem* sive *Derensem*, Clochorenses criminantur. *pag.* 857. MCCLII.

In Octavis S. *Stephani* vetus *Albani* mausoleum denuò inventũ fuisse scribitur. *pag.* 148. 167, 980. 986. 995. 996. MCCLVI.

Nicolai martyris reliquiæ apud *Peblis* in Laudoniâ repertæ fuisse feruntur. *pag.* 638. 639. 640. MCCLXI.

Ad *Alexandrum* III. Scotorum regem à Norwegis MCCLXVj.

Mannia & Insularum regnum translatum est. *pag.*644.

MCCLxxij. *Keldeorum* sive *Colideorum* S. *Andreæ*, apud Scotos, meminit Henricus Silegravius in domuum religiosarum Britanniæ Catalogo. *pag.*659.

MCCLxxv. *Marcus* Gallovidianus, electus *Mannia* Episcopus, ab *Alexandro* III. Scotorum rege ad metropolitanum suum *Nidrosiensem* archiepiscopum consecrandus mittitur. *pag.*644.

MCclxxxj. *Ross-cree*, in Tipperarlensi Comitatu, ab *Edvardo* I. Anglorum Rege *Edmundo Butlerio* Comiti *Carickiano* (*Iacobi* primi Comitis *Ormondiæ* parenti) donata est. *pag.*969.

MCclxxxiij. *Constantij* Imp. corpus in Arvoniâ repertum &, *Edvardo* I. Anglorum Rege jubente, in Ecclesiâ honorificè collocatum fuisse traditur. *pag.*60.

MCCLxxxiiij. *Galfridus* de *Sancto Leodegario*, Episcopus Ossorienſis, duello acquisivit manerium de *Seir-keran*. pag.792.

MCCXCVij. *Guilielmo Feasar* episcopo Andreapolitano defuncto, in ejus locum à Canonicis III. Nonas Novembr. electus est *Guilielmus Lambertonus*, cui electioni cùm reclamarent *Keldei*, eorum præpositus *Auminus* Romam appellavit: ubi non modò electus approbatus est à Pontifice, sed omne etiam jus deinceps *Keldeis* abrogatũ. *pag.*659.

MCCXCIX. *Bonifacij* VIII. Bulla pro Scotis ad *Edvardum* I. Anglorum Regem data. *pag.*647.

MCCCI. *Edvardi* I. libellus contra Scotos ad *Bonifacium* transmissus. (*pag.*646.) apud Matthæum Westmonaster. & Thom. Walsingham. in Ypodigm. Neustriæ, ann. 1301.

Apologia à Scotis libello *Edvardi* opposita. *pag.*646.

Processus contra argumenta *Edvardi*, à *Baldredo Bysato* Papæ *Bonifacio* exhibitus. *pag.*647.

MCCCXIIII. Feretrum, in quo S. *Albani* caracalla apud Elienses servata fuisse existimabatur, à rege *Edvardo* II. reclusum est. *pag.*150. 329.

MCCCXVI. *Dovenaldi O-Neyl*, principis Hibernicorum Ultoniæ, ad *Iohannem* XXII. Romanum Pontificem scriptæ literæ. *pag.*724. 1037.

Apud

Apud Colonienſes S. *Albani* reſeratæ ſunt reliquiæ. *pag.* 330 996. MCCCXXvij.

Diploma ab *Edvardo* III. Anglorum Rege *Glaſtonienſi* cœnobio conceſſum. *pag.* 123. 124. MCCCXXX.

Iohannes Blomæus Londinenſis, cujuſdam revelationis ſibi factæ prætextu, à rege *Edvardo* III. licentiam querendi corpus *Ioſephi* ab *Arimathiâ* impetravit. *pag.* 27. 28. MCCCXLV.

Guilielmus Ruſſell, Abbas monaſterij B. *Mariæ* de Ruſſin, *Sodorenſis* Epiſcopus electus, à Papâ *Clemente* VI. Avinione conſecratus eſt. *pag.* 645. MCCCXLviij.

Iohannes Magnavillanus ſive de *Mandeville*, nobilis Anglus, poſt XXXIIII. annorum peregrinationem domum reverſus fuiſſe dicitur. Ampliſſimarum ædium, in agri Corcagienſis loco *Clonghtekilty* appellato, adhuc ſuperſunt fundamenta; quas *Iohannis* hujus fuiſſe, tradunt accolæ. *pag.* 453. MCCCLXVI.

Tractatus inter Commiſſarios *Henrici* IIII. Anglorum & *Roberti* III. Scotorum regis, die Martis, XVIII. menſis Octobris habitus. *pag.* 735. 736. MCCCCI.

De Britannici regni dignitate in *Piſano* Concilio à legatis Regis Angliæ mota eſt controverſia. *pag.* 23. MCCCCIX.

Eadem inter legatos Regis *Anglici* & *Gallici* in Concilio *Conſtantienſi* agitata eſt quæſtio. *pag.* 23. & 175. MCCCCxvij.

Diploma à *Sigiſmundo* Imperatore monaſterio Scotorum & Hibernorum apud *Ratiſbonenſes* conceſſum. *pag.* 724. 1037. MCCCCxxij.

In *Senenſi* Concilio, coram *Martino* V. Pontifice, regni Anglicani dignitas *à Richardo Flemmingo* Lincolnienſi Epiſcopo (& Lincolnienſis Collegij apud Oxonienſes conditore) adverſus *Hiſpanos*, *Scotos* & *Gallos* defenſa eſt. *pag.* 23. MCCCCxxiiij.

In *Baſileenſi* Concilio, inter Oratores regis *Angliæ* & *Caſtellæ* renovata eſt hæc controverſia: *Caſtellani* partes propugnante *Alphonſo Garſiâ de ſanctâ Mariâ* MCCCCxxxiiij.

Legum

Legum Doctore, ac Compostellanæ & Segobiensis Ecclesiarum Decano. *pag.*23.24.25. 990.

MCCcexlv. De Ecclesiæ Armachanæ *Colideis* à *Iohanne Mego* archiepiscopo lata sententia. *pag.*637.

MCCCCxlvij. De ijsdem Romæ à *Nicolao* V. lata sententia altera. *Ibid.*

MCCCclxviij. Apud Hibernos, de instituendâ Cantariâ in Ecclesiâ S. *Secundini* Episcopi, Comitiorum Regni decretum editum est. *pag.*826.

MCCCCXcij. S. *Catoldi* Prophetia, laminis plumbeis inscripta, *Tarenti* inventa & *Ferdinando* I. regi Aragoniæ & utriusq; Siciliæ exhibita fuisse dicitur. *pag.*758.

MCCCcxciiij. A *Guilielmo Schewes* Andreapolitano archiepiscopo S. *Palladij* translatæ sunt reliquiæ. *pag.*672.

MDII. A Colonienſibus S. *Pantaleonis* cœnobitis ad *Henricum* VII. Anglorum Regem, de S. *Albani* reliquijs, scriptus est libellus. *pag.*149.

FINIS.

Errata Typographica, in quibusdam exemplaribus emendanda.

PAg.3. lin.1.*lux* p.7.l.18.[illegible] l.19. [illegible] p.8.l.1. [illegible] l.24. *Sophronius* p.13.l.30.31.*Pagani* p.15.l.14.*cap.74.* p.16.l.13.*ceccri* l.23.XXXI.p.17.l.15.*Malmesbiriensi* p.20.l.17.& 28.*Deruviani* p.21.l.23.*hic* p.34.l.15. *factam* p 36.l.3.*Latino-Saxonicis* p.41.l.15. *Britanniam* p.42.l.14.*liberè* l.21.*Gotcelinus* p. 43.l.16.dele *ut* l.17. lege *consuetudine ; ut haberet* l.26.*quod* p.59.l.20.*antiquissimis* p.61. l.1.*Cantebrigia* p.67.l.28. *Actij* p.70.l.5. *mutetur* l.12.*in* p.73.l.33. *eum sec.*p.79.l.10.11. *virgineo Deo dicat. regularium choro venustata.* l.24.*Huntingdoniensis* Ibid.l.ult.deleatur. *Super omnes autem Britannos dextralis partis Britanniæ consecraverunt.* p.82.l.30. *moram* p.83. l.28.*ingruente* p.84.l.15.*appellabatur.*l.20.*Sampsæorum* l.21. [illegible], l.25. (*Eboracensi*) p.87.l.1 *in dignitate* p.91.l.8. *episcopatuum* l. 34. *Pictaviensi* p.98.l.penult.DCCCCVI. p.103.l.26 *Censuram* p.108. l.30.*ædificavisse* p.112.l.1.*extiterunt* l.antepenult. *summus Christus, angel.* p.113.l.2. *con edo* l.8. *Kentwinus* l.15.*Baldred* l.22.*& ipsa* p. 115.l.penult.*cujusdam* p.122.l.17. *ista* p.136.l.25.*Leone* IX. p.138. l.16.*anonymus* p.139 l.penult.*censeat.*p.140.l.2.*septennio* p.141.l.ult. *iniquiorum* p.142.l.18.*diversissimas* p.158.l. 11. *deposito, & lavacro regenerationis adepto, veniam* l.13. *debuit* p.159.l.17. *lætis* p.165.l. 17.18. *interfectum* l.33. *sententiam* p.169.l.25. *martyrium* p.184.l. 17.*mensem vicesimum* p.203.l.33.*Constantinop.* p.205.l.25.*me,quò* p. 211.l.31.*Eulogiarum* p.212.l.22.*duorum* p.214.l.32. *quinquennium* p.232.l.8.*Iterùm* p.234.l.16.*compellans* p.237.l.5.*Misit* l.9.*stupeamus* p.239.l.25.*ne possit* p.241.l.20.*ut credo,* p.243.l.17.*quorum posterior in Aquensium Episcoporum reperitur Catalogo ; prior* &c. p.245.l.2. *in posterum* p.246.l.12.SYNOD. *Hoc & Ecclesia recipit.* p.248.l.6.*non ea* p.251.l.26.*Hic* p.254.l.12.*Philip.* 2.13. p.256.l.5.*Euodio* p.259. l.ult. *consentit)* p.261.l.16.*tractatu* p.263.l.24.*occultis* p.264.l.31. *non ea* p.268.l.6. *superest.* l.33.*nec defutur.* p.273.l.21.*nutet* p.283. l.11.*quòd* p.288.l.22.*Memorium* l.antepenult.*Vincentio* p.295.l.11. *ignorantium* l.16.*coëgit :* p.298.l.13.*integrata* p.300.l.15. [illegible] p.301.l.22. *Restiterunt* p.302.20.*plena* p.305.l.33.*quædam* p.309.l. 18.*simplicitati* p.313.l.22. *eorum loco sacerd.*l.32. *Honoratus* p.314. l.8. *Qui* p.315.l.14. *veritatis luce,* p.321.l.15. *ipso* l.25.*puritate* l. 34.*quidam* p.324.l.5.*ac post* p.327.l.33.*correctionis* p.328.l.4.*præsumunt* l.22.*judicium* p.330.l.9.*cùm sacræ* p.337.l.13.*quam* p.338.l.4. *degentes scholastici* p.340.l.10.*ista* l.ult.*concationis* p.356.l.23. *decreto* p.358.l.ult.[illegible] p.359.l.4.[illegible] p.366.l.25.*reprehendere : & hoc* p.367.l.8.*excepta* p.368.l.33.*hic* p.370.l.16.*Consult* l.29. *tugisti* p.375.l.4. *præsidentem,literis : qui* p.380.l.7.*quod* p.382.l.1.

 Canicuus

Camdenus ait : quum p.385.l.18. *Germani fugeret quærebat :* p.389. l.19 *inducerent*.p.391.l.23.ὅλην p.392.l.4.*quæ adhuc* l.penult.*Hanno* p.395.l. antepenult. *Saxonibus* p.398.l 7. *Leidensi* p.399.l.23. *Zosimus* l.24.(*quos* p.400.l.10.*de se suisq*; l.12.*subdititium* l.23.*ista* l.26. *Britones*. l.31.*illi* p.401.l.2.*Quæ* l.3.*Lycophr*. p.404.l.5. *nostræ epochæ* p.406.l.20. *Apollinaris Sidonius* l.29.*Francicarum* l.32.τῶ p.407. l.4. βασιλεύοντι l.5.*Attilæ* p.409.l.16.*plaudit*; p.410.l.6.*præmissæ* l.7. *advenerant*,p.411.l.3.*Horsâ* l.29.*hîc* p.412.l.19. *statos*,l.25. *quam* l. 32.33.*Vortimeri resistere non valens,ad insul.* p.413.l.12. *reges gentis nostræ*. p.414.l.27.*cultellos* p.415.l.1.*suæ* l.32.*delebitur* p.441.l.28. *Reiensis* p.442.l.1 *laudatam* p.448. l.2. *Gilda* l. antepenult. *sine ullo locuplete teste* p.452.l.2.*Gillomauro* p.462.l.6.*Asturij* p.467.l.3.*horribilis* l.25. *Radulphus* p.468.l.28.*secundum* p.472.l.3.*Britanniâ* p. 475.l.17.*Prædictis* p.476.l.16.*Johannes* l.ult.*Summersetensi* p.478.l. 27.*præjudicio fidei solere* p.484.l.18.*nullatenùs* p.514. l.4.5.*sede Legionensi successisse* p. 516.l.13. ϝολεμοτεϝ p.523.l.4. *fabulosis* p.525. l.15. *Landavensi* p.527.l.15.*Limeneiâ* l.penult. *Gunniau* p.528.l.21. *debellandos* p.529.l.27.*læderetur humilitas ejus* ; p.532.l.20. *suo* p. 533.l.1.*post Ellenium præfuit* ; p.537.l.32.*monarcham* p.541.l.9.*Constantini* p.542.l.27.*Avunculum* p.557.l.21.*aliquanto nitidiore* p.582. l.19.*qui* l.22.*magnus inter* l.27.*Antonini*p.584.l.9.*insulæ* p.587.l.28. *parte* p.588.l.2.*quiete conditâ*, p.594.l.16. *tempore* p.603.l.2. *Mahertium* p.606.l.22.interrupto, p.610.l.7. *Derkan* p.613.l.6. *Zephyrinum* p.614.l.19.*effigie* p.618.l.29. *Schonaugiensis* l.ult. *Chalybis* p. 623.l.5.*sororum* l.22.*tempore* p.635.l.4.*eis* p.636.l.1.*Octobris* p.643. l.21.22.*nepotum* p.645.l.5.MCCCXLVIII. l.15.*ab Anglis* p.659.l. 13.*quibus* l.31.*honor* p.667.l.1. ᵖ *Gall*. l.3. ᵠ *Scoticis* l.12.ut *Hibernos* p.672.l.12.*Euangelij* p.676.l.32.*Britanniæ* p.681. l.ult. *illam* p. 682.l.ult. *ob metum* p.683.l.ult. *charissimus amicus*, p.685.l. penult. *processit* ; p.686.l.13.*ex conditoris* p.688.l.7.*Melchiorem* p.689.l.20. *vel saltem* (*ut* p.697. l.antepenult. *sacerdotes* p.704.l.19.*pòst* p.705. l.7.*dicatam* p.707.l.8.*consecratam* p.727.l.25.*vixisse* p.729.l.ult.*observantiam* p.745.l.17.*potiùs* p.768.l.6.*quàm* p.775.l.7.*editum* p. 782.l.8. *non sine* p.790.l.16.*sanctus* p.792.l.28.*Diabolo* p.799.l.17. *unusquisque* p.800.l.penult.*scriptori* p.804.l.19.*memoratum* p.805.l. 31. ἐκκλησίας p.816.l.2.*Regulis monasticis*,p.818.l.18.*Secundum*.p.820. l.17. *existimemus* ; l.22.*sed Hibernia* p.835.l.19.*Historia* p.837.l.2. CCCCXVIII. l.33.*gestorum illius* p.838.l.27.*Patricius* p.848.l.17. *Sesgnen* p.850.l.1. *Slane* l.27.*quidam* p.851.l.4. *scriptor* p.852.l.2. *plures ex* l.9.*regnum Hiberniæ*. p.853.l.13.*dicatur esse alveus* ; p.856. l. 1. *trecentos* p.865.l. 13. *cum* p.875.l.18 CCCCXXXVIII. *vel* CCCCXXXIX. *aliqui*, p.878.l.14. *Phagani* p.881.l.1.*quo &* p. 885.l.2.*Stanihursti* p.886.l.3.*Scholiastes* l.24. *Cruachan-eli*. p.887.l. 3.*exercitiaq; spiritualia* l.11. ϝαμβρα l.14. ἀποφυλαξ l.18.*Præsentem* l. ult. *ob-*

ult. *obscuro* p. 889.l.17. *accedente* l. 27.*divulgato* p.896.l.29.*vel* p. 901.l.penult. XVIII. p.902.l.18.*inclinaverit.* l.31.23000.p.903.l. 21. *terribili corda* l.24.*curruum* p.904.l.3.*quaere et*, l.15. *Gildas* p. 906.l.24.*Haereticorum* l.32.*necnon* p.912.l.21. *defecisse.* l.24.*Britanniâ* p.916.l.33.*Hieronymum* p.926.l.4.*imperitissimus* p. 929.l.12. *librarij* p.937.l.10. *mittantur* p.942. l 23.24. *Isernini* p.954. l.24. *Findbarrus* p.959.l.11.12. *Regi, praesente Orcadum Regulo*, p.961.l. 8.*Kalendas Octobris* p.967.l.10.*interpolator* p.969.l.23. *Edvardo* I. p.971.l.30. *Fachtnanus*, l. 32.*Lochanus* p.972.l.26. *nostris deberi* p. 976.l.6.1364. *perductorum* l.24. *praedicavit* p.977.l.20.*Girardo* p. 991.l.penult.*explicatione*) p.993.l.11.*reijcere* p.999.l. 26. *Didacus Alvarez* p.1001.l.7.*duorum* l.21.*quingentesimum* p.1008.l.6.*Maio*) l.penult.*Francicae*, p.1011.l.22.II. *Concilij hisce* p.1012.l.7. (*sive* p. 1020.l.9.*Fastis* p.1022.l.10.*proximam*, p.1024.l.2.*Turgotus* l.4.*ripâ* p.1025.l.26. *Bedâ vallum Severi constitui* (*licet* p.1034. l.ult. *duo monachi S.Col.* p.1041.l.23.θαλάττῃ l.24.ἔσω p.1044.l.7.πρὸς p.1045. l.21.*suae* CXX.p.1046.l.3.*Pennettus &c.esse* p.1047. l.penult. *adde* p.1058.l.32.*Palaestinâ* p.1060.l.9. νήσοις p.1063.l.16.*Moby Clarinech*, p.1066.l.7.*Conallum* p.1067.l.10. *Scripserunt* l.12. *Animosus nomine* p.1073.l.32.*in aciem* p.1074.l.15.*ad* 584.) p.1078.l.10. & 27.*Duuianus* p.1083.l.3.987. p.1084.l.17.174.) p.1085.l.29.788. 909. p.1087.l.29.660.) p.1089.l.33.1047) p.1092.l.22. (*à pag.* p. 1097.l.antepenult. *Autissiodorensis* p.1099.l.20.801.899.) p.1100. l.12. *Autissiodorensi* l.12.*unâ cum Seg.* l.26.*praeceptorem* p.1105.l.18. 609.729.)p.1109.l.19.884.1060. p.1114.l.30.870.886. p.1115.l. 13.872.887.p.1118.l.11.533.955.1064.p.1124.l.5.1064.)p.1126. l.19.*quò ad S.* p.1127.l.27.*Kill-slevensem* p.1129.l.11.955.& 341. l.27.*insecutam* p.1170.l.21.*pag.*110.111.125.979.980.

In margin. pag.5.lin.7.pro 621.repone 583.p.30.l.12. & p.50.l. 7.pro 7.repone 9. p.80.l.9.*episcoporum*. p.92.l.21.22.*Adventoriam*; p.103.l.1.*Matth.*23.37. p.149.l.10.143.p.198.l.1.2.*Imperatores* p. 215.l.4.5.dele *Bernard.Lutzemburg.*& p.218.l.11.12.*epist.*90.p.235. l.1. *Job* 14. p 236.l.11.*Augustinianas*, p.254.l. antepenult.*ordine* p. 266.l.ult. *supr. cap.*8 *pag.*210. p.300.l.13.*Act.Concil.* p.318.l.8 *num.* 530. p.328.l.ult.*cap.*25. p.358.l.3.*haereses*, p.362.l.1.*Ibid.cap.*23. p. 370. l.*Valentiniano* p.382.l.1. i.*Camden.* p.386.l.ult.*pag.*62. p.398.l. 6.*Vorpero* p 421 l.6.*cap.*5. p.479.l.15. *Tom.* p.525.l.24. *Capgravium* p.585 l.2. *sive* p.613.l.9. *Menologio* p.628 l.1. *Sagittae* p. 637. l.10. *Innyenambeoph p 687.l.10.662.p.689.l.12.13. dele & 138.p.691.l. 3.*cap.*20. p 710.fin.dele illa.*ut in duobus capitibus sequentib.Aidum vel Aedum.* p 751.l 8.MDCXIV. p 776.l.6.*Tom.*1.p 822.l.18 *lib.*2.. & 4. p.831.l.11. γλιαbb p 858 l.2.824 p.873.l.10.11.*historiar.*p.885. l.21 γνιᾷν.p 894.l.1.*Confer locum* p.960.l.1.*Ruadani*p.973.l.4.*cap.ult.* p.1025.l.13 817.) p.1034.l.6.*pag.*195.496.

Pag. 4. lin. 24. *lege.* Hinc Arnobius, in Psalm. 147. *Tam velociter currit sermo ejus ut cùm per tot millia annorum in solâ Judeâ notus fuerit Deus, nunc intra paucos annos, nec ipsos* INDOS *latent à parte Orientis, nec ipsos* BRITONES *à parte Occidentis. Ubiq; cucurrit velociter sermo ejus.* & Theodoretus, libro 9. &c.

Pag. 391. lin. 18. *pro* impresso codice, *lege,* Francofurtensi editione

[h] Adomnan Vit. Columbæ, lib. 3. cap. 5.

Pag. 711. lin. penult. post [salutatus,] lege. [h] *Domnallum Breccum nepotem Aidani* appellat Adomnanus; &c. in bello Roth sine causâ vastavisse provinciam *Domnail* [i] Id. lib. 1. cap. 9. (i filij *Aido*) *nepotis Amureg* sive *Ainmuireg*, ex libro Cummenei &c. *ut pag.* 712. lin. 3. *(deletis intermedijs.)*

Pag. 725. lin. 1. post [*regnaverunt.*] adde

Similiter & Conradus à Monte puellarum Canonicus Ratisbonensis, in Vitâ S. Erhardi (quam ex Codice MSo. monasterij S. Magni Ratisbonæ à se descriptam cõmunicavit mihi Stephanus Vitus): *Floruerunt in aretâ tempestatis hujus fluide & procelloſa vitæ viri sancti in Hibernia, quæ Major Scotia dicebatur, & se disperserant in numero multo per omnia Francie & Germania loca, & hinc ad alia terreni orbis climata; ut lumine fidei illuminarent populum tenebrarum, & cecitatis erroribus extirpatis ad Solem justitiæ converterent oculos lippientes.* Cui concinit & antiquus ille Ratisbonensis Breviarij de eodem S. *Erhardo* Hymnus:

Verus hic Israelita,
Quem fraus omnis fugit:
Hunc exortum pusionem
Maior Scotia nutrit.

Et quidem Britannicos, &c.

Pag. 902. lin. 4. 5. *pro* (ut & alia etiam ex eodem in Iohannis Fordoni citata Scotichronico) *lege.* (& rectè quidem; utpote ex illius officinâ nunquam profectum)

Pag. 1052. linea 29. & 30. deleatur. *Eadem enim posteà sequentur*, pag. 1068.

Pag.

Pag. 1065. lin. 18. *post* [Clonfeartenſis] *adde.* S. *Comgalli* diſcipulus; vel etiam *Lugidus* Epiſcopus, à quo ipſum *Comgallum* Clonmacnoiſæ ſacros ordines accepiſſe ſcriptor Vitæ Comgalli indicat: alter autem, vel S. *Lugidius Tailchani* filius, &c.

Pag. 1066. lin. 8. *post* [convertiſſe:] *deleantur illa.* aliud quoq; monaſterium in quâdam inſulâ dictâ *Iniſcomera*, à magiſtro ipſius S. *Finniano* conſecratum fundaviſſe:

Pag. 1067. lin. 25. *deleantur iſta.* ex Iohannis XXII. Romani Pontificis decreto, anno MCCCXXVII. edito,

Pag. 1068. lin. 2. poſt [*Nathineo*] deleantur 4. lineæ ſequentes: & earum loco reponantur iſta. *preſbytero in ſacris literis ac bonis moribus eruditus*; in ſuo poſteà *monaſterio trecentos circiter monachos, ſecundùm Regulam à ſanctis Patribus inſtitutam, in ſcientiâ & bonis moribus regebat.* Unde in Hymno de eodem cani ſolitum:

Debinc fuit monachorum
Dux & pater trecentorum:
Quos inſtruxit lege morum,
Murus contra vitia.

Inſulæ præterea cujuſdam incolas ethnicos, cum rege ſuo *Guari*, ad fidem Chriſti convertiſſe dicitur, patratis quibuſdam miraculis; ad quorum fidem firmandam, æqualis ipſius *Ailerani* ſapientis teſtimonium recentior Biographus ita advocat. *Hæc miracula, ne cuiquam in dubitationis ſcrupulum veniant, ſapienti viro Ailerano referente, & alys multis fidelibus idem conteſtantibus, comprobata ſunt.*

In Ultonienſibus, &c.

Pag. 1076. linea 17. & 18. ponenda fuerat ſtatim poſt 12. ante annum CLII.

Pag. 1086. linea 24. & tres ſequentes, transferendæ ſunt ad pag. 1090. inter lin. 2. & 3.

Pag. 1107. lin. 20. poſt 868. adde. *Enna* autem iſte,

Endeus fuisse putatur, filius *Conalli Deyre* sive *Rubei* Ducis Ergallensium,& *Brigæ* filiæ *Anmerini* Ducis Ardconnacthiæ. qui monachis centum & quinquaginta in *Latiensi* cœnobio apud Italos præfuisse, eosq; secum postea ad *Aranicam* insulam adduxisse dicitur. *pag.* 962. 1066. 1067.

Pag. 1115. *inter lin.* 6. & 7. *adde.*

Nessanus diaconus *Albeo* familiaris fuisse traditur. *pag.* 961.

Laogario, Nelli &c.

Pag. 1122. inter lin. 13 & 14. ponenda ista.

Petranus quoq; Armoricus, patriâ relictâ, Hiberniam petijt. *pag.* 528.

Dubricius in *Hentlaniano* suo gymnasio, ad *Guy* sive Vagam fluvium posito, præter *Thelianum*, *Samsonem*, &c. (qui postea celebres Doctores extiterunt) mille alios clericos, &c. *ut in pag.* 117. *initio. Hæc enim duæ postremæ lineæ* 116. *paginæ*, & 117. *priores octo lineæ sunt transferendæ.*

Ibid. *inter lineam ultimam & penultimam reponenda est pericope illa, pag.* 118. *lin.* 20.

Paulinus, discipulus *Germani*, &c.

Pag. 1131. lin. 6. *adde.* die Decembris septimo: ut docet anonymus, qui Acta ipsius Hibernico sermone descripsit.

Pag. 1176. lin. 23. *adde.* Hunc Asserius Menevensis ut *cantatorem optimum*, & *omnimodo Ecclesiasticis disciplinis & in divinâ scripturâ eruditissimum* celebrat. Videndumq;, an non ejus sit Sacramentorum ille liber quem, *Grimoldi Abbatis* nomine, in 2. Tomo Liturgicorum Iacobi Pamelij habemus editum.

FINIS.

Most

G

In En
Your
I doe
They
Soïn
The
Some
As in
Here
I lik
My
M
T
V
O

Digitized by Google